NILI MYSTICI
EX PARADISO VOLUPTATIS,

SIVE

VERBI DIVINI, SEPTEMPLICI ALVEO DEFLUENTIS,

Et

TOTIDEM EFFUSIONIBUS PRETIOSI SANGUINIS

D.N. JESU CHRISTI

SACRI

ALVEUS QUARTUS,

SIVE

ANNUS QUARTUS,

Concionum in omnes Dominicas & Feſta per Annum, additisque duodecim Articulis Teſtamenti Jeſu Crucifixi, cum Indicibus neceſſariis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AUCTORE

R.P. PHILIPPO KISELIO
Fuldenſi, è Societate Jeſu.

BIBL. SEGOV.

Cum Privilegio Sacræ Cæſareæ ac Regiæ Majeſtatis.

BAMBERGÆ,
Sumptibus JOANNIS ARNOLDI CHOLINI.
ANNO M.DC.LXX.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO, DOMINO

DOMINO,

JOACHIMO

INCLITÆ ECCLESIÆ FULDENSIS ABBATI, S.R.I. PRINCIPI,

D. AUGUSTÆ

ARCHICANCELLARIO, PER GERMANIAM ET GALLIAM PRIMATI;

COMITI à GRAVENECK,

Domino meo Clementiſſimo.

Digitized by Google

NOn miraberis, *Reverendiſſime & Illuſtriſsime Princeps*, Nili mei Myſtici Alveum Quartum tuis velle auſpiciis decurrere; Ita enim aſſuevit, ut ſubditorum labor ſuo conſecretur Principi; non ſecus, ac ſiderum radii reſorbentur à ſole; Et florum amœnitas terræ ſe reddit gremio; aut demum, ne jam allegorice loquar, ut rivi & amnes (inter quos etiam Nilus meus eſt) ſuum repetunt, unde fluxerunt, mare. Atqui ego Fuldenſi prognatus ſolo, factus ſum tui Dominii municeps, potentiæ tributarius; Adeo ut debeam vel iniquus vel vanus videri, ſi laboris & partus mei decimam tibi non integerrimam tranſcribam, aut patriæ contemptor aliud mihi extra patriam decus inquiram.

Sed & honori ſuo Nilus meus conſultum voluit, quando Pyramidum, ex priſco Obeliſcorum ornatu, ad Nili Ægyptii ſimilitudinem penitus carere non ſuſtinuit. Advertis, quo tendam: Nimirum Columnæ tuæ Principali Magnificentiâ erectæ ad illuſtre quoddam decus, me arrectum fecerunt, quas ut vidi, ſimulque gentilitios tuos Rhombos virtutum inſcriptionibus atque Emblematis claros expendi; Seſo-

ſtrem

Digitized by Google

ſtrem aliquem, Sothin, aut Rameſſem mihi effingebam, qui immortale ſibi nomen patriæ ſuæ limitibus inſcriberet. Vides igitur, quam bene Illuſtriſſimum tuum Nomen Nilo meo præfigam. Nempe ut ſtatim in capite pulcherrimus ſplendor Ægyptiæ Majeſtati parallelus irradiet, & Nili mei oras coronet.

Accedit, quod Scriptores tradant, exundante Nilo nemini fas eſſe Chomata, ſive aggeres aperire, præterquam Præſidi, cujus munus erat tam beneficas aquas in canales diſpertiri. Quem ego pro hoc Nili mei Alveo alium velim, niſi te Illuſtriſſimum Præſulem, qui digniſſima tua manu primus eum aperies, cæteriſque fidelibus ejus luculenter hauriendi copiam facies.

Hæc aliaque erant, quæ jam diu me ſtimularunt, ut te Nili mei Patronum exorarem, maximè cum mihi pollicerer, quemadmodum Nilus Ægyptius creſcit in Cancro, in Leone exundat, in Virgine deficit, penituſque ſidit in librâ: ita Nilum meum in virtutum tuarum quadrato ſive Rhombo perfectiſſimum incrementum aſſecuturum eſſe; Cum non minus in Te, tanquam ſuo Cœlo ſigna illa per Ægyptia hieroglyphica deprehendat? Agnoſcit enim in ſolis

Digitized by Google

Tropico prudentiam, in Leone fortitudinem, temperantiam in Virgine, in librâ Juſtitiam. Ad extremum Nili pleniſſimum, optimumque pro arvis irrigandis incrementum ſtatuunt ſedecim cubitorum. Vide ut iterum quadrilateri tui Quadratum arcanâ & prodigioſâ calculatione ſeſe monſtret. Totum igitur tibi vendicas Nilum meum: Totus Tuus eſt. Quem ſimul & me tuæ Clementiæ humillime committo. Bambergæ. Feſto Exaltationis S. Crucis, Anno 1669.


R^mæ & Ill^mæ Celſitudinis Veſtræ,

Humillimus ſervus

Philippus Kiſelius, è Soc. Jeſu.

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

INDEX THEMATUM.

In Dominicas ab Adventu uſque ad Pentecoſten.

Thema.
Pro Dominica prima Adventus.
Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, Matt.21.v.5. p.1.

Thema.
Dominica II. Adventus.
Erunt ſigna in ſole & luna, Luc.21.v.25. 11

Thema.
Dominica III. Adventus.
Cum audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti Matt.11.v.2. 20

Thema.
Dominica IV. Adventus.
Dirigite viam Domini Joan.1.v.28. 32

Thema.
Dominica infra octavam Nativitatis.
Ecce hic poſitus eſt in ruinam multorum, Luc.2.v.34. 42

Thema.
Dominica infra octavam Epiphaniæ.
Remanſit puer Ieſus in Ieruſalem, Luc.2.v.34. 50

Thema.
Dominica II. poſt Epiphaniam.
Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilea, Joan.2.v.1. 60

Thema.
Dominica III. poſt Epiphaniam.
Domine, ſi vis, potes me mundare, Matt.8.v.2. 72

Thema.
Dominica IV. poſt Epiphaniam.
Motus magnus factus eſt in mari, Matt 8.v.24. 833

Thema.
Dominica V. poſt Epiphaniam.
Unde ergo habet zizania, Matt.13.v.27. 89

Thema.
Dominica Septuageſimæ.
Ite & vos in vineam meam, Matt.20.v.7. 96

Thema.
Dominica Sexageſimæ.
Exiit, qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum, Luc.8.v.5. 107

Thema.
Dominica Quinquageſimæ.
Ecce aſcendimus Ieroſolyma, Luc.18.v.31

Thema.
Pro die Cinerum.
Memento homo, quod morteris & in pulverem reverteris, Gen.3.v.19. 124

Thema.
Dominica I. Quadrageſimæ.
Cum jejunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, Math.4. v.2. 128

Thema.
Dominica II. Quadrageſimæ.

Digitized by Google

Domine miſerere mei, Matt. 15. v. 22. 137

Thema.
Dominica III. Quadrageſimæ
Erat Ieſus eiiciens Dæmonium, Luc. 11. v. 14. Thema. 145

Dominica IV. Quadrageſimæ.
Abiit Ieſus trans mare, Joan, 6, v. 1. 153

Thema.
Dominica Paſſionis.
Quis ex vobis arguet me de peccato. Joan. 8, v, 46. 161

Thema.
Dominica Palmarum.
Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat, 1. Cor. 11, v. 29. 167

Hiſtoria Paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti.
Bajulans ſibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum, & ibi crucifixerunt eum, Joan. 19. v. 16. 176

Thema.
Dominica Reſurrectionis.
Nolite expaveſcere Ieſum quæritis Nazarenum, Crucifixum: ſurrexit & non eſt hic, Marc. 16. v, 6. 210

Thema.
Dominica in Albis.
Pax vobis, Joan. 20. v. 20. 218

Thema.
Dominica II. poſt Paſcha.
Ego ſum Paſtor bonus, Joan. 10. v. 11. 227

Thema.
Dominica III. poſt Paſcha.
Modicum, & jam non videbitis me, Joan. 16. v. 2. 236

Thema.
Dominica IV. poſt Paſcha.
Vado ad eum qui miſit me, Joan. 16, v. 15. 241

Thema.
Dominica V. poſt Paſcha.
Petite & accipietis, Joan, 16. v. 24. 248

Thema.
Dominica VI. poſt Paſcha.
Cum venerit Paracletus quem ego mittam vobis à Patre, ſpiritum veritatis, Joan. 15. v. 25. 256

INDEX THEMATUM

In Dominicas à Pentecoſte uſque ad Adventum,

Thema.
Pro Feſto Pentecoſtes.
Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, Joan. 14. v. 26. 266

Thema.
Feſto Sanctiſſimæ Trinitatis.
Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, Spiritus Sancti. Matt. 28. v. 19. 274

Thema.
Dominica I. poſt SS. Trinitatem.
Epulabatur quotidie ſplendide, Luc. 16. v. 19. 281

Thema.
Dominica II. poſt SS. Trinit.
Homo quidam fecit cœnam magnam, Luc. 14. v. 16. 290

Thema.
Dominica III. poſt SS. Trinit.
Mur-

Digitized by Google

Murmuraverunt Phariſæi, & ſcribæ, dicentes: quia hic peccatores recipit, Luc. 15. v. 2. 299

Thema.
Dominica IV. poſt SS. Trinit.
Nolite judicare, & non judicabimini, Luc. 6. v. 37. 307

Thema.
Dominica V. poſt SS. Trinit.
Tota nocte laborantes nil cepimus, Luc. 5. v. 5. 316

Thema.
Dominica VI. poſt SS. Trinit.
Vade prius, reconciliari fratri tuo, Matt. 5. v. 24. 322

Thema.
Dominica VII. poſt SS. Trinit.
Miſereor ſuper turbam, Marc. 8. v. 2. 331

Thema.
Dominica VIII. poſt SS. Trinit.
Omnis arbor, quæ non fecit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur, Matt. 7. v. 19. 337

Thema.
Dominica IX poſt SS. Trinit.
Redde rationem villicationis tuæ, Luc. 16. v. 2. 345

Thema.
Dominica X. poſt SS. Trinit.
Flevit ſuper illum, Luc. 19. v. 41. 352

Thema.
Dominica XI. poſt SS. Trinit.
Deus propitius eſto mihi peccatori, Luc. 18. v. 13. 359

Thema.
Dominica XII. poſt SS. Trinit.
Apprehendens eum de turba ſeorſum, Marc. 7. v. 33. 366

Thema.
Dominica XIII. poſt SS. Trinit.
Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis, Luc. 10. v. 23. 375

Thema.
Dominica XIV. poſt SS. Trinit.
Cum ingrederetur quoddam caſtellum, occurrunt ei decem viri leproſi, Luc. 17. v. 12. 384

Thema.
Dominica XV. poſt SS. Trinit.
Nolite ſolliciti eſſe, Matt. 6. v. 34. 390

Thema.
Dominica XVI. poſt SS. Trinit.
Ecce defunctus efferebatur, filius unicus Matris ſuæ, Luc. 7. v. 12. 400

Thema.
Dominica XVII. poſt SS. Trinit.
Et ipſi obſervabant eum, Luc. 14. v. 1 407

Thema.
Dominica XVIII. poſt SS. Trinit.
Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, Matt. 22. v 37. 416

Thema.
Dominica XIX. poſt SS. Trinit.
Confide fili: remittuntur tibi peccata tua, Matt 9. v. 2. 425

Thema.
Dominica XX. poſt SS. Trinit.
Ligatis manibus & pedibus projicite in tenebras exteriores, Matth. 22. v. 13. 432

Thema.
Dominica XXI. poſt SS. Trinit.
Erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum, Joan. 4. v. 46. 441

Thema.
Dominica XXII. poſt SS. Trinit.
Miſertus autem Dominus ſervi illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei, Matt. 18. v. 17. 452

Digitized by Google

Thema.
Dominica XXIII poſt SS. Trinit.
Licet cenſum dari cæſari, an non? Matt. 22. v. 17. 462
Thema.
Dominica XXIV. poſt SS Trinit.
Ecce mulier, quæ ſanguinis fluxū patiebatur, duodecim annis, Matth. 19. v. 29. 472
Thema.
Dominica ultima poſt SS. Trinit.
Cum videritis abominationem deſolationis, Matt. 24. v. 15. 481

INDEX THEMATUM.
In Feſta ab Adventu uſque ad Pentecoſten.

Thema.
Pro Feſt. S. Franciſci Xaverii Ind. Apoſtoli.
Ito Angele velox ad gentem convulſam, & dilaceratam, Iſaiæ 18. v. 2. p. 5
Thema.
Feſto immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis.
De qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus, Matt. 1. v. 16. 12
Thema.
Feſto S. Thomæ Apoſtoli.
Dominus meus Deus meus, Joann. 20. v. 28. 21
Thema.
Feſto Nativitatis Chriſti.
Hoc vobis ſignum: invenietis infantem poſitum in præſepio, Luc. 2. v. 22. 30
Thema.
Feſto Stephani Protomartyris.
Ecce video cœlus apertos, & Ieſum ſtantem à dextris Dei, Act. 7. v. 55. 39
Thema.
Feſto S. Joannis Evangeliſtæ.
Diſcipulus ille, quem diligebat Ieſus, Joan. 21. v. 20. 49
Thema.
Feſto Circumciſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti.
Et vocatum eſt nomen eius Ieſus, Luc. 2. v. 21. 57
Thema.
Feſto Epiphaniæ.
Apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera, Matt. 2. v. 11. 68
Thema.
Feſto Purificationis B. V, quam concionem invenies in fine.
Tulerunt illum in Ieruſalem, ut ſiſterent eum Domino, Luc. 2. v. 22. 309
Thema.
Feſto S. Matthiæ.
Venite ad me omnes, qui laboratis, Matt. 11. v. 28. 77
Thema.
Feſto S. Joſephi ſponſi B. V.
Ite ad Ioſeph, Gen 41. v. 55. 84
Thema.
Feſto Annunciationis B. V.
Ave gratia plena, & Dominus tecum, Luc. 1. v. 28. 89
Thema.
Feria II. Paſchatis.
Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, Luc. 24. v. 26.

Digitized by Google

24.v.26. 98

Thema.
Feria III. Paſchatis.
Pax vobis, ego ſum, nolite timere, Luc. 24. v. 36. 105

Thema.
Feſto SS. Philippi & Jacobi.
Dicit ei Philippus; Domine, oſtende nobis Patrem & ſufficit nobis, Joan. 14. v. 8. 112

Thema.
Feſto Aſcenſionis Chriſti D.
Dominus quidem Ieſus, poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei, Marc. 16. v. 19. 124

INDEX THEMATUM.

In Feſta à Pentecoſte uſque ad Adventum.

Thema.
Pro Feria II. Pentecoſtes.
Sic Deus dilexit mundum. Joan. 3. v. 16. 135

Thema.
Feria III. Pentecoſtes.
Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant, Joan. 10. v. 10. 142

Thema.
Feſto Corporis Chriſti.
Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus, Joan. 6. v. 16. 152

Thema.
Feſto Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ.
Ioannes eſt nomen ejus. Luc. 1. v. 63. 161

Thema.
Feſto SS. Apoſt. Petri & Pauli.
Tu es Chriſtus Filius Dei vivi, Matt. 16. v. 16. 169

Thema.
Feſto Viſitationis B. V.
Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias, Cant. 2. v. 2. 176

Thema.
Feſto Mariæ Magdalenæ.
Lacrymis cœpit rigare pedes ejus, Luc. 7. v. 38. 187

Thema.
Feſto S. Jacobi Apoſt.
Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum? Matt. 20. v. 22. 196

Thema.
Feſto S. Ignatii Fundat. Soc. Jeſu.
Quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum, 1. Reg. 13. v. 14. 204

Thema.
Feſto S. Laurentii.
Niſi granum frumenti, cadens in terram mortuum fuerit, Joan. 12. v. 23. 212

Thema.
Feſto Aſſumptionis B. V.
Glorioſa dicta de te ſunt Civitas Dei, Pſal. 86. v. 3. 221

Thema.
Feſto S. Bartholomæi.
Erat pernoctans in oratione, Luc 6. v. 12. 231

Thema.
Feſto Nativitatis B. V.
De qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus, Matt. 1. v. 16. 241

Thema.
Feſto S. Matthæi Apoſt.
Sequere me, Matt. 9. v. 9. 149

INDEX THEMATUM.

Thema.
Feſto S. Michaelis Archangeli.
Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem patris mei, Matt. 18. v. 10. 257

Thema.
Feſto SS. Apoſtolorum Simonis & Judæ.
Hæc mando vobis, ut diligatis invicem, Joan. 15. v. 17. 265

Thema.
Feſto omnium Sanctorum.
Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis, Matt. 5. v. 12. 272

Thema.
Feſto Præſentationis B. V.
Beatus venter, qui te portavit, Luc. 11. v. 27. 285

Exhortatio in feſto Animarum.
Miſeremini mei ſaltem vos amici mei, Job. 19. v. 21. 279

Thema.
Feſto S. Andreæ Apoſt.
Venite poſt me, Matt. 4. v. 19. 292

Thema.
Feſto Dedicationis Eccleſiæ.
Quia hodie ſalus huic domui facta eſt, Luc. 19. v. 9. 300

IN-

INDEX RERUM.

A.

Abigail figura Deiparæ, C.42.§.11
Abrahami verus erga Deum amor C.47.§.10.11.
Adoratio Majorum eſt admirabile myſterium C.61.§.1.
Agnus flos, C.67. §.3.
Agonia damnatorum, C.37.§.4.
Amor erga Chriſtum D. eſt optima præparatio ad ſanctam mortem, C.45. in variis §.
Amor à Deo exhibitus in myſterio Incarnationis.
Amor Chriſti D. erga verè pœnitentes. C.56. §.5.
Amor boni Paſtoris C.23.§.8.
Amor Chriſti D. extraxit Thomam ex abyſſo inſidelitatis, C.56.§.7.
Amoris Divini ignem accendit Spiritus S. C.28.§.7.
Amor fuit cauſa mortis Mariæ. C.79. §.1.
Amorem declarant opera, C.77. §.6. C.47.§.13.
Amoris erga Parvulum de Bethleem qualitates. C.59.§.9.
Amor Dei ex toto corde. C. 47. à §. 10. 11.
Amor verus non niſi ad unum eſt, C. 47 § 6.7.8.
Amor proprius eſt mortificandus, C. 61. §.6.
S. Andreæ Apoſtoli ignea lingua, C. 87, §.1.
Fuit amator crucis, ib, Vide ibidem alia ejus elogia.
SS. Angeli, Vide multa illorum officia & beneficia, C.93, per totam.
Anima juſti, res omnium pulcerrima, C.22.§.8.
Animæ pulcritudo aſcribenda eſt Chriſto D. ib.
Animabus in purgatorio ſubvenire, eſt actus excellentis miſericordiæ in Exhort. f.279. parte 4.
Sunt gratiſſimæ, ib.§.8.
modos varios illas juvandi Vide ib.
Annuntiationis B.V. ſolennitas. C.64. §.7.
Vide ibi multa de hoc myſterio.
Arbor aurea, C.67.§.9.
Aſcenſio Chriſti D. ad cœlos, Vide multa C.68.
Aſſumptio B. Virg. Vide multa C.79.
Aſſveri convivium, C.31.§.1.2.3.

B.

Bajulatio crucis, Vide multa C.20. à §.19.
Beneficii oblivio eſt ingens ingratitudo. C.18.§.1.
Beneficii Redemptionis nunquam debemus obliviſci. ib.
Blaſphemiæ plus Chriſtum cruciarunt quam clavi, C.46.§.7.
Boni mixti malis, C.10.§.1.
Bonitas Dei parcentis impiis. C 23.§.5
Bonitas Jeſu erga peccatores, §.6.

Digitized by Google

INDEX RERUM.

C.

CAlix amoris. *C* 19. §. 7.
Calvaria illata menſis Ægyptiorum. In Exh Dici Cin. §. 1.
Caritas Chriſti quare vocetur benigna *C*, 23. §. 7.
Caritas conjugalis. Vide multa in *C*. 7.
Caro eſt mortificanda, tanquam radix ſcelerum. *C*. 14. §. 6.
Carbunculus, qualis gemma. Conc. 60. § 9.
S. Catharinæ Senenſis devotio, per ferias natalitias. *C*. 59. §. 5.
Chriſtus coronatus ſpinis. Vide multa in *C*. 20.
An Chriſtus D. debuerit mori. Ventilatur multis hæc quæſtio in C. 20. à § 11.
Chriſtus traditus voluntati Judæorum. ib. §. 17.
Amplexatus Crucem §. 18.
Chriſti D varia elogia. *C*. 23. §. 1.
Chriſtus D Paſtor. ibidem.
Chriſtus vicit diabolum. *C*. 21. §. 8.
Chriſtus D, per ſuam mortem abſtulit timorem mortis. *C* 21. § 3.
Chriſti pendentis in cruce figuræ, *C*. 20. §. 46.
Chriſtus D. in monte Calvariæ iterum denudatus. *C*. 20. §. 27. & ſeq.
Chriſti crucifixi affectuoſa deſcriptio. *C*. 20. §. 47.
Chriſtus crucifixus balſamum. *C*. 30. §. 12.
Chriſti D. infinita miſericordia erga peccatores. *C*. 32. §. 4.
Vide ibi varia.
Chriſtus D. urbanitate traxit ad ſe homines. *C*. 36. §. 1.
Quantum deſideret nobis uniri. *C*. 31. §. 4. & ſeq.
Chriſtus D. Deus uberum. *C*. 2. §. 9.
Chriſtus judex. Vide multa *C*. 2. §. 6. & ſeq.
ejus figura David. §. 8.
Chriſtus D. vitis. *C*. 11. §. 5.
Variæ inter vitem & Chriſtum D. analogiæ. § 6 ib. & ſeq. (§. 12.
Chriſtus in cruce ſol occumbens. *C*. 13.
De chriſto D. oportet continuo cogitare. *C*. 58. §. 4.
Chriſti benignitas erga Judam. *C*. 51. §. 3
Chriſtus D ſuos conſolatur. *C*. 63. §. 11.
Chriſtus D. aſcendens ad cœlos. *C*. 68. vide ibi multa.
Chriſtus D. faſciculus myrrhæ. *C*. 66. §. 3
Chriſtus D. pulcerrimus. *C*. 68 à §. 5.
Chriſtus D. potens in attrahendis hominibus. *C*. 82. §. 2.
Chriſti vocantis vox dulciſſima. C. 82. §. 4.
Chriſtus D. cur jejunaverit. *C*. 14. §. 16.
Chriſtus D. ſollicitus eſt, ut nos nutriat. *C*. 17. §. 3
Amat nos, ut mater filios. C. 17. §. 8.
Non deſerit ſuos. §. 11.
Ad Chriſtum D. debemus confugere in tentationibus. *C*. 16.
eo ferventius, quo magis diabolus nos perſequitur, ibidem §. 13.
Circumciſionis Chriſti D. variæ cauſæ. *C*. 60 §. 1. & ſeq.
Circumciſionis Chriſti varia myſteria. *C*. 60.
Cœlum obtinere eſt difficile. *C*. 25. §. 6. 7.

Cœle-

Digitized by Google

Cœleſtis gloriæ magnitudo, C. 85. per totam.
Ejus ſpe ſe animarunt Martyres, à §. 8. ib.
Cogitatio futurorum utiliſſima, C. 49. §. 2.
Cogitationum ſanctarum utilitas, C. 29. §. 5.
Columna ducens populum ex Ægypto, C. 8. §. 3.
fuit figura divinæ voluntatis, §. 4.
Cometa anni 1664. C 5. §. 1.
ſolent eſſe prodromi tribulationum, C. 5. §. 2.
Communio ſacrilega, ingens crimen, C. 19. per totam.
Conceptio immaculatæ Virginis. Vide multa, C. 55.
Varia ejusdem ſymbola, §. 7. & ſeq.
Concionatores ſunt paſtores, agricolæ &c. C. 34. §. 1.
Concordia inter conjuges eſt donum Dei, C 7. §. 2.
Eſt illis planè neceſſaria, § 5.
In quo conſiſtat. §. 6.
Conſcienta mala eſt inquietum horologium, C. 9. §. 2.
Flagellat impios, §. 3.
Eſt vermis, §. 4.
Ingens tormentum, §. 5.
Putridum ulcus, § 6.
Præſertim in hora mortis, §. 7.
ſeipſam prodit, §. 8.
Eſt cerberus & moloſſus, §. 9. &c.
Convivium Regis Aſſveri, C. 31. §. 1.
Conſuetudo peccandi, illiusq; mala, C. 53. §. 2. & ſeqq.
Cordis munditics, C. 4. §. 13.
Cor Jeſu aureum thuribulū, C. 4. §. 10.
Crucifixionis myſterium. Vide in C. 20. à §. 26.
An Chriſtus D. affixus fuerit cruci ſtans, vel jacens humi, ib.
Crux in extremo judicio illuminabit conſcientias, C. 38 §. 6.
Crux S. Mariæ Magdalenæ, C. 13. §. 1.
Elogia amoris erga S. Crucem vide in C. 87.
S Crucis ardens memoria, C. 13. §. 3.
Cultum peculiarem erga B. Virginem vide in C. 86.
Cultores SS. Trinitatis ſunt Seraphini C. 29. §. 7.
Cyrus ſpeculum vanitatis hujus mundi, C. 24. §. 6.

D.

David regium ſpeculum, hominis in re ardua ſubjicientis ſe divinæ voluntati, C. 8. §. 14. & ſeq.
David figura Chriſti Judicis. C. 21. § 8.
Dedicationes Eccleſiarum quare inſtitutæ. C. 88. à §. 1.
Deſideria de adventu Meſſiæ. Vide varia, C. 4.
Deſideria ſunt funiculi, ibid.
ſuavis odor, ib.
Detractio, & detractores. Vide multa in C. 46.
Deus cur tollat impios, C. 10. §. 2. Vide in illa Conc. varias cauſas.
Dei infinita amabilitas, C. 59. §. 6.
Deus cur permittat non tentari à diabolo, C. 16. §. 2.

Deo

Digitized by Google

Deo ſerviendum ſine ſollicitudine. C. 17. §. 5.
Deus & Chriſtus D. volunt à nobis amari. C. 59. §. 8.
Deus liberaliſſimus. C. 40. §. 1.
Deus cur ſolus velit amari. C. 47. §. 3. & 4.
Deus in carne cur amandus. C. 59. §. 2.
Deum diligere ex toto corde quid ſit. C. 47.
Diabolus, terribilis gladius. C. 16. §. 1.
Diabolus quibus potiſſimum inſidietur. C. 16. §. 8.
Quibus armis poſſit vinci. § 9.
Diabolus impedit fructum verbi divini C. 34. §. 3.
Diabolus à crucifixo affixus cruci. C. 21. §. 8. & 9.
Dilectio proximi ſerio à Chriſto D. inculcata, & qualis eſſe debeat. C. 84. §. 1.
Dilectio inimicorum C. 51. § 4. 5. &c.
Dilectio Dei. Vide multa in C. 47.
Diſcordiæ damna. C. 84 à §. 8.
Diſcordia facit infauſta matrimonia. C. 7. §. 5.
Divitiæ modicum. C 24. §. 7 & ſeq.
Divitiæ ſpinæ C. 12. §. 13.
Divitiæ, quo ſenſu dicantur redemptio animæ. C. 36. §. 2.
Divitum liberalium encomia. ib §. 4.
Domus Nazarethicæ laudes & elogia. C. 6. §. 5. & ſeq.

F.

Ecclesia cur comparetur vineæ. C. 11. §. 4.
cur Eccleſia initio quadrageſimæ utatur cineribus.
In Exhort. diei Cinerum.
in Eccleſiis quid agendum. C. 88. per totam.
Eccleſia pœnitens quare dicatur pulcerrima C. 56. §. 3.
Educatio filiorum quantum valeat. C. 50 per totam.
Eleemoſynæ encomia; & fructus. C. 36. per totam.
Elephas mirabilis. C. 5. §. 11.
Elias mortem timens, & non timens. C. 21. §. 7.
Elzearii Comitis leges pro familia. C. 6. §. 10.
Emblema Caroli V. & Maxim. II. C. 5. §. 16.
Eſther, typus Virginis immaculatè conceptæ. C. 55. à §. 2.
Eſther qualis acceſſevit ad Aſſverum. C. 15. §. 8.
Euchariſtia. Vide multa C. 30.
Euchariſtia non debet ſumi in ſtatu peccati mortalis. C. 19. §. 2.
Euchariſtia eſt ſacramentum viventium. C. 19. §. 3.
SS. Euchariſtia, epulum. C. 30. §. 1. 2. 3.
Requirit magnam puritatem. C 30. §. 4.
Variæ ejus figuræ. §. 5.
Sine puritate cordis, nihil in nobis operatur. §. 9.
Cur inſtituta à Chriſto D. C. 31. §. 3. 6.
Euchariſtia eſt precium Redemptionis C. 31. §. 11.
Eſt poculum. ibid.
Eſt vinum lacteum C. 31. §. 12.
Unde tanta illius dulcedo. §. 13.
In Euchariſtia Chriſtus D. nos paſcit liliis §. 14.
Exempla, præſertim malorum, fortiter trahunt. C. 41. §. 11. 14.

Famuli

Digitized by Google

F.

Famuli politici quam pernicioſi ſint. C.52 §.4 6.& ſeqq.
Feſta B. Virginis, qua devotione colenda. C 86 per totam.
Fides nos ducit in cognitionem myſterii incarnationis. C.1.§.9.
Fides requiritur ad cultum Vener. Sacramenti. C.71.à §.3.
Varia fidei hujus elogia. Per totam hanc C.71.
Fiducia filii erga patrem. C.17.§ 10.
Fiducia in Deum. Vide multa C.44.
Figuræ variæ SS.Euchariſtiæ. C.39.§ 5.
Filius Prodigus cur ſub quercu de ſalute cogitarit, non item Abſalon. C.53. §.10.
Flores varios reperies in C 67.
Fluxus ſanguinis quid ſpiritualiter deſignet. C.53.§.1.
S.Franciſci Xaverii laudes. C.54.
Iter ejus Japonenſe. § 2.
ſol inter nubes, globus cryſtallinus. §.3.
Speculum Archimedis §.4.
Ingreditur Japoniam. §.7.
Alia ejus itinera §.8.
Intulit in Japoniam fidem Chriſti. §.9.
S.Xaverii ardor in orando. §.10.
Ejus ſuſpiria. §.11.12.13.
Friderici Imperatoris elegans dictum. C.4. §.14.
Fulmen terribile Anni 857. Conc. 5. §.14.

G.

Gemmæ variæ diſtributæ pro ſtrena anni 1664. C.60.
Genealogia Beatæ Virginis. Conc. 81. § 1.
S.Gertrudis amabilis viſio. C.4.§.10.
Piiſſimum ejuſdem ſuſpirium. §.11.
Gloriæ cœleſtis magnitudo. C.85. per totam.
Gloriæ Marianæ immenſitas. C.79. à § 3.
Gratiarum actio ad Perſonas SS.Trinitatis, pro myſterio incarnationis. C 1. à §.14.
Gulæ damna. C.14.§.4.

H.

Herodiadis vituperium. C.3 §.11. & ſeq.
Heroes digni laude. C.22.§.2.
Alia. C.37.§.5.
Binæ aliæ C.38 §.12. & 14.
Hiſtoriæ binæ affectuoſæ. C.81.§.14.
Hiſtoria tragica. C.84 §.10.
Aliam vide in C.86.§.11.
Homines doloſi, iniqui &c. Conc.33. §.6.
Homo ſit ſimilis viti. C.11.§ 11.
Honores hujus mundi Modicum C.24. §.2.
Somnium. ibidem.
Vanitas, ibidem.

I.

S. Jacobus Apoſtolus. Vide multa in C.76.
Jeſulus. Vide Parvulus in Bethleem.
Jeſulus natus, quomodo à quibuſdam tractetur. C.5. per totam.
Jeſus lacrymans ſuper Jeroſolymam. C.39.

Cur

Digitized by Google

cur fleverit,ib.
ejus compaſſio erga urbem ingratam,§.5.
Jeſus dux & orator, C.44. §. 10. & ſeq.
Jejunii elogia, C.14. in multis §.
S. Ignatius vir ſecundum cor Dei, C. 77. §.2.
S. Ignatius totus caritas, §.4.
In virtute hac fuit maximus, §.5.
Vide ib. multa de hac virtute.
Ingens in illo deſiderium vel unius animæ lucrandæ, ib.
Ignis proprietates explicant dona Spiritus S. C. 70. §.1.
Ignis purificat, §.3.
eſt fortis, §.6.
Illuminat, §.8. &c.
Ignes minatur Deus ob gravia ſcelera, C.5. §.6.
Ignis amoris non poteſt extingui, C. 23. §.8.
Exardeſcit in aquis, §.9.
Ignis inferni. Vide multa, C.37.
ſunt ibi omnis generis tormenta, ib.
& Agonia æterna, §.4.
Impii plus curant præſentia, quam futura, C.49. § 1.
Impiorum ſupplicia graphicè deſcripta C.49. §.8.9.10.11.
Incarnatio. Vide multa C.64.
Varia myſterii hujus emblemata, à §.9.
Incarnationis beneficium obtinuerunt SS. Patres & B. Virgo ardentibus orationibus, C.26. §.2.
Deſideria incarnationis, C.4. per totam.
Myſterium hoc eſt mare, C.1. §.1.
Ejuſdem ſublimitas, §.2.
Eſt abyſſus infiniti amoris, §. 6.
Vide ib. varia de hoc myſterio & varia elogia
Inimici ſunt diligendi, C.35. per totam.
Durum quidem eſt illud præceptum, ſed magnum illius præmium, ibidem.
Injuriarum condonatio, C.35.
Inſtrumenta paſſionis diſtributa inter auditores in Concione Paſſionis, C. 20. à §. 48.
S. Joannem Baptiſtam difficile eſt laudare, C. 72. §.1.
fuit lucerna ardens. §.3.
Cedrus juxta aquas, §.4.
illuminatur à ſole Juſtitiæ in utero matris, §.5.
fuit ſtella, §.7.
Multa in illo mirabilia, Per totam illam C.
Gratiæ à B. Virgine illi collatæ, §. 12.
Miſcentur varia alia elogia, ib. item C. 3. §.2.
Jonas figura Chriſti reſurgentis, C.22. §. 3.
S. Joſephus B. Virginis ſponſus, in Exhort. f. 84. parte 3.
Peculiares ejus dotes, ib.
Exaltatus eſt ſuper omnes ſanctos, §.3.
Jeſulus fuit illi torques pendens è collo, §. 5.
Eſt magnus ſanctus, ib.
Fuit ſolatium & præſidium B. Virginis, §. 6.
Eſt ſolatium ſuorum Clientum, §.7. 8.
Eligendus eſt ab omnibus in Patronum, §. 10.

Digitized by Google

Ira Dei celeriter exardeſcit. C.49. §.6.7.
Judæi exacerbati aſpectu Chriſti, ad illa verba Pilati, ecce homo. C.20.
Quam inſtanter petiverint Chriſtum crucifigi. C.20. §.10.
Judicium extremum. Vide multa in C. 2. per totam.
An futurum ſit de die, vel nocte, ib. & C.38. §.8.
Modus quo illuminabuntur conſcientiæ, C.2.
Judicium particulare C.38.
Judicis vultus. ib. §.5.
Judicium temerarium. C.33. vide ibi varia.
Juditha unde fortis. C.14. §.12.
Jugum Chriſti ſuave. C.63. §.2.
In quo mundus decipitur, ibid.

L.

Lacrymæ Mariæ Magdalenæ. Vide multa in C.75.
Lacrymarum varia encomia ibid. & C.39.
Lætitia paſchalis. C.66. § 8.
Lapſus Chriſti D. ſub cruce. C. 20. à §.21.
Latro in cruce obtinuit celerem miſericordiam. C.40 §.7.
S. Laurentius aquila evolans à flammis C.78. §.1.2.
Fuit invictus adamas inter flammas. §.4.
Fortiſſimus ſilex. §.5.
Virgula fumi §.6.
Turris ex alumine. §.8.
Oliva intacta inter flammas. §.10.
Palma. §.11.
Rubus Moyſis. §.12.
Alveus IV.
Phœnix. §.14.
Lepra exterior corporis eſt miſerabilis morbus. C.43. per totam.
Peior eſt lepra animæ. ibid.
Leproſæ animæ deformatio. ib.
Quam ſolus Chriſtus D. poteſt curare. §.12.
Lilium ſymbolum Virginis Viſitantis. Vide plurima de hoc feſto & de hoc flore. C.74.
Linguas blaſphemas Chriſtus D. plus ſenſit, quam clavos. C.46. §.10.
Linguæ ſerpentinæ anatomia. C.33. §.7
Lingua, politica novacula acuta ſcorpius & quam pernicioſa Conc. 52. §.15. &c.
Luxuria execranda. C.3. §.13.

M.

Mali mixti bonis. C.10. §.1.
Maria electa, ut eſſet Mater Dei C.64. §.1.
Maria glorioſa. Vide multa in C.79.
Maria ſol, luna, aurora. C.81. §.4.
Maria nata. Vide multa in C. 81.
Dies Nativitatis ejus lætiſſima. C. 81. à §.8.
Maria gaudium totius mundi. C.81. §.12.
Maria quomodo in ejus feſtis colenda. C.86.
Maria cooperatrix Redemptionis humanæ. C.62. in fine.
Maria viſitans, comparatur lilio. Per totam. C.74
Maria obvians filio bajulanti crucem. C.20. § 22.
Maria Purificata. Vide C. illius feſti in fine T 4.

Digitized by Google

S. Maria Magdalena. De ejus pœnitentia, lacrymis &c. vide multa C. 75.
Matrimonium eſt caminus. Vide hoc & alia C. 7.
cur alia matrimonia fauſta, alia infauſta. ib.
Meditatio Paſſionis Chriſti, debet eſſe fructuoſa C. 20 §. 25.
Memoria præſentis Dei quid ſit. C. 58. §. 2.
Vide ib. alia de hac materia.
Memoria inferni utiliſſima C. 37.
Miſericordiæ non erit locus in judicio C. 2 § 10.
Miſericordia Dei quanta erga peccatores. C 40. §. 10.
Miſericordia Chriſti ſubvenit peccatoribus. C. 56. §. 8.
De illius exceſſu & abundantia. §. 9
Miſericordia Dei erga peccatores infinita C. 32.
Vide ibi de hac materia multa. item C. 43. §. 3, 4, 5.
Miſericordia Dei magnificata ſuper divites liberales. C. 36. §. 4.
Modicum. Voculæ hujus ſenſus. Modicum ſunt divitiæ, honores &c. C. 24. per totam.
Mors non eſt timenda. C. 21. §. 3.
Exemplo Davidis. C. 21. §. 4.
Ubi ſit dulce mori. §. 5.
Mors qualem exigat præparationem. C. 45. per totam.
Mors impiorum peſſima. ibidem.
Mors convertit omnia in cineres. Exhort. diei Cin.
frangit ſtatuas Regum. §. 5.
eſt ſpoliatrix §. 6. &c.
Mortificatio quid ſit. C. 61. §. 2.
Quænam ejus objecta. §. 3.
eſt gladius. §. 7.
Suavis myrrha. ib.
Mortificatio eſt pietas. §. 10.
ejus neceſſitas, & plura alia. §. 14. 15.
Eſt virtus Deo gratiſſima. §. 16.

N.

Nativitas Chriſti D. Vide multa. C. 4. & C. feſtorum Natalitiorum.
Nativitas B. Virginis, vide C. 81.

O.

Oculi ſemper intuentes Deum. C. 42. §. 2.
Oculi Suſannæ. §. 6.
Oculi Joſeph. §. 8.
Opalus gemma. C. 38. §. 7.
Orationis qualitates. C. 40. §. 2. 3. 4.
Orationem talem exaudit Dominus. C. 40. §. 6.
Orantes, cur ſæpe non exaudiat. §. 8. 9.
Quænam oratio omnium perfectiſſima. C. 8. §. 1.
Quænam præcipua fuerit oratio Chriſti D. tempore paſſionis. §. 6.
Oratio potens armatura. C. 15. §. 1.
Oratio Cananææ qualis? C. 15. §. 4. 5.
Requirit fidem & perſeverantiam. ibid.
Elogia perſeverantis orationis & alia. C. 15.
ſine oratione gratias neceſſarias obtinere non poſſumus. C. 26. §. 2.
Vide varia, in tota hac C. de oratione.
Ab oratione debet incipere converſio peccatoris. C. 27.
Oratio pœnitentis tangit cor Jeſu. C. 27. §. 4.
Oratio peccatori pœnitenti eſt utiliſſima. C. 27. §. 5. 6.

eſt ei-

Digitized by Google

eſt eidem neceſſaria, §.7. Vide ibi multa.
Oratio Davidis cum magna fiducia, C.35.§.7.

P.

Parentes naturaliter optant longam vitam Filiorum. C.50.§ 1.
Quanta cura filios debeant educare ibid.§.3. & ſeq.
Parvulus de Bethleem. Vide multa, C. 25.C.57.§.2.
Parvuli divinitas & humanitas, §.3.
Germen & ſimul arbor, §.4.
Fuit ſignum in profundum inferni. & in excelſum ſupra. §.5.
Hinnulus cervorum, §.6.
Quomodo à nobis ſit conſiderandus ex S.Auguſt.§.8.
Suaves erga illum affectus. §.11.
Item C.58.
Parvulus de Bethleem totus oculus C. 58.§.13.
Ad amorem Parvuli de Bethleem multa nos invitant.C.59.§.1.2.
Præferendus eſt omnibus creaturis, C. 59.§.4.
Dulcis ejus memoria.§.11.12.
Paſſionis memoria utiliſſima.C 13.à §. 5.C.18.per tot.
Paſſio Chriſti, fons triſtitiæ & gaudii. C.66.§.2.
Paſſionis meditatio fructuoſa. C. 20. §.25.
Paſſiones ſunt noſtri hoſtes.C.61.§.4.
Radicitus ſunt evellendæ. C.61. §.12.
Paſtoris boni proprietates.C.23.§.2.
Patientia in tribulationibus; declaratur ejus utilitas variis ſimilibus. C. 76.à §.2.
Patientia neceſſaria conjugibus, C.7. §.13.
S.Paulus. Vide multa elogia.C.73.
Pax conciliata à Chriſto D.C.22.§.4.5
Pax vera, in quo conſiſtat. C.22. §.6.
Pacis pulcritudo §.7.
Peccatum,lepra.C.43.§.10.
Peccatum mortale abyſſus, C.1.§.11. Culter.C.5.§.13.
Peccatores cur in terris libenter adhæſerint Chriſto D.C.32.§.10.
Peccatores, etiam graviſſimi nunquam debent deſperare. C.48.§.8.
Peccatores aliquando terreri, aliquando conſolari debent. C.48.§.2.
Peccatorem non deſtruit Deus. Figura fuit Ninive.C.23.§.2.3.4.
Nullus peccator convertitur niſi illi obviet Chriſtus D. C. 15.§.2.
S Petrus. Vide multa C.73.
S.Petrus cur pœnitentiam egerit, non autem Judas.C.53.§.11.
Philippi II.Hiſp. Regis dictum in agone. In Exhort. Cin.
Pietas eſt vera ſapientia. C.6.§.11.
Firmat noſtram felicitatem.ibid.
Exarmat hoſtes.§.15.
Varia ejus elogia, §.16.
Politicorum noſtri temporis, mores. C.52.§ 1.
Politicæ Linguæ deſcriptio, & quantum noceat.ibid.§.2. & ſeqq.
Potus majalis ex variis floſculis. C.67. per totam.
Praxis colendi SS.Trinitatem. C. 29. §.3.4.9.
Præparatio ad Nativitatem Chriſti Domi-

Domini C. 4.
Præſentia Dei C. 58. à. §. 10.
Memoria Dei præſentis impedit peccata, C. 58. §. 11.
generat ſanctiſſima deſideria, §. 14.
Præſentiæ Dei aureum exercitium, C. 42. vide ibi multa.
Præſepii Chriſti D. varia elogia. C. 57. à §. 1.
Pulcritudo Chriſti D. C 68 à § 5.
Pulcritudo fortis eſt ad promovendos animos, C. 68. §. 1.
Alii ejus effectus, à §. 12.
Puritas requiſita ad ſumptionem SS. Euchariſtiæ C. 30 §. 4.
De feſto Purificationis vide C. 62. in fine.

R.

REbecca ſpeculum bonæ Conjugis C. 7. § 14.
Remiſſio peccati, eſt fructus paſſionis Chriſti, C 22. § 6.
Reſignatio in voluntatem Dei. Vide multa C. 8.
Facit nos beatos in hac vita. C. 8. §. 13.
Eſt optima diſpoſitio ad ſanctam mortem, §. 18.
Reſurrectio Chriſti D. Vide multa. C. 65. & 66.
Reſurrectio Chriſti eſt cauſa noſtræ exaltationis, C. 21. §. 1. 2.

S.

SAcramentum Euchariſtiæ. Vide multa in C. 71.
Non poteſt ſatis laudari, §. 15.
Sacrilegè communicantes Vide multa C. 19. per totam.
Sanguis Chriſti. Vide C 20. §. 7. 8. 9.
Conciliavit nobis pacem, C. 22. §. 5.
Efficit puritatem, requiſitam ad ſumptionem SS. Euchariſtiæ, C 30. § 4. 8.
Sanguis ex latere Chriſti profluxit cum aqua, C. 30. §. 10.
Ob quam cauſam, C. 31. §. 7. 8.
Sapientia Salomonis qualis fuerit, C. 6. §. 12.
Scala Jacob figura SS. Crucis, C. 13. §. 7.
Serpens Moyſis figura Chriſti D. C. 16. §. 7.
Serpens omne venenum habet in Lingua, C. 46 § 9.
Sententia mortis lata in Chriſtum D. C. 20. §. 15.
Audivit illam Chriſtus flexis genibus, ibid.
Servire Chriſto, eſt ſuave, C. 63. §. 9.
Societas impiorum damnoſa, C. 41. à § 2.
Vide ibi multa de hac materia.
Solymanni crudelitas, C. 5. §. 7.
Spiritus S. cur deſcenderit viſibilis, C. 69. §. 2.
Variæ hujus deſcenſus figuræ, C. 66. § 3. 4. 7.
Spiritus S. variæ operationes, ibid.
Cur ignis Spiritus S. in quibusdam nihil operetur, § 8.
Quibus mediis detrahatur in terras, §. 9.
Variæ cauſæ, ob quas deſcendit in forma ignis, §. 10.
De his vide multa C. 70. per totam.
Spi-

Digitized by Google

Spiritus S. eſt tertia perſona SS. Trinitatis, C, 28. §. 2 3.
Quomodo nobis communicetur C. 28. §. 5.
Spiritus S. variæ operationes aliæ, C. 28. à §. 6.
Sponſus quare vocetur botrus balſami, C. 23. §. 10.
Quare flos campi, §. 11.
Sponſæ erga ſponſum ardentes affectus amoris, C. 57. §. 9.
S. Stephani varia elogia, C. 58.
Strena pro anno 1664. variæ gemmæ, C. 60.
Superbia opprimit ſemen verbi Dei, C. 12. §. 11.
Suſpiria animæ tribulatæ, C. 80. à §. 14.
Synagoga vinea exterminata, C. 11. §. 1.

T.

Tempeſtas maris eſt ſymbolum inquietæ conſcientiæ, C. 9. §. 1.
Tentationes cur permittat Deus, C. 16.
Thomas, quid ſignificet, C 56. §.
Timor ſalutaris quid poſſit incuti, C. 49. §. 4.
S. Thomæ varia elogia vide ibid.
Lacrymæ S. Thomæ.
Titulus Crucis, C. 20. §. 45.
In tribulationibus exemplo Chriſti orandum eſt, C. 26. §. 4.
Item in tentationibus, C. 27. §. 11.
Tribulatio utiliſſima, Vide multa in C. 76.
Iterum C. 80. per totam.
Item in C. 85.
SS. Trinitatis infinitus amor erga genus humanum. C. 28. §. 1.
SS. Trinitatis ſymbolum eſt ignis, C. 28. §. 4.
De SS. Trinitatis myſterio vide multa, C. 29.
SS. Trinitatis cultores ſunt Seraphini, C. 29. §. 7.
Triumphus Euchariſticus, C. 71. à §. 12.

V.

Vanitas hujus mundi, C. 24 §. 4. 5.
Venatio pulcerrima eſt quærere Deum C. 1. §. 1.
Verbi divini audiendi neceſſitas, C. 12. à §. 2.
Audiendum eſt cum fructu, §. 6.
Quomodo ſit audiendum, §. 7.
Quinam audiant ſine fructu, §. 8. & ſeq.
Vide de hac materia multa, C. 34.
Damna neglecti Verbi Divini, ibidem.
Veronica occurrens bajulanti Chriſto, C. 20. §. 23.
Via ad obtinendam æternam gloriam, C. 25. §. 4.
Viaticum Euchariſticum, Conc. 31. §. 9.

Digitized by Google

Vinea Chriſti qualis. C. 11. §. 15.
Vinea diaboli. §. 16.
Vita Jeſu per 30. annos abſcondita. C. 1. §. 3.
Vita ſancta eſt optima præparatio ad ſanctam mortem. C. 45. §. 4.
Vitis infructifera, pabulum ignis. C. 11. §. 17.
Ultionis & vindictæ avidos odit Deus, C. 35. §. 11.
Et acriter punit.
Vocis humanæ ſuavitas. C. 82. à §. 5.
Vocis divinæ efficacia, C. 82, §. 9.
Variæ ejus proprietates & effectus, ib.
Voluntas Dei, Vide multa in C. 8.
Voluntas humana Deo oblata, eſt hoſtia Deo gratiſſima, C. 8. §. 11. & ſeq.
Vulnera Salvatoris.
Cur illa in die judicii oſtenſurus ſit piis & impiis C. 2. à §. 4.
Peculiaris erga illa devotio C. 66. §. 9.
Vulnera Chriſti aſcendentis ad cœlos pulcerrima, C. 68. §. 3.
Uxor mala, tormentum viri, Conc. 7. §. 18.

F I N I S.

Digitized by Google

Privilegium Cæſareum.

Et poteſtas Bibliopolæ facta à R. P. Provinciali Provinciæ Rhenanæ ſuperioris Societatis Jeſu.

CVm Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Decreto omnibus & ſingulis Typographis & Bibliopolis, ac aliis quamcunque librariam negotiationem exercentibus, ſerio firmiterque inhibeatur, ne quiſquam ullos libros à noſtris patribus hactenus editos, vel impoſterum edendos intra S.R.Imperii Regnorum & Dominiorum ſuæ Cæſareæ Majeſtatis Hæreditariorum fines, ſimili vel alio characteris genere aut forma, ſive in toto ſive in parte recudere, vel alio recudendos mittere, aut alibi etiam impreſſos adducere & diſtrahere, clam vel palam audeat, vel præſumat; Concedo ego Philippus Colbinus Societatis Ieſu per Rheni Superioris Provinciam Præpoſitus Provincialis, poteſtate ad id mihi facta à Patre Ioanne Paulo Oliva Ioanni Eliæ Höffling Bibliop. Bambergenſi facultatem excudendi Nili Myſtici Alveum Quartum, ſeu Quartum Annum Concionum in Dominicas & Feſta, item duodecim articulos Teſtamenti Chriſti Ieſu Crucifixi in Cruce morientis, ſive exhortationes per ſingulos menſes anni ad Sodales Congregationis Chriſti in Cruce Agonizantis à R. P. Philippo Kiſelio Societatis noſtræ Sacerdote conſcriptas. In cujus rei fidem hoc ei teſtimonium dari curavi. Bambergæ 4. Auguſti Anno 1669.

(L.S.)

Philippus Colbinus.

Hoc prædictum privilegium Cæſareum conceſſit D. Joannes Elias Höffling, D. Joanni Arnoldo Cholino.

Digitized by Google

APPROBATIO

R.P. Provincialis Provinciæ Rhenanæ Superioris.

EGo Philippus Colbinus Societatis Jeſu in Provincia Rhenana Superiore Præpoſitus Provincialis, poteſtate ad id mihi facta à Reverendo Patre Joanne Paulo Oliva Præpoſito Generali, Nili Myſtici Alveum Quartum, ſive, Quartum Annum Concionum in Dominicas & Feſta; item, Duodecim Articulos, Teſtamenti Chriſti in Cruce morientis, totidem Exhortationibus per ſingulos menſes Anni, ad Sodales Chriſti in Cruce Agonizantis, à R.P. Philippo Kiſelio Societatis noſtræ Sacerdote conſcriptas; atque à deputatis ad id, Societatis ejuſdem Theologis lectas, & approbatas, typis mandari permitto. In cujus rei fidem has literas manu propria ſubſcripſi, conſuetoque Officii ſigillo munitas dedi.

Bambergæ, 4. Auguſti, 1669.

(L.S.)

Philippus Colbinus
Mpria.

Digitized by Google

CONCIO I.

DOMINICA I. ADVENTUS.

Dicite Filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus.
Matthæi 21. v. 5.

SYNOPSIS CONCIONIS.

CUm ſancti Patres myſterium Incarnationis vocent vaſtum & immenſum mare; humilis Fides in hac Concione, cum metu & tremore, cum variarum virtutum affectibus, ingreditur quaſdam maris illius abyſſos, v.g. divini amoris, dilectionis, miſerationis, malitiæ peccati mortalis, excellentiæ Chriſti D. elogiorum Incarnationis; cum affectibus gratiarum actionis; ad Patrem, Filium & Spiritum S.

§. 1. *Auctor exemplo Davidis, cum timore ingreditur immenſum mare myſterii Incarnationis.*

§. 2. *Proinde gratiam B. Virginis implorat, ut prius cor & os ſuum impleatur oleo miſericordiæ.*

§. 3. *Quas virtutes S. Paulus deſideret in iis, qui myſterium Incarnationis volunt recolere.*

§. 4. *Ipſe Chriſtus D. de hoc myſterio fuit locutus cum admiratione.*

§. 5. *Saba Regina admirata fuit Salomonem: quantò magis nos Deum hominem?*

§. 6. *In mari hujus myſterii, occurrit nobis abyſſus amoris Infiniti, ex quo mundo DEUS dedit Filium ſuum unigenitum.*

§. 7. *Declaratur ille amor ex hiſtoria de Abrahamo & Iſaaco.*

Digitized by Google

§.8. *Iſaaco fuit parcitum, non unigenito DEI Filio.*

§.9. *In claram amoris hujus cognitionem, deducit nos humilis Fides: cum excurſione ad B. Virginem.*

§.10. *Affectus admirationis.*

§.11. *Horribilis abyſſus peccati mortalis, propter quod Filius Dei debuit fieri homo.*

§.12. *Abyſſus neceſſitatis: quia alius præter DEUM hominem nos redimere non potuit.*

§.13. *Elogia myſterii Incarnationis nobis utiliſſimi.*

§.14. *Affectus gratiarum actionis ad Patrem.*

§.15. *Ad Filium.*

§.16. *Ad Spiritum S. cum epilogo ex pio loco S. Aug.*

§. 1. *Auctor exemplo Davidis, cum timore ingreditur immenſum mare Myſterii Incarnationis.*

HOdiernâ Dominicâ, quæ prima eſt Adventus, occaſione citati thematis, ex hodierno Evangelio, de ingreſſu Chriſti D. in Jeruſalem; *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus*; in meis Concionibus agere ſoleo de Adventu Filii Dei in hunc mundum in carne; ſive de admirabili myſterio Incarnationis, in quo DEUS propter nos homines, factus eſt homo. Scio, quàm rem arduam aggrediar; quàm abſconditum Sacramentum, mihi ſumam prædicandum; & de bono ſucceſſu deſperarem, niſi ſcirem me dicere ad eos, qui ineffabilem hunc Fidei noſtræ articulum firmiter credunt; quem niſi DEUS revelaſſet, in cujus hominis mentem veniſſet? quis intellectus etiam Angelicus cogitare auſus fuiſſet, DEUM aſſumpturum humanam naturam; non cujuſvis, ſed hominis paſſibilis & mortalis. Quis non dicat cum Regio Pſalte: *Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua: & anima mea cognoſcet nimis.* D. Chryſoſt. hom. 1. de incompreh. DEI, putavit, Davidem ex nimia Dei operum apprehenſione vertigine aliqua fuiſſe tentatum, ut admirationem ſuam ſatis explicare non potuerit, & ſubdit: *Sic nos miramur maris vaſtitatem, immenſoſque gurgites; ſed non ſine metu, cum ejus inſpicimus altitudinem. Sic & Propheta, cùm vaſtum immenſumq; ſapientiæ Divinæ mare inſpexit, vertigine quaſi tentatus obſtupeſcit, ac ſummo cum timore demirans, recedit, atque exclamat, terribiliter magnificatus es.* Et hæc dixit David, cùm

Pſal. 138. v. 14.

con-

conſideraret formationem tantùm corporis humani; quid dicam ego, dum myſterium Incarnationis prædicare volo? Hoc faciam Auditores, ducam vos ad hoc mare, & immenſas aliquas abyſſos rerum memorabilium vobis aperiam, cum vertigo nos tentabit, cùm intellectus dicat, *Quomodo hoc fieri potuit?* cum timore recedemus, & dicemus, *Credimus.*

Ego præterea prius dicam cum Baſilio Seleuc. orat. 39. *Quomodo virgineum pelagus audens tentabo, & magni myſterii ſcrutabor altitudinem, niſi me ut inexpertem urinatorem, O Deipara, doceas veterem hominem deponere? niſi mentis os, miſericordiâ compleas, quò tui partus fundum pervadat.* Mos eſt urinatoribus, dum ſeſe in pelagi profundum demittunt, oleo implere ora, quo inter aquarum effuſo, margaritarum ſplendorem vident & auferunt. Hoc idem ſpero cum D. Baſilio, ſi Maria, oleo ſuæ miſericordiæ cor & os meum impleat. Spero me oſtenſurum vobis, lucidiſſimas margaritas, ſive conſiderationes, hauſtas ex profundo mari Myſterii Incarnationis. §. 2. *Proinde gratiam B. Virginis implorat, ut cor & os ſuum impleatur oleo miſericordia.*

Nemo miretur, quod faſſus fuerim dicturum me cum metu & tremore de Myſterio Incarnationis. Idem de ſe faſſus fuit S. Paulus, dum ait: *In timore, & tremore multo apud vos fui -- Sapientiam enim loquimur, non hujus ſaculi -- neque Principum -- ſed loquimur DEI Sapientiam in myſterio, qua abſcondita eſt, quam nemo Principum hujus ſaculi cognovit; ſicut ſcriptum eſt, quod nec oculus vidit,* &c Quomodo enim oculus videre poteſt, vel quis intellectus intelligere, quid ſit DEUM factum eſſe hominem? *Nobis autem revelavit Dominus per Spiritum ſuum - qui omnia ſcrutatur, etiam profunda DEI.* Et quid ſunt hæc profunda, quærit S. Thomas & ait: *niſi ſacratiſſimum opus Incarnationis?* Ad Eph. dicit S. Paulus: *Hujus rei gratiâ flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri JESV Chriſti, ut det nobis ſecundum divitias gloriæ ſua, virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorẽ hominem, Chriſtum habitare per fidem in cordibus noſtris, ut in caritate radicati & fundati, poſſimus comprehendere -- quæ ſit latitudo & longitudo, & ſublimitas, & tanti myſterii profundum. Mihi omnium Sanctorum minimo, data eſt gratia hæc, e-* §. 3. *Quas virtutes deſideret S. Paulus in iis, qui myſterium Incarnationis volunt recolere.* 1. Cor. 2. v. 7. v. 10. Eph. 3. v. 14.

Digitized by Google

vangelizare inveſtigabiles divitias -- in myſterio Chriſti, in quo habemus fiduciam & acceſſum in confidentia per fidem ejus. A Coloſſenſibus petit S. Paulus, ut ſi venire velint *in agnitionem myſterii, DEI Patris & Chriſti IESV, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, ſint -- inſtructi in caritate, & in omnes divitias plenitudinis intellectus.* Quibus verbis ſanctus Apoſtolus nos inſtruit; hoc ſacro tempore Adventus neceſſarium nobis eſſe lumen peculiare Spiritus ſancti, gratiam Domini noſtri JESU Chriſti, firmam Fidem, ſpem, caritatem, fervorem in oratione, vitam ſanctam & inculpatam, humilitatem, metum, reverentiam; ſi divitiarum, ſi theſaurorum, ſi gratiarum, ſi meritorum, quæ in DEO Homine, in Chriſto JESU abſcondita ſunt, velimus eſſe participes.

Coloſſ. 2. v. 2.

§. 4. *Ipſe Chriſtus D. de hoc myſterio fuit locutus cum admiratione. Ioan. 3. v. 16.*

Tanta Myſterii hujus eſt majeſtas, latitudo, longitudo, ſublimitas & profunditas, ut ipſe Chriſtus D. Filius DEI cum admiratione exclamet: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret.* Particula *ſic* admirantis eſt; illo tamen modo, quo admiratio locum habet in Chriſto D. Ubi ſubtiliter obſervavit S. Aug. ep. 101. binas exiſtere cauſas admirationis, vel *cùm ratio rei latet, vel quòd eadem res uſitata non eſt, vel quòd ſingularis & rara ſit.* Ob primam cauſam, Chriſtus D. admirationis capax non fuit, ob ſapientiam & ſcientiam infinitam; ob ſecundam verò & tertiam DEUM tam inuſitato, ſingulari & rariſſimo modo fieri hominem, admirabundus exclamavit: *Sic Deus dilexit mundum*, &c. Quid nos vermiculi cogitabimus, aut dicemus?

§. 5. *Saba admirata fuit Salomonẽ: quantò magis nos Deũ hominem. 3. Reg. 10. v. 5.*

Libro 3. Reg. Regina Saba adeo obſtupuit ſapientiam Salomonis, regiamque ejus majeſtatem, ut ſacer textus dicat, *Non habebat ultrà ſpiritum* præ nimia admiratione, cujus cauſæ hæ fuerant; quod videret Regis ſapientiam, & domum, quam ædificaverat, & cibos menſæ ejus, & habitacula ſervorum, & ordines miniſtrantium, veſteſq; eorum, & pincernas, & holocauſta, quæ offerebat in domo Domini. Talia videns Regina ſapientiſſima, tamen ſpiritum ultra non habuit, non potuit ſatis admirari. Perpendamus nos, quis ſit Salomon

col-

Digitized by Google

collatus cum Deo Homine? Quid ſapientia creata & finita, cum infinita & increata? Quid domus ejus regia, cum ſanctiſſima Chriſti Humanitate? quæ domus Dei eſt; Quid eburneus Salomonis thronus, cum virginali utero? in quo divinus Salomon quieſcit; Quid regii cibi, cum pane Angelorum? Quid ſervi & pincernæ cum choris cœleſtiũ ſpirituum? quorum millia millium aſſiſtunt illi; Quid holocauſta, quid vituli, quid hirci, quid tauri & boves, cum hoc unico holocauſto Agni immaculati, qui in utero Virginis factus eſt homo, ut olim pro redemptione generis humani immoletur in ara Crucis, cujus ſpiritus non deficiet, quis cum Regina Saba non exclamabit, *Major eſt Sapientia* DEI, *& opera ejus, quàm apprehendimus, vel apprehendere poſſimus.* Divitiæ cœleſtis Salomonis ſunt inveſtigabiles. Solatio nobis erit ſi cum S. Algero l. 1. de Sacram. c 2. dicamus: *Res quidem ſtupenda & ineffabilis; ſed nobis non incredibilis, quia Omnipotenti non impoſſibilis.* Dicamus cum S. Hilario ſuper verba illa, *Sic DEVS dilexit mundum &c. Veritas eſt, non falſitas.* q. d. tam rarum, tam inſolitum, tam ſtupendum paradoxum eſt, DEUM factum eſſe hominem, ut humano intellectui deſtituto lumine fidei, ut gentili videatur *ſtultitia*, aliis ſomnium, aliis fabula & figmentum, Ethnico Philoſopho, ens rationis; verbo falſitas. Sed nos Chriſtiani audaciter cum S. Hilario dicimus: *Non eſt falſitas; ſed veritas eſt.* Conſentiente Virgine, Spiritus ſanctus in utero Virginis creavit animam, & formavit Corpus Chriſti; veritas eſt, ſic Fides docet. Eodem momento ſecunda Perſona ſanctiſſimæ Trinitatis aſſumpſit illam ſanctiſſimam Humanitatem, per admirabilem Unionem hypoſtaticam, Veritas eſt! Illo momento B. Virgo facta eſt vera & naturalis Mater DEI; Veritas eſt. Hæc omnia docet Fides Catholica, & nos credimus; Hæc profunda DEI revelavit nobis Spiritus ſanctus.

Dan. 7. v. 10. — *3. Reg. 10. v. 7.* — *Rom. 11. v. 33.* — *1. Cor. 1. v. 24.*

§. 6. *In mari hujus myſterii nobis occurrit abyſſus umbris inſi-*

Ingreſſi nonnihil ſumus immenſum mare Myſterii Incarnationis; pergam plus ultra, & ſequimini me Auditores. *Spiritus enim ſanctus* (ſunt verba S. Cypriani) *humilium mentibus ſe infundens, aperiet inferiores oculos, ut videamus inviſibilia, &*

& intelligamus ea, ad quæ humanus non pertingit ſenſus, nec rationis penetrat intellectus. State Auditores; immanis ſeſe maris hujus aperit hiatus, immenſi, infiniti, incomprehenſibilis illius amoris, & bonitatis, propter quam DEUS mundo Filium ſuum unigenitum dedit; illius dilectionis, quæ Filium DEI urſit, quòd factus ſit homo. De hac abyſſo ait S. Bernardus ſer. de Nat. *Quando Deus Pater nobis Filium ſuum dedit*, (quando in utero Virginis peractum eſt myſterium Incarnationis, obumbrante Spiritu ſancto) *tunc Dei benignitas apparuit, quæ non potuit amplius declarari, neque abundantius exprimi, neque evidentius commendari*, quàm quod Filium dederit, & in mortem dederit.

...niti, ex quo mundo dedit Filium ſuum unigenitum.

Luc. 1, v. 35. Tit. 3. v. 4.

§. 7. *Declaratur ille amor ex hiſtoria de Abrahamo & Iſaaco. Gen. 22. v. 10. 11. 12.*

Miramur certè, quoties in Geneſi legimus, quod DEUS ab Abrahamo petierit in holocauſtum filium unigenitum Iſaac; hæremus ſuſpenſi, dum Pater educit filium, dum lignis onerat, dum in loco holocauſti ligat illi manus, velat oculos, dum Iſaac flectit genua, dum collum extendit, dum pater ſtringit ferrum; ſed timor & admiratio noſtra ſubitò vertitur in gaudium, cùm adeſt Angelus, qui ictum avertit, cùm liberatur Iſaac, cùm ejus loco aries immolatur & comburitur. Sed mutemus nonnihil hiſtoriam, cum illa reverentia quam ſacris literis debemus. Si Deus Abrahamo dixiſſet, *Vade cum Filio tuo Iſaac in montem*; educite vobiſcum arietem, mactate, & offerte mihi in holocauſtum; ſi pater & filius divino juſſui obtemperantes, feciſſent omnia; ſi verò, dum Abraham ſtrinxit ferrum, Deus dixiſſet: Non Abraham, volo ut aries liberetur, & illius loco filius tuus Iſaac immoletur; & ſi reverà Abraham hoc feciſſet, ſi Iſaac fuiſſet mactatus! quid cogitatis Auditores, quid admiramini?

§. 18. *Iſaaco fuit parcitum non unigenito Dei Filio.*

Quod mens humana refugit cogitare, quod horrent oculi videre, hoc, non hyperbolicè, non figuratè, ſed verè & realiter Deus Pater effecit, qui ut hircum, ut arietem, ut peccatorem liberaret à morte, & morte æternâ, ſuum Iſaacum, filium unigenitum, in ſacrificium & holocauſtum, in monte Calvariæ, in arâ Crucis, voluit mactari, & immolari. Humeris

nis hujus Agni impoſuit *iniquitatem omnium noſtrum. Et qui* *Iſa.53.v.10* *peccatum non fecit*, (S. Hieron. hîc) *innocens & immaculatus, pro nobis ſacrilegis, & peccatoribus, & æterno ſupplicio mancipatis, tanquam atrociſſimus reus, ab iniquis judicia ſiſtitur -- pro ſalute noſtra crucifigitur.* S. Athanaſius lib. de Humanit. Verbi, abyſſum hujus miſerationis & dilectionis, & ſimul præcipuam cauſam myſterii Incarnationis ſic deſcribit: *Cùm Dei Filius videret malitiam intolerabilem, neque mortale genus idoneum eſſe, quòd morti reſiſteret, neque pœnam malorum ſuorum perſolveret; nam exceſſus malitiæ tranſcendebat omne ſupplicium; videnſque ſimul Patris benignitatem, & quàm ipſe idoneus eſſet & potens, commotus fuit ſuâ Humanitate, & miſertus eſt noſtræ infirmitatis;* & ut mori, ut crucifigi pro ariete poſſit, factus eſt mortalis homo, & mortuus, & crucifixus eſt. Quis ſcrutans abyſſum hujus caritatis, cum tremore non recedat, & exclamet: *Deus* *Pſal. 138. v. 14* *noſter magnificatus eſt nimis.*

Ut navicula noſtra tutiſſimè naviget per gurgites & *§. 9.* immenſas abyſſos immenſi maris myſterii Incarnationis, memores ſemper ſimus verborum ſancti Archangeli Gabrielis ad B. Virginem dicentis: *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: ut expreſſius ſignificaret* (S. Bernardus) *modum ſecretiſſimum Arcani incomprehenſibilis, & ineffabilis Sacramenti, quo quaſi in umbrâ; cum ſolâ & in ſolâ Virgine, ſola Trinitas conceptum fuit operata Divinum:* Id eſt: Virgo humillima, ſub umbrâ & in ſplendoribus Spiritus ſancti capax fuit, ut in ejus utero tantum, tamq; inſcrutabile perficeretur myſterium. Et nos, ſi fides noſtra humilis ſit, ſi per gratiam & caritatem in nobis habitet Spiritus ſanctus, ſi per peculiarem devotionem erga SS. Dei Matrem, lateamus quodammodò abſconditi ſub umbrâ ejus, capaces erimus, ut, quantum neceſſe eſt, myſterium hoc cognoſcamus; & ab hâc cognitione pendet vita noſtra æterna; juxta illud ſacræ Scripturæ: *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant* *Joan. 17. v. 3* *te ſolum* DEUM, *& quem miſiſti* JESUM *Chriſtum.*

In claram amoris hujus cognitionem deducit nos humilis fides: cum excurſione ad B. Virginem.

Luc. 1. v. 35.

Antequam ex hâc abyſſo incomprehenſibilis caritatis *§. 10.* egrediar, non poſſum quin exclamem cum S. Ambroſio ſuper

Affectus admirationis.

cap.

Digitized by Google

S. Ambr. ſuper cap. 3. v. 14. ad Epheſ.

cap. 3. ad Epheſios. *Quis enim poteſt myſterii hujus rationem intelligere, ut Deus hominis cauſa homo naſceretur, & deinde moreretur pro hominibus? Nunquid enim caritas hæc ſuper ſcientiam hominum eſt? Hoc ergo vult nos ſcire, quod ſenſus noſter aſſequi non poteſt, nec perſpicere profunditatem myſteriorum Chriſti:* Addo ego, ſed credere!

§. 11. Horribilis abyſſus peccati mortalis propter quod Dei Filius debuit fieri homo.

Pergite mecum plus ultra Auditores. Horribilis & terribilis ſeſe aperit vorago, & eſt hæc: quòd peccatum mortale fuerit ex parte noſtrâ cauſa myſterii Incarnationis. Quantum illud nobis nocuerit & noceat, quis ſatis verbis exprimere poterit? Peccatum fuit officina, in quâ cuſa eſt ferrea catena miſerabilis captivitatis ſub jugo Diaboli: Peccatum fuit formidabilis hydra, quæ è ſeptem venenatis capitibus virus ad univerſam humanam progeniem contaminandam evomuit. Cerberus fuit, qui infernali halitu radicem omnium virtutum, id eſt, gratiam totaliter conſumpſit. Peccatum ignivomus fuit mons, ſive Æthna, ex quo oriuntur flammæ & incendia concupiſcentiarum. Peccatum fuit crudelis tyrannus, qui Deo animas eripuit. Peccatum malorum omnium fuit cauſa, & fons noſtræ infelicitatis. Tanta peccati eſt malitia, ut animam immortalem morte afficiat æternâ; facit, ut homo æternùm ardeat, nec tamen in omnem æternitatem divinæ juſtitiæ poſſit ſatisfacere. Tantum malum, tantam noſtram miſeriam commoviſſe viſcera Divinæ miſericordię, ut voluerit Filium fieri hominem, ad redimendum nos, qualis abyſſus!

§. 12. Abyſſus neceſſitatis quia alius præter Deũ hominem nos redimere nõ potuit.

Sed abyſſus abyſſum invocat. Opus tam eximium à Deo creatum, homo per peccatum deſtructus, refici non potuit; qui perierat, non potuit ſalvari; qui erat mortuus, non potuit revocari ad vitam, niſi Filius Dei fieret homo. Sed quis hoc remedium petere auſus fuiſſet ab eo, cùm juxta dictum B. Petri *nec Angelis quidem peccantibus pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Hinc hominibus miſit Filium ſuum, ut hominem in peccata prolapſum, mancipium dęmonis, inimicum Dei, inferni pœnas promeritum;

2. Pet. 2. v. 4

Digitized by Google

tum à ſervitute, pœnis, morte æternâ, in libertatem, Dei gratiam, æternæque felicitatis poſſeſſionem, ipſe factus homo reduceret. O abyſſum! Filium Dei, tam abjecti & perditi hominis amore, ac deſiderio revocandi inflammatum, poſthabita Maieſtatis ſuæ excellentiâ, noſtra indutum carne, ſervi & peccatoris in ſpecie apparentem, in ſe onus damnationis noſtræ ſuſcipere, ad pœnas nobis debitas offerre, labores noſtros ſuſtinere, dolores ferre, ignominiam ſubire. Ergone propter homines redimendos, *curſum naturæ mutavit ſapientia Dei*, (S. Aug. ſer. 4. de Nat. D.) *& ubique Divinitas dilatata, in Virginis incluſa eſt uterum*, ut Deus ſit infans? O mira res! O myſterium nobis ſalutare.

Incarnatio enim Filii Dei, aurifodina eſt, in cujus viſce- §. 13.
ribus pretioſiſſima felicitatis noſtræ metalla inveniuntur. Myſterium hoc fons eſt, unde divinarum gratiarum aquæ ſuam acceperunt ſcaturiginem. Nubes eſt, quæ à ſinu ſuo in nos rorem ſtillavit cœleſtem. Arbor quæ fructus nobis ſuaviſſimos, noſtriſque neceſſitatibus ſublevandis valdè opportunos produxit. Ærarium eſt, ex quo ſumptum eſt precium noſtræ redemptionis, ſanguis Chriſti. Ros eſt, qui decidit in vellus Gedeonis, cui diſtillantibus cœlis, & nobis ſe infudit plenitudo Divinitatis. Proinde (D. Bern. ſer. 1. in Vig. Nat.) *Reſpirate perditi, venit enim Ieſus ſalvum facere, quod perierat: morbidi convaleſcite, venit enim Chriſtus, qui ſanat contritos unctione miſericordiæ ſuæ Exultate quicunque eſtis grandia concupiſcentes; deſcendit n. ad vos Filius Dei, ut regni ſui faciat cohæredes.*

Elogia myſterii Incarnationis, nobis utiliſſimi.

Quid ni benedicimus Auditores Dominum, *qui coronat* §. 14.
nos in miſericordia, & miſerationibus, & replet in bonis (Incarnationis ſuæ) *deſiderium noſtrum.* Pater omnipotens, æterne Deus, quas tibi referre poſſumus gratias, pro tam admirabili caritate, & liberalitate tua, qua unigenitum Filium tuum, unius tecum naturæ, infinito abs te amore dilectum, tecum ab omni æternitate beatum, omni bono affluentem; ad mortalem fragilemque hanc carnem, tot calamitatibus obnoxiam, aſſumendam, noſtræ Redemptionis cauſa miſiſti. Quid obſe-

Actus gratiarum actionis ad Patrem.
Pſ. 102. v. 5.

cro in nobis placere tibi potuit , & ſapientiæ tuæ infinitæ, quod Filium tuum volueris fieri hominem? nimirum quantò major noſtra indignitas, & tua, filiique tui dignitas; quantò ingratitudo noſtra conſpectior, conditio abjectior, ſervitus turpior; tantò manifeſtior in te miſeratio, bonitas gratuita copioſior, caritas impenſa, ardentior eminet. *Benedic anima mea* Deum Patrem!

§. 15. *Ad Filium.* Fili Dei omnipotens & æterne, quas referemus gratias; Deo homini; immenſo in exigua carnis menſura, æterno in tempore, infinitæ Majeſtatis in abiecta vilitate humanæ naturæ, immortali in mortali corpore, in cœlis dominanti, in terris, maternis incluſo viſceribus; & hæc univerſa hominis redimendi cauſa, ut cum ingenti gratiarum actione dicere poſſimus cum S. Bern. in ſignum magnum Apoc. 12. *Vehementer nobis vir unus & mulier una nocuere; ſed gratias Deo! per unum hominem, & mulierem unam, omnia reſtaurantur, non ſine fœnore gratiarum; neque enim ut delictum, ita & donum. Sed excedit damni æſtimationem beneficii magnitudo. Sic nimirum prudentiſſimus artifex, quod quaſſatum fuerat, non confregit, ſed utilius omnino refecit, ut novum hominem formaret ex veteri Adam, & Evam refunderet in Mariam.* Benedic anima mea Filium Dei in miſerationibus ſuis.

S. Bernardus in Apoc. 12. verſ. 1.

§. 16. *Ad Spiritum S. cum Epilogo ex pio loco S. Auguſtini.* O divine Spiritus, qui electam à Deo ad mirabile incarnationis opus Virginem tua virtute elevaſti, adumbraſti fœcunditate, ardore inflammaſti, ut talem ac tantum conciperet Redemptorem, tibi quoque benedicimus in ſæcula ſæculorum. Inter hos & ſimiles affectus piè dixit S. Auguſt. l. 9. conf. cap. 6. *Non ſatiabar dulcedine mirabili, conſiderare altitudinem conſilii tui, ſuper ſalutem generis humani. Quantum flevi in hymnis & canticis tuis: voces illæ, influebant in aures meas, & eliquebatur veritas tua in cor meum; & ex ea æſtuabat inde affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis.*

Utinam & nos per hunc ſacrum Adventum &c. fiat pius affectus &c.

CON-

Digitized by Google

CONCIO II.

DOMINICA II. ADVENTUS.

Erunt ſigna in Sole, & Luna.

Luc, 21. cap. v. 25.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRima Pars, exponit quæ ſigna futura ſint in extremo die judicii, in ſole Juſtitiæ, & quidem ſanguinea; videbunt enim tum impii, vulnera Salvatoris. II. Pars affert tres cauſas, ob quas Judex apparebit in Iride, cum ſanctiſſimis cicatricibus. III. Pars, inde colligit, nullum amplius reprobis tum fore locum miſericordiæ, vel interceſſioni & patrocinio apud judicem, quod variis parabolis ex ſacris literis oſtenditur.

§. 1. Sol & Luna ante diem judicii erubeſcent. Et quare?

§. 2. Pium Auctoris ſuſpirium, ut hæc Concio in Auditorum cordibus ſit fructuoſa.

§. 3. Non in ſolo tantum materiali, ſed etiam in ſole Iuſtitiæ, in Chriſto Iudice, erunt ſigna; & quidem ſanguinea.

§. 4. Prima cauſa ob quam Iudex impiis in illa die oſtendet ſua vulnera.

§. 5. Secunda & tertia cauſa, exhiſtoriis.

§. 6. Iuſtus Iudex lavabit manus ſuas in ſanguine peccatorum.

§. 7. Iudicium non admittet miſericordiam. Ante illud Iudex placari poteſt; non poſtea.

§. 8. David, figura Chriſti, quam fuerit crudelis, in juſta vindicta de rebellibus.

§ 9. Quare Chriſtus D. ab Oleaſtro vocetur, Deus Vberum.

§. 10. Nemini illa die patebit area Divinæ Miſericordiæ; neque vulnera Chriſti ad veniam

niam vel pro refugio.
§.11. *Nullus ſanctorum, neq; B. Virgo damnatis intercedent. Prima parabola ex S. Matthæo.*
§ 12. *Altera ex eodem.*
§.13. *Tertia ex libro Numerorum.*
§ 14. *Brevis digreſſio ad ſpem Lutheranorum. Decipiet.*

§. 1. *Sol & luna ante diem judicii, erubeſcent. Et quare?* VERba hæc Chriſti D. ex hodierno Evangelio, *Erunt ſigna in ſole & luna*; clarius, & magis in particulari, nobis expoſuit S. Matthæus & S. Marcus. dicunt enim; *ſol obſcurabitur, & obtenebrabitur, & luna non* Matth. 24. v. 29. Marc. 13. v. 24. *dabit lumen ſuum*, ſecundum S. Joannem *Sol fiet niger tanquam ſuccus cilicinus, & luna tota erit, ſicut ſanguis.* Id eſt, ex mente S. Antonini, hic; *Sol & luna quaſi erubeſcent, quod hominibus impiis tam diu ſervierint, & ad eorum ſcelera lucem ſuam præbuerint.* Apocalyp. 6. v. 12. De luna præſertim ait, *fiet rubra, ut videatur quaſi pudore vultus ſui, de turpiſſimis & atrocibus ſceleribus, noctu præſertim, cui luna præeſt, in tenebris perpetratis, erubeſcere.* Si in illa die coram tremendo Judice ſcelerum teſtes irrationales creaturæ timebunt confuſionem; quomodo erubeſcent & confundentur Iob. 20. v. 27. illi, qui ſcelera perpetrarunt. Quid facient, cum *cœli revelabunt iniquitatem ipſorum, & adverſum illos, omnes creaturæ conſurgent*; & nihil reſpondere poterunt, ſed ſtabunt præ ni- Luc. 23. v. 30. mio timore & confuſione ululantes, *Montes operite nos, colles cadite ſuper nos.* Sed fruſtra! Sap. 5. v. 18. *Omnem creaturam armabit Deus ad ultionem inimicorum, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos.* Inter tam terribilia ſigna, inter cadentes ſtellas, fulgura, tonitrua, inter elementorum fremitus, nubium fragores, ventorum rabiem, momento, in nubibus cœli, ſuper iridem apparebit Filius hominis, non Iſaiæ 30. v. 27. amplius mitis Salvator, ſed tremendus Judex, &, *ardens erit furor eius: Labia ejus repleta erunt indignatione, & lingua eius, quaſi ignis devorans, Spiritus ejus velut torrens inundans, ad perdendas gentes.* Scelerati, impii! meminiſtis, qualis pependit in Cruce, offerens vobis ſua vulnera & ſanguinem, & vitam & mortem ad veniam & miſericordiam? Meminiſtis

niſtis quam triſtibus ſed benevolis oculis vos reſpexerit? meminiſtis, quam dulcibus verbis vos ad ſe invitarit; ad amplexus & oſcula pacis? ſed renuiſtis, noluiſtis aſpicere, contempſiſtis miſericordiam; Vulnera ejus & ſanguinem pedibus conculcaſtis. Verum talis, non apparebit in die judicii; alia apparebunt ſigna in ſole juſtitiæ, & quidem ſanguinea, quæ ſignum erunt, nullum ibi fore locùm miſericordiæ, ſed ſoli juſtitiæ, & juſtæ vindictæ. Hanc extremi judicii circumſtantiam ponderabo hac Concione.

§. 2.

Pium Auctoris ſuſpirium, ut Concio hæc in Auditorum cordibus ſit fructuoſa.

Æterne Deus; *Magna & terribilia ſunt opera tua; juſtæ & veræ ſunt viæ tuæ Rex omnium ſæculorum. Quis non timebit te, & magnificabit nomen tuum, quoniam judicia tua manifeſta ſunt.* Sed! quam terribilia ſunt! illa potiſſimum, quæ in extremum illum diem reſervaſti! Ut electi audiant, Venite &c. & ſalventur, ut reprobi omnes audiant, Ite &c. & præcipitētur in igneum barathum ſine ſpe ulla redemptionis in omnem æternitatem! O abyſſum judiciorum! Itaque modo, *confige timore tuo carnes noſtras; ut à facie judicii tui timeamus. Nunc judica nos Domine, & diſcerne cauſas noſtras.* In tempore miſericordiæ tuæ doce nos facere juſtificationes tuas. Ne aliquando ad nos loquaris in ira, & furore tuo, jam loquere nobis, quia audiunt ſervi; ita volumus vivere, ut cum veneris nos judicare, non velis, nec poſſis nos condemnare. Talia ſuſpiria & propoſita, ſimiles ſanctas cogitationes, de extremo die judicii, & piiſſimos affectus, cupio hac Concione excitare in cordibus veſtris. Gratiam neceſſariam, nobis ut ſpero, Mater gratiæ, obtinebit: præſertim ſi prius hoc ſacro tempore Adventus cum Archangelo Gabriele dicamus, *Ave Maria &c.*

Apoc. 15. v. 3.
Ier. 10. v. 7.
Matth. 25. v. 34. & 41.
Pſ. 118. v. 120.
Pſ. 42. v. 1.
Luc. 1. v. 28.

§. 3.

Non in ſole tantum materiali, ſed etiam in ſole juſtitiæ, ſive ipſo judice, erunt ſigna & quidem ſanguinea.

Non ſine cauſa, paulò ante inſinuavi, in illa die apparitura ſigna ſanguinea, non tantum in ſole materiali, & in luna, & ſtellis, ſed in ipſo ſole juſtitiæ; id eſt, in Chriſto judice, cum ſedebit ſuper iridē ſuæ Majeſtatis, in ſede & tribunali judicii ſui. Antequam exprimam clarius illa ſigna, revocate in memoriam viſionem S. Joannis in qua vidit, apertum cœlum; *& ecce equus albus, qui ſedebat ſuper eum, vocabatur fidelis & verax,*

Apoc. 11. v. 13. *verax, & cum Iuſtitia judicat, & pugnat & veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine.* Sancti Patres, qui per hanc veſtem intelligunt ſanctiſſimam Humanitatem, ſive glorioſum corpus Chriſti judicis, dicunt, illum appariturum cum quinque ſanctiſſimarum cicatricum ſive vulnerum ſignis, & quidem ſanguinies, ut illæ cruore recreentur pii, terreantur impii: Non deſunt, qui aſſerunt, præferendum judici ſignum Filii hominis, id eſt ſanctiſſimam crucem, qualis fuit, cum in illa pependit Chriſtus D. divino ſanguine purpurata. Nolo ego hic quicquam certi aſſeverare, hoc non puto revocandum in dubium, videnda ab electis & reprobis in valle Joſaphat ſanguinea judicis vulnera.

§. 4. *Prima cauſa, ob quam judex impiis ſit oſtenſurus ſua vulnera.* Ob varias cauſas; Unam affert S. Auguſt. ſer. 130. de temp. *Tunc plangent omnes tribus terræ, videntes accuſatorem ſuum, id eſt, ipſam crucem, & in ipſa arguente cognoſcere peccatum ſuum; ſerò & fruſtra fatebuntur impiam cæcitatem. Quid autem miraris, ſi crucem afferens veniet, ubi & ipſa vulnera oſtendet.* Clarius cauſam hanc exponit S. Chryſoſt. hom. 77. hic. Et tunc plangent

Matth. 24. v. 30. omnes tribus terræ, *viſa enim cruce* (& ſanctiſſimis vulneribus) *conſiderabunt, quod mortuo eo nihil profecerunt, & quoniam crucifixerunt eum, quem adorari oportebat. Crucem autem ſecum habet, ut peccatum ipſorum ſine accuſatione condamnetur; velut ſi quis lapide percuſſus, ipſum lapidem vel cruentas veſtes in teſtimonium oſtendat*: cum pathetica illa exprobratione Auctoris imperf. hom. 49. in perſona judicis, Ego propter vos homo factus, crucifixus ſum, ubi fructus? Ecce precium ſanguinis mei, quem dedi pro redemptione animarum veſtrarum, ubi eſt ſervitus veſtra, quam mihi pro precio ſanguinis mei debetis? Ecce vulnera, quæ conculcaſtis; Tunc plangent impii, ſed ſerò & fruſtra.

§. 5. *Secunda & tertia cauſa, ex hiſtoriis.* Alteram cauſam, ob quam ſol juſtitiæ in illa die apparebit ſanguineus, brevis mihi ſuggerit hiſtoria. Tamerlanes Imperator Orientis, quando poſt aliquod tempus obſeſſæ urbis, in ejus conſpectu, rubrum & ſanguineum vexillum explicari juſſit, oſtendere voluit, ſe nulli in urbe deinceps parciturum; nullum fore locum clementiæ; Væ impiis cum Imperator

Orbis

Digitized by Google

Orbis, in valle Ioſaphat per Archangelum Michaëlem, explicari jubebit ſanguineum vexillum ſacroſanctæ crucis;cum monſtrabit vulnera ſua; non ut parcat, ſed ut furor ejus magis accendatur. Ob quam cauſam, Leonides belli Dux, iturus aliquando in prælium, rubra veſte, ſanguineque tincta ſe & milites ſuos induit; & cum cauſa quæreretur, reſpondit, *ut cum aſperſi fuerint ſanguine inimicorum, non timeant*; imò ut magis accendantur ad fortiter pugnandum, ſumendamque de hoſtibus vindictam, ſic docet experientia, frequenter milites, non ruere animoſius & majoribus viribus in hoſtem, quam cum ſe vulneratos ſentiunt, & proprio vel alieno ſanguine reſperſos; tum enim feruntur ad pugnam, velut elephantes & leones, qui nunquam furunt magis, nunquam terribilius omnia proterunt, quam dum ſanguinem cernunt, ſanguis effuſus elephantem agit in furias. §.6.

Iuſtus Iudex lavabit manus ſuas in ſanguine peccatorum.

Hæc eſt illa cauſa, propter quam S. David dixit. *Lætabitur juſtus*; id eſt, Chriſtus Judex, cum tandem, *videbit vindictam & manus ſuas lavabit in ſanguine peccatorum.* Et *dicet homo* & ululabit impius; *Vtique eſt Deus judicans.* Iam cernimus quod vel credere, vel timere noluimus. Hiccine eſt ille Crucifixus? modò tam tremendus Judex: ſed mi JESU, licetne quærere cum Jſaia *Quare rubrum eſt veſtimentum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari?* Quærite; ſed reſpondebit, *Calcavi eos in furore meo, & conculcavi eos in ira mea: & aſperſus eſt ſanguis eorum, ſuper veſtimenta mea, & omnia indumenta mea inquinavi.* Latet in his verbis pulcrum ſimile. Vinitor in vindemia immiſericors eſt, erga uvas, abſcindit, lacerat, calcat, premit, & quo copioſius effluit vinum, eò magis gaudet vinitor. Hoc modò Chriſtus Judex confringet & conculcabit hoſtes ſuos, & cum gaudio, cum riſu, cum plauſu lavabit manus ſuas in lacrymis & ſanguine peccatorum, ſine ulla ſpe compaſſionis vel miſericordiæ:

Iſa. 63. v. 3.

§.7.

Iudicium non admittet miſericordiam.

Nam (Auctor imperf. cit.) *non recipit natura Iudicis Miſericordiam: ſicut nec tempus miſericordiæ, judicium. Dicente Propheta: Miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine. Miſericordia!.*

Ante judicium Iudex placari potuit, non poſtea.

cordia: *in priori adventu*: *Iudicium in ſecundo.* Et S.Greg.lib. 14.moral.cap.30. *Iudex ſupremus, ante judicium placari poteſt, in judicio non poteſt.* S.Aug.l.3. de ſymbolo. *Ille judex, nec gratia prævenitur, nec miſericordia iam flectitur, nec ſatisfactione vel pœnitentia mitigatur.* Virga ejus non erit amplius ex florida amygdalo, quæ inclinari poſſit ad veniam, ſed ferrea. *Hic, dum tempus eſt, agat anima pro ſe, quam diu locus erit miſericordiæ, quia ibi erit locus juſtitiæ.* Rupertus, & *quo modo Salvator noſter, eſt ſuavior, eo tum erit formidabilior.* Et Theodoretus in Pſ.79. *Prior quidem adventus, multum habuit miſericordiæ,* (hoc oſtendi ante octiduum) *ſecundus vero juſtitiam habebit.* S. Chryſoſtomus homilia 39.in Evangelia; *Quantò enim Dominus ad miſericordiam fuit promptior, tantò erit vindicta eius acerbior.*

§. 8.

David figura Chriſti, quam fuerit crudelis in juſta vindicta ſumpta, de rebellibus.

Figura fuit mitiſſimus David; dum civitati Rabbath, & incolis ejus, variis modis obtulit regiam clementiam, ut ſe dederent. Sed quia ſpreverunt illum, iratus *cepit eam*: & *populum ejus ſerravit, & circumegit ſuper eos ferrata carpenta, diviſitque cultris, & traduxit in typo laterum: ſic fecit univerſis civitatibus filiorum Ammon.* Quis hoc fecit? mitiſſimus David? ita: ſed tempore juſtæ vindictæ. Et quis juſſit, colligari rebelles, (*2. Reg. 12. v.31.*) & ſerrari, & dividi cultris? David? omnino; ſed illos, qui regiam clementiam ſpreverant. Quid horribilius, homines dejici in terram, & circumagi ſuper illos equos cum falcatis curribus. Horribilis fateor, crudelis & ſanguinea fuit vindicta, quam David ſumpſit de hoſtibus ſuis. Ut in hoc ſpectaculo, veluti ſpeculo videant impii, quam vindinctam ſumpturus ſit tremendus ille Judex, cum illos conculcabit in furore ſuo tradetque diabolis, ut igneis cultris, igneis ſerris in æternum urantur, ſecentur, torqueantur. Et quis hoc jubebit? quis tremendam illam ſententiam pronuntiabit, (*Matth. 25. v.41.*) *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum*? Ieſus Salvator mundi faciet, quo nunc eſt ſuavior, eò tunc erit formidabilior.

§. 9.

Quare Chriſtus D. ab Ole-

Tempore gratiæ, omnibus patent ubera divinæ miſericordiæ, in ſanctiſſimis Vulneribus Ieſu crucifixi: tempore juſtitiæ & iudicii erunt clauſa. Hac phraſi utuntur aliqui SS.Pa-

aſtro vocetur, Deus uberum.

SS. Patres, cum volunt oſtendere, illo tempore & loco, nullum apud judicem fore locum miſericordiæ; modo loquendi videtur cauſam dediſſe Dea Rumina, culta à Romanis veluti Dea naturæ, in ſtatua fœminæ, cum pluribus uberibus. (S. Auguſtinus illius meminit lib. 4. de civit. Dei, cap. 11.) finxit Romana ſuperſtitio, illius matris uberibus & lacte, nutriri atque lactari omnia animalia. Cum itaque aliquando parvi leones & tigrides, lac ſugerent, & ubera Matris valde morderent, ad tempus patienter tulit illa; ſed tandem irata, clauſit ubera, rejecit beſtias, & in fruſta dilaceravit. Iam antea inſinuavi eſſe hanc fabulam, ſed quia Sanctus Auguſtinus illa fuit uſus, utor & ego, ut intelligatis, idem contingere impiis *in agone* & judicio. Jam dudum Oleaſter Chriſtum Dominum Salvatorem noſtrum ob infinitam miſericordiam, & viſcera matris, vocavit *Deum uberum*. O quam dulce lac ex his uberibus ſugunt immaculati agniculi, ſive electi; lac amoris, lac miſericordiæ, lac gratiæ! imò portantur ad ubera. Cavete hirci & hœdi, cavete leones & tigrides; & vos penderis ab his uberibus; ſed dic parve leo, crudelis tigris, quoties mordes hęc ubera? quoties ſanctiſſimæ carni vulnerum Salvatoris caninos infigis dentes? quoties venenata lingua lambis regium imò divinum ſanguinem? per tot blaſphemias? &c. Et patiens eſt Deus iſte uberum; mitis eſt longanimis, & multum miſericors; Differt pœnas, diſſimulat, videtur dormire; cavete impii, ne dormientem Deum uberum excitetis, iratus enim, abjiciet vos à facie ſua, claudet ubera, & vos in fruſta diſcerpet, infelix pabulum ignis æterni.

§. 10. *Nemini illa die patebit arca divina miſericordiæ; neq; vulnera Chriſti adveniam. Gen. 7.*

Non ſperem, aliquem obſtinatum peccatorem, dum à me audit nominari ſanctiſſima Chriſti Vulnera; concipere inde ſpem & fiduciam, fore illa, in illa die tremenda locum refugii, prout in univerſali mundi diluvio fuit Arca, in qua ſaltem aliqui, Noë ſcilicet cum ſuis fuit ſalvatus incolumis; ſic eſt, in univerſali Orbis incendio in arca divinæ miſericordiæ, & ſanctiſſimorum Vulnerum Salvatoris ſalva-

buntur Electi, qui pauci erunt reſpectu damnandorum; Impii, obſtinati! vos ita figuram hanc arcæ debetis intelligere. Non dubito; cum aquæ diluvii inundaverunt ſuper terram, & omnia repleverunt in ſuperficie terræ, cum prævaluerunt nimis opertiq; ſunt omnes montes ſub univerſo cœlo; non dubito inquam, plurimos tum mortales in extremis anguſtiis nataſſe ad arcas, & magnis ejulatibus petiviſſe admitti ad arcam; O judicia iraſcentis Dei; nec unicus admiſſus fuit, omnibus arca fuit clauſa; nulli prorſus Noë exhibuit miſericordiam. Omnes mortales extra arcam ſubmerſi fuerunt. Si volunt obſtinati peccatores, ex hac figura intelligere poſſunt, quid tum temporis, in agone, in judicio particulari & univerſali, debeant, vel poſſint exſpectare. Ubera miſericordiæ, ſanctiſſima vulnera Salvatoris, præſertim arca dulciſſimi cordis erunt clauſa. Gement, flebunt, ſuſpirabunt, ſacra omnia implorabunt; fruſtra! Cœleſtis Noë, neminem admittet: dicet tremendus Judex; *Agnoſcitis latus, quod pupugiſtis? per vos & propter vos apertum eſt*, (S. Aug. l. de ſymb. ad catechum,) & patuit, 10. 20. annis *nec tamen intrare voluiſtis*; *Nec jam intrabitis, clauſum eſt, Diſcedite maledicti in ignem æternum.*

§. 11. *Nullus ſanctorum, atq; B. V. pro damnatis intercedet. Figura prima ex S. Matthæo. Matth. 22. v. 12.*

Nemo ergo miſeris compatietur? nemo aliquam afferet opem? an non Mater miſericordiæ, Maria? An non Angeli? An non Apoſtoli &c. Nemo ex omnibus. Cum ſanguinea ſigna illa die erunt in Sole, cum in valle Joſaphat reprobis oſtendentur, Vulnera Salvatoris, nullus erit locus miſericordiæ vel patrocinio & interceſſioni. Pulcerrimas habemus figuras. Matth. 22. in nuptiis miſer homo ſine veſte nuptiali, ligatus præcipitatur in tenebras exteriores. Quid hoc inter nuptialia gaudia tantus rigor? & quod mireris, ait Sanctus Gregorius hic, *Vide non indutum veſte nuptiali expulſum, & neminem pro illo intercedentem*; inter tot hoſpites? Ecce parabolam extremi judicii; Væ illis, qui ad nuptias Agni, comparebunt ſine veſte nuptiali; jubilabunt filii Dei, bibent, comedent, ſatiabuntur; de reprobis dicet Agnus, vel potius, iratus Leo, diabolis,

Ligate,

Digitized by Google

Ligate, & projicite in ignem æternum. Sed inter tanta gaudia, ſponſa Agni, B. Virgo: hoſpites omnes ſancti, nunquid apud judicem intercedent? Non. Ecce addictos æternis ſuppliciis & neminem intercedentem. Diaboli verò clamabunt ad Judicem; *Qui tecum noluerunt habere vitam, judica illos, ut nobiſcum habeant gehennam.* S. Aug. ſer. contra Jud. & Arr.

Matth. 25. Decem Virgines exſpectant ſponſum, quinque fatuæ & quinq; prudentes: hæ ornaverunt lampades ſuas, & acceperunt oleum ſecum, non priores. Dum itaque nocte intempeſta illarum lampades extinguuntur, nec oleum à ſororibus obtinere poſſunt, abeunt ut accipiant. Sed adeſt interim ſponſus, & paratas admittit ad nuptias. Dum fatuæ redeunt, pulſant, ſed, ait illis ſponſus, *Clauſa eſt janua.* Ecce excluſas, hic iterum dico cum S. Greg. & neminem intercedentem. Nulla ex prudentibus Virginibus vel verbulo, pro illis interceſſit. Advertere poteſtis clare etiam ex hac parabola, quid futurum ſit impiis, in tremendo die judicii. Non eſt, quod ſperent, vel guttulam olei miſericordiæ, etiam à Matre miſericordiæ. Nulla prorſus tum erit commiſeratio, imò, potius gaudium, de vindicta, quam juſtus judex, de improbis ſumet.

§. 12. Altera parabola ex S. Matthæo. 25. v. 12.

Numerorum 16. Dathan & Abyron, vivi abſorbentur ab immani hiatu terræ. Et ait Ioſephus l. 4. c. 3. *Fuit hic caſus eò miſerabilior, quod adeo nemo, nec propinquorum quidem, aut cognatorum, eos eſt miſeratus; ut totus, quantus erat populus, anteactorum oblitus, lætis acclamationibus Dei ſententiam comprobaret.* Terribilius oculis veſtris proponite ſpectaculum, cogitate vos videre non pauculos, ſed milliones & myriades damnatorum, abſorberi momento à barathro inferni ut ibi æternum ardeant. Hoc erit miſerabile ex omni numero Electorũ non fere unum, qui miſereatur; ſed omnes lætis acclamationibus juſti Iudicis ſententiam comprobabunt.

§. 13. Tertia ex cap. 16. v. 34. Numerorum.

Brevem proponam quæſtionem, & dictioni meæ finem imponam. Quid tum proderit illa ſpes & fiducia, qua Lutherani & Calviniſtæ ſe conſolantur, de divina miſericordia? Reſpon-

§. 14. Brevis digreſſio ad ſpem Lutheranorũ. Decipiet.

Iſa. 28. v. 17. Reſpondeo, dudum illud prædixiſſe Prophetam. *Ponam in pondere judicium, & juſtitiam in menſura; & ſubvertet grando ſpem mendacii, & protectionem, aquæ inundabunt.* Quænam illa ſpes mendacii? illa, ob quam multi ſæpius ſunt nimium ſecuri, putant ſe ob infinitam Dei miſericordiam, ob merita Salvatoris, ſalvandos, licet peccent, licet non ita obſervent Dei mandata, &c. ſed irruit grando judicii, grando timoris & anguſtiarum; & ſubvertitur illa ſpes; illa opinio de certa protectione, ab aquis tribulationum inundatur; hinc deſperatio! hinc æterna damnatio! Abacuc. *Mentietur opus Olivæ:* Abacuc. 3. v. 17. ſpecioſa Oliva videtur, illa Lutheranorum ſpes; ſed mentitur, Nam (ſic habet alia verſio citati verſus) *Multi qui ſperarunt, invenient ſe deceptos.* Laboremus nos auditores, ut Oliva noſtræ ſpei, ſimul ſit fœcunda, & plena fructibus bonorum operum, ut aliquando ſuaviſſimam illam vocem mereamur, *Venite benedicti!*

CONCIO III.

DOMINICA III. ADVENTUS.

Cum audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti.

Matth. 11. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRima Pars; oſtendit præcipuam cauſam, ob quam Sanctus Ioannes Baptiſta, in carcerem conjectus, & in illo decollatus fuit, fuiſſe, quod liberè reprehenderit luxuriam Herodis, & Herodiadis. Altera pars monet, turpiſſimi hujus

hujus vitii in Adventu fieri mentionem, ut ſi venturum Meſſiam in corda noſtra ſuſcipere velimus, illud caveamus. Odit Ieſulus has ſordes; amat corda munda.

§.1. Cur in adventu hodiernum prælegatur Evangelium.

§.2. Conglobata encomia S. Ioannis Baptiſtæ.

§.3. Cauſam interroganti, cur coniectus fuerit in carcerem.

§.4. Reſpondet unus ex cubiculariis Herodis, reprehendendo Baptiſtam, quod nimis liberè prædicaverit veritatem.

§.5. Proſecutio.

§.6. Ob ſimilem cauſam à politicis taxantur Concionatores, qui exemplo S. Ioannis Baptiſtæ idem faciunt.

§.7. Alter cubicularius Herodis, defendit S. Ioannem aitq; bene illum feciſſe.

§.8. Iudicium Auctoris.

§.9. Ancilla aulica culpam captivitatis S. Ioannis conjicit in Herodiadem.

§.10. Proſecutio.

§.11. Lictor decollaturus S. Ioannem, arguit ſaltatricem filiam Herodiadis.

§.12. Invectivæ SS. Patrum, in Herodiadem Matrem, Filiam & Herodem.

§.13. Prælegitur nobis hodiernum Evangelium, ut execremur luxuriam; Per caſtitatem oportet parare viam Domini.

§.14. Probatur ex S. Paulo.

§.15. Epilogus.

NOn pauci Concionatores, imò aliqui ſancti Patres mirantur, & quærunt, quare Mater noſtra Eccleſia, paucis ſeptimanis, imò diebus, ante feſtum Nativitatis Domini, in hodierno Evangelio nobis proponat, S. Ioannem Baptiſtam, juſſu Regis conjectum in carceres. Puto vos cogitare; Ioan. B. eſt ſtella matutina, par eſt, ut præeat Solem juſtitiæ. Præcurſor eſt Domini, qui ad nos venturus eſt, itaque præit, ut nos moneat de adventu tanti Regis. *Fuit Vox clamantis in deſerto; Dirigite viam Domino*, parate ſemitam eius; facite fructus dignos pœnitentiæ, quæ vias illas dirigit. Forte alius dicet, quia S. Ioan. B. ille eſt, qui Meſſiam digito demonſtravit, dicens, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Vel; In adventu memoria fuit S. Ioan. B. quia teſte

§. 1. Cur in Adventu hodiernum prælegatur Evangeliũ. Matth. 3. v. 5.

Ioan. 1. v. 29.

Ioan. 5. v. 35. S. Joanne Evangeliſta: fuit *lucerna ardens & lucens*, cuius fuit
Ioan. 1. v. 8. officium, & opus ſingulare, ad quod miſſus fuit à Deo ut *teſtimonium perhiberet de lumine* de Chriſto Jeſu. Aliis aliæ cauſæ occurrent. Ego prima parte huius concionis vobis exponam præcipuam cauſam, ob quam juſſu Regis Herodis fuit conjectus in carcerem; & deinde in parte altera facile mihi erit reſpondere, quæſtioni propoſitæ, quare hodiernum Evangelium nobis prælegatur. Scopus, in quam collimo, eſt, ut Auditorum meorum corda præparet in adventum Domini noſtri JESU Chriſti, ut illum puritate, & ſanctitate, qua par eſt, excipiamus. De benevola veſtra attentione non dubito.

§. 2. Conglobata encomia S. Ioannis Baptiſtæ. Teſte Alexandro M. Achilles, fortiſſimus heros, fuit feliciſſimus, quod *fruitus fuerit* (ut ipſe loquitur) *magno præcone meritorum*. Is fuit Homerus. Meo iudicio longè felicior fuit S. Joannes Baptiſta, qui tam varios, & tam eximios habuit laudum ſuarum præcones, & deprædicatores, glorioſa de illo prædixit Iſaias, antequam naſceretur, Malachias dixit, futurum Angelum: Angelus, dum ejus ortum parenti Zachariæ
Luc. 1. v. 15. annuntiavit, in has voces erupit, *Erit magnus coram Domino, Spiritu S. replebitur adhuc ex utero Matris.* Zacharias Pater il-
v. 76. lum appellavit, *Prophetam altiſſimi*, Mater Eliſabeth, nomina-
v. 60. vit *Ioannem*, id eſt, gratioſum, amabilem, dilectum. Quatuor Evangeliſtæ, omnes in eius laudes conſpirant. Sanctus Matthæus illum nobis proponit, tanquam ſpeculum Pœnitentiæ: Sanctus Marcus, tanquam intrepidum Concionatorem: Sanctus Lucas dicit fuiſſe vocem clamantis in deſerto, Sanctus Joannes Evangeliſta refert fuiſſe illum, qui Meſſiam monſtrans dixit, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, Nolo inhærere verbis, quibus Sancti Patres eximias eius extollunt virtutes, innocentiam, puritatem, patientiam, humilitatem, fervorem, zelum honoris Dei & animarum. Multò minus modo in animo mihi eſt catenam nectere illorum elogiorum, quibus ſancti Patres de illo loquuntur, veluti prodigio & mi-

Digitized by Google

raculo gratiæ, omnisquẽ ſanctitatis. Ego Sanctum Joannem Baptiſtam arbitror feliciſſimum & glorioſiſſimum, ob unicum Chriſti D. teſtimonium, quod inter natos mulierum non ſurrexerit major Joanne Baptiſta.

§. 3. *Cauſas inquirenti concionatori, cur carceri fuerit incluſus*

Eximiæ hæ laudes, anſam præbent, ut non, ſine cauſa quæramus. Cur ergo vir tam ſanctus, tam innocens! cur talis Concionator, ab Herode, conjectus fuit in carcerem? illæ manus, quarum digiti demonſtrarunt agnum Dei, quid peccaverunt, quod ligatę ſint vinculis? illi pedes, qui cucurrerunt ad prædicandum Evangelium pacis, quare concluſi jacent inter compedes. Corpus vexatum jejuniis, veſtitum pilis camelorum, cur gravatur & premitur à catenis ferreis. Quomodo illa vox, clamans & reſonans, per totum deſertum, inter anguſtias carceris ſilere cogitur? Vox illa Domini in virtute! Vox illa Domini in magnificentia! Vox illa confringentis Cedros! Vox, intercidentis flammam ignis, Vox Domini concutientis deſertum, Vox Joannis Baptiſtæ præparantis viam Domino, quid peccavit? *Pſ. 28. v. 8.* Joannes ille gratioſus, & amabilis, etiam in aula regia, quid fecit? in quo offendit innocens ille Angelus? Dignæ ſunt hæ quæſtiones, quibus reſpondeam.

§. 4. *Reſpondet unus ex cubiculariis Herodis, reprehendendo Baptiſtam, quod nimis liberè prædicaverit veritatem.*

Memini me ante annos triginta audiviſſe in Hiſpania, nobilem Concionatorem, de quęſtione hac ſic diſcurrentem. Cum loqueretur quaſi eſſet in via, ad viſitandum S. Joannem in carcere, obvios habuit ex regia Herodis duos aulicos, & quidem ut vocare ſolent, *Cubicularios*, ſive, regii conclavis cuſtodes; qui plerumq; Dominorũ ſecreta, prę aliis, ſolent introſpicere: poſt amicam ſalutationem, hos duos ille Concionator his fore verbis fuit allocutus; Domini mei; mira ſparguntur in urbe Jeroſolyma, ſtupent, ſummi & infimi! Dicunt, juſſu Regis in vincula conjectum eſſe aulicum Concionatorem, Joannem B. de quo tamen conſtat, quod Rex veſter, hactenus libenter illum audiverit. Cauſæ captivitatis inter plebem ſparguntur variæ, quibus ego fidẽ non adhibeo; à vobis, ſi loqui liceat veram cauſam cuperem intelligere; expedit ſæpe, ut Concionatores talia ſecreta non ignorent. Reſpon-

§.5. *Proſecutio.* Reſpondit Aulicus uterque; ſed diverſo modo, alter enim Joannis patronum & defenſorem egit, alter partes actoris & accuſatoris. Hic dixit, Joannes Baptiſta conjectus eſt in carcerem, quia in concione aulica, in præſentia multorum, in facie Regis, nimis liberè, & audacter prædicavit veritatem. Auſus fuit Regi in faciem dicere, *Non licet tibi &c.* cùm verò illa libertas Regem valdè offenderit, juſſit ſtatim, & merito, conjici in carcerem. Si Ioannes Baptiſta, prudens fuiſſet, ſcire debuiſſet, non licere concionatoribus, vel ſaltem non expedire, ut quidam contra quemvis, & quidem Regem in mediũ proferant. Vel certe, ſi illum monere ex officio voluit, privatim id facere oportuiſſet; feciſſet prudenter Ioannes, ſi præ oculis habuiſſet Concionatorem Aulicum Regis Davidis; cum Nathan, hoc nomen ejus fuit, heri ſui adulterium & homicidium carpere voluit, quanta modeſtia, quàm tectè, ſub metaphora oviculæ, quam ſuaviter id fecit. Potuiſſet Nathan currere per plateas, potuiſſet convocare aulam, ex caſtris evocare duces, & clamare; Rex noſter commiſit adulterium cum Betſabee; virum eius Uriam juſſit occidi, &c. Nihil tale fecit Nathan, fuit ſapiens & prudens Concionator; (miror ab hoc aulico, non fuiſſe compellatum Politicum.) Si talis fuiſſet Ioannes Baptiſta; juſſu Regis, non fuiſſet conjectus in vincula & carceres. Iſaias fuit Concionator aulicus Regis Ecechiæ; juſſu Domini debuit illi denuntiare mortem; quod non fecit publicè, non minando, non exprobrando, ſed verbis ſuavibus, Mi Rex, *Diſpone domui tuæ, quia morieris*; paucis verbis; ſuavi exhortatione ad lacrymas uſque, & ardentem orationẽ commovit cor Regis; & vitæ obtinuit prolongationem, ſi ſic egiſſet Ioannes Baptiſta, forte Herodi pœnitentiam perſuaſiſſet. Sed zelus eius fuit indiſcretus.

2. Reg. 12. v. 9.

Iſa. 38. v. 1.

§. 6. *Ob ſimilem cauſam à Politicis taxantur* Non dubito hunc diſcurſum, & accuſationem contra Ioannem Baptiſtam placere politicis noſtri temporis; ſi palam illis loqui liceret, fortaſſis adderent talia; qualis Concionator fuit Ioannes Baptiſta? nunquid notum illi eſſe oportuiſſet,

Digitized by Google

tuiſſet tritiſſimum illud adagium, *Veritas odium parit*, maximè in aulis Regum, & Regis aſtutiſſimi, & impii, qualis eſt Herodes. Videntur mihi hi aulici legiſſe dictum S. Hieronymi, *Hæc eſt conditio veritatis, ut eam ſemper inimicitiæ perſequantur.* Concionator, qui magnates vult offendere, ſi impii ſunt, dicat illis veritatem, & verus erit verſus Prophetæ Iſaiæ. *Corruit in plateis veritas.* Alii ſic legunt. *Impingit in plateis veritas*, quantò magis in aulis; quantò magis ſi impingat in Reges. Ex hebræo idem verſus ſic transfertur; *Facta eſt veritas in averſionem.* Joannes Cluniacenſis t. 2. ſer. 102. *ſumpta eſt metaphora à cane in plateis mortuo, quem omnes prætereuntes, ut rem fœtidam, averſantur.* Hoc modo frequenter conciones illorum, qui veritatem dicunt, ſunt averſioni. Denique aliqui ſic legere, *Collecta eſt veritas*, id eſt, pulſa eſt in exilium. Veritatem harum propoſitionum expertus eſt Joannes Baptiſta. Impegit in Herodiadem, mulierem nequam; & factus eſt illi in averſionem. Mater & filia nil audire de illo poſſunt; nec quietem permiſere Regi, donec juſſit Joannem incarcerari, & jam majorem coquunt vindictam. Joannes debuiſſet diſſimulare.

Concionatores, qui exemplo S. Ioannis B. idem faciunt.

Iſaia. 9. v. 14.

§. 7.

Alter cubicularius Herodis, defendit S. Ioannem; aitq; bene illum feciſſe.

Hic fuit diſcurſus alterius aulici, & eadem hodie eſt opinio multorum. Non miremur, lupi oderunt latrantes canes. Alter verò S. Joannem defendit, & ſic reſpondit. Ita eſt! Joannes conjectus eſt in carcerem, quia nimis libere, & publice, non ſemel, ſed ter, quater invectus eſt in libidinem noſtri Regis; acerbis illis verbis, quæ per totam urbem divulgata ſunt, quod non liceat illi habere uxorem, fratris ſui. Sed Joannes bene fecit, & ſic officio ſuo ſatisfecit. Concionator vitia carpere debet, non tantum plebis, ſed etiam magiſtratus; non ſubditorum tantùm, ſed dominorum; hi frequenter magis indigent, ut reprehendantur, præſertim cum ſcelera publica ſunt & ſcandaloſa. Novit verò tota Jeroſolyma, Herodem eſſe adulterum; ſilendo, malè feciſſet Joannes. Quod impegerit, quod ſit in averſionem, quod innocens jaceat in carcere, curare non debet. Vox Concionatoris nulli

debet parcere ; ideo Moyſes cum ſcelerato populo vellet concionari , ante dixit: *Audite cœli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei; concreſcat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtilla ſuper gramina.* Pluviæ, rori, imbri, ſtillis nubium, grandini, procellæ, ſimilis debet eſſe vox Concionatoris in hoc: dum pluvia, dum imbres, dum ſtillæ nubium, dum grandines decidunt, non ædes tantum pauperum tangunt, ſed promiſcuè omnes, mapale aliquod, & ipſam regiam: etiam deauratis & marmoreis palatiis non parcit pluvia; Vox Concionatoris, ſimilis eſſe debet Aquiloni, ſive vehementi vento, non arbuſculas tantum, ſed annoſas quercus eradicat; non floſculos tantum, ſed Cedros proſternit, non caſas tantum, ſed munitas turres ſolo æquat. Evangelicus Propheta ait, *Spiritus robuſtorum quaſi turbo impellens parietem*; tali turbine debent agi & agere Concionatores. Vox Concionatoris, ſimilis debet eſſe torrenti, qui *fluit cum impetu*, id eſt, ſine perſonarum acceptione & delectu. Vel, *velut pluvia*, *aut quemadmodum fluit ſanguis ex jugulo.* Ut ſciat Concionator, ſe veritatem debere dicere, etſi ſanguinē fundere debeat. Abacuc ait, *Ante faciem eius ibit mors*; Septuaginta legūt: *Ibit ſermo*, id eſt, Concionator ſimilis debet eſſe morti, quæ nec oculos, nec aures habet, ſed falcem, qua ſine reſpectu perſonarum ferit. Talis fuit Sanctus Joannes Baptiſta, vox eius fuit pluvia & imber, & grando; non cecidit tantum ſuper phariſæos, ſuper milites, ſuper mercatores; Regem tetigit. Vox eius torrens, fluens cum impetu. Joan. fuit mors, non habuit oculos, nec aures &c. ideo coniectus eſt in vincula, imò paratus eſt ſanguinem fundere. Decipior ego, ſi hic Aulicus non præludit illa, quæ poſtea dixit Victor Antiochenus, ſuper verba Sancti Marci cap. 1. *IESVS ingreſſus in ſynagogam docebat eos. Et ſtupebant ſuper doctrinam eius. Cur ſtupebant?* quærit. *Quia non loquebatur ad gratiam, neq; ulli prorſus adulabatur, neq; auditorum laudes captabat, ſed erat ſermo eius in poteſtate. Hortabatur enim, non ad quæ-*

Iſaie 25. v. 4. *Cant. 4. v. 15.* *Abacuc. 3. v. 5.* *Marc. 1. v. 21.*

Digitized by Google

ad quævis promiſcuè, ſed ad cæleſtia & animæ ſalutaria; perfidiſque & obſtinatis peccatoribus imperterrite ſupplicia comminabatur. Exemplo Chriſti talis Concionator fuit S. Joannes Baptiſta, proinde bene fecit reprehendendo Regem, licet offenderit; licet conjectus ſit in vincula. Hoc eſt illi glorioſum.

§. 8. *Iudicium Auctoris.* Cui ex his duobus aulicis, nos ſtipulabimur? an illi qui Joannem reprehendit, an qui defendit. Ego Sanctum Joannem reprehendere non poſſum, nec volo; cum fuerit concionator repletus Spiritu S. cuius inſtinctu caſtigavit publicam & notoriam Regis libidinem. Non tamen cupio propterea applaudere illis concionatoribus, qui putant ſibi in cathedris licitum eſſe, dicere quidvis. Spiritus S. ſimul eſt Spiritus ſapientiæ, & prudentiæ; hoc regi debent verbi divini præcones; minus laudo illos, qui ut placeãt populo, ut audiant; hic audet os aperire, hic audet mordere, etiam Magiſtratus; liberè id faciunt. Spiritus S. eſt Spiritus modeſtiæ & humilitatis; hanc in omnibus præ ſe ferre debent Concionatores.

§. 9. *Ancilla aulica culpam captivitatis conjicit, in iram Herodiadis.* Finito hoc colloquio abiere Aulici. Concionatori poſt paucos paſſus occurrit in via, una ex præcipuis ancillis Herodiadis; neſcio unde illi fuerit nota; Concionator auſus fuit ex illa quærere; Domina mea, quid novi in aula? veſterne Concionator conjectus eſt in vincula? quare? cur? non dubito cauſas, ſecretiſſimas tibi eſſe incognitas atque perſpectas. Sunt omninò, ait illa; Joannes quidem paulò liberius reprehendit Regem; ſed diſſimulaſſet Rex: Herodias autem Domina mea, tanquam poſſeſſa à furiis cucurrit ad Regem; neque diſcedere voluit, antequam juberet Joannem conjici in vincula. Rex coactus eſt hoc facere, quia amore eius victus eſt, ad Herodiadi complacendum, importunis precibus ceſſit. Quid dicitis cives mei Bambergenſes: talesne habetis uxores, quæ vos cogant, ut Deum offendatis. Adeone victi eſtis mulierum veſtrarum amore, ut, ad illis complacendum, in omnibus dicatis, Ita! neſcio, an vos rideam, an vobis compatiar. Sufficiat inſinuaſſe paucula verba D. Nicæni, *Mancipia eſtis mulierum.*

Antè judicium Iudex placari potuit, non poſtea.

cordia: in priori adventu: Iudicium in ſecundo. Et S.Greg.lib. 14.moral.cap.30. *Iudex ſupremus, ante judicium placari poteſt, in judicio non poteſt.* S.Aug.l.3. de ſymbolo. *Ille judex, nec gratia prævenitur, nec miſericordia iam flectitur, nec ſatisfactione vel pœnitentia mitigatur.* Virga ejus non erit amplius ex florida amygdalo, quæ inclinari poſſit ad veniam, ſed ferrea. *Hic, dum tempus eſt, agat anima pro ſe, quam diu locus erit miſericordiæ, quia ibi erit locus juſtitiæ.* Rupertus, & *quo modo Salvator noſter, eſt ſuavior, eo tum erit formidabilior.* Et Theodoretus in Pſ.79. *Prior quidem adventus, multum habuit miſericordiæ,* (hoc oſtendi ante octiduum) *ſecundus vero juſtitiam habebit.* S.Chryſoſtomus homilia 39.in Evangelia; *Quantò enim Dominus ad miſericordiam fuit promptior, tantò erit vindicta eius acerbior.*

§.8. David figura Chriſti, quam fuerit crudelis in juſta vindicta ſumpta de rebellibus. 2.Reg.12. v.31.

Figura fuit mitiſſimus David; dum civitati Rabbath, & incolis ejus, variis modis obtulit regiam clementiam, ut ſe dederent. Sed quia ſpreverunt illum, iratus *cepit eam: & populum ejus ſerravit, & circumegit ſuper eos ferrata carpenta, diviſitque cultris, & traduxit in typo laterum: ſic fecit univerſis civitatibus filiorum Ammon.* Quis hoc fecit? mitiſſimus David? ita: ſed tempore juſtæ vindictæ. Et quis juſſit, colligari rebelles, & ſerrari, & dividi cultris? David? omnino; ſed illos, qui regiam clementiam ſpreverant. Quid horribilius, homines dejici in terram, & circumagi ſuper illos equos cum falcatis curribus. Horribilis fateor, crudelis & ſanguinea fuit vindicta, quam David ſumpſit de hoſtibus ſuis. Ut in hoc ſpectaculo, veluti ſpeculo videant impii, quam vindinctam ſumpturus ſit tremendus ille Judex, cum illos conculcabit in furore ſuo tradetque diabolis, ut igneis cultris, igneis ſerris in æternum urantur, ſecentur, torqueantur. Et quis hoc jubebit? quis tremendam illam ſententiam pronuntiabit, *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum?* Ieſus Salvator mundi faciet, quo nunc eſt ſuavior, eò tunc erit formidabilior.

Matth.25. v.41.

§.9. Quare Chriſtus D. ab Ole-

Tempore gratiæ, omnibus patent ubera divinæ miſericordiæ, in ſanctiſſimis Vulneribus Ieſu crucifixi: tempore juſtitiæ & iudicii erunt clauſa. Hac phraſi utuntur aliqui

SS.Pa-

Digitized by Google

SS. Patres, cum volunt oſtendere, illo tempore & loco, nullum apud judicem fore locum miſericordiæ; modo loquendi videtur cauſam dediſſe Dea Rumina, culta à Romanis veluti Dea naturæ, in ſtatua fœminæ, cum pluribus uberibus. (S. Auguſtinus illius meminit lib. 4. de civit. Dei, cap. 11.) finxit Romana ſuperſtitio, illius matris uberibus & lacte, nutriri atque lactari omnia animalia. Cum itaque aliquando parvi leones & tigrides, lac ſugerent, & ubera Matris valde morderent, ad tempus patienter tulit illa; ſed tandem irata, clauſit ubera, rejecit beſtias, & in fruſta dilaceravit. Iam antea inſinuavi eſſe hanc fabulam, ſed quia Sanctus Auguſtinus illa fuit uſus, utor & ego, ut intelligatis, idem contingere impiis in agone & judicio. Jam dudum Oleaſter Chriſtum Dominum Salvatorem noſtrum ob infinitam miſericordiam, & viſcera matris, vocavit *Deum uberum*. O quam dulce lac ex his uberibus ſugunt immaculati agniculi, ſive electi; lac amoris, lac miſericordiæ, lac gratiæ! imò portantur ad ubera. Cavete hirci & hœdi, cavete leones & tigrides; & vos penderis ab his uberibus; ſed dic parve leo, crudelis tigris, quoties mordes hęc ubera? quoties ſanctiſſimæ carni vulnerum Salvatoris caninos infigis dentes? quoties venenata lingua lambis regium imò divinum ſanguinem? per tot blaſphemias? &c. Et patiens eſt Deus iſte uberum; mitis eſt longanimis, & multum miſericors; Differt pœnas, diſſimulat, videtur dormire; cavete impii, ne dormientem Deum uberum excitetis, iratus enim, abjiciet vos à facie ſua, claudet ubera, & vos in fruſta diſcerpet, infelix pabulum ignis æterni.

Aſtro vocetur, Deus uberum.

§. 10.

Nemini illa die poterit arca divina miſericordiæ; neq; vulnera Chriſti advenient.

Gen. 7.

Non ſperem, aliquem obſtinatum peccatorem, dum à me audit nominari ſanctiſſima Chriſti Vulnera; concipere inde ſpem & fiduciam, fore illa, in illa die tremenda locum refugii, prout in univerſali mundi diluvio fuit Arca, in qua ſaltem aliqui, Noë ſcilicet cum ſuis fuit ſalvatus incolumis; ſic eſt, in univerſali Orbis incendio in arca divinæ miſericordiæ, & ſanctiſſimorum Vulnerum Salvatoris ſalva-

buntur Electi, qui pauci erunt reſpectu damnandorum; Impii, obſtinati! vos ita figuram hanc arcæ debetis intelligere. Non dubito; cum aquæ diluvii inundaverunt ſuper terram, & omnia repleverunt in ſuperficie terræ, cum prævaluerunt nimis opertiq; ſunt omnes montes ſub univerſo cœlo; non dubito inquam, plurimos tum mortales in extremis anguſtiis nataſſe ad arcas, & magnis ejulatibus petiviſſe admitti ad arcam; O judicia iraſcentis Dei; nec unicus admiſſus fuit, omnibus arca fuit clauſa; nulli prorſus Noë exhibuit miſericordiam. Omnes mortales extra arcam ſubmerſi fuerunt. Si volunt obſtinati peccatores, ex hac figura intelligere poſſunt, quid tum temporis, in agone, in judicio particulari & univerſali, debeant, vel poſſint exſpectare. Ubera miſericordiæ, ſanctiſſima vulnera Salvatoris, præſertim arca dulciſſimi cordis erunt clauſa. Gement, flebunt, ſuſpirabunt, ſacra omnia implorabunt; fruſtra! Cœleſtis Noë, neminem admittet: dicet tremendus Judex; *Agnoſcitis latus, quod pupugiſtis? per vos & propter vos apertum eſt*, (S. Aug. l. de ſymb. ad catechum,) & patuit, 10. 20. annis *nec tamen intrare voluiſtis*; *Nec jam intrabitis, clauſum eſt, Diſcedite maledicti in ignem æternum.*

§. 11. *Nullus ſanctorum, atq; B.V. pro damnatis intercedet. Figura prima ex S. Matthæo. Matth. 22. v. 12.*

Nemo ergo miſeris compatietur? nemo aliquam afferet opem? an non Mater miſericordiæ, Maria? An non Angeli? An non Apoſtoli &c. Nemo ex omnibus. Cum ſanguinea ſigna illa die erunt in Sole, cum in valle Joſaphat reprobis oſtendentur, Vulnera Salvatoris, nullus erit locus miſericordiæ vel patrocinio & interceſſioni. Pulcerrimas habemus figuras. Matth. 22. in nuptiis miſer homo ſine veſte nuptiali, ligatus præcipitatur in tenebras exteriores. Quid hoc inter nuptialia gaudia tantus rigor? & quod mireris, ait Sanctus Gregorius hic, *Vide non indutum veſte nuptiali expulſum, & neminem pro illo intercedentem*; inter tot hoſpites? Ecce parabolam extremi judicii; Væ illis, qui ad nuptias Agni, comparebunt ſine veſte nuptiali; jubilabunt filii Dei, bibent, comedent, ſatiabuntur; de reprobis dicet Agnus, vel potius, iratus Leo, diabolis,

Ligate,

Digitized by Google

Ligate, & projicite in ignem æternum. Sed inter tanta gaudia, ſponſa Agni, B. Virgo: hoſpites omnes ſancti, nunquid apud judicem intercedent? Non. Ecce addictos æternis ſuppliciis & neminem intercedentem. Diaboli verò clamabunt ad Judicem; *Qui tecum noluerunt habere vitam, judica illos, ut nobiſcum habeant gehennam.* S. Aug. ſer. contra Jud. & Arr.

Matth. 25. Decem Virgines exſpectant ſponſum, quinque fatuæ & quinq; prudentes: hæ ornaverunt lampades ſuas, & acceperunt oleum ſecum, non priores. Dum itaque nocte intempeſta illarum lampades extinguuntur, nec oleum à ſororibus obtinere poſſunt, abeunt ut accipiant. Sed adeſt interim ſponſus, & paratas admittit ad nuptias. Dum fatuæ redeunt, pulſant, ſed, ait illis ſponſus, *Clauſa eſt janua.* Ecce excluſas, hic iterum dico cum S. Greg. & neminem intercedentem. Nulla ex prudentibus Virginibus vel verbulo, pro illis interceſſit. Advertere poteſtis clare etiam ex hac parabola, quid futurum ſit impiis, in tremendo die judicii. Non eſt, quod ſperent, vel guttulam olei miſericordiæ, etiam à Matre miſericordiæ. Nulla prorſus tum erit commiſeratio, imò, potius gaudium, de vindicta, quam juſtus judex, de improbis ſumet.

§. 12. Altera parabola ex S. Matthæo. 25. v. 12.

Numerorum 16. Dathan & Abyron, vivi abſorbentur ab immani hiatu terræ. Et ait Ioſephus l. 4. c. 3. *Fuit hic caſus eò miſerabilior, quod adeo nemo, nec propinquorum quidem, aut cognatorum, eos eſt miſeratus; ut totus, quantus erat populus, ante actorum oblitus, lætis acclamationibus Dei ſententiam comprobaret.* Terribilius oculis veſtris proponite ſpectaculum, cogitate vos videre non pauculos, ſed milliones & myriades damnatorum, abſorberi momento à barathro inferni ut ibi æternum ardeant. Hoc erit miſerabile ex omni numero Electorũ non fere unum, qui miſereatur; ſed omnes lætis acclamationibus juſti Iudicis ſententiam comprobabunt.

§. 13. Tertia ex cap. 16. v. 34. Numerorum.

Brevem proponam quæſtionem, & dictioni meæ finem imponam. Quid tum proderit illa ſpes & fiducia, qua Lutherani & Calviniſtæ ſe conſolantur, de divina miſericordia? Reſpon-

§. 14. Brevis digreſſio ad ſpem Lutheranorũ. Decipiet.

Iſaia 28. v. 17. Reſpondeo, dudum illud prædixiſſe Prophetam. *Ponam in pondere judicium, & juſtitiam in menſura; & ſubvertet grando ſpem mendacii, & protectionem, aquæ inundabunt.* Quænam illa ſpes mendacii? illa, ob quam multi ſæpius ſunt nimium ſecuri, putant ſe ob infinitam Dei miſericordiam, ob merita Salvatoris, ſalvandos, licet peccent, licet non ita obſervent Dei mandata, &c. ſed irruit grando judicii, grando timoris & anguſtiarum; & ſubvertitur illa ſpes; illa opinio de certa protectione, ab aquis tribulationum inundatur; hinc deſperatio! hinc æterna damnatio! Abacuc. *Mentietur opus Olivæ*:
Abacuc. 3. v. 17. ſpecioſa Oliva videtur, illa Lutheranorum ſpes; ſed mentitur, Nam (ſic habet alia verſio citati verſus) *Multi qui ſperarunt, invenient ſe deceptos.* Laboremus nos auditores, ut Oliva noſtræ ſpei, ſimul ſit fœcunda, & plena fructibus bonorum operum, ut aliquando ſuaviſſimam illam vocem mereamur, *Venite benedicti!*

CONCIO III.

DOMINICA III. ADVENTUS.

Cum audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti.

Matth. 11. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRima Pars; oſtendit præcipuam cauſam, ob quam Sanctus Ioannes Baptiſta, in carcerem conjectus, & in illo decollatus fuit, fuiſſe, quod liberè reprehenderit luxuriam Herodis, & Herodiadis. Altera pars monet, turpiſſimi hujus

Digitized by Google

hujus vitii in Adventu fieri mentionem, ut ſi venturum Meſſiam in corda noſtra ſuſcipere velimus, illud caveamus. Odit Ieſulus has ſordes; amat corda munda.

§.1. *Cur in adventu hodiernum prælegatur Evangelium.*
§.2. *Conglobata encomia S. Ioannis Baptiſtæ.*
§.3. *Cauſam interroganti, cur coniectus fuerit in carcerem.*
§.4. *Reſpondet unus ex cubicularijs Herodis, reprehendendo Baptiſtam, quod nimis liberè prædicaverit veritatem.*
§.5. *Proſecutio.*
§.6. *Ob ſimilem cauſam à politicis taxantur Concionatores, qui exemplo S. Ioannis Baptiſtæ idem faciunt.*
§.7. *Alter cubicularius Herodis, defendit S. Ioannem aitq; bene illum feciſſe.*
§.8. *Iudicium Auctoris.*
§.9. *Ancilla aulica culpam captivitatis S. Ioannis conjicit in Herodiadem.*
§.10. *Proſecutio.*
§.11. *Lictor decollaturus S. Ioannem, arguit ſaltatricem filiam Herodiadis.*
§.12. *Invectiva SS. Patrum, in Herodiadem Matrem, Filiam & Herodem.*
§.13. *Prælegitur nobis hodiernum Evangelium, ut execremur luxuriam; Per caſtitatem oportet parare viam Domini.*
§.14. *Probatur ex S. Paulo.*
§.15. *Epilogus.*

NOn pauci Concionatores, imò aliqui ſancti Patres mirantur, & quærunt, quare Mater noſtra Eccleſia, paucis ſeptimanis, imò diebus, ante feſtum Nativitatis Domini, in hodierno Evangelio nobis proponat, S. Ioannem Baptiſtam, juſſu Regis coniectum in carceres. Puto vos cogitare; Ioan. B. eſt ſtella matutina, par eſt, ut præeat Solem juſtitiæ. Præcurſor eſt Domini, qui ad nos venturus eſt, itaque præit, ut nos moneat de adventu tanti Regis. *Fuit Vox clamantis in deſerto; Dirigite viam Domino*, parate ſemitam eius; facite fructus dignos pœnitentiæ, quæ vias illas dirigit. Forte alius dicet, quia S. Ioan. B. ille eſt, qui Meſſiam digito demonſtravit, dicens, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Vel; In adventu memoria fuit S. Ioan. B. quia teſte S. Ioan-

§. 1. Cur in Adventu hodiernum prælegatur Evangeliũ. Matth. 3. v. 1. Ioan. 1. v. 29.

raculo gratiæ, omnisquè ſanctitatis. Ego Sanctum Joannem Baptiſtam arbitror feliciſſimum & glorioſiſſimum, ob unicum Chriſti D. teſtimonium, quod inter natos mulierum non ſurrexerit major Joanne Baptiſta.

Eximiæ hæ laudes, anſam præbent, ut non, ſine cauſa quæramus. Cur ergo vir tam ſanctus, tam innocens! cur talis Concionator, ab Herode, conjectus fuit in carcerem? illæ manus, quarum digiti demonſtrarunt agnum Dei, quid peccaverunt, quod ligatę ſint vinculis? illi pedes, qui cucurrerunt ad prædicandum Evangelium pacis, quare concluſi jacent inter compedes. Corpus vexatum jejuniis, veſtitum pilis camelorum, cur gravatur & premitur à catenis ferreis. Quomodo illa vox, clamans & reſonans, per totum deſertum, inter anguſtias carceris ſilere cogitur? Vox illa Domini in virtute! Vox illa Domini in magnificentia! Vox illa confringentis Cedros! Vox, intercidentis flammam ignis, Vox Domini concutientis deſertum, Vox Joannis Baptiſtæ præparantis viam Domino, quid peccavit? Joannes ille gratioſus, & amabilis, etiam in aula regia, quid fecit? in quo offendit innocens ille Angelus? Dignæ ſunt hæ quæſtiones, quibus reſpondeam.

§. 3. Cauſas inquirenti concionatori, cur carceri fuerit incluſus

Pſ. 28. v. 8.

Memini me ante annos triginta audiviſſe in Hiſpania, nobilem Concionatorem, de quęſtione hac ſic diſcurrentem. Cum loqueretur quaſi eſſet in via, ad viſitandum S. Joannem in carcere, obvios habuit ex regia Herodis duos aulicos, & quidem ut vocare ſolent, *Cubicularios*, ſive, regii conclavis cuſtodes; qui plerumq; Dominorū ſecreta, prę aliis, ſolent introſpicere: poſt amicam ſalutationem, hos duos ille Concionator his fore verbis fuit allocutus; Domini mei; mira ſparguntur in urbe Jeroſolyma, ſtupent, ſummi & infimi! Dicunt, juſſu Regis in vincula conjectum eſſe aulicum Concionatorem, Joannem B. de quo tamen conſtat, quod Rex veſter, hactenus libenter illum audiverit. Cauſæ captivitatis inter plebem ſparguntur variæ, quibus ego fidē non adhibeo; à vobis, ſi loqui licet veram cauſam cuperem intelligere; expedit ſæpe, ut Concionatores talia ſecreta non ignorent. Reſpon-

§. 4. Reſpondet unus ex cubiculariis Herodis, reprehendendo Baptiſtam, quod nimis liberè prædicaverit veritatem.

§.5. *Proſecutio.* Reſpondit Aulicus uterque; ſed diverſo modo, alter enim Joannis patronum & defenſorem egit, alter partes actoris & accuſatoris. Hic dixit, Joannes Baptiſta conjectus eſt in carcerem, quia in concione aulica, in præſentia multorum, in facie Regis, nimis liberè, & audacter prædicavit veritatem. Auſus fuit Regi in faciem dicere, *Non licet tibi &c.* cùm verò illa libertas Regem valdè offenderit, juſſit ſtatim, & merito, conjici in carcerem. Si Ioannes Baptiſta, prudens fuiſſet, ſcire debuiſſet, non licere concionatoribus, vel ſaltem non expedire, ut quidam contra quemvis, & quidem Regem in mediū proferant. Vel certe, ſi illum monere ex officio voluit, privatim id facere oportuiſſet; feciſſet prudenter Ioannes, ſi præ oculis habuiſſet Concionatorem Aulicum Regis Davidis; cum Nathan, hoc nomen ejus fuit, heri ſui adulterium & homicidium carpere voluit, quanta modeſtia, quàm tectè, ſub metaphora oviculæ, quam ſuaviter id fecit. Potuiſſet Nathan currere per plateas, potuiſſet convocare aulam, ex caſtris evocare duces, & clamare; Rex noſter commiſit adulterium cum Betſabee; virum eius Uriam juſſit occidi, &c. Nihil tale fecit Nathan, fuit ſapiens & prudens Concionator; (miror ab hoc aulico, non fuiſſe compellatum Politicum.) Si talis fuiſſet Ioannes Baptiſta; juſſu Regis, non fuiſſet conjectus in vincula & carceres. Iſaias fuit Concionator aulicus Regis Ecechiæ; juſſu Domini debuit illi denuntiare mortem; quod non fecit publicè, non minando, non exprobrando, ſed verbis ſuavibus, Mi Rex, *Diſpone domui tuæ, quia morieris*; paucis verbis; ſuavi exhortatione ad lacrymas uſque, & ardentem orationē commovit cor Regis; & vitæ obtinuit prolongationem, ſi ſic egiſſet Ioannes Baptiſta, forte Herodi pœnitentiam perſuaſiſſet. Sed zelus eius fuit indiſcretus.

2. Reg. 12. v. 9.

Iſa. 38. v. 1.

§. 6. *Ob ſimilem cauſam à Politicis taxantur* Non dubito hunc diſcurſum, & accuſationem contra Ioannem Baptiſtam placere politicis noſtri temporis; ſi palam illis loqui liceret, fortaſſis adderent talia; qualis Concionator fuit Ioannes Baptiſta? nunquid notum illi eſſe oportuiſſet,

tuiſſet,

Digitized by Google

tuiſſet tritiſſimum illud adagium, *Veritas odium parit*, maximè in aulis Regum, & Regis aſtutiſſimi, & impii, qualis eſt Herodes. Videntur mihi hi aulici legiſſe dictum S. Hieronymi, *Hæc eſt conditio veritatis, ut eam ſemper inimicitiæ perſequantur.* Concionator, qui magnates vult offendere, ſi impii ſunt, dicat illis veritatem, & verus erit verſus Prophetæ Iſaiæ. *Corruit in plateis veritas.* Alii ſic legunt. *Impingit in plateis veritas*, quantò magis in aulis; quantò magis ſi impingat in Reges. Ex hebræo idem verſus ſic transfertur; *Facta eſt veritas in averſionem.* Joannes Cluniacenſis t.2. ſer. 102. *ſumpta eſt metaphora à cane in plateis mortuo, quem omnes prætereuntes, ut rem fœtidam, averſantur.* Hoc modo frequenter conciones illorum, qui veritatem dicunt, ſunt averſioni. Denique aliqui ſic legere, *Collecta eſt veritas*, id eſt, pulſa eſt in exilium. Veritatem harum propoſitionum expertus eſt Joannes Baptiſta. Impegit in Herodiadem, mulierem nequam; & factus eſt illi in averſionem. Mater & filia nil audire de illo poſſunt; nec quietem permiſere Regi, donec juſſit Joannem incarcerari, & jam majorem coquunt vindictam. Joannes debuiſſet diſſimulare.

Concionatores, qui exemplo S. Ioannis B. idem faciunt.

Iſaiæ. 9. v. 14.

§. 7. Hic fuit diſcurſus alterius aulici, & eadem hodie eſt opinio multorum. Non miremur, lupi oderunt latrantes canes. Alter verò S. Joannem defendit, & ſic reſpondit. Ita eſt! Joannes conjectus eſt in carcerem, quia nimis libere, & publice, non ſemel, ſed ter, quater invectus eſt in libidinem noſtri Regis; acerbis illis verbis, quæ per totam urbem divulgata ſunt, quod non liceat illi habere uxorem, fratris ſui. Sed Joannes bene fecit, & ſic officio ſuo ſatisfecit. Concionator vitia carpere debet, non tantum plebis, ſed etiam magiſtratus; non ſubditorum tantùm, ſed dominorum; hi frequenter magis indigent, ut reprehendantur, præſertim cum ſcelera publica ſunt & ſcandaloſa. Novit verò tota Jeroſolyma, Herodem eſſe adulterum; ſilendo, malè feciſſet Joannes. Quod impegerit, quod ſit in averſionem, quod innocens jaceat in carcere, curare non debet. Vox Concionatoris nulli

Alter cubicularius Herodis, defendit S. Ioannem; aitq; bene illum feciſſe.

debet parcere ; ideo Moyſes cum ſcelerato populo vellet concionari , ante dixit: *Audite cœli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei; concreſcat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtilla ſuper gramina.* Pluviæ, rori, imbri, ſtillis nubium, grandini, procellæ, ſimilis debet eſſe vox Concionatoris in hoc: dum pluvia, dum imbres, dum ſtillæ nubium, dum grandines decidunt, non ædes tantum pauperum tangunt, ſed promiſcuè omnes, mapale aliquod, & ipſam regiam: etiam deauratis & marmoreis palatiis non parcit pluvia; Vox Concionatoris, ſimilis eſſe debet Aquiloni, ſive vehementi vento, non arbuſculas tantum, ſed annoſas quercus eradicat; non floſculos tantum, ſed Cedros proſternit, non caſas tantum, ſed munitas turres ſolo æquat. Evangelicus Propheta ait, *Spiritus robuſtorum quaſi turbo impellens parietem*; tali turbine debent agi & agere Concionatores. Vox Concionatoris, ſimilis debet eſſe torrenti, qui *fluit cum impetu*, id eſt, ſine perſonarum acceptione & delectu. Vel, *velut pluvia, aut quemadmodum fluit ſanguis ex jugulo.* Ut ſciat Concionator, ſe veritatem debere dicere, etſi ſanguinẽ fundere debeat. Abacuc ait, *Ante faciem eius ibit mors*; Septuaginta legũt: *Ibit ſermo*, id eſt, Concionator ſimilis debet eſſe morti, quæ nec oculos, nec aures habet, ſed falcem, qua ſine reſpectu perſonarum ferit. Talis fuit Sanctus Joannes Baptiſta, vox eius fuit pluvia & imber, & grando; non cecidit tantum ſuper phariſæos, ſuper milites, ſuper mercatores; Regem tetigit. Vox eius torrens, fluens cum impetu. Joan. fuit mors, non habuit oculos, nec aures &c. ideo coniectus eſt in vincula, imò paratus eſt ſanguinem fundere. Decipior ego, ſi hic Aulicus non præludit illa, quæ poſtea dixit Victor Antiochenus, ſuper verba Sancti Marci cap. 1. *IESVS ingreſſus in ſynagogam docebat eos. Et ſtupebant ſuper doctrinam eius. Cur ſtupebant?* quærit. *Quia non loquebatur ad gratiam, neq́ ulli prorſus adulabatur, neq́ auditorum laudes captabat, ſed erat ſermo eius in poteſtate. Hortabatur enim, non ad quæ-*

Iſaia 25. v. 4.

Cant. 4. v. 15.

Abacuc. 3. v. 5.

Marc. 1. v. 21.

Digitized by Google

ad quævis promiſcuè, ſed ad cœleſtia & animæ ſalutaria; perfidiſque & obſtinatis peccatoribus imperterrite ſupplicia comminabatur. Exemplo Chriſti talis Concionator fuit S. Joannes Baptiſta, proinde bene fecit reprehendendo Regem, licet offenderit; licet conjectus ſit in vincula. Hoc eſt illi glorioſum.

Cui ex his duobus aulicis, nos ſtipulabimur? an illi qui Joannem reprehendit, an qui defendit. Ego Sanctum Joannem reprehendere non poſſum, nec volo; cum fuerit concionator repletus Spiritu S. cuius inſtinctu caſtigavit publicam & notoriam Regis libidinem. Non tamen cupio propterea applaudere illis concionatoribus, qui putant ſibi in cathedris licitum eſſe, dicere quidvis. Spiritus S. ſimul eſt *Spiritus* ſapientiæ, & prudentiæ; hoc regi debent verbi divini præcones; minus laudo illos, qui ut placeāt populo, ut audiant; hic audet os aperire, hic audet mordere, etiam Magiſtratus; liberè id faciunt. Spiritus S. eſt Spiritus modeſtiæ & humilitatis; hanc in omnibus præ ſe ferre debent Concionatores. **§. 8. *Iudicium Auctoris.***

Finito hoc colloquio abiere Aulici. Concionatori poſt paucos paſſus occurrit in via, una ex præcipuis ancillis Herodiadis; neſcio unde illi fuerit nota; Concionator auſus fuit ex illa quærere; Domina mea, quid novi in aula? veſterne Concionator conjectus eſt in vincula? quare? cur? non dubito cauſas, ſecretiſſimas tibi eſſe incognitas atque perſpectas. Sunt omninò, ait illa; Joannes quidem paulò liberius reprehendit Regem; ſed diſſimulaſſet Rex: Herodias autem Domina mea, tanquam poſſeſſa à furiis cucurrit ad Regem; neque diſcedere voluit, antequam juberet Joannem conjici in vincula. Rex coactus eſt hoc facere, quia amore eius victus eſt, ad Herodiadi complacendum, importunis precibus ceſſit. Quid dicitis cives mei Bambergenſes: talesne habetis uxores, quæ vos cogant, ut Deum offendatis. Adeone victi eſtis mulierum veſtrarum amore, ut, ad illis complacendum, in omnibus dicatis, Ita! neſcio, an vos rideam, an vobis compatiar. Sufficiat inſinuaſſe paucula verba D. Nicæni, *Mancipia eſtis mulierum.* **§. 9. *Ancilla aulica culpam captivitatis conjicit, in iram Herodiadis.***

§. 10. *Proſecutio.*

Pergit in ſuo ſermone Ancilla; Herodias non eſt contenta, Joannem jacere in carcere. Præ rabie, præ ira, tanti viri ſitit ſanguinem. De Jezabele audivi dici, quod concitarit virum ſuum, ad necem Naboth; idem facit mea Domina; fera eſt, non poteſt cicurari; potius aſpis, vel leo, vel tygris manſuefiet, quàm illa; imò minatur regi dira, niſi Joannem jubeat in carcere jugulari; nullum modum ponit furori. Pergo meas vias, plura loqui non liceat, niſi hoc; Valdè timeo capiti Joannis Bapt.

§. 11. *Lictor decollaturus S. Ioannem arguit filiam Herodiadis, ſaltatricem.*

Vix ancilla illa abiit; cum celer ex aula ad carcerem properavit lictor, vel ſatelles; ex quo idem Concionator, dum cauſâ feſtinationis inquirit, intelligit, currere ſe ad carcerem, ad decollandum Joannem Baptiſtam. Siſte nonnihil, amice; cur hoc? quis juſſit? Herodes, apud quem Joannes tam eſt gratioſus, id vult fieri. Vult! Paulò ante poſt epulas ſaltavit filia Herodiadis, tam gratioſè, adeoque placuit regiis oculis, ut juſſerit, eam à ſe petere, quidquid vellet; paratum ſe illi dare, licet dimidium regni peteret. Læta puella cucurrit ad matrem, quæ audito lætiſſimo nuntio, juſſit filiam petere caput Joannis Baptiſtæ; petiit, conſenſit Rex, ego mittor ut illud afferam in diſco ad regiam menſam. Saltavit ut placeret Regi; ſic placuit, ut juſſerit Joannem occidi.

§ 12. *Invectiva SS. PP. in Herodiadē Matrem, & filiam, & Herodem.*

Ex his, cauſam captivitatis & necis tanti viri, his verbis infert D. Fulgentius in c. 6. v. 28. S. Marci; *Culmine regni contempto, caput Ioannis petivit in diſco; plus odiens eum, qui interdixit inceſtum, quàm diligens eum, qui promiſerat regnum.* Regia libido, effœminatus Regis amor, ſaltatriculæ levitas, adulteræ furor, & effrenis cupiditas vindictæ, Joannem conjecerunt in vincula, imò vocem, linguam & vitam ademerunt. Nequam puella ſanctiſſimum caput, non tantum auſa fuit petere, ſed in diſco regiis intulit epulis. *Sic in aream funeris regia fuit converſa* (Divus Chryſoſtomus.) *Sic convivæ facti fuerunt lanienæ ſpectatores; Sic convivalis lætitia tranſiit in furorem; cædes fuit cibus, potus, effuſus ſanguis. Verſus fuit dies natalis in funebrem, ortus in occaſum, cœna*

in

Digitized by Google

in homicidium ; & tragœdia perſonuit , quam omnium ſæculorum intuebitur memoria. Quis tragœdiam luſit? Crudelitas. Quis compoſuit ? irata adultera. Quis invenit ? libido. Quis Muſicam cecinit ? Saltatrix; Quis approbavit ? Rex adulter. Quis cataſtrophen dedit? lictor. Quis deflevit? Joannes, non lacrymis , ſed ſanguine. Primariam perſonam egit eadem ſaltatrix ; de qua pulcrè Sanctus Chryſoſtomus. *Ingreditur bellua, non puella ; cruorem ſitit, non choreas : Diſcurrit per aulam , imagine duntaxat muliebri , fera importuna,* (tigris, leæna, lupa) *per collum jubas ſpargit , non capillos , variis torquet membra flexibus , creſcit interim immanis ſævitia, fremit ore, lingua, dentibus &c.* Feralem ſaltum excepit mors Joannis. Res mira ! Joannes à choreis quaſi conſpicatus eſt vitam, tum ſcilicet , cum in præſentia Arcæ, ante oculos Reginæ, portantis in utero Verbum incarnatum exultavit in utero Matris : vitam verò perdidit inter choreas. Hanc Mater adultera, filia ſaltatrix , Rex luxurioſus procurarunt, ne eſſet in aula qui tot & tanta ſcelera liberè carperet. Inhæſi diutius in cauſis, ob quam Joannes B. in carcerem coniectus, imò decollatus fuit. Fuit luxuria!

Venio nunc ad alteram dictionis meæ partem , & ſimul præcipuam Auditoribus meis cauſam inſinuo ob quam Sancta Mater noſtra Eccleſia , hoc tempore Adventus, ante feſta Natalitia captivitatem Sancti Joannis, eiusque cauſam, luxuriam Herodis & Herodiadis nobis revocat in memoriam. Sunt fortaſſis inter vos aliqui, preſſi eiuſdem turpiſſimi ſceleris jugo, mancipia Veneris, quos Sanctus Paulus vocat *molles, fornicatores, adulteros, impudicos &c.* in cogitationibus , verbis & operibus. His imperterritè Sanctus Joannes ex ſuo carcere, ait ; *Non licet &c. Pœnitentiam agite ; præparate vias* , tollite potiſſimum ſordes hujus ſceleris, luxuriæ, quam parvulus de Bethleem adeo execratur , ut hiſtoriæ referant , nocte Nativitatis , ſubitanea morte ſublatos fuiſſe omnes Sodomitas. In corde mundo , per gratiam & caſti-

§. 13. Prælegitur nobis hod. Evangeliũ ut execremur luxuriam; Per caſtitatem oportet parare viam Domini.

1. Cor. 6. v. 10.

tatem iterum vult naſci: Pſellus ait Parvulo, *Deſcendit DEVS in mundum (veluti hortum) ad phialas aromatum ; ſcilicet in uterum puræ atque immaculatæ Virginis.* De illo utero Divus Baſilius Seleuc. orat 39. ſuper illa verba, *Dominus tecum*, ait:
Luc. 1. v. 28. *Templum extitit vere Deo dignum: caſtitatis aromatibus bene odoratum.* Ob eandem cauſam ſponſa dixit, dilectum ſuum morari, quieſcere & paſci inter lilia. Itane Auditores præparata & ornata ſunt corda veſtra? pura, immaculata templo Deo dicata, aromatibus caſtitatis bene odorata? cincta liliis; gratulor vobis; naſcetur in cordibus veſtris Parvulus de Bethleem. Non fiet ſi ſordida ſint, ſi impura, ſi fumo luxuriæ repleta.

§. 14. Probatur ex S. Paulo. 2. Cor. 11. v. 2.

Doctor gentium 2. ad Corinthios erupit in verba, plena ſanctiſſimo deſiderio, dum ait? *Deſpondi vos uni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto & æmulor vos, Dei æmulatione*, quaſi diceret, mei Corinthii, hoc deſidero, hoc voveo, ut mea doctrina, ut meæ conciones, ita vos præparent & diſponant, ut animæ veſtræ tanquam puræ & caſtæ Virgines, tanquam formoſæ, & ornatæ ſponſæ, poſſint deſponderi cum Chriſto Domino: hoc æmulor, Dei æmulatione: ſive, ſicut DEUS vult & deſiderat. Vocula verò deſponderi, varia ſignificat: Divus Auguſtinus, *Aptavi vos.* Sanctus Ambroſius, *Paravi*, Theophilus *Agglutinavi.* Alii. *Conciliavi*, alii ex græco, *Connubio junxi*! O ſancta deſideria Sancti Pauli! iiſdem per Dei gratiam puto ardere cor meum; O auditores, Si ante hæc feſta Natalitia poſſem vos deſpondere Chriſto meo! utinam liceret ita aptare, parare animas veſtras, ut agglutinentur JESU meo, ut connubio jungantur. Sed audite ſimul modum, quo Sanctus Paulus conatus fuit id facere, præmiſit acrem concionem; *Auditur in vobis fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes &c.* hæc debet tolli:
2. Cor. 6. v. 4. Idem Apoſtolus ait: *In omnibus exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in jejuniis, in caſtitate, in ſuavitate, in*
Galat. 5. v. 23. *Spiritu Sancto &c.* ad Galatas, inter duodecim fructus Spiritus, ultimo loco ponit, *Caſtitatem*, & paulo poſt verſ. 24. ait.

Qui

Digitized by Google

Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt, cum vitiis & concupiſcentiis. 1. ad Tim. *Vt quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate, & caſtitate. Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Salvatore noſtro Deo.* Eiuſdem Epiſtolæ c. 5 *Te ipſum caſtum cuſtodi.* Non permittit tempus, adducere innumera alia ſcripturæ loca, in quibus à nobis pulcerrima hæc virtus requiritur, ut Chriſto placeamus. Ut id faciamus, magna cura & ſtudio, longè eſt æquiſſimum. 1. Tim. 2. v. 2. 3. 1. Tim. 5. v. 22.

Neſcio quo inſtinctu dixerit Philo Judæus l. 1. de Cherub. ſi quoties *Reges excipiendi ſunt, magnificentius excolimus ædes proprias, nihil negligendo, quod ad ornatum pertineat, ut hoſpitium quam jucundiſſimum reſpondeat dignitati hoſpitis; Regi Regum, & huius univerſi mundi rectori Deo, comitatis atque humanitatis cauſa dignato ſuam creaturam inviſere, qualem tandem domum oportet inſtrui?* applica pul. cordi, in quo JESUS naſci debet. Occurrit mihi verſus Ovidii l. 1. faſt. §. 15. Epilogus.

Scortea non illis fas eſt inferre ſacello,
Ne violent pueros exanimata fores.

Servius. Sane Flamine non licebat, neq; calceos, neq; ſoleas morticinas habere. Cum Conſtantinus Magnus electus fuit in Imperatorem, palatium ingredi noluit, antequam aliquot diebus omnia conclavia flammis & odoribus eſſent expurgata, quia prædeceſſor fuerat tyrannus. hiſtoria ait, *Vt tu iam olim exſpectatus habitator, ſacris illis ædibus diu exhalatis, expiatisque ſuccederes &c.* Itaque Auditores, ſi hactenus in cordibus veſtris habitavit tyrannus. tyrannus eſt ſatan, tyrannus eſt luxuria &c. poteſt fieri pulcerrima applicatio.

CON-

CONCIO IV.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

Dirigite viam Domini.

Ioannis 1. v. 23.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRima eius pars proponit cauſas, quas habemus ut anhelemus ad Nativitatem Chriſti; altera oſtendit ardentia ſuſpiria & amoroſa deſideria, ut Chriſtus in nobis naſcatur, ſi ex corde mundo & ornato procedant, diſponere & præparare corda noſtra ad adventum tanti hoſpitis. Affectus illi, ſunt funiculi & catenæ, quibus Filius Dei de cœlo, in corda noſtra pertrahitur.

§.1. *Exordium ſupponit ſententiam S. Petri Chryſologi: Dulcis epiſtola! ſed usq; dum veniat, qui miſit.*

§.2. *Mercator deſiderat aurum; nos magis deſideremus Ieſum.*

§.3. *Vigil nocturnus anhelat ad ortum auroræ: meritò nos anhelamus ad ortum ſolis juſtitiæ; ſive Nativitatē Chriſti.*

§.4. *Quam inſtanter David deſiderarit adventum Meſſiæ.*

§.5. *Quomodo Ieſum quaſi dormientem excitarit.*

§.6. *In utero Virginis, veluti lectulo, per novem menſes dormit, & quieſcit Ieſus: pari ratione à nobis excitandus.*

§.7. *Modum nos docuit Anna, Mater Samuelis in 1. Reg.*

§ 8. *Ardentia ſuſpiria, ſunt funiculi, quibus trahitur Filius Dei.*

§.9. *Miratur S. Bernardus ſocordiam noſtram.*

§.10. *Ardentes hujusmodi affectus ſunt ſuavis odor. Viſio Sanctæ Gertrudis, ſive, Cor IESV*

Digitized by Google

IESV fuit aureum thuribulum.

§.11. *Piiſſimum ſuſpirium ejuſdem Virginis, continet eximiam præparationem ad Nativitatem Chriſti.*

§.12. *Requirit hæc præparatio, ut ſimus Concha, Roraria, pulli corvorum.*

§.13. *Exigit quoq; cordis munditiem, & ornatum.*

§.14. *Epilogus continet elegans dictum Friderici Imperatoris.*

AUreis Sancti Petri Chryſologi ſententiis, hæc quoque annumeranda mihi videtur; *Dulcis epiſtola.* v.g. amici ad amicum, Patris ad filium, ſponſi ad ſponſam. *Sed uſque dum veniat, qui miſit.* Dulcis epiſtola! præſertim, ſi ille amicus, vel frater, vel ſponſus nunciet ſponſę, vel filio, vel amico, fore brevi occaſionem, ut coram in mutuos ruant amplexus, ut de facie ad faciem ſe videant, ut invicem loqui poſſint. Mihi certum eſt præſentiam ſponſi, ſponſæ longe eſſe ſuaviorem, & dulciorem, quam fuerit epiſtola, quam ante miſit. Similem epiſtolam videtur Deus olim miſiſſe populo Iſraëlitico per Iſaiam cuius materia hoc fuit; *Ecce Dominus veniet ad ſalvandas gentes; & auditam faciet Dominus gloriam vocis ſuæ, in lætitia cordis veſtri.* Patriarchis & Prophetis dulcis fuit hæc epiſtola; Dulcis fuit ſanctiſſimo Regi Davidi, dulcis omnibus, qui exſpectarunt Redemptionem Iſraël; poſtquam verò Dominus re ipſa venit, & Filius Dei factus eſt homo, longe fuit dulcior. In ſenſu myſtico, ſimilem ego vobis hodie affero epiſtolam Auditores. Poſt paucos dies, feliciſſima nocte Nativitatis Chriſti, veniet Dominus, ut naſcatur in cordibus noſtris, cum ingenti jubilo & lætitia. Dulcis epiſtola! Dulcior tamen erit, cum venerit, qui illam mittit, Chriſtus JESUS Salvator noſter. Talem epiſtolam miſit Dominus Jeroſolymæ per Prophetam Baruch: *Ieruſalem ſurge, & ſta in excelſo, & vide jucunditatem, quæ veniet tibi à Deo tuo.* Jucunditatem illam ſic expoſuit Iſaias: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel,* id eſt, nobiſcū Deus. Talem epiſtolā Deus populo ſuo miſit per Moyſen:

§. 1. Exordium exponit ſententiam S. Petri Chryſologi: Dulcis epiſtola! Sed uſque dum veniat, qui miſit.

Iſaia 40. v. 10. & cap. 62. v. 11.

Baruch. 4. v. 36. & c. 5. v. 5.

Iſaia 7. v. 14.

Exod. 16. v. 4. *Hodie ſcietis, quia veniet Dominus, & ſalvabit nos, & mane videbitis gloriam eius. Craſtina die delebitur iniquitas terræ, & regnabit ſuper nos Salvator mundi.* Iſaias aliam epiſtolam conſcripſit his verbis: Iſaia 40. v. 4. *Revelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro ſalutare Dei.* Dulciſſimæ epiſtolæ; quæ hactenus & nobis Auditores, hoc ſacro tempore adventus magno fuerunt ſolatio! hæ epiſtolæ in cordibus noſtris excitarunt ardentia illa Patriarcharum & Prophetarum ſuſpiria, Iſaia 45. v. 9. *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant juſtum, aperiatur terra & germinet Salvatorem.* Dulcia ſuſpiria! ſed ſurgite Audit. ſtate in excelſo; poſt paucos dies, cernemus oculis, contrectabimus manibus jucunditatem, quæ veniet à Deo. Videbimus ſuaviſſimum Infantem, quem pariet Virgo, & qui ſalvabit nos; Deus erit nobiſcum in terris. Exclamabimus in lætitiâ cordis noſtri! dulces accepimus hactenus epiſtolas de ejus adventu! ſed dulcior longè eſt, qui illas miſit. Poſt paucos dies videbit omnis caro, ſalutare huius mundi. Interim tamen, paucis his diebus, uſq; dum veniat, opto, ut corda noſtra flagrare pergant ardentiſſimis deſideriis, erga Divinum hunc Infantem; cauſas aliquot, quæ ſuſpiria noſtra inflamare poſſunt exponam hac Concione, in prima parte. In altera oſtendam, quam ſint illa efficacia, ut Parvulum de Bethleem ad nos de cœlo trahant.

§ 2. *Mercator deſiderat aurum: magis nos deſideremus Deum.*

Cum prævolans ex Oriente vel Occidente navicula, Gaditano portui in Hiſpaniâ, urbique Hiſpalenſi exoptatum affert nuncium, adeſſe in vicinia Claſſem, cum auri-& argentiferis navibus, ingens in populo exoritur gaudium, & deſiderium illas videndi. qua data porta, ruunt ad mare, ut claſſis adventum operiantur. Præſertim illi, qui auri, argenti & theſaurorum qui afferuntur, ſperant ſe fore participes. Si contingat naves in pelago hærere diutius; mercatorum deſideria eò magis accenduntur. Adeſte animis Auditores! navicula huius meæ dictionis lætiſſimum vobis affert nuntium. Viæ ſe dedit illa Virgo, quæ appellatur, Prov. 31. v. 14. *Navis inſtitoris, de longè portans panem*, à SS. Patribus, *Navis mercibus referta. Arca Deifera. Arca precioſiſſima*, quæ excepit ſanctitatis theſaurum, Arca viva & animata, Arca à Spiritu S. inaurata; hæc inquam Virgo,

Viæ

Digitized by Google

Viæ ſe dedit Bethleem verſus, navis aurea & argentea, onerata theſauro inæſtimabili. Theſaurus eſt, unica quidem margarita, ſed quam in concha virginalis uteri, ventus, qui eſt Spiritus S. Sol, qui eſt Verbum Patris, & lux inacceſsibilis, formaverunt. Hoc theſauro, Virginalis navicula, onerata fuit die Incarnationis, quando, obumbrante Spiritu S. Verbum Caro factum eſt. Quod ludo metaphoris? hoc affero nuntium. Poſt paucos dies Virgô pariet Infantem Deum, in quo ſunt inveſtigabiles divitiæ; in quo abſconditus eſt theſaurus Divinitatis corporaliter, in quo inhabitat Sapientia æterna & increata. Si divites eſſe volumus, ſi participes divitiarum & theſaurorum, quos diviniſsimus ſecum afferet Infans, quid mirum eſt, ſi ardentibus deſideriis exclamemus; *Veni Domine, & noli tardare!* Anathema ſit, qui aurum & gemmas potius deſiderat & amat, quàm deſideret & amet Jeſum.

§. 3. Vigil nocturnus anhelat ad ortum auroræ; merito nos anhelamus ad ortum ſolis Iuſtitiæ ſive nativitatẽ Meſſiæ.

Ardentiſsimo deſiderio anhelare ſolet nocturnus vigil, inter longæ noctis moleſtias, ut videat diluculũ & radios exſurgentis, Auroræ. Quo ſimili uſus fuit regius Pſaltes: *à Cuſtodia matutina ſperet Iſrael in Domino:* quem verſum Chaldaica paraphraſis ſic exponit; *Anima mea ardentius ſperavit adventum Domini, quam vigiles nocturni adventum matutinum.* Cuſtos talis videtur fuiſſe Iſaias: *Propter Sion non tacebo, & propter Ieruſalem non quieſcam, donec egrediatur ut ſplendor Juſtus eius, & Salvator eius ut lampas accendatur: & videbunt gentes juſtum tuum, & cuncti Reges inclytum tuum.* Sed millenis aliquot annis, antequam egrederetur, vel è ſinu Patris, in cœlis, vel ex utero Matris, in terris, hic ſplendor; antequã naſceretur juſtus, antequam ut lampas accenderetur; antequã gentes & Reges viderent Salvatorem mundi! quàm præceſsit nox atra & longa? in qua toties exclamarunt Patriarchæ apud Iſaiam. *Cuſtos quid de nocte?* quaſi dicerent, an needũ adeſt illa nox, in qua videbimus illũ ſplendorẽ exſurgentis auroræ? O ſi exoptata illa nox adeſſet! Sic exclamarunt Prophetæ & Reges; *Cuſtos quid de nocte?* q.d. Adeſtne illa nox, quæ ab æterno à Deo conſtituta eſt, ut in illa accendatur lampas, futuri luminis, quod veniet, ut illuminet omnẽ mundũ. Et quamdiu in tenebroſo & procelloſo jactabimur mari? quando tandem veniet illa nox, in qua videbimus

Pſal. 129. v. 6.
Iſaiæ 62. v. 1. 2.
Iſ. 21. v. 11.

bimus Stellam maris, prodromam Auroræ, quæ ſecum trahet ſolem Juſtitiæ. His flagrarunt deſideriis SS.PP. donec tandem nocte Nativitatis de cœlis in terras venit exoptatus Cuſtos, qui annuntiavit gaudiũ magnũ, de nato Salvatore. Cum plerumq; vita noſtra mortalis, in hoc mundo & turbulento mari, nocti ſit ſimilior, quã diei, cùm verſemur in tenebris, quis dubitabit, habere nos cauſas ſuſpirandi: O Oriens! O Meſſia! Oriens, qui ab æterno ſole, Deo Patre, per æternam generationem procedis, & oriens! tanquam lumen de lumine, Deus verus, de Deo verò! ô Oriens! qui veniens è cœlo, illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum! ô Oriens! ô fili pulcherrimæ auroræ, ſplendor lucis æterne, & ſol Juſtitię, veni & illumina, ſedentes in tenebris & umbrâ mortis.

§. 4. *Quàm inſtanter David deſideraverit Adventum Meſſiæ.* *Pſal.* 143. v. 6. *Pſal.* 68. v. 15.

Regius pſaltes, viſus ſibi fuit hærere in profundo luto, ſive ut in alio pſalmo loquitur, *in inferno inferiori*: ex quo, ad Deum voce magnâ clamat, *Emitte manum tuam de alto, & eripe me, & libera me*. Conveniunt interpretes Davidem his verbis petiviſſe adventum Meſſiæ; nam Filius Dei in ſacris literis dicitur manus Patris; & alias brachium Dei. Quemadmodum enim artificioſus pictor, manu ſuâ depingit elegantem imaginem; quemadmodum Reges liberali manu diſtribuunt regia munera; quemadmodum belli dux forti brachio, & robuſtâ manu, inimicos ſuos proſternit; ita Pater Cœleſtis, imaginem ſuam in homine perditam & deturpatam per peccatum, per Meſſiam veluti manum reſtauravit priſtinamq; ei reddidit pulcritudinem, ita Pater per aureas & tornatiles filii ſui manus cœleſtia diſtribuit dona atque chariſmata, ita Chriſtus D. ſive belli dux, qui juſſu Patris, brachio & manu forti, apprehendit arma Crucis, quibus mortem, diabolum, peccatum & infernum debellavit. Talia ergò David deſideravit, & à Deo petiit. O Domine, mitte quem miſſurus es, ut nos redimat, ut cœleſtes afferat theſauros, ut à potentiſſimis inimicis nos liberet, ſive ut ait, *ſalvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ uſq; ad animam meam; infixus ſum in limo profundi*. q. d. ô Deus; ex illo profundo, ex illo limo,

Pſal. 68. v. 1.

Digitized by Google

mo, ex illo inferno, in quem Adamus nos omnes præcipitavit eripi & liberari non poſſumus, niſi manum tuam, id eſt filium tuum nobis mittas: ſunt millia millium cœleſtium Spirituum; millia millium creaturaũ ſunt poſſibilia, ſed ex omnibus nemo eſt, qui nos ſalvare poſſit. Manu tua & brachio forti opus eſt! hoc neceſſe eſt, ut Filius tuus fiat homo, ut pro nobis moriatur. Gaude Sion, exulta Ieruſalem; poſt paucos dies noſtris votis & deſideriis fiet ſatis! Puer parvulus dabitur & naſcetur nobis! donec fiat his pauculis diebus inſtemus novis ſuſpiriis, atq; deſideriis!! Præſertim ſi, quod Deus avertat, aliqui fortaſſis hæreant in limo gravioris alicujus peccati.

§. 5. *Quomodo Ieſum quaſi dormientem excitarit.*

Cùm David in aliis pſalmis de venturo Meſſia agit, de illo, veluti dormiente loquitur; quem proinde alto clamore, & voce cordis & importunis ſuſpiriis conatur excitare, dum in has voces prorumpit. *Exurge Domine, ſalvum me fac. Exurge in adjutorium mihi. Exurge, quare obdormis. Exurge Domine, adjuva nos. Exurge gloria mea, exurge pſalterium meum. Exurge in occurſum meum. Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius*: addit cauſam ob quam talia deſideret. *Tu exurgens miſereberis ſion; quia venit tempus miſerendi* eius. Ultima hæc verba Campenſis ita legit. *Quia venit definitus terminus.* Genebrardus, *Venit occaſio*; S. Hieronymus, *Venit pactum*, q. d. Regius Propheta; Verbum Patris, Sapientia æterna, ſecunda Perſona SS. Trinitatis quieſcit adhuc in ſinu Patris, cum verò definitus erit terminus, cum aderit dies, cum venerit hora, qua exurget, ut de cœlis deſcendat in uterum Virginis, fiatque homo, ad ſalvandum nos, ad juvandum nos, ad occurſum noſtrum; tum ſimul occurret nobis Miſericordia Domini; tum erit *occaſio*, ut Deo reconciliemur; tunc erit *occaſio*, ut veniam peccatores obtineamus &c. tum pacto ſuo, in quo auxilium nobis promiſit, ut nos eruat ex profundo omnium miſeriarum, ſalus faciet. Fidelis erit ſermo eius.

Pſ. 3. v. 7. Pſ. 34. v. 2. Pſ. 43. v. 23. eod. pſ. v. 26. pſ. 56. v. 9. Pſ. 58. v. 5. Pſ. 67. v. 2. Pſ. 101. v. 14.

§. 6. *In utero Virginis, veluti le-*

Diſcurſus hic ex Pſalmis, de ſuſpiriis Davidis, quibus adventum Meſſiæ deſideravit, ſimul cauſas ſuggeret, quæ nos quoq; urgent, ut hoc ſacro tempore adventus ante diem Na-

Aula dormit Ieſulus pari ratione à nobis eſt excitandus.
Cant. 1. v. 16.
Cant. 4. v. 16.

tivitatis ſimilibus flagremus affectibus; B. Virginis uterus, à 9. menſibus, ut loquuntur ſancti Patres & Sponſa fuit veluti *floridus lectulus, paradiſus, hortus, aula*, in qua hactenus Deus, parvus puſio dormit & quieſcit. ut exſurgat, ut veniat, ut in cordibus noſtris naſcatur, ut veniat in occurſum noſtrum, ut deliciæ illi ſint, eſſe nobiſcum, per amorem & gratiam, ut quondam volupe illi fuit jacere in ſinu Matris, in brachiis S. Joſephi & Paſtorum; precibus, affectibus, gemitibus, ſuſpiriis, & clamore deſiderantis cordis, vult excitari.

§. 7.
Modum nos docuit Anna Mater Samuelis l. 1. Reg. 2. v. 14.
Cant 2. v. 7.

Neque timeamus ne Angelus aliquis nobis dicat ex l. 1. Reg. *Quis es tu, qui clamas, & inquietas Regem.* Non timeamus dicturam fortaſſis Sponſam, vel Dei Matrem ex Canticis. *Adjuro vos filiæ Ieruſalem per capreas hinnulosq; cervorum, ne ſuſcitetis, neque evigilare faciatis* dilectum, *donec ipſe velit.* Vult ipſe, ut ipſum inquietemus, ut clamemus; vult à nobis excitari; illo ſcilicet modo, quo uſa fuit Anna Mater Samuelis in l. 1. Reg. de qua S. Ambroſius ſer. 17. in pſ. 118. ait: *Anna cum oraret, tacita clamabat; labia non movebat, & interim voce piæ caritatis excitabat Ieſum.* id eſt, dum ardenter à Deo petiit filium, quem deinde vocavit Samuëlem, ſimul urſit cunctantem Deum, ut mundo daret Unigenitum ſuum; ſtimulavit quaſi dormientem Ieſum, ut veniret tandẽ, ut homo naſceretur ex Virgine ad ſalvandum nos. Cur non & nos ita oramus, cur non exclamamus, cur non voce piæ caritatis excitamus Jeſum? id his diebus cum Anna faciunt ardentes animæ amore Jeſuli.

§. 8.
Ardentia Suſpiria, ſunt funiculi, quibus trahitur Filius Dei.
Exod. 4. 13.
Pſ. 79. v. 7.
Iſaiæ 64. v. 1.
Cant. 5. v. 1.

Memores pulcerrimi dicti, Richardi à S. Laurentio l. 1. de laud. Mariæ cap. 5. *Tracta enim eſt Sapientia, quæ eſt Filius Dei, de Sinu Patris, id eſt, de illis occultis, ad quæ nulli creaturæ patebat acceſſus, quaſi quibuſdam funibus; intimis deſideriis, ſuſpiriis & lacrymis ſanctorum antiquorum.* Talis funis fuit deſiderium illud Moyſis: *Obſecro Domine, mitte quem miſſurus es.* Talis funiculus fuit verſus 3. pſ. 79. *Excita potentiam tuam, & veni; ut ſalvos facias nos.* Talis funis fuit v. 1. Iſaiæ. c. 64. *Vtinã diſrumperes cœlos & deſcenderes.* Fortes funiculos, ad trahendum Sponſum de cœlis, paravit Sponſa. v. g. cum dixit. *Veniat dilectus*

Digitized by Google

lectus meus, in hortum ſuum. Cum dixit, *Veni dilecte mi egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Cum dixit, *Surgam, circumibo, & quæram, quem diligit anima mea. Num quem diligit anima mea, vidiſtis.* Funiculos paravit, catenas fabricavit, cum dixit, *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi paſcas, ubi cubes.* Cum dixit, *Surge dilecte mi, oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis.* Cum dixit, *Adjuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo.* Cum deniq; dixit, *Quis mihi det te fratrem meũ, ſugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris,* (in ſtabulo, in paleis, in panniculis ſcilicet) *& deoſculer te;* ut *oſculetur me, oſculo oris ſui.* Quàm ardentia deſideria Sponſæ? quàm teneri affectus! quam amoroſa ſuſpiria! nihilominus de B. Virgine ait citatus Richardus; *ſed Maria! quæ magis dilexit, profundius ſuſpiravit, vehementius deſideravit, ipſa fortius traxit.*

Cant. 7. v. 11. Cant. 3. v. 2. Cant. 1. v. 6. Cant. 2. v. 13. Cant. 5. v. 8. Cant. 8. v. 1.

§. 9. *Miratur S. Bernhardus ſocordiam noſtrã*

Quid ni dicam cum S. Bernardo, exordio 2. in Cant. *Ardorem deſiderii Patrum ſuſpirantium, Chriſti in carne præſentiam, frequentiſſime cogitans; compungor & confundor, in memetipſo, & nunc vix contineo lacrymas; ita pudet teporis torporisque miſerabilium temporum horum: cui namque noſtrum, tantum ingerat gaudium gratiæ huius exhibitio, quantum Veteribus ſanctis accenderat deſiderium promiſſio? illorum deſiderium flagrans, & piæ exſpectationis affectum ſpirant iſtæ voces,* Rorate cœli &c. Ne nobis objici poſſit hæc querela S. Bern. ſpero fore, ut his diebus ante diem Nativitatis, exemplo SS. Patrum, & præſertim B. Virginis, Jeſum, magis diligamus, profundius ſuſpiremus, & vehementius deſideremus. Ecce funiculum triplicem, quo Dei filium in corda noſtra pertrahere poſſumus. Ecce diſpoſitionem congruam, ad excipiendum Parvulũ de Bethleẽ, ſi corda noſtra plena ſint ardentibus ſuſpiriis.

§. 10. *Ardentes huiuſmodi affect⁹ ſunt ſuavis odor*

Vidit aliquando S. Gertrudis rapta in extaſin, Cor ſui Sponſi, ſive Chriſti Salvatoris, in forma aurei thuribuli, cum ardentibus prunis, ex quibus odor ſuaviſsimorum aromatum aſcendit, uſq; ad ſolium SS. Trinitatis. Intellexit deinde cum ingenti ſolatio; hac viſione repræſentata ſibi fuiſſe ferventiſsima illa deſideria, nobiliſsimarũ virtutũ, ferventiſsimus affect⁹ amoris

Viſio S. Gertrudis, ſive. Cor Ieſu fuit aureũ thuribulum

amoris divini, quibus repletum ſemper fuit Cor Sponſi, dum vixit in terris. Scio SS. Patres dicere Cor Jeſuli, quamdiu quievit in utero Virginis novem menſium ſpatio, fuiſſe fontem vitæ, paradiſum, cœlum, gemmam, theſaurum cœli & terræ. Addo ego jam tum fuiſſe benedictum illud corculum aureum thuribulum plenum odoribus ſuaviſſimorum affectuum. Thuribulum tale fuit cor mundiſſimæ Virginis & Matris. O ſi corda noſtra his diebus talia forent thuribula! nolite dubitare, illa ſuſpiria, v. g. S. Bernardi ex ipſius jubilo! Jeſum quæram in lectulo, clauſo cordis cubiculo, Privatim & in publico, quæram amore ſedulo. *Jeſu mi bone, ſentiam amoris tui copiam, da mihi per præſentiam, tuam videre gloriam. Deſidero te millies*, mi Jeſu, *quando venies, me lætum quando facies, me de te quando ſaties &c.* Hæc ſuſpiria nil aliud ſunt, quàm ſuaviſſimus odor, qui ex thuribulo pii cordis, aſcendit uſque ad ſolium SS. Trinitatis.

§. 11. Piiſſimum ſuſpirium eiuſdem Virginis continet eximiam præparationem ad feſtum Nativitatis.

Unum ſuſpirium eiuſdem S. Gertrudis cuperem nobis eſſe familiare, quo & ipſa frequentiſſimè fuit uſa, & ita habet. *Ecce Domine cor meum, abſtrahe illud potens & bone Jeſu, ab omni creaturâ; & ego offeram illud tibi integra voluntate, ut tu illud abluas in virtuoſa aqua ſanctiſſimi tui lateris; & decentiſſime exornes illud, in pretioſo Sanguine dulciſſimi Cordis tui, ac tibi convenientiſſime coaptes, in aromatico vapore divini amoris tui.* O eximiam præparationem pro feſto Nativitatis Chriſti D.! O ſi & corda noſtra abſtraheremus â creaturis! O ſi ablueremus lacrymis, & aqua veræ pœnitentiæ. O ſi illa exornaremus guttis precioſi ſanguinis Chriſti! quam libenter in illis naſcetur Jeſulus!

§. 12. Requirit hæc, ut ſimus Conchæ, Roraria, pulli corvorum,

Conchæ orientalis in India maris ad orientis ſolis radios ultro ſe aperiunt verſus cœlum, ut bibant ſuaves guttulas decidentis roris, ex quibus â vento & ſole generantur uniones & Margaritæ. Idem facit floſculus, dictus Roraria; ſub auroram aperit folia, quibus excipit rorem, quo deinde per diem contra ardores ſolis, refrigeratur, ne exareſcat. Id agunt corvorum pulli, deſerti in nidis â parentibus; ne fame

pereant

Digitized by Google

pereant, ſummo mane verſus cœlum aperiunt roſtra, & rorem hauriunt, quo paſcantur; juxta illud: *Qui dat jumentis eſcam ipſorum, & pullis corvorum invocantibus eum*: Illa arbitror eſſe vota noſtra, ut rore cœleſti, de quo toties hactenus diximus, *Rorate cœli*; repleantur corda noſtra; ut formetur in nobis Jeſus, ut divites ſimus gemma omnium precioſiſſima. Moneo itaq; ut corda noſtra ſint, conchæ; moneo, ut florido lectulo, quem præparamus Parvulo de Bethleem, præter roſas & lilia injiciamus rorariam; moneo ut inter vulnera Salvatoris, deliteamus veluti pulli corvorum, deſerti ab hoc mundo, derelicti ab omnibus creaturis; moneo, ut per deſideria ſancta, per ardentia ſuſpiria, per calidos anhelitus ardentis peccatoris, aperiamus ora, dilatemus pectus, extendamus omnes angulos cordis, ut divinum illum rorem excipiamus.

Pſ. 146. v. 9.

Iſaiæ 45. v. 8.

§. 13. *Exigit quoque cordis munditiē & ornatū.*

Sed moneo vos iterum, neceſſe eſſe, quod ante nobis inſinuavit ſuſpirium S. Gertrudis, ut eadem prius mundentur & exornentur. Virgines pulcherrimæ quæ ex omnibus ſelectæ fuerunt, ut adducerentur in conſpectum Regis Aſſueri, illiq; ſervirent, integro prius anno odoratis fuerunt lotæ aquis, delibutæ oleo, ornatæ gem̃is. Cum Deus in monte Sinai populo dare voluit legem, per triduum prius debuerunt lavare veſtes ſuas. Cum Jacob intellexit adventare fratrem ſuum Eſau; in optimis illi occurrit veſtibus, & cum muneribus. Mira narrantur de Regina Saba, de eius cultu & ornatu, cum ingredi voluit aulam Salomonis, ad videndam gloriam regni eius. Perpendite vos ex his, quænam nobis agenda ſint, ut dignam Jeſulo in cordibus noſtris præparemus habitationem; ut templum, ut palatium tanto hoſpite dignum exiſtamus.

Exod. 19. v. 10.

3. Reg. 10. v. 2.

§. 14. *Epilogus continet elegans dictum Friderici Imp.*

Caveamus, ne hoſpes, quem exſpectamus, nobis obiiciat, quod aliquando Fridericus Imperator nobili aulico dixit: Fuerat in venatione ab illo invitatus ad ædes ſuas? cum in ingreſſu ſordes incurrerent oculis Imperatoris, converſus ad Præfectum venatorum dixit; *En Stabulum pro tuis canibus*; *Nobilis* verò ait; *Si Imperatorem invitare volebas, debebas ſi non ad divitem, ſaltem mundam domum invitare.* Mox foris in agro

juſſit ſterni menſam; dicens; *Malo ſub cœlo, quam in Cœnaculo manducare.* Implora gratiam Spiritus S. ut ex his tibi ſuggerat elegantem epilogum, & apoſtrophen ad Auditores, ut Jeſulo cum ardentibus deſideriis præparent cor mundum.

CONCIO V.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

Ecce hic poſitus eſt in ruinam multorum;

Luc. 2. v. 34.

SYNOPSIS CONCIONIS.

OCcaſione Cometæ, qui anno 1664. viſus fuit in Germania, circa feſta Natalitia, agit de moralibus cauſis, ob quas iratus Deus videtur minari peſtem, famem, bella &c.

§. 1. *Anno 1664. Wormatiæ nocte Nativitatis Chriſti apparuit Cometa.*

§. 2. *Ob quas cauſas morales, fortaſſis ſit prodromus magnæ tribulationis.*

§. 3. *Si veniat, nihilominus cum Jobo, benedicere debemus Dominum.*

§. 4. *Quomodo aliqui his feriis exceperint Ieſulum.*

§. 5. *Habet diabolus ſuos ignes, contrarios Ieſulo.*

§. 6. *Ob gravia peccata minatur Deus ignes.*

§. 7. *Crudelitas Solymanni renovata erga Ieſulum.*

§. 8. *Affectus compaſſionis erga eundem.*

§. 9. *Alius.*

§. 10. *Pro Puero offenſo pugnat Cœlum.*

§. 11. *Rara hiſtoria de elephante.*

§. 12. *Diſplicet Parvulo frigus noſtræ pietatis.*

§. 13.

§. 13. *Peccata mortalia, ſunt cultri, pugiones &c.*
§. 14. *Terribile fulmen, de quo Baronius ad annum* 857.
§. 15. *Qua ratione à nobis avertere poſſimus mala, quam Cometa ſolent nunciare.*
§. 16. *Emblema Caroli V. & Maximil. II. Imperat.*

Si omittere velis, quæ dicuntur de Cometa, hic ſit concionis diſcurſus; Punit Jeſulus illos, à quibus inhumane & crudeliter tractatur.

Dies Nativitatis Chriſti, Anno 1664. ob binas circumſtantias meretur ab hiſtoricis obſervari, ut poſteri aliquando legant. Una concernit diem, altera noctem. Scitis quā ab aliquot ſeptimanis cœlum fuerit triſte, obſcurum & pluvium. vix ſubinde per mediam horam ſol ſuam faciem nobis oſtendit. Die Nativitatis mane poſt horam Octavam rupit vela & nubes ſub quibus latuit; pulſis nebulis ſerenus luxit. Dicere quis poſſet, cum Nato Infante renatum ſolem. Heſperus quoque veſperi nobis rurſum oſtendit ſtellas. Ut dies, ſic nox fuit ſerena. Sed poſt noctis medium, circa tertiam matutinam noſtro hemiſpherio, veluti theatro ſe ſtitit ingens & triſtis Cometes, qualem à multis annis non vidit Germania. Quantum ego obſervare potui, non eſt ex illis qui ſunt valde accenſi, & ignei, non ex illis qui ſunt ſanguinei, ſed eſt niger, luridus, pallidus, indutus quaſi veſtitu mortuali. Syrma & cauda eſt longa ingens. Caudæ iſtæ ſunt colligatæ veluti virgæ; ex lateribus promicant die Zincken der Ruthen. §. 1. *Anno 1664 nocti Nativitatis Wormatiæ viſus fuit Cometa.*

Quid hoc eſt Auditores, quod Parvulus de B. nobis naſci voluit hinc cum ſole, hinc cum Cometa? ſol eſt amabilis! Cometa terribilis! & talis eſt Puer. amabilis bonis! terribilis impiis. Sol mihi videtur vocare ad præſepe pios, juſtos. Ni fallor Cometa vocat peccatores. Non deerunt Aſtrologi, cauſas naturales, materiam, ſitum, motum, magnitudinē & ſimiles circumſtantias examinabunt. Cum cōmunis ſit opinio, tales §. 2. *Ob quas cauſas morales, forſitan ſit prodromus magnæ tribulationis.*

tales ſtellas eſſe prænuntias graviũ pœnarũ, quibus Deus noſtra ſcelera punire ſtatuit, ego hac concione cauſas aliquas morales proponam ob quas iratus Deus videtur minari; ſumã autem ab ipſo Puerulo, ut per quatuor dies unicam & eandem proſequar materiam. Etiam hic Cometa ſanctiſſimas mihi ſuggerit cogitationes.

§. 3. *Si veniat, nihilominus cum Iobo, benedicere debemus Dominum. Iob. 1. v. 16.*

Cum unus famulorum S. Jobo afferret triſte nuntium: *Ignis Dei cecidit de cælo, & tactas oves, puerosque conſumſit*, vir ſanctus aliud non reſpondit, quã, *ſit nomen Domini benedictum, Dominus eſt, quod placitum fuerit oculis eius, hoc fiat*. Audit. mei, Parvulus de B. venit ad nos cum inſolito igne, cum triſti ſtella, apparet jam nobis per triduum terribilis cometa; hic muta ſed ignea lingua clamat, Deus vult punire; vel cum Innocentibus: vindica Dñe ſanguinem &c: in qua Provincia ſit futurum primum incendium Deus ſcit! Quid volumus? quæſo non dicamus aliud, quam hoc, *ſit nomen Domini benedictum*. Sit benedictus Parvulus. Dominus eſt &c. Et puto quod ille Parvulus cauſas habeat, ob quas iratus eſt, ob quas cum Cometa ad nos venit.

§. 4. *Quomodo aliqui his feriis exceperit Ieſulum.*

In fine heſternæ Concionis hanc quæſtionẽ vobis propoſui, quantum ameris Parvulum de Bethleem? parum mutabo modo quæſtionem; hoc quæro. Quomodo aliqui exceperunt Puerum? quomodo tractarunt? Condoleo meo Jeſulo! ah qua inhumanitate exceptus eſt à multis, igne, laqueis, frigore, cultris & pugionibꝰ! Alias refero de Elia, quod parens eius viderit ipſum natum imponi cunis igneis, quod viderit à quibuſdam geniis puero, dum lac ſugeret, aſpergi ignes, quod viderit involvi igneis faſciis. Et his diebus Parvulus de B. natus eſt inter flammas; impoſitus eſt igneis cunis; involutus eſt igneis faſciis; lac maternum mixtũ eſt ſcintillis, ſed advertitur, eſſe duplicem ignem, duplices flammas, ſunt flamæ ſanctæ, ignes caſti, ſcintillæ, prunæ Amoris ſancti, has flammas amat Jeſulus. Cor tale igneum eſt illi gratiſſimum domicilium.

§. 5. *Habet diabolus ſuos ignes, contrarios Ieſulo,*

Sed & diabolus, tyrannus hoſtis, Parvuli habet ſuos ignes, habet igneas faſcias. Carbones nigri, ardentes ſunt blaſphemiæ, imprecationes, maledictiones, juramenta; His

prunis

prunis à multis imponitur Jeſulus. Ardentes, ſulphurei, infernales carbones ſunt abſurdiſſima peccata luxuriæ! Ach wer iſt auff dieſe Kohlen gelegt worden? das liebe Chriſt-Kindlein! Linguæ impudicæ, linguæ detractoriæ, ardent carbonibus inferni. hæ apud quoſdam fuerunt cunæ Jeſuli! Carbones nigerrimi ardentiſſimi ſunt peccata gravia, ſed recta in confeſſionali, & tamē tales acceſſerunt ad Euchariſtiam; quid hoc eſt aliud, quā quod Parvulus de B. fuerit impoſitus igneis cunis, quod involutus igneis & infernalibus faſciis, quod ignes fugere debuerit. O tyrannos erga innocentiſſimum Puerum! hæc ſcelera ſunt ignei funiculi, his involvitur Jeſulus. Hoc volo dicere, tam gravibus peccatis N. N. quotidie, à multis offenditur Filius Dei, etiam in feriis Natalitiis.

Et miramur potentiſſimum hunc Puerum in cœlo ponere Cometam? & per illum minari tempeſtates, tonitrua, fulmina, terræ motus, incendia, bella, effuſionē ſanguinis, mortē, peſtem, famem, & ſexcenta talia. Exercemus tyrannidem noſtram per ignes graviū ſcelerū: per igneam virgā minatur ſe velle punire. ait David: *Inveniatur manus tua, omnibus inimicis tuis; dextera tua inveniat omnes qui oderunt te. Pones eos ut clibanum ignis, Dominus in ira ſua conturbabit eos, & devorabit eos ignis*, pauca mutabo. Audite hoſtes & inimici Parvuli de B. crudeles hactenus fuiſtis; ſed pœnitentiā agite, alioquin hic cometes vos devorabit, forte devorabit vos per famem, famē ſolent portendere cometæ. forte venient hoſtes, illorum gladius, & hic cometes vos devorabit (ſic de peſte, morte) Non curatis Concionatores; ridetis illorum minas de cathedris. Bene habet; videte, Jeſulus in altiſſimâ cathedra poſuit Concionatorem igneum Cometam qui prædicat pœnitentiam.

§. 6. Ob gravia peccata minatur Deus ignes. Pſ. 20. v. 9.

Dicite quomodo excepiſtis Parvulum de Bethleem? timeo multos imitatos eſſe tyrannidem Solymanni Imperatoris Turcarum. Cum Baiazethem unum ex primariis proceribus juſſiſſet ſtrangulari, miſit Pruſam Eunuchum ut eiuſdem filiolum jacentem in cunis ſtrangularet. Tyranne! Funem paras innocentiſsimo Parvulo? Timeo, ne idem contigerit Parvulo de Bethleē. quid timeo? certum eſt. Illa ſuperbia

§. 7. Crudelitas Solymanni renovata erga Jeſulū.

bia, quæ hodie regnat in Germania, præcipue in veſtitu; hæc eſt funis ad ſuffocandum Parvulum per ſuffocationem gratiæ. Illi doli, illæ falſitates, illi policiſſimi, illæ deceptiones, fraudes, ſunt funes, (quantum eſt in peccatore) ad ſuffocandum Parvulum. Illa odia præcipue, illa injuſtitia. &c. Quid agitis crudeles?

§. 8. *Affectus cõpaſſionis erga eund?. Gen. 37. v. 7.*

Cum Joſepho fratres inijcerent vincula, ut (prout prima fuit intentio) occiderent Juvenem, dixit Ruben, *Nolite peccare in puerũ, frater enim & Caro noſtra eſt: nihil mali nobis intulit &c.* Dicite impii, quid in vos peccavit hic Parvulus? & vos cur in illum ſic peccatis? cur tam duros paratis funes?

§. 9. *Alius.*

In citata hiſtoria addit Busbequius Pruſam ex compaſſione erga formoſiſſimum Infantulum, imperaſſe illud facinus uni ex Janizaris; Hunc, cum funem collo vellet inijcere, Infans tenellis oculis ſuaviſſimè aſpexit, roſeo ore arriſit, & erigens brachiola injecit collo, & jugulatorem ſuaviſsimè fuit oſculatus; quo facto barbarus ita fuit emollitus, ut pepercerit, & funem abjecerit. O impii! O crudeles! quid Jeſulo paratis funes? ecce, quam ſuaviter vos aſpicit? ecce oculos, ecce brachiola &c. Quem non moveat ad miſericordiam amabilis Puſio. Fruſtra hæc ego! Non movetur, quisquis peccato mortali audet offendere Divinam Majeſtatem. Offenditur autem horrendis ſceleribus quotidie à pluribus.

§. 10. *Pro Puero offenſio pugnat Cœlũ.*

Quid agat inermis Puer in præſepio? puer nudus? neſcio! ſed iratum cœlum armatur in defenſionem. Si voluiſtis, per triduũ potuiſtis videre igneum ſatellitem, qui ſe armat contra hoſtes huius Pueri. Aſpicite bene! illi radii in cauda huius Cometæ, nil aliud ſunt quam funes & laquei, quibus D. Juſtitia minatur, niſi pœnitentiã agamus, laqueus eſt bellũ, laqueus eſt fames, laquei ſunt terribiles morbi, laqueus eſt peſtis. omnes hi funes colligati ſunt in caudâ huius ſtellæ. Si hoſtes Chriſti eſſe pergitis, devorabit vos. Et quæſo quid fecit mali vobis hic Puer? nihil! potius vult omnia bona. Oro, obſecro, obteſtor, nolite peccare in Puerum hunc.

Di-

Digitized by Google

Dicite Audit. Quomodo excepiſtis Infantulum? Narrant hiſtoriæ quod aliquando in platea, tempore hyemis, neſcio quo caſu parvus infans iacuerit in nivibus, enectus ferme frigore. Vidit hoc tranſiens Elephas, qui ex compaſſione (ſi compaſſio eſt in beſtiis) proboſcide hunc parvulum ex nivibus elevavit, & in tecto, loco tuto depoſuit. Nocte intempeſta in hyeme, in frigore, in aperto ſtabulo natus eſt parvus Infans. Scio fuerunt aliqui miſericordes; ex compaſſione hunc Puerum impoſuerunt præſepio cordis. Conati ſunt involvere panniculis caſtiſſimorũ deſideriorum, conati ſunt calefacere flammâ dilectionis. Conati ſunt lectulum inſternere pulcerrimis floſculis &c. Gratulor illis, qui Infantulum hoc modo ſuſceperunt. *§. 11. Rara hiſtoria de Elephante.*

Sed hui! alii reliquerunt jacentem in frigore, humi in ſtramine &c. ah! friget infantulus, non curant Aud. non loquor de frigore materiali, ſunt aliqui nimis frigidi Catholici; hic VVormatiæ &c. vorant carnes ut Luth. Non celebrant feſta, ut Luth. &c. in uſu ſacramentorũ, in auditione ſacri &c. putatis Infantulum non ſentire hoc frigus. Sunt aliqui tam immiſericordes erga pauperes, relinquunt illos nudos, cum poſſent veſtire (eſt locus pro invectiva) Quid faciat in hoc frigore Jeſulus! Novum ignem accendit in cœlo. Novam accendit ſtellam, ut hos frigidos Catholicos puniat. Utinam terribilis hæc ſtella bellum tantum ſignificet, utinam tantum famem, utinam tantum peſtem, & non ſimul hæreſis ſit prodroma, ut in multis provinciis vera pereat religio! utinam hæc ſtella non ſimul minetur interitum & damnationem plurimarum animarum. *§. 12. Diſplicet Parvulo frigus noſtra pietatis*

Quomodo excepiſtis Infantulum? eſt hodie Feſtum Innocentum! utinam non ſint novi Herodes, qui ſimulant ſe velle venire ad adorandum Infantem, & interim miſit milites, qui cultris, gladiis effuderunt innocentem ſanguinem. Sic hodie multi ſimulant ſe Catholicos &c. & intus fovent dogmata Lutheri. Inſinuo tantum, peccata mortalia eſſe cultros, gladios, clavos, ſpinas &c. quibus effunditur rurſum ſanguis: *§. 13. peccata mortalia ſunt cultri, pugiones &c.*

guis:

guis Chriſti. Quid agit Parvulus de Bethleem ut ſe defendat, producit Cometam, tanquam miniſtrum iræ & Juſtitiæ Divinæ, ut hic moneat, tempus eſſe agendi pœnitentiam, tempus eſſe mutandi mores, &c. ne Cometa hic nos devoret: In Scripturis hodie legimus, animas innocentum ſub altari clamare: *Vindica ſanguinem* &c. Hæc clamat Cometa. Vindica Domine ſanguinem Jeſu Chriſti. Dixit: *Si acuero ut fulgur &c.* timete, acuit hunc cometam, in illo cultros, acinaces &c. Plane confido fore, ut ſi qui his feſtis non ſunt confeſſi, ut id faciant feſto circumciſionis. Forte aliqui non depoſuerunt odium &c. forte aliqui non depoſuerunt impuros amores &c. forte aliqui his ſanctis feriis manſerunt & manent in occaſione proxima peccandi &c. confido fore, ut hic Cometa illos moveat, ut faciant cum novo anno, in honorem SS. nominis Jeſu. &c.

§. 14. *Terribile Fulmen, de quo Baronius ad annũ 857.*

Quid ſi aliquis ſit ex præſentibus Auditoribus qui nec hunc cometam timeat? teſte Baronio anno 857. res terribilis contigit Coloniæ. Cum in templo S. Petri eſſet ingens multitudo populi, coorta tempeſtate ſubito fulmen informe, igneum, draconis inſtar incidit in templum, & ex omni illa multidine tres homines, diverſis locis ſed unico ictu peremit, alios ſex ita proſtravit, ut ſemi mortui auferentur, omnes impleti ſunt ingenti timore & terrore. Quid ſi præſens Cometa Deo volente converteretur in igneum draconem? quid non modo ſuper capita noſtra circumvolitaret? nunquid ſi clamaretis, Miſericordia! nunquid cogitaretis de pœnitentia? Non hoc miraculo eſt opus? in aëre vidimus! forte mihi, forte tibi, forte nobis minatur. Cum ego heri prima vice vidi, cogitavi, O mi Jeſule doleo de omnibus meis peccatis, hac hora, hoc momento incipiã ſervire Deo, ordiat vitam ſanctam. Amabo Jeſulum! His qui talia cogitant, utilis eſt hic Cometa, eſt gladius anceps; ex una parte fulgurat luce & ignibus terribilibus; his nocet obſtinatis peccatoribus, qui non conantur prævenire antequam Deus puniat. Ex altera parte eius radii ſunt amabiles; illis, quos movent ad pœnitentiam.

Ardet

§. 15. *Quâ ratione à nobis avertere poſſimus mala, quæ cometa ſolent nunciare.*

Ardet, rubet, pallet hic Cometa. Mihi certum eſt, nihil portendere boni, experientia docet. Vidimus minores, & tamen mox tragicos eventus. Bene habet ardeat quantum ardet, ſit terribilis; ſi volumus, eius flammas facile extinguere poſſumus &c. Deus ejecto Adamo ante paradiſi portas - *poſuit Cherubin & flammeum gladium atque verſatilem.* Plerisque hoc igneum inſtrumentum incutit terrorem; ego percipio conſolationem, cogito enim: Hic gladius cum igneus ſit, aqua facile poteſt extingui. Et hoc contigit! lacrymæ Chriſti & divinus eius Sanguis hunc gladium extinxerunt. Patet rurſum Paradiſus. Talis gladius, eſt Cometes quem vidimus, Auditores. Ita eſt! plerumque ſunt terribiles & mali nuntii. Sed hoc certum eſt, ſi volumus, poſſumus extinguere lacrymis cordis contriti & precioſo ſanguine Chriſti. Itane Auditores? fortaſſis in terribili hac virga aliqui rami ſunt, quos nos accendimus, & ideo nobis minatur; præveniamus, agamus ſeriam pœnitentiam.

Gen. 3. v. 24.

§. 16. *Emblema Caroli V. & Maximiliani II.*

Finio Concionem. Carolus V. & Maximilianus II. in ſuis Emblematis curarunt pingi fulmen, ſed involutum ramo Olivæ, voluerunt oſtendere ſe punire Rebelles, ſed parcere piis. Talis Imperator eſt noſter Parvulus. Ita! ſiniſtra tenet fulmen, acuit cometam; ſed in dextera geſtat Olivam. hanc pro piis, illud pro impiis. Eligite Auditores.

(o)

CONCIO VI.

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ.

Remanſit Puer Ieſus in Ieruſalem.

Luc. 2. v. 34.

SYNOPSIS CONCIONIS.

CHriſtus D. Salvator noſter in vita ſua abſcondita, uſque ad annum ætatis trigeſimum, docuit nos veram devotionem & illam Sapientiam, quæ nos movet, ut magis ſimus ſolliciti de Deo, quàm proſperitate huius vitæ; magis de cœlo, quàm de mundo. Falluntur, qui hunc ordinem non ſervant. Pietas & devotio firmat noſtram felicitatem.

§. 1. *Pulcerrima venatio eſt venari, & quærere Deum.*

§. 2. *Prout Maria quæſivit Puerum duodennem perditum.*

§. 3. *Vita Ieſu in hoc mundo, uſque ad annum ætatis trigeſimum fuit abſcondita.*

§. 4. *Fuit continua ferè oratio.*

§. 5. *Domus Nazaretica, in qua habitarunt Ieſus, Maria, Ioſeph, fuit Paradiſus.*

§. 6. *Conclave Divini Amoris.*

§. 7. *Cælum.*

§. 8. *Similia elogia quibuſdam ædibus inſcribi poſſunt.*

§. 9. *Aliæ verò ædes, ſunt infernus, Conclave Veneris, aulæ dæmonum.*

§. 10. *Regulæ & leges, quas Comes Elzearius ſuis famulis præſcripſit, concernentes veram devotionem.*

§. 11. *Pietas eſt vera ſapientia, quæ noſtram firmat felicitatem, & reliquas omnes ornat virtutes.*

§. 12. *Qualem Sapientiam Salomon à Deo poſtulaverit.*
§. 13. *Falluntur Principes, qui ſtatum ut vocant, Deo præponunt, qui de mundo magis ſunt ſolliciti, quam de devotione.*
§. 14. *Regnum Salomonis, quomodo dicatur confirmatum.*
§. 15. *Pietas inermes facit fortes.*
§. 16. *Elegans locus ex D. Fulgentio in laudem pietatis & Religionis.*

IN venatione aliquando vir Princeps, in denſa Sylva, in tenebroſa ſpelunca loco cervi, quem venabatur, offendit Eremicolam, ſenem, nomine Macedonium; qui multis ibi annis in magna vitæ auſteritate & ſanctitate Deo ſervierat; Cum admirabundus Princeps ex illo quæreret, quid hic loci in tam vaſta ſolitudine inter feras ageret: ille ait; *Aſt ego rogo humiſſime, ut Celſitudo tua, id beneficii mihi præſtet, dicatq́; prior, cuius rei gratia huc acceſſerit, hinc enim aliquod reſponſioni meæ momentum accedet.* Reſpondit Princeps; *quid hac quæſtione opus eſt, color veſtium, canum latratus, famulorum aſtans turba, tibi indicant, quod huc venerim, ut vener cervos & apros.* Repoſuit Eremicola; *Ego autem huc veni, & hic habito, ut venarer Deum meum, & ab hac tam pulcra venatione nunquam ceſſabo. Vbique in hac ſolitudine quæro Deum meum. Subinde altiſſimorum montium conſcendo vertices; ibi quæro Deum meum. Subinde deſcendo in profundiſſimas valles; & ibi quæro Deum meum. Frequenter ſub umbra amœna alicuius arboris quæro quietem, & ſimul Deum meum* (eſt locus pro pulcra deſcriptione) His dictis, cum profunda corporis inclinatione rediit ad ſpeluncam ſuam.

§. 1. *Pulcerrima venatio eſt venari, & quærere Deum.*

Longè ardentiore deſiderio, puto ego in hodierno Evangelio SS. Virginem, cum veſpere in itinere advertit non eſſe præſentem filium ſuum, rediiſſe Jeroſolymam, obambulaſſe plateas & ædes, ad quærendum Jeſum ſuum. Sed fare Mater! qualis eſt filius tuus, quem quæris? Eſtnè ille Puer duodennis, qui vocatur, electus ex millibus, candidus & rubicundus? ille Puer jam à triduo hęret in templo. Dic Virgo! qualis eſt ille filius tuus, quem quæris? eſtne ille, qui di-

§. 2. *Prout Maria quæſivit Puerū duodennem perditum*

Pſ. 44. v. 3.

dicitur ſpecioſus forma præ filiis hominum? Illenè? cuius comæ ſunt elatæ palmarum, cuius genæ, areolæ aromatum, cuius oculi, oculi columbarum &c. formoſiſſimus ille Puer in templo ſedet, inter Doctores, veluti ſol inter ſtellas radians radiis admirandæ & nunquam in Puero auditæ Sapientiæ. Abiit Virgo Mater ad templum, & ibi reperit Filium ſuum, cum ingenti gaudio & conſolatione. Ideo & nos hunc mundum, veluti vaſtum deſertum ingreſſi ſumus, ut quæramus Deum noſtrum, vivendo ſancte; ut Deum inveniamus, ut ſancte vivamus, ante omnia neceſſarium eſt ut exemplo Jeſu & Mariæ, ſimus devoti; ut primo loco ſtudeamus Deo placere, hinc noſtra etiam in terris pendet proſperitas. Errant & decipiuntur, qui primo loco quærunt bona huius mundi. Sapientia altiſſima, quam Puer duodennis triduo hærens in domo Patris ſui, eſt illa virtus quæ vocatur Religio, Devotio, Pietas. Has propoſitiones hac Concione paulò fuſius explicabo.

§. 3. *Vita Ieſu in hoc mundo, uſq; ad annum ætatis 30. fuit abſcondita.*

Qui Loreti fuerunt in Italia, conſpexerunt ſine dubio oculis, auguſtiſſimam cellam, ſive domunculam, in qua Jeſus, Maria & Joſeph; Pater, Mater & Filius in terris ſanctiſſimam vixerunt vitam; quam SS. Patres vocare ſolent *occultam & abſconditam*; Dicuntque, illam eſſe unum ex admirandis myſteriis Vitæ Chriſti Domini; eò quod nulla de vitâ Chriſti ab anno ætatis duodecimo, uſque ad trigeſimum in ſacra ſcriptura, ab Evangeliſtis, vel aliis fiat mentio. Multi Concionatores in hac materia utuntur verbis ſapientiſſimi Salomonis cum dixit; *Tria difficulter intelligimus, viam aquilæ in cælo, viam colubri ſuper petram, viam navis in medio mari; quartum ignoramus, Viam viri in adoleſcentia.* S. Ambr. in lib. 1. de Salom. cap. 5. *Chriſtus eſt Vir, cuius viæ cognoſci in juventute non poſſunt; quis enim æſtimare animo poſſit, aut capere, quanta ille opera exercuerit.* (*Proverb. 30. v. 19.*)

§. 4. *Fuit continua vere oratio.*

Probabilis tamen, imò certa conjectura eſt, maximam temporis partem, dies noctesq;, Salvatorem noſtrũ conſumpſiſſe in ardentiſſimis precibus, & in dulci, cum Patre cœleſti conver-

converſatione. Gemitus ſanctiſſimi Cordis, ſuſpiria ardentiſſimi pectoris, oculorum lacrymas, genuflexiones, expanſiones brachiorum, internam externamq; ſanctiſſimæ Humanitatis erga Divinitatem, reverentiã, quis comprehendere poterit? Probabiliter quoq; cogitare poſſumus, ſanctiſſimos eius Parentes, Mariam & Joſephũ, quoties adverterunt Filiũ perſeverare in oratione; idem feciſſe. Occupationes exteriores, labores manuum, comeſtio, colloquia, minimã temporis partem abſumpſerunt; maximam, Oratio. Ut vita Jeſu, Mariæ & Joſephi, imò ſomnus, continua fuerit oratio; Corde & deſideriis ſemper erant in cœlis, corã throno SS. Trinitatis. Ut Nazaretica domuncula longè ſanctior fuerit, quàm fuerint ſancta ſanctorum. Domuncula plena odoribus ſuaviſſimi thymiatis, quale fuit oratio Jeſu, Mariæ & Joſeph.

De habitatione alicuius pii Religioſi dixit S. Hieronymus, *Oppidum mihi carcer eſt, & ſolitudo Paradiſus.* O ſancti Angeli, hoc elogium aureis literis inſcribite domui Nazarethicæ: hæc fuit in terris Paradiſus, & hortus deliciarum, in quo Roſa ardentis devotionis fuit Jeſus; lilium candidiſſimum pietatis Maria, Viola ſpirans odores cœleſtiũ deſideriorum Joſephus. Pater piiſſimus, Mater piiſſima, filius piiſſimus. Cuſtodes huius paradiſi in terris puto fuiſſe Cherubinos. In hoc horto Perſonę tres in terris ſanctiſsimæ vitam duxerunt innocentiſsimam. *§. 5. Domus Nazarethica in quâ habitarunt Ieſus, Maria, Ioſephus, fuit Paradiſus.*

Cellam ſive habitationem Animæ devotæ Aſcetici vocant Conclave Divini Amoris, ob mille deſideria, ob innumerabiles actus amoris, dilectionis, religionis, devotionis, quibus anima ſola, abſtracta ab omnibus creaturis Deum ſuum amat; illi loquitur, cum illo converſatur per ardentes preces. Vos iterum obteſtor, O S. Angeli, valvis domus Nazarethicæ aureis literis inſcribite Conclave amoris, in quo habitarunt in terris: Fons amoris, Jeſus! Mater pulcræ dilectionis Maria! Sponſus huius Matris Joſephus. Filius devotiſsimus, Mater devotiſsima, Pater devotiſsimus in conclavi ardentis amoris vitam vixerunt ardentiſsimam. Ardentes Seraphini fuerunt Cuſtodes. *§. 6. Conclave Divini amoris.*

§. 7. *Cœlum.*

S. Bernhardus Domum Religioſam, in qua viri devoti, cum pietate & devotione Deo ſerviunt, vocavit Aulam Angelorum, imò Cœlum. Hoc elogio longè magis ornari debent portæ illius domunculæ, in qua Jeſus, Maria, Joſeph vixerunt in terris vitam planè Angelicam. O ſi talis eſſet vita noſtra!

§. 8. *Similia elogia quibuſdam ædibus poſſunt inſcribi.*

Sed ignoſcite mihi, Auditores mei Bambergenſes, quales ſunt ædes noſtræ? Poteſtne dici, hæc domus, eſt Paradiſus; Paterfamilias eſt roſa, Conjux eſt lilium, filii & filiæ ſunt violæ; omnes qui habitant in hac domo, etiam ſervi & ancillæ, ſunt pii, devoti, dediti orationi. Inter omnes eſt pax & concordia. Poteſtne dici, hæc domus, eſt conclave in quo habitat Divinus Amor. Inquilini omnes ita conſtituti ſunt, ut (quod eſt fundamentum veræ devotionis) malint mori, quam Deum graviter offendere: hunc amant ſuper omnia. Prima omnium cura eſt, ut Deo ſerviant. Quales ſunt ædes veſtræ? poteſtne dici? Hæc domus eſt Aula Angelorum, & quoddam in terris cœlum; inquilinorum enim præcipua converſatio, exemplo Jeſu, Mariæ, & Joſeph, in cœlis eſt.

§. 9. *Alia verò ſunt Infernus, Conclavia Veneris, Aula dæmonum.*

Sed timeo ne cum Angelo bono, circumeat Angelus malus, qui in tenebris atro colore alios titulos, aliis ædibus inſcribat. Aliquibus fortaſſis ſunt: Infernus in terris, nam in inferno damnati nil aliud faciunt quam maledicere Deo, blaſphemare. Sunt ædes in quibus blaſphemi parentes, blaſphemi filii, blaſphemi famuli idem faciunt, ut taceam imprecationes, juramenta, &c. talis domus infernus eſt in terris. In inferno nulla eſt pax ſed perpetuæ rixæ, ubi diaboli miſeras animas æternum vexant, tales ſæpe ſunt ædes, in quibus rixæ perpetuæ; rixatur maritus, rixatur uxor &c. Vir eſt diabolus qui vexat uxorem, contra &c. filii dæmunculi lacerantes corda parentum &c. talis domus Infernus eſt in terris, ab his ædibus procul ſunt Jeſus, Maria, Joſeph. Aliis ædibus ille Angelus forte inſcribet, Conlave amoris, non caſti & ſancti, ſed impuri; hoc titulo ſunt notandæ ædes, in quibus maritus ſæpe eſt adulter, Mulier adultera, filiæ meretrices,

tentrices, filii lenones, famulæ &c. in his ædibus non audiantur niſi obſcæna, cantilenæ inhoneſtę à parvulis &c. videntur turpia picturæ non tolerandæ, fiunt ſcelera quibus Deus graviſſimè offenditur; in talibus domibus non habitant Jeſus, Maria, Joſeph, ſed Cupido, Venus & Aſmodeus. Aliis ædibus forte inſcribet, loco Angelorum, Aula Bacchi &c. pulcre deſcribe ædes, præcipuè popinas & tabernas potatorum. Sed arbitror in hac urbe pauculas tales ædes inveniri, plures ſunt præcipue conjugatorum & civium (de quibus præcipuè ago) in quibus incolini vivere cupiunt & Deo ſuo ſervire ſecundum exemplar vitę Jeſu, Mariæ & Joſeph.

Inde pendet in domo vel familia aliqua ſecundus rerum omnium ſucceſſus, ſi Pater familias ſollicitus ſit ut omnes curę ſuę traditi & commiſſi, ſint dediti devotioni, Deumque ante omnia piè colant, ut cura illorum, quæ Dei cultum concernunt, pręcedant ſollicitudines temporales. Pulcerrimum Patrum familias ſpeculum fuit S. Elzcarius Comes; ille, qui prę flamma divini amoris ità igneſcebat interius in facie, in oculis, ut ſe proderet latens flamma: ille comes, qui Conjugi ſuę ſcribere fuit ſolitus, ſi me quæris, invenies me in corde & Vulneribus ſalvatoris; ibi habito. Ille Princeps, qui in matrimonio cum conjuge illibatam conſervavit Virginitatem. Ille denique dilectus filius Marię, à qua ſępius fuit viſitatus. Elzcarius inquam has leges ſuis pręſcripſit domi ſervandas. 1. *Omnes quotidie, nullo excepto interſint ſacrificio Miſſæ.* 2. *Vivant omnes caſte in Verbis & factis. Impuri domo mea ſtatim exturbentur.* 3. *Nullus menſam accedat, de quo conſtet, quod palam lapſus ſit in peccatum mortale.* 4. *Singulis ſeptimanis omnes confiteantur, ad ſacram ſynaxin accedant ſemel in menſe.* 5. *habeant omnes, ſelectas preces & orationes, quas quotidie devote recitabunt.* 6. *Nullæ audiantur blaſphemiæ vel imprecationes. Denique* 7. *conabuntur omnes mutuam ſervare pacem & concordiam.* Ex his facile intelligetis, quid à nobis exigat Devotio & Pietas, quam nobis proponit SS. Vita Jeſu, Mariæ & Joſeph. Aggredior nunc alteram partem concionis,

§. 10. *Regulæ quas Comes Elzcarius ſuis famulis præſcripſit. circa verã devotionẽ & pietatẽ.*

cionis, ut vobis oſtendam inde pendere, noſtram in terris proſperitatem; Sive, quam proficua nobis ſit, ſi ante omnia ſolliciti ſimus ut Deum quæramus.

§. 11. *Pietas eſt vera ſapientia, quæ noſtram firmat felicitatem, & ornat reliquas omnes virtutes.* *Sapient. 9. v. 6.* *Exod. 28. v. 16.*

Veriſsime dixit ſapientiſsimus Salomon: *Et ſi quis erit conſummatus inter filios hominum, ſi ab illo abfuerit ſapientia tua, in nihilum computabitur.* Una ſiquidem ſapientia, quæ DEUM ejuſque cultum ſpectat, valet & poteſt humanam felicitatem firmare. Hanc maximam alii SS. Patres ita proponunt; ſine Religione & vera devotione erga Deum, bona huius mundi non ſubſiſtunt. Virtus Religionis ornat reliquas omnes virtutes. In veteri teſtamento deſcribuntur illæ veſtes, quibus Dei imperio fuit ornatus ſummus ſacerdos; nam inter cætera precioſa ornamenta ait ſacer textus: *Facies & laminam de auro puriſſimo, in qua ſculpes opera cælatoris, ſanctum Domino. Ligabiſque eam vitta hyacinthina; & erit ſuper tiaram, imminens fronti Pontificis.* Ad quid hæc aurea lamina? Credo ego per illam fuiſſe ſignificatam Sapientiam, quæ eo ſpectat, ut Deum colat, ſine quâ nullus alius ornatus eſt elegans, S. Hieron. ep. ad Fabiol. *Lamina aurea rutilat in fronte: nihil enim nobis prodeſt omnium rerum eruditio, niſi Dei ſcientia coronemur. Lineis induimur, ornamur Hyacinthinis, ſacrato balthteo cingimur, dantur nobis opera, rationale in pectore ponitur &c. imperfecta ſunt univerſa, niſi tam decoro currui dignus quæratur auriga, & ſupra creaturas Creator inſiſtens, regat ipſe, quæ condidit.* Quid pulcrius? Univerſi hominum ornatus, omnia bona huius mundi, divitiæ, honores, regna, imperia, imperfecta ſunt, currunt in nihilum, facile evaneſcunt, niſi ſapientia illa, quæ Deum ſpectat, & Deum ad omnia adducit, & ſuper omnia ponit, niſi Religio & Devotio in omnibus nobis aſsiſtat. Quo ſpectans S. Paulus dixit; *Sapientiam autem loquimur, non huius ſæculi, neque principum huius ſæculi, quæ deſtruuntur &c.* quibus verbis oſtendit, potentes huius mundi præcipites ferri in ruinam ſine Religione.

1. Cor. 2. v. 7.

Adver-

Advertendum eſt, Salomonē non petiiſſe à Deo quam- §. 12.
cunque Sapientiam, ſed illam quæ in prima mundi creatio *Qualem Sa-*
ne illi aſtitit, ait enim: *Quæ novit opera tua, quæ aſſuit tunc cum* *pientiam*
orbem terrarum faceres. Cur hæc Sapientia exquiritur à Salo- *Salomon à*
mone? ſic ait Liber geneſis. *In principio creavit Deus cœlum &* *Deo poſtu-*
terram. Circa quæ verba ita diſcurrit Theophylus Antich. l. *laverit.*
2. ad Autolicum. *Homo quidem ſuper terra ædificium ponere ſo-* *Sap. 9. v. 9.*
let; ſed non niſi fundamento jacto, faſtigium ædificio imponere po- *Gen. 1. v. 1.*
teſt; cæterum Dei potentia hinc innoteſcit; creatio cœli primo loco
facta eſt. Ecce homines architecti ante omnia ſcrutantur ter-
ræ viſcera; at Creator à faſtigio, à cœlo incepit. Primò egit,
ut cœlum appareret. Hæc itaque Sapientia inprimis à nobis
eſt, expetenda, quæ primo loco, & ante omnia Deum quæ-
rit. eiuſq; cultum, per eximiam & nobiliſſimam virtutem,
quæ Devotio dicitur. Hanc nos docuit in hodierno Evange-
lio, Duodennis Puer, Verbo & exemplo. Exemplo dum tri-
duo in templo remanſit; verbo, dum ait parentibus: *neſcie-* *Luc. 2.*
batis, quia in his quæ Patris mei ſunt, oportebat me eſſe? q. d. pri- *v. 49.*
ma mea cura eſt, ut Patri meo placeam.

Proinde decipiuntur illi, præſertim magnates & Princi-
pes, qui ſtatum, ut vocant, præponunt pietati, & Religioni. §. 13.
pulcrum exemplum nobis proponit liber Reg. Theodore- *Falluntur*
tus enim ingenioſè advertit modum & ordinem, quem ſer- *Principes*
vavit David, dum filium ſuum Salomonem juſſit coronari in *qui ſtatum*
Regem Iſraëlis. Ait enim David, *Vocate mihi Sadoc Sacerdo-* *ut vocant*
tem, & Nathan Prophetam, & Banaiam. Ut Salomon proclame- *Deo prapo-*
tur Rex, ut id cadat proſperè, imprimis vocatus eſt Sacerdos, *nunt; qui*
deinde Propheta, poſtremò Dux exercitus. Aliū planè ordinē *de mundo*
obſervavit Adonias, cum regiū parentis ſolium vi voluit con- *magis ſunt*
ſcendere, ait enim idem Sacer textus; *ſermo illi cum Ioab, filio* *ſollicití, quam de devotione.*
Saruiæ, & cum Abiathar Sacerdote, Item *vocavit omnes filios* *3. Reg. 1.* *v. 32.*
Regis, & Principes exercitus, & Abiatharem Sacerdotem. Ubiq; *v. 9.*
in electione Adoniæ Sacerdos fuit ultimus, in electione verò
Salomonis fuit primus. Adonias regnū, divitias, favorē militū
affectavit, antequā de Deo eiusq; cultu eſſet ſollicitꝰ; è contra

David, voluit prius ſacerdotes eſſe ſollicitos, ad implorandam Divinam gratiam; deinde ſi ita Deo placeret, filio Salomoni tradi Sceptrum. Ob hanc ipſam cauſam non miremur, conatus Adoniæ fuiſſe irritos; coronationes verò Salomonis ſuccelsiſſe feli ciſsime. Adoniæ, in ultimis fuit religio, & & rejectus fuit à Deo; Regnum verò Salomonis ſupremam attigit felicitatem, quia primum eius fundamentum, fuit Sacerdotium & religio, Deus, & eius cultus. Utinam non hodie cum dolore videremus ſimiles errores (poterit fieri pulcra digreſſio, apta tempori & loco)

§. 14. Lib. 3. Reg. ait textus, *Confirmatum eſt igitur regnum in*
Regnum *manu Salomonis*: & pene immediatè ſequitur, *Dilexit autem*
Sa loonis *Salomon Dominum, ambulans in præcepto patris ſui, & accendebat*
quomodo dicatur fir- *thymiama, mille hoſtias in holocauſtum obtulit Salomon.* Hi ſcili-
matum. cet ſunt actus illius devotionis, quæ firmat regna; Amare
3. *Reg.* 3. Deum, ambulare in præceptis eius, offerre thymiama & ho-
v. 1. ſtias, per ardentes orationes. Proinde ait Dominus ad Salo-
3. *Reg.* 6. monem, *Domus hæc quam ædificas, ſi ambulaveris in præceptis*
v. 2. *meis, & judicia mea feceris, & cuſtodieris omnia mandata mea, gradiens per ea; firmabo ſermonem meum ibi, quem locutus ſum ad David Patrem tuum. Et inhabitabo in medio filiorum Iſrael.* Eadem ferè populo ſuo promiſit, per Jeremiam: *Bonas facite*
Ieremiæ 7. *vias veſtras, & ſtudia veſtra, & habitabo vobiſcum in loco iſto.*
v. 3. Symmachus legit, *Et confirmabo vos in loco* iſto. Theodoretus. *Inhabitare vos faciam in loco iſto.* Quid pulcrius? Idem eſt, quod Deum diligamus &c. & quod Deus habitet nobiſcum, ſive præſens ſit habitationi noſtræ, & quod faciat nos ibi eſſe, & quod in regno, in divitiis &c. ſua protectione nos confirmet. Ita D. Hieron. ibi. *Habitabo vobiſcum, ut ſecuros*
Pſal. 139. *de habitatione vos faciam, ſive vos ipſos, firmâ habitatione fun-*
v. 14. *dabo, & confirmabo vos.* Verbum hoc habitare, eleganter explicat Regius pſaltes: *Habitabunt recti* (devoti) *cum vultu tuo*, quibus voculis ingens comprehenditur utilitas. ait enim D. Auguſtinus. Malè illis fuit in vultu tuo; bene illis erit cum vultu tuo. Quando vultum ſuum amaverunt, in ſudore vultus ſui manducaverunt panem ſuum. Redeant (ament

ante

ante omnia Deum, ſint pii & devoti) & deſerto ſudore, finitis laboribus pereunte gemitu, veniet illis, *facies tua abundans ſufficientia.* Quippe cui Deus præſens adeſt, illi de omnibus bonis abundantiſſima eſt ſufficientia. Ex his nos quoque colligemus, quam Dei amor & pietas atq; devotio, nobis ſit neceſſaria, ſi Deum volumus nobis adeſſe, & cum illo, veram felicitatem.

Convenerant aliquando Iſraëlitæ in Maſphat, ut ibi rem religionis agerent, & Deo ſacrificarent. Quos dum Philiſtæi viderunt inermes, aggreſsi illos ſunt valida manu. Sed mentita eſt iniquitas ſibi; quos putarunt infirmos, adeo repererunt fortes & validos, ut mox turpiter fugere fuerint coacti. *Egreſſi contra filii Iſrael de Maſphat perſcuti ſunt Philiſtaos, & percuſſerunt eos, tulit autem Samuel lapidem, & poſuit eum inter Maſphat & inter Sen, & vocavit nomen loci illius, lapis adjutorii.* Joſephus legit, *Fortitudo* ſeu *fortes.* Sed unde illa fortitudo? ſine armis? dum orant? Rem ſic exponit Joſephus l. 6. c. 2. Cum populus votis & ſacrificiis operam daret, magnamq; religionẽ & cultus Divini curam præ ſe ferrent &c Samuel, juſſit ſecuro illos eſſe animo, & mactato agno lactente &c. priuſquam totam hoſtiam flamma abſumeret, nondum ſacro peracto, hoſtis in conſpectu aciem explicat, rem factam ſe habere putans, interceptis Judæis imparatis ad pugnam, & tantùm non inermibus. At longè aliter excepti ſunt. Primum enim terra intremuit; deinde fulminibus crebris attoniti in fugam ſpem totam ponebant. Cum ſubitò Samuel in perturbatos irruit, cæſiſque plurimis, & fixo ibi victoriæ ſuæ termino, qui trophæi vice eſſet, appellavit eum Fortes, in ſignum donatæ à Deo fortitudinis. Sed quod fuit victoriæ initium? Pietas, devotio, Dei cultus, *Cum populus &c.*

§. 15. Pietas, inermes facit fortes. 1. Reg. 7. v. 11.

Addam elegantem ex D. Fulgentio locum, & Concioni finem imponam. Libro de veritate prædeſtinationis & gratiæ ait. Clementiſſimus quoque Imperator, non ideo eſt vas miſericordiæ, præparatum in gloriam, quia apicem terreni

§. 16. Elegans locus ex S. Fulgentio in laudem Religionis.

reni principatus accepit,ſed ſi in imperiali culmine recta fide vivat, & vera cordis humilitate præditus, culmen regiæ dignitatis Religioni ſubiiciat,ſi præ omnibus ita meminerit ſe S. Matris Eccleſiæ filium, ut eius paci atque tranquillitati, per univerſum mundum prodeſſe faciat, ſuum principatum. Magis enim, Chriſtianum regitur, atque propagatur Imperium, dum Eccleſiaſtico ſtatui per omnem terram conſulitur,quam cum in parte quacunque terrarum,pro temporali ſecuritate pugnatur.(In Epilogo hoc applica cuivis urbi, vel domui & familiæ in particulari. Ubique, apud omnes, felix rerum ſucceſſus, proſperitas & felicitas, pendet à pietate, atque religione.

CONCIO VII.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ.

Luc. 2. v. 1.

SYNOPSIS CONCIONIS.

LAudat conjugales Virtutes, Concordiam,Pacem,Unionem, Amorem, Dilectionem, Patientiam Officioſam caritatem; quæ faciunt matrimonia fauſta & fortunata. Vitia contraria, præbent occaſionem variis invectivis: illa enim reddunt matrimonia infauſta & infeliciſſima.

§. 1. *Brevis propoſitio Concionis.*

§. 2. *Concordia & pax inter conjugatos, eſt beneficium Dei.*

§. 3. *Inter Perſonas ſanctiſſimæ Trinitatis eſt ſumma unio, & concordia.*

§. 4. *Quam ad extra communicat creaturis, v. g. cœlis, elementis &c. Eccleſiæ.*

§. 5. *Eadem eſt neceſſaria conjugatis*

gatis, ut conjugium ſit felix. Diſcordia reddit infauſtum.

§. 6. *In quo conſiſtat conjugalis concordia & dilectio.*

§. 7. *Quæ, matrimonia facit felicia.*

§. 8. *Cur alia infortunata.*

§. 9. *Inter pacificos habitat Deus: proinde ſunt felices & glorioſi.*

§. 10. *Idem veriſſimum eſt de conjugibus.*

§. 11. *Cur flamma non nocuerit tribus Pueris in fornace Babylonica? unde illis ſolatia?*

§. 12. *Matrimonium, poteſt dici caminus, in quo tamẽ multis eſt bene! Quare?*

§. 13. *Inter conjuges, ut ſint felices, requiritur fortis Patientia. In quo illa conſiſtat?*

§. 14. *Requiritur officioſa caritas. Vxoribus ſpeculum fuit Rebecca.*

§. 15. *Viris, Iacob in Veteri, Chriſtus D. in N. Teſtamento.*

§. 16. *Officioſa illa caritas, requiritur potiſſimũ in morbis. Viris, ſpeculum fuit quidã Dominicus.*

§. 17. *Vxoribus proponuntur tres vel quatuor Heroinæ.*

§. 18. *Iobo, percuſſo ulcere peſſimo, ſummum tormentum fuit, peſſima Vxor.*

MEmini, quod ante octiduum invitaverim, meos Auditores ad Concionem nuptialem, erit illa diſcurſus ſolidus, fundatus in ſacris litteris, de tribus virtutibus Conjugatis planè neceſſariis, ut matrimoniũ, illis ſit fauſtum, felix, & fortunatum. Virtutes illæ, ſunt Concordia, Conjugalis amor, affabilitas, patientia, tolerantia &c. Vitia, his virtutibus oppoſita, diſcordiæ, odium, ipſa impatientia &c. matrimonia reddunt infauſta, infelicia & infortunata. Prioribus matrimoniis adeſt Jeſus; abeſt à poſterioribus. §. 1. *Brevis Propoſitio Concionis.*

Ordiar à pace & concordia; quã ſi Deus, conjugatis largiatur, ingens illis confert beneficium; quod regius Pſaltes agnovit. *Deus in loco ſancto ſuo, Deus qui inhabitare facit unius moris in domo.* Unius moris, id eſt, unius cordis, unius animi, unius voluntatis, unius benevolentiæ; cũ itaq; in una domo, vel in matrimonio ſancto, tales ſunt, maritus & uxor, Deus id facit; & apud illos, inter illos, cum illis habitat: quod Chriſtus D. illis & omnibus Chriſtianis, mutuo dilectionis vinculo colligatis, promiſit. *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram & duo* §. 2. *Concordia & pax inter conjugatos eſt beneficium Dei.* *Pſ. 67. v. 7.* *Matth. 18. v. 19.*

Digitized by Google

reni principatus accepit, ſed ſi in imperiali culmine recta fide vivat, & vera cordis humilitate præditus, culmen regiæ dignitatis Religioni ſubiiciat, ſi præ omnibus ita meminerit ſe S. Matris Eccleſiæ filium, ut eius paci atque tranquillitati, per univerſum mundum prodeſſe faciat, ſuum principatum. Magis enim, Chriſtianum regitur, atque propagatur Imperium, dum Eccleſiaſtico ſtatui per omnem terram conſulitur, quam cum in parte quacunque terrarum, pro temporali ſecuritate pugnatur. (In Epilogo hoc applica cuivis urbi, vel domui & familiæ in particulari. Ubique, apud omnes, felix rerum ſucceſſus, proſperitas & felicitas, pendet à pietate, atque religione.

CONCIO VII.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ.

Luc. 2. v. 1.

SYNOPSIS CONCIONIS.

LAudat conjugales Virtutes, Concordiam, Pacem, Unionem, Amorem, Dilectionem, Patientiam Officioſam caritatem; quæ faciunt matrimonia fauſta & fortunata. Vitia contraria, præbent occaſionem variis invectivis: illa enim reddunt matrimonia infauſta & infeliciſſima.

§. 1. *Brevis propoſitio Concionis.*

§. 2. *Concordia & pax inter conjugatos, eſt beneficium Dei.*

§. 3. *Inter Perſonas ſanctiſſimæ Trinitatis eſt ſumma unio, & concordia.*

§. 4. *Quam ad extra communicat creaturis, v. g. cælis, elementis &c. Eccleſiæ.*

§. 5. *Eadem eſt neceſſaria conjugatis*

gatis, ut conjugium ſit felix. Diſcordia reddit infauſtum.

§. 6. *In quo conſiſtat conjugalis concordia & dilectio.*

§. 7. *Quæ, matrimonia facit felicia.*

§. 8. *Cur alia infortunata.*

§. 9. *Inter pacificos habitat Deus : proinde ſunt felices & glorioſi.*

§. 10. *Idem veriſſimum eſt de conjugibus.*

§. 11. *Cur flamma non nocuerit tribus Pueris in fornace Babylonica? unde illis ſolatia?*

§. 12. *Matrimonium, poteſt dici caminus, in quo tamẽ multis eſt bene! Quare?*

§. 13. *Inter conjuges, ut ſint felices, requiritur fortis Patientia. In quo illa conſiſtat?*

§. 14. *Requiritur officioſa caritas. Vxoribus ſpeculum fuit Rebecca.*

§. 15. *Viris, Iacob in Veteri, Chriſtus D. in N. Teſtamento.*

§. 16. *Officioſa illa caritas, requiritur potiſſimũ in morbis. Viris, ſpeculum fuit quidã Dominic9.*

§. 17. *Vxoribus proponuntur tres vel quatuor Heroinæ.*

§. 18. *Iobo, percuſſo ulcere peſſimo, ſummum tormentum fuit, peſſima Vxor.*

MEmini, quod ante octiduum invitaverim, meos Auditores ad Concionem nuptialem, erit illa diſcurſus ſolidus, fundatus in ſacris litteris, de tribus virtutibus Conjugatis planè neceſſariis, ut matrimoniũ, illis ſit fauſtum, felix, & fortunatum. Virtutes illæ, ſunt Concordia, Conjugalis amor, affabilitas, patientia, tolerantia &c. Vitia, his virtutibus oppoſita, diſcordiæ, odium, ipſa impatientia &c. matrimonia reddunt infauſta, infelicia & infortunata. Prioribus matrimoniis adeſt Jeſus; abeſt à poſterioribus.

§. 1. Brevis Propoſitio Concionis.

Ordiar à pace & concordia; quã ſi Deus, conjugatis largiatur, ingens illis confert beneficium; quod regius Pſaltes agnovit. *Deus in loco ſancto ſuo, Deus qui inhabitare facit unius moris in domo.* Unius moris, id eſt, unius cordis, unius animi, unius voluntatis, unius benevolentiæ; cũ itaq; in una domo, vel in matrimonio ſancto, tales ſunt, maritus & uxor, Deus id facit; & apud illos, inter illos, cum illis habitat: quod Chriſtus D. illis & omnibus Chriſtianis, mutuo dilectionis vinculo colligatis, promiſit. *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram & duo*

§. 2. Concordia & pax inter conjugatos eſt beneficium Dei. Pſ. 67. v. 7. Matth. 18. v. 19.

duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ſub in medio eorum. Itaque in matrimonio, vel apud Conjuges, inter quos mutua eſt concordia, ibi Chriſtus eſt per gratiam, ibi Deus eſt, ibi eſt SS. Trinitas, faciens unionem, ſanctamque concordiam, mentium, & animorum, in verbis & in omnibus actionibus.

§. 3. *Inter Perſonas SS. Trinitatis eſt ſumma unio & concordia.*

Latet in his verbis Chriſti D. ſublime & Theologicum principium. Nam inter tres Perſonas SS. Trinitatis, ſumma atque perfectiſsima eſt unio atque concordia. Pater, Filius & Spititus S. licet tres Perſonæ ſint diſtinctiſsimæ, unum tamen ſunt, prout Chriſtus D. loquitur, Ego & Pater unum ſumus; & proinde ſummæ ſunt concordes; non accidentaliter ſed eſſentialiter, quia unam eandemque numero, ac individuam habent eſſentiam, conſequenter & mentem, ac voluntatem, concordiamque; quare, quod vult Pater, hoc eſſentialiter volunt Filius & Spiritus Sanctus. Unio hæc atque concordia conjuncta eſt neceſſario, cum infinito amore, ſine quo unio illa non ſubſiſteret. Amor verò & unio ſecum trahunt gaudium & infinitam beatitudinem ac felicitatem. Hæc omnia, ad intra, ut ſcholæ loqui ſolent, inter Perſonas SS. Trinitatis.

§. 4. *Quam, ad extra communicat, creaturis; vg. cælis, elementis &c. Eccleſiæ.* *Iob. 25. v. 2.* *Cap. 38. v. 37.*

Ad extra, hanc concordiam Deus communicat creaturis. de quo ait- *Qui facit concordiam in ſublimibus ſuis*, in cœlorum concentu, in diſsonanti, tot orbium, motuum, ſiderum, ſtellarum conſonantia, & diſcordi concordia; *Quis enarrabit cælorum rationem, & concentum cæli quis dormire faciet?* Imò elementis, rebuſque omnibus ſublunaribus, hanc concordiam, & concordem variationem, in hyeme, in vere, in æſtate, in autumno, in luce & tenebris, per dies & noctes, &c. impreſsit atque communicavit, & operatur mirabilius in cœlo, quid magis ſtupendum, quam quod tria ſint unum, & unum tria? facit id concordia. Quid admirabilius in terris, quam quod multitudinis credentium in Eccleſiâ ſub uno capite Chriſto, ſit cor unum & anima una? facit id concordia, cum omnium ingenti lætitia atque ſolatio: à concor-

Digitized by Google

concordia pendet, quod milliones Chriſtianorũ conſpirent in unum: à concòrdia pendet, quies inter cœleſtes orbes, & omnia elementa in terris.

§. 5. *Eadem eſt neceſſaria Conjugatis ut conjugiũ ſit felix. Diſcordia reddit infauſtum.*

Si quis mihi jam quæſtionem hanc proponat, Cur quædam matrimonia fauſta ſunt, alia infortunatiſsima. Reſpondeo: in his inter conjuges habitat diſcordia, per quam dum diſſenſionum Pater diabolus, illorum corda, mentes, animos, affectus, & cogitationes, dividit, ſcindit, divellit, diſſociat, diſsipat; impoſsibile eſt, ut ibi ſit amor, ut ſit quies, ut ſit beatitudo; ſed rixæ, odia, diſſenſiones, amaritudo; verbo, infelicitas. Si vero dici poſſit, inter hos conjuges habitat Deus; qui facit, ut duo, in carne, in corde, in animo, in affectu, in cogitationibus, ſint unum; hic amor eſt, hic quies eſt, hic eſt gaudium, hic eſt beatitudo: Concordia facit illos Angelos, diſcordia diabolos. Concordia facit, ut ſint ſpeculum SS. Trinitatis; diſcordia efficit, ut ſint imagines diabolorum. Diſcordia inter conjuges ſeminat ſpinas; concordia roſas. Concordia facit cœlum; diſcordia infernum.

§. 6. *In quo conſiſtat conjugalis cõcordia & dilectio. Eph. 5. v. 1.*

Super cap. 5. ep. ad Eph. *Eſtote imitatores Dei, ſicut filii cariſſimi, & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos.* eleganter ait S. Bernhardus ſer. 83. in Cant. *Talis conformitas* (intelligetis ex hoc ſancto Patre, adhuc clarius, in quo conſiſtat illa concordia, de qua paulo ante egi) *maritat animam Verbo, cùm, qui videlicet ſimilis eſt per naturam, ſimilem nihilominus ipſi ſe exhibet per voluntatem; diligens, ſicut dilecta eſt. Quid hac conformitate jucundius? quid optabilius caritate? qua fit ut per temetipſum, O anima, fiducialiter accedens ad Verbum, Verbo conſtanter adhæreas.* Ita Chriſtum D. dilexit S. Paulus dum ait: *Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profunditas, neque creatura alia, poterit nos ſeparare à caritate Dei.* S. Ambr. in pſ. 43. *Nec enim perſecutio ulla, aut fames, aut gladius poteſt à Chriſto D. ſeparare, quem vincula divinæ caritatis aſtringunt.* De his vinculis ait Evan-

Rom. 8. v. 38. 39.

Digitized by Google

monio abeſt Jeſus; qui, *quia pax eſt atque caritas* (D. Hilarius in S. Matth. canone. 18.) *ſedem in bonis ac pacificis voluntatibus collocavit.* Per concordiam & amorem Conjuges ad ſe attrahunt Jeſum, qui illos facit habitare in loco ſancto, unius moris. Econtra. *Hi namque qui conjugium ita ſuſcipiunt.* (ita in illo vivunt) *ut Deum à ſe & ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus & mulus* (per luxuriam aliis vitiis, odio, rixis, ut ſerpentes &c.) *quibus non eſt intellectus, habet poteſtatem dæmonium ſuper eos.* Hinc mille infortunia, quoad corpora & quoad animas. Melius eſſet multis viris, ſi alligati ad molarem lapidem, demergerentur in profundum maris, quam quod adſtricti ad peſſimam uxorem, vivant in morali periculo æternæ damnationis, & contra. *Tob. 6. v. 17.*

§. 9. *Inter Pacificos habitat Deus, proinde ſunt felices & glorioſi.*

Ubi Joſuæ Rubenitæ & Gadithæ, in religione unanimes & conformes cum Iſraelitis reperti fuerunt, Phinees ſacerdos cum gaudio exclamavit, *nunc ſcimus, quod nobiſcum ſit Dominus*, nec immerito; nam concordia & unanimis amor eſt, qui Deum tenet, & cum illo omnem felicitatem ſecum trahit. Cum Prudentius pulcerrimos compoſuit verſus de univerſali pace, ſub Auguſto Romano Imperatore, cum Chriſtus D. natus fuit in Bethleem Juda, l. 2. adverſus Symmachum, eleganrer quærit, *Joſue 22. v. 31.*

Vin' dicam, quæ cauſa tuos Romane labores,
In tantum extulerit, queis gloria fortibus aucta,
Sic cluat, impoſitis, ut mundum frenet habenis?
Diſcordes linguis populos, & diſſona cultu,
Regna, volens ſociare Deus, ſubjungier uni
Imperio, quidquid tractabile moribus eſſet,
Concordiq; jugo retinacula mollea ferre,
Conſtituit, quo corda hominum, conjuncta teneret,
Religionis *Amor; nec enim fit copula Chriſto,*
Digna niſi implicitas ſociet mens unica gentes.

Sola Deum novit concordia ſola illa benignum illum proſperat orbi. Quo ſpectans David ait: *Factus eſt in pace locus* eius. circa quæ D. Hieron. *Non eſt umbraculum Domini, niſi ubi pax* *Pſ. 75. v. 3.*

eſt. Ubi zelus atque diſcordia, ibi non eſt protector Deus. Locus Dei non eſt niſi in anima, quæ pacem habet. Quæ ergo anima pacem non habet, ſciat ſe non eſſe locum Dei O quanta eſt pax & unanimitas ut Deum teneat. Habemus modum, quo facile poſſumus eſſe, ſcilicet, ſi pacem colamus.

§. 10. *Idem veriſſimum eſt de Conjugibus.* Sed redeo ad meam materiam; Vin' ſcire, an Deus habitet inter hos conjuges? an quod inde ſequitur, matrimonium illorum ſit felix & fortunatum? Vin' dicam, quæ cauſa illorum labores in tantum extollat, ut omnia ſuccedant proſpere? &c. ad hoc attendite, an in religione, in pietate, in familiæ adminiſtratione &c. Sint unanimes & conformes? an mutuus amor faciat, ut concordi jugo ferant vincula & retinacula matrimonii? an illorum corda ſociet caſtus amor? an illis ſit mens unica? cor unicum? Hoc amore, hâc concordia tenent ſecum Deum, qui omnia illis proſperat. Apud conjuges pacificos, factus eſt locus eius; non eſt umbraculum Domini in aliquo conjugio, niſi ibi ſit pax. Ubi zelus, ubi diſcordia, ubi rixæ, &c. non eſt protector Deus. Locus Dei non eſt in anima mariti, niſi diligat uxorem; & contra. Qui ergo conjuges pacem non habent; ſciant apud ſe non eſſe locum Deo. Ubi autem Deus non eſt, non poteſt eſſe proſperitas. O infelices nuptias, à quibus abſunt Jeſus & Maria! non eſt mirum, deeſſe ibi vinum, amoris & unionis, quod lætificat corda conjugum.

§. 11. *Cur flamma non nocuerit tribus Pueris in fornace Babylonica. Unde illis ſolatia inter flammas?* *Dan. 3. v. 5.* Notiſſima eſt hiſtoria ex Daniele, ubi propheta narrat, quod tres Pueri projecti fuerint in caminum ardentem. Talia referunt SS. Patres & ſacer codex. *Angelus autem Domini deſcendit, in fornacem, & excuſſit flammam ignis, de fornace, & fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis.* Tria ingentia miracula. 1. quod ignis illos non combuſſerit. 2. quod apparuerit illis Angelus, vel quartus juvenis ſimilis filio Dei. 3. quod inter flammas ſenſerint rorem & ſuave ſpirantem Zephyrum. Quæ tantorum miraculorum cauſa? D. Zeno l. 2. ſer. 32. reſpondet; *immiſſos igneo camino pueros,* non tetigit ignis, *ut eos unius virtutis eſſe præſenſit.*

ſubmerſi ſunt flammis ſtatim inviſibili rore incendia temperantur, incenſores cremantur, incenſis hymnum cantantibus flamma blanditur, Deus à Creatura benedicitur univerſa, in tribus, una mens, una virtus, unus triumphus exultat. Ipſa ſacra Scriptura hanc cauſam invenit; *Nec tetigit eos omnino ignis, neque contriſtavit, nec quidquam moleſtiæ intulit, tunc hi tres, quaſi uno ore laudabant, & glorificabant &c.* Ecce in media fornace nihil ſen- v. 50.
tiunt triſte; nihil moleſtum, aut aſperum, ſed magis dulciter canunt. Iterum D. Zeno l. 2. ſer. 33. *Credulo percipe corde, rem miram Chriſtiane: Hebræi tres pueri, ſibi pares, Trinitatis Sacramento præmuniti, unitatis una fide ſolidi, æqualitate pares, paſſionis victoria glorioſi. Mira opacitas intus, incendium foris eſt. Intus hymnus canitur.*

§. 12. *Matrimonium, poteſt dici caminus: in quo tamen multis eſt bene. Quare?*

Suppono paucis, ſtatum matrimonii, ob plurimas moleſtias &c. poſſe vocari caminum ardentem. Ignis eſt paupertas, ſcintillæ ſunt morbi, & mille adverſitates. Vin' ſcire cauſam ob quam pii conjuges illos ignes ſic tolerent, quaſi non ſentirent? Cur non deſint Angeli Cuſtodes, qui ipſos ſolentur? cur illis adſit filius hominis Chriſtus Jeſus, aquam imò ignes convertens in vinum? Unde decidat ille ros cœleſtium conſolationum? cur in adverſis, in tribulatione pii conjuges laudent Deum? unde ſuaves illi Zephyri cœleſtium deſideriorum? Breviter & clare, Cur matrimonium illorum ſit fauſtum? Breviter & clarè reſpondebo. Maritus & uxor ſunt muniti, unitate virtutis. Duo ſunt numero, ſed unum in concordia, in pace, in amore, in dilectione; In duobus, eſt una mens, una virtus, unus in adverſitate triumphus! ſunt duo, ſed quaſi uno ore, & uno corde laudant Deum. Foris incendia! foris ignis! foris paupertas, foris morbi &c. intus verò, gaudium, lætitia! nihil ſentiunt triſte, nihil illis eſt moleſtum, aut aſperum, magis dulciter canunt. Credulo

percipite corde rem miram Chriſtiani! Maritus & uxor, ſibi pares, Trinitatis Sacramento muniti, id eſt, ut ſuperius dixi, ſibi uniti & concordes, ut Perſonæ SS. Trinitatis, ut orbes cœlorum, ut cœleſtis Sponſus & Sponſa; Unitatis una fide ſolidi, paſſionis victoria ſunt glorioſi; in camino ignis ardentis ſunt læti, inter adverſitates ſunt feliciſſimi. Vos deinde diſcurrite, quare alii conjuges ſint infelices; ego propero ad tertiam virtutem, conjugatis planè neceſſariam, felices eſſe deſiderant, in difficili & moleſto ſtatu matrimonii.

§. 13. *Inter Conjuges, &c. ſint felices, requiritur fortis Patientia. In quo illa cōſiſtat. Eccleſ. 25. v. 1.*

Et eſt fortis atque invicta patientia, in ſupportando ſe invicem, ut utar phraſi S. Pauli; moraliter vix eſt poſſibile, ut maritus in aliquibus non ſit moleſtus conjugi, ut multo magis, ut uxor viro, non creet mille moleſtias. Ideo patientia conjugibus eſt neceſſaria. Eccleſiaſticus illam pulcris verbis exponit: *In tribus placitum eſt Spiritui meo, quæ ſunt probata coram Deo & hominibus; concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier bene ſibi conſentientes.* Ne cogitetis me redire ad priorem materiam: non ultima hæc verba, *Vir & mulier bene ſibi conſentientes*; græcus textus ſic legit: *mutuo una circumferentes, vel circumhabitantes.* Gramatici intelligunt, unum verbum ex his eſſe activum; alterum, paſſivum, utrumque includit pulcerrimum ſimile, quo eximia utriuſq; conjugis patientia ſignificatur, qua mutuas moleſtias tolerant; & in adverſitate unus alteri ſe accomodat. De rotâ alicujus currus proprie dicitur, quod volvatur & circumferatur, cum hac circumſtantia. Dum una pars rotæ gyratur, & vertitur, pars illi proxima & unita, ſive connexa, ad eundem locum neceſſario volvitur, ſurſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum: talis rota eſt matrimonium. Verbum activum circumferentes, innuit conjuges eſſe ſimiles duobus bobus, qui idem jugum cum patientiâ trahunt; & quo majori concordia, eò facilius. Tale jugum eſt matrimonium, ut verborum Eccleſiaſtici, *vir & mulier ſibi conſentientes*, hic ſit ſenſus. Quocumque fertur conjugum unus, vel propria voluntate, vel infirmitate, vel neceſſitate, eodem, ſponte ferri & inclinari de-

Digitized by Google

debet & alter. Vult v. g maritus die feſto frequentare templum, confiteri, communicare &c. Deo placitum eſt, ſi idem velit uxor (hoc modo, poterit fieri pulcra inductio) Maritum excipit morbus, paupertas, jactura, perſecutio; eadem perferre debet uxor, ut maritum ſoletur, compatiatur, ſerviat, eumque omnibus officiis, & modis adjuvet. Denique quocunque fortunæ ſtatus maritum impulerit, eodem impelli ſe ſinat uxor: ac vice verſa, quocumque impulſa & dejecta fuerit uxor, eodem ſequatur & maritus. Viri eſt, ut dum neceſſitas exigit, uxor ſerviat viro, & vir ſuo modo uxori.

Matrimonialis Patientia requirit, ut uxor ad ſervitia viri ſit promptiſſima; ut in officioſâ caritate ſit eximia, & excellens; Speculum uxoribus eſſe poterit Rebecca. Servus Abrahæ cum Iſaaco filio venit in Meſopotamiam ad urbem Nachor, quæſiturus illi Sponſam. Hæſit autem cum camelis extra civitatem juxta fontem, circa veſperum, quo filiæ habitatorum urbis egredi ſolent ad hauriendam aquam; Deliberans verò ſecum, quam nam in ſponſam deberet eligere, ait: *Puella cui dixero, inclina hydriam tuam, ut bibam; & illa reſponderit, bibe; quin & camelis tuis dabo potum, ipſa eſt, quam præparavit Dominus Servo ſuo Iſaac.* Miror ego, ſervum non dixiſſe; conjiciam oculos in formoſiſſimam, inquiram, quænam ditiſſima? & ſimiles circumſtantias. Sed ait Oleaſter in cap. 24. gen. *Non immeritò vir iſte, hoc potius ſigno, quam alio, uxorem Domini ſui cognoſcere voluit, ut eam videlicet, Iſaac eligere diſceret, in qua caritas & dilectio eluceret.* Qualis fuit Rebecca; affabilis in ſermone, bibe Domine: humilis, parata inſervire camelis; prompta, ſtatim hauriens aquam; modeſta; oculis & moribus. Vin' audire cauſam, ob quam conjugia multa ſint felicia? Uxores, ſunt Rebeccæ: ſunt memores, ſe à Deo eſſe datas viris, ut ſint illis in adjutorium, proinde ſunt affabiles, promptæ, officioſæ, humiles, ad omnia obſequia. Si verò uxor ſit moroſa, ſi tetrica &c. quod viro apud talem uxorem poterit eſſe gaudium?

§ 14. *Requiritur officioſa caritas, uxoribus, ſpeculum fuit Rebecca.*

Gen. 24. v. 14.

Digitized by Google

§. 15. *Viris Iacobus in V.T. Chriſtus D. in Novo* Gen. 29. v. 20.21.22.

Viris, ſacra Scriptura pulcerrimum proponit Speculum in Jacobo; qui præ nimio amore erga Rachelem, quatuordecim annis è domo paterna exul, duriſſimam ſubiit ſervitutem, dum diu, noctuque, æſtu & gelu affligeretur, & mille temporum ac ſoceri pateretur injurias, ut eſſet figura Chriſti Domini, qui deinde Sponſam ſuam Eccleſiam, adamavit, ut dixerit S. Paulus, *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus diligit Eccleſiam & ſe ipſum tradidit pro illa.* (Eph. 5. v. 25.) Hæc viri perfecti erga uxorem eſt norma, ut pro illa patienter multos ſuſtineat labores, & moleſtias, has conjugalis amor debet devorare, ſi fauſtum debeat eſſe matrimonium.

§. 16. *Officioſa illa caritas requiritur, potiſſimum in morbis &c. Viris fuit ſpeculum, quidã Dominicus*

Non permittit brevis horæ tempus, ut plura adducam exempla, finiam ſtatim concionem, cum conjugatis dixero cum S. Paulo: *Alter alterius onera portate.* & addidero, præſertim in morbis, & quidem diuturnis. In his potiſſimum apparet, mutuum obſequium & conjugalis patientia. Apparuit illa in viro eximio, (Dominicus fuit nomen eius) erga uxorem lepra infectam, à qua tamen nunquam voluit recedere, in omnibus illi obſequioſus, & affabilis, atque hilaris. (Gal. 6. v. 2.) Cauſam dat Fulgoſius lib. 4. c. 6. *Conjugalis enim caritas apud eum contagionis* (& vermium,) *timorem, tetrumq́ conſpectum, odoremque in ſecuritatem ac voluptatem verterat, quod eam juxta Dei Verbum, eandem carnem ſecum eſſe arbitrabatur.* (eſt locus acris invectivæ contra viros moroſos & querulos erga uxores ægrotas.)

§. 17. *Vxoribus tres Heroinæ.*

Heroina inter fœminas & conjugalis patientiȩ ſpeculum erga maritum ob varios morbos miſerum fuit Theogena uxor Agathoclis Regis in Sicilia: ab eius lecto dies noctesq́ue avelli non potuit, dicens: *nubendo ſe non proſperæ tantum, ſed omnis fortunæ iniiſſe ſocietatem; nec invitam, ſui Spiritus periculo empturam, ut extremos viri Soiritus exciperet.* Heroinæ fuerunt binæ Reginæ Angliæ, quæ ex venenatis maritorum ulceribus, pus & ſordes regis linguis exſugere non dubitarunt. O adjutoria! Heroina fuit Clara Concenta Burgis in Hiſpaniâ, nobiliſsima, pulcerrima, ut ditiſſima & devotiſsi-

ma

Digitized by Google

ma Virgo, Virago deſponſata nobiliſſimo Viro, ſed, quod mox poſt nuptias advertit ægro, occultisque ulceribus horrido. O Viraginem! nihil horrido ſpectaculo fuit territa; non cœpit propterea virum odiſſe, ſed tenerius & ardentius amavit. Decumbentis lectulo tam adhæſit pertinaciter, ut ſex ſeptimanarum ſpatio non ſe exuerit veſtibus, contenta plerumque duarum horarum ſomno. Cibos, potum, medicinas, emplaſtra ſuis ſemper manibus ægro præparavit. ulcera obligavit, pannos pure & ſanguine abominabiles, ipſa lavit. Ipſa repentes ex ulceribus vermes collegit. cum aſtantes ad decē paſſus à lecto de tetro conquererentur odore, ipſa dicebat ſe olere roſas & mala punica. Cum media mariti defecere, ipſa ſuos vendidit anulos, & theſauros, ne quid marito deeſſet: ob hanc eximiam conjugis caritatem, ob hæc uxoris obſequia, vir æger in decimum annum protraxit vitam. O invictam heroinæ patientiam! poſtquam obiit, alteri tamen nubere noluit; addit denique hiſtoria, *Ex quo liquidum ſit, quanta ſit virtus, quanta ſanctitas earum, quæ vero ac toto pectore, maritos, ut congruum eſt, amant.* (eſt locus pro elogio uxorum patientium &c. pro invectivâ contra moroſas.)

O miſeros viros, quibus dum ægri ſunt obtigere mulieres moroſæ, tetricæ, querulæ, impatientes. Miſer fuit Job cum à Sathana fuit percuſſus ulcere peſsimo, cum ſedit in ſterquilinio & teſta abraſit ſaniem &c. nihilominus aliqui ſentiunt, tormentum ipſi graviſſimum, fuiſſe nequam ipſius uxorem; hæc ſuaviter Jobum debuiſſet conſolari &c. ſed ait textus ſediſſe è regione, & cum ſannis dixiſſe viro, *Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua? benedic Deo, & morere.* Tales moloſſos etiam habet Bamberga &c. (iterum eſt locus pro invectiva.

§. 18. Iobo, percuſſo ulcere peſſimo, ſummum tormentum fuit peſſima uxor. Iob. 2. v. 9.

Epilogus ſit brevis & pulcra repetitio primi puncti, in laudem conjugalium Virtutum.

CON-

CONCIO VIII.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

Domine, ſi vis, potes me mundare.

Matthæi. 8. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

ORatio perfectiſſima conſiſtit in hoc, ut in omnibus nos conformemus Divinæ Voluntati, cum ingenti noſtro commodo; quod ex ſacra Scriptura, & variis teſtimoniis, aureiſque dictis SS. Patrum fuſius oſtenditur.

§. 1. *Quænam oratio omnium perfectiſſima.*

§. 2. *Illam Chriſtus D. nos docuit verbo & exemplo.*

§. 3. *Deſcriptio columnæ, quæ populum deduxit per deſertum.*

§. 4. *Fuit figura divinæ voluntatis, quæ nos ducit ad cælum.*

§. 5. *Teſſera Ordinis S. Spiritus, Si Deo placeat.*

§. 6. *Quænam fuerit præcipua Oratio Chriſti D. tempore Paſſionis.*

§. 7. *Qui Deo ſe committit, nullam timeat adverſitatem.*

§. 8. *Homo Deum magis glorificare non poteſt, quàm faciendo eius voluntatem.*

§. 9. *Ratio Theologica.*

§. 10. *Mirabilis opinio Henrici Suſonis.*

§. 11. *Gratiorem hoſtiam Deo offerre non poſſumus, quam noſtram voluntatem.*

§. 12. *Elegans dictum Æſchinis.*

§. 13. *Doctoris Angelici, & S. Thereſiæ.*

§. 14 *Regium ſpeculum ſive exemplum Davidis, in re ardua ſubjicientis ſe Divinæ Voluntati.*

§. 15. *Et-*

Digitized by Google

§. 15. *Etiam cum lapidibus peteretur à Semei.*
§. 16. *Et in perſecutionibus Saulis.*
§. 17. *Acquieſcens Deo eſt beatus, & habet pacem in hac vita.*
§. 18. *Reſignatio, & uſus huius oratiunculæ, Domine ſi vis! eſt optima diſpoſitio ad ſanctam mortem.*

BEne facit qui ſollicitus eſt, ut diſcat aureas praxes, bene orandi; ut vir Religioſus pœnitentem aliquam illas edoceret, quæſivit ex illa, quomodo oraret: reſpondit. *Oratio mea, frequenter eſt meditatio præcipuorum myſteriorum Paſſionis Chriſti Salvatoris mei; cum tenerrimo devotionis affectu, imò cum lacrymis, perpendo ſanguineum eius ſudorem, vel flagellationem, vel ſpineam coronationem &c. Bona eſt hac oratio*, dixit Religioſus, *ſed non eſt perfectiſſima*. Repoſuit illa: *Alias conſidero gravitatem meorum ſcelerum, quibus ſummum bonum offendi, quibus merita ſum infernum. &c. inde moveor ad actus Contritionis, aliarumque virtutum, ſpei, fiduciæ. &c.* Reſponſum Spiritualis Magiſtri, idem fuit quod ante, *Bona eſt hæc oratio, ſed non perfectiſſima.* Abiit pia mulier, tota triſtis & deſolata; cum flagranti deſiderio intelligendi, quænam eſſet oratio omnium excellentiſſima. Et apparuit illi formoſiſſimus Puer (ego puto fuiſſe Parvulum de Bethleem) & dixit; *Ego poſſum, & volo te conſolari. Vera ſolidaque devotio, oratio perfectiſſima, conſiſtit, in perfecta reſignatione in manus Dei; ut in proſperis, ita in adverſis, uniendo ſe intime, per amorem & caritatem, cum Deo: conformandoq; omnem voluntatem ſuam, cum voluntate divina.* Et hæc dicens puſio, diſparuit; cum ingenti animæ illius devotæ, pace, & conſolatione. §. 1. *Quænam oratio omnium perfectiſſima?*

Hæc nimirum eſt illa oratio, quam Chriſtus D. ore ſuo ſacroſancto nos docuit in oratione Dominica, in quarta petitione, Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra. inſuper, ſanctiſſimo ſuo exemplo, cum in anguſtiis mortis, in monte Oliveti, ad Patrem cœleſtem ſic oravit: *Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat calix iſte à me. Veruntamen, non mea, ſed tua fiat volun-* §. 2. *Illam Chriſtus D. nos docuit verbo & exemplo.* *Luc. 24. v. 42.*

Digitized by Google

tas. Leproſo in hodierno Evangelio, ſimilem orationem, pauciſſimis verbis comprehenſam, ſine dubio ſuggeſſit Spiritus ſanctus, *Domine! ſi vis! potes me mundare.* De oratiuncula, quam Saulus, vel S. Paulus, de equo dejectus breviter oravit, *Domine! quid me vis facere?* exclamat S. Bernhardus ſermone 1. in Converſione S. Pauli, *O Verbum breve! ſed plenum, ſed vivum, ſed efficax, ſed dignum omni acceptione*: eadem prorſus ego hodie affirmo de oratiuncula leproſi; brevis illa fuit, ſed plena, ſed viva, ſed perfectiſſima. Quisquis enim vel cum S. Paulo, vel cum leproſo, vel, quod caput eſt, cum Chriſto Domino, ita orat, in omnibus ſe conformat Divinæ Voluntati. Proinde eximiam eius excellentiam, hac concione fuſius vobis proponam. Utinam Parvulus de Bethleem, hanc nobis gratiam largiatur, ut dies noctesque illa nobis ſit familiaris; ut cor cogitet, ut lingua dicat millies, *Domine ſi vis.*

Act. 9. v. 6.

§. 5. *Deſcriptio Columnæ, quæ populum deduxit per deſertum.* *Exod. 13. v. 21.*

Suavi & admirabili modo Deus O. M. populum Iſraëliticum ex Ægypto per deſertum deduxit, in terram promiſſionis: pro duce enim itineris, in aëre de die poſuit auream & ingentem nubem in forma columnæ; de nocte converſa in ignem & flammam, inſtar facis præceſſit, & caſtra omnemque viam illuminavit. Hæc columna fuit illis veluti vexillum, quod dum in aëre ſe moveret, movebant ſe caſtra; cum ſiſteret, ſiſtebant, cum pergeret, pergebant; cum quieſceret, quieſcebant. Fuit illis hæc columna quaſi horologium, ad cuius motum ſe dirigebant. Fuit illis hæc columna, veluti ignea lingua per quam Deus Moyſi, & populo loquebatur. *In columna nubis loquebatur ad eos.* Hæc columna innumerabili populo de die fuit quaſi ſcutum, & umbraculum quo contra radios ſolis, aërisq; injurias protegebantur. *nubes quoque Domini ſuper eos erat per diem cum incederent.* LXX. *nubes Domini fuit obumbrans ſuper eos. expandit nubem in protectionem eorum. Dominus cuſtodit te, Dominus protectio tua, per diē ſol non uret te.* Quam primũ columna tabernaculo ſive Propitiatorio ad quietem incubuit, Sacerdotes, & levitæ in choros

Pſ. 8. v. 7. *Num. 10. v. 34.* *Pſ. 104 v. 39.* *Pſ. 110. v. 5.*

res diſtincti per vices *erant in excubiis Domini*, ut attentis oculis obſervarent, quando columna ſe iterum moveret, & illo momento ad clangorem buccinarum omnes tribus, & omnis populus ſuo ordine ſe movebant. Suaviter! mirabiliter! Dominus populum ſuum deduxit! Non ignoro, apud SS. PP. & interpretes in ſenſu myſtico hanc columnam fuiſſe figuram, & umbram, vel B. V. vel Euchariſtiæ, vel SS. Crucis. Cauſæ analogicæ pertinent ad Conciones vel elogia B. V. Euchariſtiæ & Crucis: has modo ego formo Maximas.

§. 4. Fuit figura divinæ voluntatis, quæ nos ducit ad cælum.

Suavi & admirabili modo Deus ſuos electos per deſertũ hujus mundi deducit ad cœleſtẽ gloriam. Dei voluntas eſt aurea nubes, eſt ignea columna, cuius ductum, ſi ſequamur, errare *nõ* poſſumus; Dei voluntas eſt ſplendidiſſima fax, quæ per tenebras nos dirigit, & eſt lucerna pedibus noſtris. Dei voluntas eſt pulcerrimum vexillum, ut eius ductum ſequamur; eſt horologium ad cuius motum nos quavis hora dirigere debemus. Dei voluntas eſt ignea lingua, in qua Deus quovis momento ad nos loquitur, eſt ſcutum & umbraculum ſuper nos, nos obumbrans, ac protegens contra omnia pericula; modo ſemper vigili oculo ſtemus in excubiis Domini, ut ad hunc polum, ad cynoſuram, ad ſolem divinæ voluntatis, eam ſemper reſpiciendo, iter noſtrum ad æternam gloriam per deſertum huius mundi dirigamus. In omni noſtra actione ſtare nos oportet in excubiis Domini, aſpicientes hanc columnam, attendendo, an Deus hoc, hoc modo, hoc loco, hoc tempore à nobis fieri velit. an pergere, an ſubſiſtere, an quieſcere an ambulare debeamus ingeminando millies, Domine ſi vis.

§. 5. Teſſera Ordinis S. Spiritus; ſi Deo placeat.

Ludovicus Rex Ier. & Siciliæ inſtituit Ordinem S. Spiritus de bonis driis; teſſera hæc fuit: *Si Deo placeat.* hæc verba inſculpta fuerunt equitum gladiis & ſcutis. Utinam ego hodie Auditores meos omnes huius ordinis equites creare poſſem. opto ſaltem ut Spiritus S. corda veſtra repleat innumeris bonis driis, ſed hoc præcipue, Domine ſi vis. Si Deo placeat, fiat voluntas Domini.

Piiſſi-

§. 6. *Quanam fuerit præcipua Oratio Chriſti D. tempore Paſſionis.* *Pſ. 39. v. 9.* *Pſ. 10. v. 5.* *Ioan. 6. v. 38*

Piiſſima quæſtio SS: Patrum & Aſcetarum eſt, quænam fuerit præcipua oratio Chriſti Domini, præſertim tempore Paſsionis, & in acerbiſsimis eiuſdem myſteriis, v.g. flagellatione, coronatione, in Cruce. placet omnibus verſus. *Ecce venio* (ô mi Pater ecce ſto ad columnam in flagella paratus ſum, &c.) *ut faciam voluntatem tuam Deus, & legem tuam in medio cordis mei.* In anguſtiis mortis, in ſudore ſanguinis in ſuprema lucta, ſacer textus Chriſti orationem claris verbis nobis proponit, *Pater non mea, ſed tua, fiat voluntas.* Apud S. Joannem de ſe ait: *deſcendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, ſed eius qui miſit me,* eodem cap. *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem Patris mei.* Hanc auream regulam vivendi, & orandi, ego hodie præſcribo meis Auditoribus; Legem, mandata, & voluntatem Dei, ponite in medio cordis veſtri; dum v.g. oratis mane, veſpere, de die &c. id facite, ut faciatis voluntatem Dei (hoc modo poterit fieri pulcra inductio per occupationes diei) ſi verò ſemita aliqua dubia vobis occurrat; Si videatur ambiguum, an tale aliquid agendum vel omittendum ſit, elevate in cœlum oculos; reſpicite veſtrum ducem, ſive columnam? mente cogitate, utrum magis placeat Deo. Dicite lingua cum leproſo, Domine, ſi vis! vel cum S. Paulo, Domine, quid me vis facere? Vel cum Chriſto D. O Pater! non mea, ſed tua fiat voluntas; ideo veni in hunc mundum, ideo ſum homo, ideo conſtitutus ſum in hoc officio, vel opificio, ideo laboro, ideo hæc ſcribo, ideo fodio terram, ut tuam faciam voluntatem. Vel dicite millies cum S. Catharina Sen. *Volo, quidquid vult Deus! & ſi in me ſit gutta ſanguinis, quæ id non velit, quæ reluctetur, cupio, ut hoc momento annihiletur.*

Aureum dictum S. Catharinæ Senenſis.

§. 7. *Qui Deo ſe committit, nullam timeat adverſitatem.*

Aureum hoc monitum aureis verbis nobis dedit, & ſcripſit S. Auguſtinus in Solil. cap. 15. *Conſtanter Deo crede; eique te totum committe, quantum potes.* Et addit cauſam, ſive eximium fructum hujus reſignationis, vel orationis. *Ita ipſe, nihil tibi evenire permittet; niſi quod tibi proſit, etiamſi neſcias.* Quam ſuaviſſimam & admirabilem Dei Providentiam agnovit Joſeph

Digitized by Google

ſeph cum dixit ad ſuos fratres: *non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum.* Agnovit Theodoretus, cum dixit. *Gubernatorem habeas Deum, & aurigam, & res tua ab illius providentia pendeant. Nam hoc modo inconcuſſus manebis, & immutabilis: nihil tibi nocebit, nihil te turbare poterit.* *Gen. 45. v. 8.*

Conſtanter Deo crede, eiq; te totum committe, quantum potes; nam, ut Eccleſiaſticus ait: *Gloria magna eſt ſequi Dominum.* Ex quo verſu ſancti Patres concludunt, hominem, veluti rationalem creaturam, non poſſe Deum magis glorificare, quam ſi Divinæ voluntati, & providentiæ ſe totum committat, quam, ſi in omnibus Dei faciamus voluntatem, ponendo eam in medio cordis noſtri; & ore atque lingua ingeminando millies, Domine ſi vis; hoc eſt, cum S. Ignatio in omnibus quærere, Majorem Dei gloriam. §. 8. *Homo Deum magis glorificare non poteſt, quàm faciendo eius voluntatem.*

Ratio theologica hæc eſt, quidquid Deus agit in rerum productione, conſervatione, & gubernatione; in ordine naturæ, gratiæ & gloriæ; in his omnibus nil aliud intendit, quam ſuam gloriam; vult aliquas creaturas eſſe tantum; alias eſſe & vivere; alias eſſe, vivere, & ſentire; alias eſſe, vivere, ſentire, & ratiocinari; ſive creavit hominem, & propter illum omnes alias creaturas, ut ab omnibus glorificetur, juxta ſuum beneplacitum & ſanctiſsimam voluntatem. Proinde Deus, ſuo modo glorificatur à ſole quia lucet ſecundum eius voluntatem; ab arboribus, quia virent, florent & fructus afferunt, prout vult Deus (hoc modo poteſt hic fieri longa inductio) Et pari ratione ab homine, magis honorari non poteſt. Hæc eſt ſumma gloria, qua homo Deum poteſt afficere, eſſe, vivere, movere ſe, ratiocinari, omnia velle, quia vult Deus. De tali homine dicere poſſumus cum Iſaia. *Iſa. 62. v. 3.* quod ſit, *Corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni, in manu Dei ſui.* Ex verſu 4. quod Deus de tali dicat, *vocaberis, Voluntas mea in ea, quia complacuit Domino in te.* Ex lib. Reg. *v. 4.* talem hominem, eſſe *virum ſecundum cor Dei.* *1. Reg. 13. v. 14.* §. 9. *Ratio Theologica.*

Ob quam cauſam, Henericus Suſo, vir religioſiſſimus ex Ordine S. Dominici, teſte Bloſio, dicere fuit ſolitus; Vi- §. 10. *Mirabilis opinio Henrici Suſonis.*

 tam

tam hominis, qua Deus glorificatur, non conſiſtere in altis contemplationibus, raptibus, & ſimilibus extraordinariis gratiis; quæ frequenter magnis periculis & deceptionibus ſunt expoſitæ; ſed ut homo, veluti creatura in omnibus ſe ſubmittat voluntati ſui Creatoris. Malle ſe proinde eſſe muſcam ex divina voluntate, quam perfectiſsimum ſeraphinum ex ſuo deſiderio, contra beneplacitum Dei: quia ſentiebat vir, priori modo Deum à ſe magis glorificandum, quam poſteriori.

§. 11. *Gratiorem hoſtiã Deo offerre non poſſumus, quam noſtram voluntatem. Pſ. 39. v. 7.*

Repeto aureum monitum S. Auguſtini, *Conſtanter crede Deo* &c. Nam nihil Deo gratius offerre poſſumus, quàm ut dicamus ei, quod dicitur in Iſaia. *Poſſide nos.* Cum David in perſona Chriſti inſinuaſſet, nolle Patrem cœleſtem amplius pro hoſtiis & oblationibus, vitulos, boves, agnos & ſanguinem animalium; ſollicitus eſt de alio ſacrificio, & ait; hoſtiam & oblationem noluiſti; itaque, quod in capite libri ſcriptum eſt, ut faciam voluntatem tuam, hoc faciam; miror illum non dixiſſe, paratus ſum in flagella, ad ſpineam coronam, ad Crucem; ſed hoc, faciam voluntatem Patris, ut nos inſtrueret, neque à nobis gratiorem Deo poſſe offerri hoſtiam, quàm noſtram voluntatem: illam in omnibus conformando Divinæ.

§. 13. *Elegans dictũ Æſchinis.*

Refert Seneca l. 1. de benef. c. 8. diſcipulos Socratis obtuliſſe aliquando ſuo Magiſtro precioſa dona, aurea, gemmea. Æſchines conſcius ſuæ paupertatis, dixit, *O Socrates, talia dona ego non habeo, ſed tamen offeram munus te dignum. dono tibi, quod unum habeo, me ipſum.* addit Seneca. *Vicit Æſchines hoc munere Alcibiadis parem divitiis animum, & omnium juvenũ opulentorum munificentiam.* Neque nos Deo noſtro, vel Magiſtro noſtro Jeſu donum precioſius, quam nos ipſos, & quod habemus excellentiſsimum, noſtram voluntatem.

§. 13. *Angelici Doctoris, & S. Thereſiæ.*

Conſtanter crede Deo, committe te illi quantum potes, pendeant res tuæ omnes ab ipſius providentia, dic millies, Domine ſi vis; Domine fiat voluntas tua. Hic fructus placuit Angelico doctori, & ſeraphicæ V. Thereſiæ. Ille dixit 2. 2.

q. 85.

Digitized by Google

q.85.art.7. *Mentis humanæ perfectio in hoc conſiſtit, quod Deo ſubjiciatur.* Hæc in ſuis inſtructionib. ad Virgines religioſas. *Omne quod debet intendere, qui ſe dat orationi eſt conari in omnibus ſe conformare divinæ voluntati; cui, quo anima eſt conformior, eo hic eſt perfectior, in gratia, & ibi in gloria*, quis ſanctior Davide? quàm fuit Rex glorioſus? ſed conſtanter, in proſperis, in adverſis fidebat Deo, illi quantum poterat, ſe totum cōmittebat. S. Scriptura refert caſus innumeros. unicum modo oculis veſtris propono.

Sanctiſſimus ille Rex David, dum fugeret ob filium Abſolonem ex urbe Jeroſolyma, ait: *Si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me, ſi autem dixerit, mihi non places, faciat quod bonum eſt coram ſe*: & mox cum ſuis, urbe exivit, plorans, nudis pedibus *& operto capite. Operto capite*, inquit Hugo Cardinalis, *ne lacrymæ in vultu regio cernerentur*. Placet mihi hæc ratio; principes & Reges, non facile lacrymantur, niſi non videantur. Sed altius, ſub regio Davidis pileo latet myſterium. Hebræi & Ethnici, ſacra facturi, abjiciebant calceos, caput verò obnubebant, quo incomprehenſibilem Deum demiſsè & humiliter adorandum eſſe teſtarentur. Innuebant his cæremoniis, nolle ſe ſcrutari divinæ Majeſtatis judicia; paratos ſe eſſe ad omnem eius nutum. Idem facere voluit ſapientiſſimus David; verum eſt; cogitare potuiſſet, hæccine eſt voluntas Dei, ut filius meus Abſolon, quem ita diligo, me perſequatur? ingratus filius, amantiſsimum parentem? ut me ſolio Iſraelis deturbet? hoccine conforme eſt promiſsis, quibus me Deus hactenus lactavit, de firmando ſolio regni mei; de victoriis, contra omnes hoſtes meos? & ab Abſolone pellor in exilium? ſolus? fere ab omnibus derelictus? & ubi mei exercitus? ubi belli Duces? &c. Poterant ſine dubio talia, regio animo occurrere; ſed David, abjecit calceos, in ſignum demiſsiſsimæ ſubjectionis; Caput & oculos texit pileo, ut oſtenderet, nolle ſe ſcrutari abyſſum divinorum conſiliorum; acquieſcere ſe divinis judiciis, & ſuaviſsimæ eius voluntati. Tegit oculos, & ait, faciat Do-

§. 14. *Regium ſpeculum ſive exemplum Davidis, in re ardua ſubiicientis ſe divinæ Voluntati.* 2. Reg. 15. v. 25.

Digitized by Google

at Dominus quod bonum eſt. Vult me urbe exire! facio &c.

§. 15. *Etiam dum lapidibus peteretur à Semei.*

In eâdem fugâ ſceleſtus Semei, auſus fuit proiicere lapides contra Regem, cum graviſsimis convitiis, calumniis, & maledictionibus in caput Davidis; dicenti uni ex famulis, *Quid agit canis hic moritur?* ipſe reſpondit, *Dominus præcepit ei*. quaſi diceret, non reſpicio ego inimicum meum; non moveor eius imprecationibus, non me terrent lapides; hoc optimum eſt, ut claudā oculos, ut me involvā pallio meo oculosq; meos levem in altum, in cœlum, ad Dominum meum; quia ipſi placitum eſt talia permittere, eadem mihi placent. Si invenero gratiam in oculis DOMINI, vertet hæc omnia in bonum, ſin autem aliud illi placuerit, imò ſi vult, ut non tantum ejiciar in exilium, ut priver regno, & à filio; ſed ut vitam & ſanguinem fundam, ut Abſolon ferrum jugulo meo immergat. Dominus eſt! faciat quod bonum eſt in oculis ſuis.

§. 16. *Et in perſecutionibus Saulis. Pſ. 56. v. 7*

Pſalmo 56. conqueritur, ob inſidias à Saule ſibi ſtructas, *laqueum paraverunt pedibus meis, & incurvaverunt animam meam*, &c. ſed ſtatim ſubdit; *paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Conduplicat hæc verba*, ait S. Bernhardus, *quaſi diceret, paratum cor meum, quantum ad adverſa*, paratum, quantum ad proſpera: ad humiliationem, ad ſublimia: ad paupertatem, ad divitias: ad thronum regium, ad ſcabellum pedum inimicorum meorum: ad vitam & ad mortem. *Paratum cor meum*; textus hebraicus ſic habet. *Cor meum firmum eſt, & ſtabile*. q. d. cor meum, ſive voluntas mea, affixa eſt firmiſsime voluntati divinæ. Faciat, permittat ipſe, quod vult, *ego cantabo, pſalmum dicam. Exaltare ſuper cœlos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua.* ita finiit citatum pſalmum, quaſi diceret; gaudebo, exultabo, cum ex omnibus quæ egero, ex omnibus quæ DEUS ſuper me permiſerit, per amicos, per adverſarios, reſultet major DEI gloria Titulus eiusdem pſalmi non caret pulcro myſterio; qui talis eſt, *Pſalmus David, pro columba muta*. Ipſe DAVID fuit illa columba, ſine felle, ſine rancore, contra hoſtes; ſilens & muta, ex cuius ore nec verbulum excidit con-

tra

Digitized by Google

tra D. Voluntatem. Columba fuit, in omnibus, proſperis & adverſis, pennis firmæ & ſtabilis fiduciæ evolans in cavernas maceriæ, ſive petræ, divinæ protectionis. Auditores mei! eſtisne tales columbæ (per brevem repetitionem utriuſque præcedentis paragraphi, fiat affectuosâ apoſtrophe, ad Auditores, nunc imitentur DAVIDEM)

§. 17. Conſtanter crede DEO tuo &c. Job, cum tanto ſolatio hoc fecit, ut dixerit, *Acquieſce Deo, & habeto pacem.* quiſquis à Dei voluntate pendet, etiam in hac vita beatus eſt. Cum Rex Ptolemæus ex uno 70. interpretum quæreret quid ſibi optimum in vita ſit? reſpondit, ſi cognoſcas quod DEUS mortalibus dominetur; optimum enim eſt, eſſe ſubditum DEO. Alphonſus Rex Aragoniæ & Neapolis rogatus, quisnam ſit dicendus felix? non reſpondit: Rex, belli dux, hoſtium Victor &c. ſed ille qui in omnibus ſinit ſe duci à Deo, & ab eius manibus accipit omnia. Salvianus l. 1. de provid. *beati dicendi ſunt* (qui volunt quod Deus vult, qui millies dicunt, Domine ſi vis) quia inter quantumlibet aſpera, nulli lætiores ſunt, quam qui hoc ſunt, quod volunt. Humiles ſunt? hoc volunt; pauperes ſunt? paupertate *delectantur* &c. tales turbari non poſſunt.

Acquieſcēs Deo eſt beatus, & habet pacem in terris. Iob. 22. v. 21.

§. 18. Ut tandem finiam, ultimum repeto auream maximam S. Auguſtini, *Conſtanter crede Deo tuo, illi te committe, quantum potes; dic quotidie cum leproſo, ex intimo corde tuo Domine ſi vis! Ieſu fiat voluntas tua! & mors nunquam te inveniet imparatum; acquieſcens Dei voluntati, omni hora diſpoſitus eſt, ad ſanctam mortem.* Cum periculosè ex alto loco cecidiſſet S. Gertrudis, lib. 1. vitæ cap. 11. Surgens dixit: *Amabilis Ieſu, qualis fuiſſet felicitas, ſi hic lapſus fuiſſet ad mortem, & ita, medium quoque perveniendi ad te.* Miratæ Sorores hoc dictum inquiunt; an ergo non timeret mori, ſine perceptione SS. Sacramentorum, reſpondit: *Ex toto corde illa deſidero, & præcipue, ut antequam moriar, veniat in cor meum Ieſus meus, in ſanctiſſima Eucharistia. Nihilominus magis reſpicio voluntatem Dei*: nam ſic exiſti-

Reſignatio, & uſus huius oratiunculæ, Domine ſi vis, eſt optima diſpoſitio ad ſanctam mortem

mo; optimam diſpoſitionem ad felicem mortem, eſſe ſubmittere ſe in omnibus, etiam quoad ſubitaneam mortem, divinæ voluntati; & proinde, qualiſcunque mors illa ſit, qua me mori volet Jeſus meus, illam deſidero: quia ſpero, quod ſit ſentienti, ita adhærenti & acquieſcenti eius beneplacito, ipſius Miſericordia non deerit, quandocunque & quomodocunque moriar. Volunt aliqui, hunc fuiſſe ſenſum ultimorum verborum Chriſti Domini in Cruce, *Pater in manus tuas commendo Spiritum meum.* Clarum enim, non commendaſſe illam animam ad obtinendam beatitudinem, quam jam habebat; neque quod timeret mortem, vel pericula inferni, & tentationes diaboli: hoſtium horum victor, & terror; ſed hoc voluit dicere: Pater! ſicut anima mea, à primo momento quo corpori meo unita fuit, & toto tempore, quo in illo fuit, te ſemper perfectiſſimè honoravit & glorificavit, faciendo voluntatem tuam, ita illo momento, quo ad tempus corpus meum deſerere debet, illam tibi trado & commendo, ut illius ſeparatio, dum è corpore egredietur, hoc fiat, ſecundum tuam voluntatem, & conſequentur ad maximam tuam gloriam. Ita Chriſtus Dominus ad ſuam mortem ſe diſpoſuit. neque nos perfectius ad illam nos diſponere poterimus, quam per actus excellentiſsimarum virtutum; & frequentem uſum, aureamque praxin, Oratiuncularum quas hac Concione vobis propoſui.

CON-

Digitized by Google

CONCIO IX.

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

Motus magnus factus eſt in mari.

Matth. 8. ℣. 24.

SYNOPSIS CONCIONIS.

COnſcientia mala, eſt inquietum mare, turbatum horologium, atrox flagellum, accuſatrix, objurgatrix, moleſtus in pectore vermis, maximum tormentum, putridum ulcus, cerberus, vel latrans moloſſus præſertim in ultimo agone, quod varii magno ſuo damno ſunt experti.

§. 1. *Tempeſtas maris inter alia ſignificat inquietudinem malæ Conſcientiæ.*

§. 2. *Mala Conſcientia eſt inquietum horologium.*

§. 3. *Flagellat impios, objurgat, accuſat, nullo loco relinquit quietem.*

§. 4. *Eſt in corde moleſtiſſimus vermis, qui etiam violenta morte, perimi non poteſt.*

§. 5. *Eſt maximum tormentum, quod antiqui variis fabulis expreſſerunt.*

§. 6. *Conſcientia mala putridum ulcus.*

§. 7. *Præſertim in hora mortis, quod varii fuerunt experti.*

§. 8. *Prodit ſe ipſam Conſcientia mala.*

§. 9. *Eſt Cerberus, ſive latrans moloſſus.*

Digitized by Google

§. 1. Tempeſtas maris, inter alia, ſignificat, inquietudinē malæ conſcientiæ.

MAterialis, & phyſica tempeſtas, ſive motus maris, quem hodiernum Evangeliū nobis proponit, materiam Chriſtiano oratore dignam vix ſuggerit: proinde ſenſu myſtico utuntur SS. Patres, S. Aug. in pſ. 39. ait: *hoc ſæculum mare eſt, habet amaritudinem noxiam, habet fluctus tentationum, tempeſtates tribulationum* (ventos perſecutionum) ſuis undis, & fluctibus, mare demergit plurimos: ſed plures, mare hujus ſeculi præcipitat in profundum inferni: Ob hos ventos & fluctus, ob tot pericula bene ſuadet S. Hier. ep. ad Heliod. *Nolite credere, nolite eſſe ſecuri, licet in modum ſtagni fuſum æquor arrideat, licet vix ſumma jacentis elementi Spiritu, terga criſpentur, magnos hic campus montes habet, intus incluſum eſt periculum, intus eſt hoſtis. Expedite rudentes, vela ſuſpendite, crux antenna figatur in frontibus, tranquillitas iſta tempeſtas eſt.* Occaſione hujus interpretationis Concionatores agere ſolent de periculis ſalutis, & naufragiis animarum, quibus plenus eſt mundus. Cum ego illa alibi tractem placent hodie rurſus illi, qui per motum maris, & tempeſtuoſum oceanum, intelligunt timores, motus, fluctus, inquietudines &c. malæ Conſcientiæ. Quam miſerè, in quibus moleſtiis vivant, qui lancinantur à morſibus malæ conſcientiæ, anno ſuperiori oſtendi ex variis locis ſacræ ſcripturæ. Hac Concione idem thema, ſed alio modo elucidabo. Spero &c.

§. 2. Mala Conſcientia eſt inquietum horologium

Horologium quoddam naturæ eſt Oceanus; ideo accolæ maris ex eiuſdē fluxu & refluxu horas diei & noctis accuratiſſime advertunt & diſtinguunt. Inter alias cauſas & hæc una eſt, ob quam Conſcientia hominis comparatur mari; Eſt enim illa quoq; horologium quoddam, ſed ut mare, irrequietū. In horologio quot ſunt rotæ, quot mallei, quot funes, quot dentes; ob quę in illa machinâ nec mora, nec requies eſt, ſed motus perpetuus; & illas rotarum circumvolutiones, dentium colliſionem & ſtridorem, malleorum ictus, unum inferne grave pondus impendens exagitat. Tales rotæ, tales dentes, tales funes, tales mallei, talia pondera ſunt in conſcien-

tia mala, unde motus oritur continuus. videtur horologium hoc aſpexiſſe S. Ambr. in pſ. 104 cum dixit: *gravia enim delictorum pondera, gravia criminum verbera, ſicut onus gravantur grave, & infligunt animæ cruciatus.*

Heliodorus auſus fuit expilare templum Hieroſolymitanum, ſed non emanſit ultio de cœlo. Nam *apparuerunt juvenes, qui circumſteterunt eum, & ex utraque parte flagellabant, ſine intermiſſione, multis plagis verberantes.* hoc facit mala conſcientia &c. (pulcre applica) ideo pulcre Juvenalis ait Sat. 15.

§. 5. *Mala Conſcientia flagellat impios; objurgat, accuſat, inquietat. Nullo loco relinquit quietem.* *2. Machab. 2. v. 10.* *Gen. 3. v. 10*

Nocte dieque ſuum geſtare in pectore teſtem,
Occultum, quatiente animo, tortore flagellum.

S. Chryſoſt. hom. 17. in gen. de Adamo trepidante ad verba Domini, Adam *ubi es? Quare, dic oro, quare timuit?* (in paradiſo &c.) *quoniam videbat ſibi trucem ſtare accuſatorem, conſcientiam dico. neque enim alium objurgatorem habebat, & teſtem peccatorum, quàm unicum illum, quem intrinſecus circumferebat.* Seneca de impio, l. de tranquill. *Multis ſe modis ſemper fugit; ſed quid prodeſt? ſi non effugis? ſequitur ipſe & urget graviſſimus comes* (velis, rhemis, equis, rhedis aufugias,) poſt equitem ſedet atra cura; in rheda, navi, &c. nigra, horrida umbra, quæ impium non deſerit, nec terra, nec mari, nec die, nec nocte. Lipſius de conſtantia l. 1. c. 2. *Vt ij qui febriunt, jactant ſe inquiete, lectum mutant* (fruſtra tamen) *ita nos qui fomitem mali* (id eſt, peccati conſcientiam) *circumferimus, & telo affectuum percuſſi, fruſtra illud motu & diſcurſu ſanare volumus.* quisquis fornicationem, quisquis adulterium, quisquis odium, &c. animo fovet, quisquis injuſta bona poſſidet, pupillos oppreſſit &c fruſtra obſcurum cubile, fruſtra alienum thorum, fruſtra hortos, ſolaria, palatia quærit &c. Se non effugit, *ſequitur ipſe, & urget graviſſimus comes.* Deſcribit talem eleganter S. Chryſoſt. conc. 1. de Lat. *Et in lecto, & in menſa, & in foro, & in domo, & interdiu, & noctu, & in ipſis frequenter ſomniis, hac iniquitatis ſimulacra videt, ipſiusque Cain vitam vivit gemens ac tremens ſuper terram.* Vos ego compello peccatores, quando mugiunt tonitrua, micant fulmi-

fulmina, murmurant cœli, &c. quis in animo tumultus exoritur? ad leves ſubinde terræ motus, quam graves conſcientiarum concuſſationes? qui tremor, quis pallor ſceleratos non exagitat? minatus hæc eſt Deus? *Dabo pavorem in cordibus eorum, terrebit eos ſonitus folii volantis, & fugient quaſi gladium; cadent nullo perſequente.* Si Procopio apud P. Corn. in 4. gen. v. 9. credimus, Cain poſt fraternam cædem adeo fuit exagitatus, ut cùm oculos dejiceret in terram, contra ſe ſerpentes veneno, leones dentibus, unguibus urſos, tauros cornibus, calcibus equos, ipſum cœlum ac ſuperos extrema ſibi intentare imaginaretur.

Levit. 26. v. 16.

§. 4. *Conſcientia mala, eſt in corde moleſtiſſimus vermis; qui etiam violenta morte perimi non poteſt.*

Viſio quædam S. Melchtildis nos docet quid ſit mala Conſcientia: animarum (in peccato mortali hærentium) *cordibus ſe aperientibus, vidit in corde cuiuslibet vermem, qui habebat caput in modum canis: Sic vermis erat propria cuiuſcunque conſcientia.* Talis eſt beſtia. Vermis aliquis in corpore humano naſcitur plerumque ex putredine, deinde rodit corpus: vermis conſcientiæ naſcitur ex putredine peccatorum, deinde affligit animam. Et hic vermis non facile ſupprimitur: conati ſunt multi longæ tyrannidi per brevem ſaltum ac præcipitia ſe eximere; alii ſe præcipitarunt in undas, ut ſecum ſuum vermen ſuffocarent; alii pectori ferrum immerſerunt, eodem vulnere interfecturi ſuum carnificem, plurimi laqueo ſe ſtrangularunt, ne ſpirare inter tot morſus cogerentur; ad *eum modum Judas* (inquit S. Chryſoſt. ep. 7.) *conſcientiam arguentem minime ferens, ad laqueum ſe convertit.* ſed omnia fruſtra; per tales neces præcipitantur in infernum, ubi æternus vermis conſcientiæ incipit rodere. Plures violentas manus cohibent, ſed ita interius corroduntur, ut palam inter delicias contabeſcere, inter aurum ſuum palleſcere, inter cupedias omnia illis amareſcere, denique millies emori, vivum funus ducere, ac ſe ipſi tumulare videantur. Si cum Euripide ex tali quis quærat. O miſer, quid morbi te perdit? Reſpondere aliud non poterit, quàm, Conſcientia. Theatrum Anglicanę crudelitatis exhibet novum genus carnifici-

Digitized by Google

næ: pelvim æneam ventri ſuperimponunt ſub qua vivi glires abduntur qui igne ſuper pelvim incenſo, interiora viſcera pervadunt; omnia dentibus & unguibus dilaniant. talis carnificina eſt mala Conſcientia, eſt juxta mentem Eccleſiaſtici *vindicta carnis impii, ignis & vermis.* Parricidæ olim in culeum plenum ſerpentibus inſuebantur, & ſpargebantur in mare. talis ſaccus eſt conſcientia mala. In hac materia mirificus eſt Patrum conſenſus *Eccleſ. 7. v. 9.*

§. 5. Conſcientia mala tormentum; quod antiqui variis fabulis expoſuerunt.

S. Auguſtinus in pſ. Inter omnes tribulationes humanæ animæ, nulla eſt major, quam conſcientia delictorum! breviter S. Hier. *quod vitia, tot invenies animæ tormenta.* S. Greg. in pſ. 142. *Conſcientia mala omnia afflictionum maxima.* S. Chryſoſt. *Quid improba conſcientia moleſtius? nihil profecto.* Priſci ut hęc oculis ſubiicerent, pingebant Prometheum in monte Caucaſo ab aquila, Titium apud inferos à vulture, Actæonem in ſylvis à canibus lacerari. talis aquila, talis vultur, talis canis eſt conſcientia impii &c. aſſiduè mordet, rodit, lacerat. Apoſtolus dicit, eſt *tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum.* *Rom. 2. v. 9.*

§. 6. Conſcientia mala, putridum ulcus.

Conſcientia mala eſt ulcus Telephium, verminoſum, tetrum, pure plenum, quod urit, cruciat, prurit, mordet, pungit, furit. Pus virulentiſsimum & peccatum, quamdiu conſcientia clauſum latet, hominem angit, ſolicitat, torquet & excruciat; nullam quietem permittit.

§. 7. Præſertim in hora mortis. quod varii fuerunt experti.

Hoc eſt terribiliſsimum, quod in morte & agone præcipue id faciat. Cum impius incipit mori, illa incipit loqui. Sub mortis tempus teſtatur, clamat, tonat, fulminat. Expertus fuit Aulicus Regis Angliæ, cum in ſupremo morbo nihil audire vellet de pœnitentia vel confeſsione &c. tandem exclamavit: *Actum eſt, perii, conſcientia ſceleribus onuſta in oculis eſt* (primum jam video, quid egerim &c. pulcer locus) *& hac me damnat, necdum à Deo damnatum.* Expertus fuit Stephanus Anachoreta; multis annis in eremo vixerat ſanctiſſime &c. uno ante obitum die, ſubito velut attonitus & fulminatus obſtupuit, oculos inſolitum diduxit, pavideq; circum-

§. 6.
Quanam fuerit præcipua Oratio Chriſti D. tempore Paſſionis.
Pſ. 39. v. 9.
Pſ. 10. v. 5.
Ioan. 6. v. 38

Piiſſima quæſtio SS: Patrum & Aſcetarum eſt, quænam fuerit præcipua oratio Chriſti Domini, præſertim tempore Paſsionis, & in acerbiſsimis eiuſdem myſteriis, v.g. flagellatione, coronatione, in Cruce. placet omnibus verſus. *Ecce venio* (ô mi Pater ecce ſto ad columnam in flagella paratus ſum, &c.) *ut faciam voluntatem tuam Deus, & legem tuam in medio cordis mei.* In anguſtiis mortis, in ſudore ſanguinis in ſuprema lucta, ſacer textus Chriſti orationem claris verbis nobis proponit, *Pater non mea, ſed tua, fiat voluntas.* Apud S. Joannem de ſe ait: *deſcendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, ſed eius qui miſit me,* eodem cap. *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem Patris mei.* Hanc auream regulam vivendi, & orandi, ego hodie præſcribo meis Auditoribus; Legem, mandata, & voluntatem Dei, ponite in medio cordis veſtri; dum v.g. oratis mane, veſpere, de die &c. id facite, ut faciatis voluntatem Dei (hoc modo poterit fieri pulcra inductio per occupationes diei) ſi verò ſemita aliqua dubia vobis occurrat; Si videatur ambiguum, an tale aliquid agendum vel omittendum ſit, elevate in cœlum oculos; reſpicite veſtrum ducem, ſive columnam? mente cogitate, utrum magis placeat Deo. Dicite lingua cum leproſo, Domine, ſi vis! vel cum S. Paulo, Domine, quid me vis facere? Vel cum Chriſto D. O Pater! non mea, ſed tua fiat voluntas; ideo veni in hunc mundum, ideo ſum homo, ideo conſtitutus ſum in hoc officio, vel opificio, ideo laboro, ideo hæc ſcribo, ideo fodio terram, ut tuam faciam voluntatem. Vel dicite millies cum S. Catharina Sen. *Volo, quidquid vult Deus! & ſi in me ſit gutta ſanguinis, quæ id non velit, quæ reluctetur, cupio, ut hoc momento annihiletur.*

Aureum dictum S. Catharinæ Senenſis.

§. 7.
Qui Deo ſe committit, nullam timeat adverſitatem.

Aureum hoc monitum aureis verbis nobis dedit, & ſcripſit S. Auguſtinus in Solil. cap. 15. *Conſtanter Deo crede; eique te totum committe, quantum potes.* Et addit cauſam, ſive eximium fructum hujus reſignationis, vel orationis. *Ita ipſe, nihil tibi evenire permittet; niſi quod tibi proſit, etiamſi neſcias.* Quam ſuaviſſimam & admirabilem Dei Providentiam agnovit Joſeph

Digitized by Google

ſeph cum dixit ad ſuos fratres: *non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum.* Agnovit Theodoretus, cum dixit. *Gubernatorem habeas Deum, & aurigam, & res tuæ ab illius providentia pendeant. Nam hoc modo inconcuſſus manebis, & immutabilis: nihil tibi nocebit, nihil te turbare poterit.* *Gen. 45. v. 8.*

Conſtanter Deo crede, eiq; te totum committe, quantum potes; nam, ut Eccleſiaſticus ait: *Gloria magna eſt ſequi Dominum.* Ex quo verſu ſancti Patres concludunt, hominem, veluti rationalem creaturam, non poſſe Deum magis glorificare, quam ſi Divinæ voluntati, & providentiæ ſe totum committat, quam, ſi in omnibus Dei faciamus voluntatem, ponendo eam in medio cordis noſtri; & ore atque lingua ingeminando millies, Domine ſi vis; hoc eſt, cum S. Ignatio in omnibus quærere, Majorem Dei gloriam. *§. 8. Homo Deum magis glorificare non poteſt, quàm faciendo eius voluntatem.*

Ratio theologica hæc eſt, quidquid Deus agit in rerum productione, conſervatione, & gubernatione; in ordine naturæ, gratiæ & gloriæ; in his omnibus nil aliud intendit, quam ſuam gloriam; vult aliquas creaturas eſſe tantum; alias eſſe & vivere; alias eſſe, vivere, & ſentire; alias eſſe, vivere, ſentire, & ratiocinari; ſive creavit hominem, & propter illum omnes alias creaturas, ut ab omnibus glorificetur, juxta ſuum beneplacitum & ſanctiſsimam voluntatem. Proinde Deus, ſuo modo glorificatur à ſole quia lucet ſecundum eius voluntatem; ab arboribus, quia virent, florent & fructus afferunt, prout vult Deus (hoc modo poteſt hic fieri longa inductio) Et pari ratione ab homine, magis honorari non poteſt. Hæc eſt ſumma gloria, qua homo Deum poteſt afficere, eſſe, vivere, movere ſe, ratiocinari, omnia velle, quia vult Deus. De tali homine dicere poſſumus cum Iſaia. *Iſa. 62. v. 3.*
quod ſit, *Corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni, in manu Dei* ſui. Ex verſu 4. quod Deus de tali dicat, *vocaberis, Voluntas mea in ea, quia complacuit Domino in te.* Ex lib. Reg. talem hominem, eſſe *virum ſecundum cor Dei.* *v. 4.* *1. Reg. 13. v. 14.* *§. 9. Ratio Theologica.*

Ob quam cauſam, Henericus Suſo, vir religioſiſſimus ex Ordine S. Dominici, teſte Bloſio, dicere fuit ſolitus: Vi- *§. 10. Mirabilis opinio Henrici Suſonis.*

 tam

tam hominis, qua Deus glorificatur, non conſiſtere in altis contemplationibus, raptibus, & ſimilibus extraordinariis gratiis; quæ frequenter magnis periculis & deceptionibus ſunt expoſitæ; ſed ut homo, veluti creatura in omnibus ſe ſubmittat voluntati ſui Creatoris. Malle ſe proinde eſſe muſcam ex divina voluntate, quam perfectiſsimum ſeraphinum ex ſuo deſiderio, contra beneplacitum Dei: quia ſentiebat vir, priori modo Deum à ſe magis glorificandum, quam poſteriori.

§. 11. *Gratiorem hoſtiã Deo offerre non poſſumus, quam noſtram voluntatem. Pſ. 39. v. 7.*

Repeto aureum monitum S. Auguſtini, *Conſtanter crede Deo* &c. Nam nihil Deo gratius offerre poſſumus, quàm ut dicamus ei, quod dicitur in Iſaia. *Poſſide nos.* Cum David in perſona Chriſti inſinuaſſet, nolle Patrem cœleſtem amplius pro hoſtiis & oblationibus, vitulos, boves, agnos & ſanguinem animalium; ſollicitus eſt de alio ſacrificio, & ait; hoſtiam & oblationem noluiſti; itaque, quod in capite libri ſcriptum eſt, ut faciam voluntatem tuam, hoc faciam; miror illum non dixiſſe, paratus ſum in flagella, ad ſpineam coronam, ad Crucem; ſed hoc, faciam voluntatem Patris, ut nos inſtrueret, neque à nobis gratiorem Deo poſſe offerri hoſtiam, quàm noſtram voluntatem: illam in omnibus conformando Divinæ.

§. 13. *Elegans dictũ Æſchinis.*

Refert Seneca l. 1. de benef. c. 8. diſcipulos Socratis obtuliſſe aliquando ſuo Magiſtro precioſa dona, aurea, gemmea. Æſchines conſcius ſuæ paupertatis, dixit, *O Socrates, talia dona ego non habeo, ſed tamen offeram munus te dignum. dono tibi, quod unum habeo, me ipſum.* addit Seneca. *Vicit Æſchines hoc munere Alcibiadis parem divitiis animum, & omnium juvenũ opulentorum munificentiam.* Neque nos Deo noſtro, vel Magiſtro noſtro Jeſu donum precioſius, quam nos ipſos, & quod habemus excellentiſsimum, noſtram voluntatem.

§. 13. *Angelici Doctoris, & S. Thereſiæ.*

Conſtanter crede Deo, committe te illi quantum potes, pendeant res tuæ omnes ab ipſius providentia, dic millies, Domine ſi vis; Domine fiat voluntas tua. Hic fructus placuit Angelico doctori, & ſeraphicæ V. Thereſiæ. Ille dixit 2. 2. q. 85.

Digitized by Google

q.85.art.7. *Mentis humanæ perfectio in hoc conſiſtit, quod Deo ſubjiciatur.* Hæc in ſuis inſtructionib. ad Virgines religioſas. *Omne quod debet intendere, qui ſe dat orationi eſt conari in omnibus ſe conformare divinæ voluntati; cui, quo anima eſt conformior, eo hic eſt perfectior, in gratia, & ibi in gloria*, quis ſanctior Davide? quàm fuit Rex glorioſus? ſed conſtanter, in proſperis, in adverſis fidebat Deo, illi quantum poterat, ſe totum cōmittebat. S. Scriptura refert caſus innumeros. unicum modo oculis veſtris propono.

Sanctiſſimus ille Rex David, dum fugeret ob filium Abſolonem ex urbe Jeroſolyma, ait: *Si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me, ſi autem dixerit, mihi non places, faciat quod bonum eſt coram ſe*: & mox cum ſuis, urbe exivit, plorans, nudis pedibus *& operto capite. Operto capite*, inquit Hugo Cardinalis, *ne lacrymæ in vultu regio cernerentur.* Placet mihi hæc ratio; principes & Reges, non facile lacrymantur, niſi non videantur. Sed altius, ſub regio Davidis pileo latet myſterium. Hebræi & Ethnici, ſacra facturi, abjiciebant calceos, caput verò obnubebant, quo incomprehenſibilem Deum demiſsè & humiliter adorandum eſſe teſtarentur. Innuebant his cæremoniis, nolle ſe ſcrutari divinæ Majeſtatis judicia; paratos ſe eſſe ad omnem eius nutum. Idem facere voluit ſapientiſſimus David; verum eſt; cogitare potuiſſet, hæccine eſt voluntas Dei, ut filius meus Abſolon, quem ita diligo, me perſequatur? ingratus filius, amantiſsimum parentem? ut me ſolio Iſraelis deturbet? hoccine conforme eſt promiſsis, quibus me Deus hactenus lactâvit, de firmando ſolio regni mei; de victoriis, contra omnes hoſtes meos? & ab Abſolone pellor in exilium? ſolus? fere ab omnibus derelictus? & ubi mei exercitus? ubi belli Duces? &c. Poterant ſine dubio talia, regio animo occurrere; ſed David, abjecit calceos, in ſignum demiſsiſsimæ ſubjectionis; Caput & oculos texit pileo, ut oſtenderet, nolle ſe ſcrutari abyſſum divinorum conſiliorum; acquieſcere ſe divinis judiciis, & ſuaviſsimæ eius voluntati. Tegit oculos, & ait, faciat Do-

§. 14. Regium ſpeculum ſive eximplum Davidis, in re ardua ſubiicientis ſe divinæ Voluntati.

2. Reg. 15. v. 25.

at Dominus quod bonum eſt. Vult me urbe exire! facio &c.

§. 15. *Etiam dum lapidibus peteretur à Semei.*

In eâdem fugâ ſceleſtus Semei, auſus fuit proiicere lapides contra Regem, cum graviſsimis convitiis, calumniis, & maledictionibus in caput Davidis; dicenti uni ex famulis, *Quid agit canis hic moritur?* ipſe reſpondit, *Dominus præcepit ei*. quaſi diceret, non reſpicio ego inimicum meum; non moveor eius imprecationibus, non me terrent lapides; hoc optimum eſt, ut claudã oculos, ut me involvã pallio meo oculosq; meos levem in altum, in cœlum, ad Dominum meum; quia ipſi placitum eſt talia permittere, eadem mihi placent. Si invenero gratiam in oculis Domini, vertet hæc omnia in bonum, ſin autem aliud illi placuerit, imò ſi vult, ut non tantum ejiciar in exilium, ut priver regno, & à filio; ſed ut vitam & ſanguinem fundam, ut Abſolon ferrum jugulo meo immergat. Dominus eſt! faciat quod bonum eſt in oculis ſuis.

§. 16. *Et in perſecutionibus Saulis.* *Pſ. 56. v. 7*

Pſalmo 56. conqueritur, ob inſidias à Saule ſibi ſtructas, *laqueum paraverunt pedibus meis, & incurvaverunt animam meam*, &c. ſed ſtatim ſubdit; *paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Conduplicat hac verba*, ait S. Bernhardus, *quaſi diceret, paratum cor meum, quantum ad adverſa*, paratum, quantum ad proſpera: ad humiliationem, ad ſublimia: ad paupertatem, ad divitias: ad thronum regium, ad ſcabellum pedum inimicorum meorum: ad vitam & ad mortem. *Paratum cor meum*; textus hebraicus ſic habet. *Cor meum firmum eſt, & ſtabile*. q. d. cor meum, ſive voluntas mea, affixa eſt firmiſsime voluntati divinæ. Faciat, permittat ipſe, quod vult, *ego cantabo, pſalmum dicam. Exaltare ſuper cælos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua.* ita finiit citatum pſalmum, quaſi diceret; gaudebo, exultabo, cum ex omnibus quæ egero, ex omnibus quæ Deus ſuper me permiſerit, per amicos, per adverſarios, reſultet major Dei gloria Titulus eiusdem pſalmi non caret pulcro myſterio; qui talis eſt, *Pſalmus David, pro columba muta*. Ipſe David fuit illa columba, ſine felle, ſine rancore, contra hoſtes; ſilens & muta, ex cuius ore nec verbulum excidit contra

tra

Digitized by Google

tra D. Voluntatem. Columba fuit, in omnibus, proſperis & adverſis, pennis firmæ & ſtabilis fiduciæ evolans in cavernas maceriæ, ſive petræ, divinæ protectionis. Auditores mei! eſtisne tales columbæ (per brevem repetitionem utriuſque præcedentis paragraphi, fiat affectuosâ apoſtrophe, ad Auditores, nunc imitentur DAVIDEM)

Conſtanter crede DEO tuo &c. Job, cum tanto ſolatio hoc fecit, ut dixerit, *Acquieſce Deo, & habeto pacem.* quiſquis à Dei voluntate pendet, etiam in hac vita beatus eſt. Cum Rex Ptolemæus ex uno 70. interpretum quæreret quid ſibi optimum in vita ſit? reſpondit, ſi cognoſcas quod DEUS mortalibus dominetur; optimum enim eſt, eſſe ſubditum DEO. Alphonſus Rex Aragoniæ & Neapolis rogatus, quisnam ſit dicendus felix? non reſpondit: Rex, belli dux, hoſtium Victor &c. ſed ille qui in omnibus ſinit ſe duci à Deo, & ab eius manibus accipit omnia. Salvianus l. 1. de provid. *beati dicendi ſunt* (qui volunt quod Deus vult, qui millies dicunt, Domine ſi vis) quia inter quantumlibet aſpera, nulli lætiores ſunt, quam qui hoc ſunt, quod volunt. Humiles ſunt? hoc volunt; pauperes ſunt? paupertate *delectantur* &c. tales turbari non poſſunt. §. 17. *Acquieſcēs Deo eſt beatus, & habet pacem in terris. Iob. 22. v. 21.*

Ut tandem finiam, ultimum repeto auream maximam S. Auguſtini, *Conſtanter crede Deo tuo, illi te committe, quantum potes; dic quotidie cum leproſo, ex intimo corde tuo Domine ſi vis! Ieſu fiat voluntas tua! & mors nunquam te inveniet imparatum; acquieſcens Dei voluntati, omni hora diſpoſitus eſt, ad ſanctam mortem.* Cum periculosè ex alto loco cecidiſſet S. Gertrudis, lib. 1. vitæ cap. 11. Surgens dixit: *Amabilis Ieſu, qualis fuiſſet felicitas, ſi hic lapſus fuiſſet ad mortem, & ita, medium quoque perveniendi ad te.* Miratæ Sorores hoc dictum inquiunt; an ergo non timeret mori, ſine perceptione SS. Sacramentorum, reſpondit: *Ex toto corde illa deſidero, & præcipue, ut antequam moriar, veniat in cor meum Ieſus meus, in ſanctiſſima Eucharistia. Nihilominus magis reſpicio voluntatem Dei*: nam ſic exiſti- §. 18. *Reſignatio, & uſus huius oratiunculæ, Domine ſi vis, eſt optima diſpoſitio ad ſanctam mortem*

mo; optimam diſpoſitionem ad felicem mortem, eſſe: ſubmittere ſe in omnibus, etiam quoad ſubitaneam mortem, divinæ voluntati; & proinde, qualiscunque mors illa ſit, qua me mori volet Jeſus meus, illam deſidero: quia ſpero, quod ſit ſentienti, ita adhærenti & acquieſcenti eius beneplacito, ipſius Miſericordia non deerit, quandocunque & quomodocunque moriar. Volunt aliqui, hunc fuiſſe ſenſum ultimorum verborum Chriſti Domini in Cruce, *Pater in manus tuas commendo Spiritum meum.* Clarum enim, non commendaſſe illam animam ad obtinendam beatitudinem, quam jam habebat; neque quod timeret mortem, vel pericula inferni, & tentationes diaboli: hoſtium horum victor, & terror; ſed hoc voluit dicere: Pater! ſicut anima mea, à primo momento quo corpori meo unita fuit, & toto tempore, quo in illo fuit, te ſemper perfectiſſimè honoravit & glorificavit, faciendo voluntatem tuam, ita illo momento, quo ad tempus corpus meum deſerere debet, illam tibi trado & commendo, ut illius ſeparatio, dum è corpore egredietur, hoc fiat, ſecundum tuam voluntatem, & conſequentur ad maximam tuam gloriam. Ita Chriſtus Dominus ad ſuam mortem ſe diſpoſuit. neque nos perfectius ad illam nos diſponere poterimus, quam per actus excellentiſsimarum virtutum; & frequentem uſum, aureamque praxin, Oratiuncularum quas hac Concione vobis propoſui.

CON-

Digitized by Google

CONCIO IX.

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

Motus magnus factus eſt in mari.

Matth. 8. ℣. 24.

SYNOPSIS CONCIONIS.

COnſcientia mala, eſt inquietum mare, turbatum horologium, atrox flagellum, accuſatrix, objurgatrix, moleſtus in pectore vermis, maximum tormentum, putridum ulcus, cerberus, vel latrans moloſſus præſertim in ultimo agone, quod varii magno ſuo damno ſunt experti.

§. 1. *Tempeſtas maris inter alia ſignificat inquietudinem malæ Conſcientiæ.*

§. 2. *Mala Conſcientia eſt inquietum horologium.*

§. 3. *Flagellat impios, objurgat, accuſat, nullo loco relinquit quietem.*

§. 4. *Eſt in corde moleſtiſſimus vermis, qui etiam violenta morte, perimi non poteſt.*

§ 5. *Eſt maximum tormentum, quod antiqui variis fabulis expreſſerunt.*

§. 6. *Conſcientia mala putridum ulcus.*

§. 7. *Præſertim in hora mortis, quod varii fuerunt experti.*

§. 8. *Prodit ſe ipſam Conſcientia mala.*

§. 9. *Eſt Cerberus, ſive latrans moloſſus.*

§. 1. *Tempeſtas maris, inter alia, ſignificat, inquietudinē malæ conſcientiæ.*

MAterialis, & phyſica tempeſtas, ſive motus maris, quem hodiernum Evangeliū nobis proponit, materiam Chriſtiano oratore dignam vix ſuggerit: proinde ſenſu myſtico utuntur SS. Patres, S. Aug. in pſ. 39. ait: *hoc ſæculum mare eſt, habet amaritudinem noxiam, habet fluctus tentationum, tempeſtates tribulationum* (ventos perſecutionum) ſuis undis, & fluctibus, mare demergit plurimos: ſed plures, mare hujus ſeculi præcipitat in profundum inferni: Ob hos ventos & fluctus, ob tot pericula bene ſuadet S. Hier. ep. ad Heliod. ***Nolite credere, nolite eſſe ſecuri, licet in modum ſtagni fuſum æquor arrideat, licet vix ſumma jacentis elementi Spiritu, terga criſpentur, magnos hic campus montes habet, intus incluſum eſt periculum, intus eſt hoſtis. Expedite rudentes, vela ſuſpendite, crux antenna figatur in frontibus, tranquillitas iſta tempeſtas eſt.*** Occaſione hujus interpretationis Concionatores agere ſolent de periculis ſalutis, & naufragiis animarum, quibus plenus eſt mundus. Cum ego illa alibi tractem placent hodie rurſus illi, qui per motum maris, & tempeſtuoſum oceanum, intelligunt timores, motus, fluctus, inquietudines &c. malæ Conſcientiæ. Quam miſerè, in quibus moleſtiis vivant, qui lancinantur à morſibus malæ conſcientiæ, anno ſuperiori oſtendi ex variis locis ſacræ ſcripturæ. Hac Concione idem thema, ſed alio modo elucidabo. Spero &c.

§. 2. *Mala Conſcientia eſt inquietum horologium*

Horologium quoddam naturæ eſt Oceanus; ideo accolæ maris ex eiuſdē fluxu & refluxu horas diei & noctis accuratiſſime advertunt & diſtinguunt. Inter alias cauſas & hæc una eſt, ob quam Conſcientia hominis comparatur mari; Eſt enim illa quoq; horologium quoddam, ſed ut mare, irrequietū. In horologio quot ſunt rotæ, quot mallei, quot funes, quot dentes; ob quę in illa machinâ nec mora, nec requies eſt, ſed motus perpetuus; & illas rotarum circumvolutiones, dentium colliſionem & ſtridorem, malleorum ictus, unum inferne grave pondus impendens exagitat. Tales rotæ, tales dentes, tales funes, tales mallei, talia pondera ſunt in conſcientiæ

Digitized by Google

tia mala, unde motus oritur continuus. videtur horologium hoc aſpexiſſe S. Ambr. in pſ. 104 cum dixit: *gravia enim delictorum pondera, gravia criminum verbera, ſicut onus gravantur grave, & infligunt animæ cruciatus.*

§. 5. *Mala Conſcientia flagellat impios; objurgat, accuſat, inquietat. Nullo loco relinquit quietem.* *2. Machab. 2. v. 10.* *Gen. 3. v. 10.*

Heliodorus auſus fuit expilare templum Hieroſolymitanum, ſed non emanſit ultio de cœlo. Nam *apparuerunt juvenes, qui circumſteterunt eum, & ex utraque parte flagellabant, ſine intermiſſione, multis plagis verberantes.* hoc facit mala conſcientia &c. (pulcre applica) ideo pulcre Juvenalis ait Sat. 15.

Nocte dieque ſuum geſtare in pectore teſtem,
Occultum, quatiente animo, tortore flagellum.

S. Chryſoſt. hom. 17. in gen. de Adamo trepidante ad verba Domini, Adam *ubi es? Quare, dic oro, quare timuit?* (in paradiſo &c.) *quoniam videbat ſibi trucem ſtare accuſatorem, conſcientiam dico. neque enim alium objurgatorem habebat, & teſtem peccatorum, quàm unicum illum, quem intrinſecus circumferebat.* Seneca de impio, l. de tranquill. *Multis ſe modis ſemper fugit; ſed quid prodeſt? ſi non effugis? ſequitur ipſe & urget graviſſimus comes* (velis, rhemis, equis, rhedis aufugias,) poſt equitem ſedet atra cura; in rheda, navi, &c. nigra, horrida umbra, quæ impium non deſerit, nec terra, nec mari, nec die, nec nocte. Lipſius de conſtantia l. 1. c. 2. *Vt ij qui febriunt, jactant ſe inquiete, lectum mutant* (fruſtra tamen) *ita nos qui fomitem mali* (id eſt, peccati conſcientiam) *circumferimus, & telo affectuum percuſſi, fruſtra illud motu & diſcurſu ſanare volumus.* quisquis fornicationem, quisquis adulterium, quisquis odium, &c. animo fovet, quisquis injuſta bona poſſidet, pupillos oppreſſit &c fruſtra obſcurum cubile, fruſtra alienum thorum, fruſtra hortos, ſolaria, palatia quærit &c. Se non effugit, *ſequitur ipſe, & urget graviſſimus comes.* Deſcribit talem eleganter S. Chryſoſt. conc. 1. de Lat. *Et in lecto, & in menſa, & in foro, & in domo, & interdiu, & noctu, & in ipſis frequenter ſomniis, hac iniquitatis ſimulacra videt, ipſiusque Cain vitam vivit gemens ac tremens ſuper terram.* Vos ego compello peccatores, quando mugiunt tonitrua, micant

næ: pelvim æneam ventri ſuperimponunt ſub qua vivi glires abduntur qui igne ſuper pelvim incenſo, interiora viſcera pervadunt; omnia dentibus & unguibus dilaniant. talis carnificina eſt mala Conſcientia, eſt juxta mentem Eccleſiaſtici *vindicta carnis impii, ignis & vermis.* Parricidæ olim in culeum plenum ſerpentibus inſuebantur, & ſpargebantur in mare. talis ſaccus eſt conſcientia mala. In hac materia mirificus eſt Patrum conſenſus *Eccleſ. 7. v. 9.*

S. Auguſtinus in pſ. Inter omnes tribulationes humanæ animæ, nulla eſt major, quam conſcientia delictorum! breviter S. Hier. *quod vitia, tot invenies animæ tormenta.* S. Greg. in pſ. 142. *Conſcientia mala omnia afflictionum maxima.* S. Chryſoſt. *Quid improba conſcientia moleſtius? nihil profecto.* Priſci ut hęc oculis ſubiicerent, pingebant Prometheum in monte Caucaſo ab aquila, Titium apud inferos à vulture, Actæonem in ſylvis à canibus lacerari. talis aquila, talis vultur, talis canis eſt conſcientia impii &c. aſſiduè mordet, rodit, lacerat. Apoſtolus dicit, eſt *tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum.* *§. 5. Conſcientia mala tormentum; quod antiqui variis fabulis expoſuerunt.* *Rom. 2. v. 9.*

Conſcientia mala eſt ulcus Telephium, verminoſum, tetrum; pure plenum, quod urit, cruciat, prurit, mordet, pungit, furit. Pus virulentiſſimum & peccatum, quamdiu conſcientia clauſum latet, hominem angit, ſolicitat, torquet & excruciat; nullam quietem permittit. *§. 6. Conſcientia mala, putridum ulcus.*

Hoc eſt terribiliſſimum, quod in morte & agone præcipue id faciat. Cum impius incipit mori, illa incipit loqui. Sub mortis tempus teſtatur, clamat, tonat, fulminat. Expertus fuit Aulicus Regis Angliæ, cum in ſupremo morbo nihil audire vellet de pœnitentia vel confeſſione &c. tandem exclamavit: *Actum eſt, perii, conſcientia ſceleribus onuſta in oculis eſt* (primum jam video, quid egerim &c. pulcer locus) *& hac me damnat, necdum à Deo damnatum.* Expertus fuit Stephanus Anachoreta; multis annis in eremo vixerat ſanctiſſime &c. uno ante obitum die; ſubito velut attonitus & fulminatus obſtupuit, oculos inſolitum diduxit, pavideq; circum- *§. 7. Præſertim in hora mortis, quod varii fuerunt experti.*

cum-

Digitized by Google

cumſpexit, qui adeſſent & rationes poſcerent. Sed faciebat id intus Conſcientia, ideo aſtantes non accuſantis conſcientiæ, ſed reſpondenti accuſatis voces audierunt. *Hoc feci, ſed egi pœnitentiam.* paulo poſt: *Iſtud non feci.* Mox, *feci, verum objicitur*, nec *quod dicam habeo, niſi, Infinita Dei eſt miſericordia*! *Erat profectò*, ait Climacus, *ſpectaculum horribile ac terrificum!* O mi Deus! homo religioſus annorum 40. ſolitarius, jejuniis exhauſtus, dono lacrymarum præditus, precandi ſtudio aſſiduus &c. ita timuit, ad remorſus conſcientiæ? hæccine viro ſancto non pepercit, quid peccatori fiet, quomodo clamabit, tonabit, fulminabit. Contra impium aulicum, multorum ſcelerum reum, voluptatibus deditum, ante annos non multos ita clamavit, tonuit, fulminavit, ut præ terrore & anguſtiis, ob conſcientiæ ſtimulos, tandem deſperabundus, in porrecti Crucifixi faciem expuerit, ſicque expirarit. potuit id fieri in delirio; interim eſt mors terribilis; conſcientia tum non parcit.

§. 8. *Prodit ſe ipſam, Conſcientia mala.*

Dum vivimus, conſcientiæ clamores non audimus, imò negamus, palliamus quæ nobis objicit. Sed in agone nos convincet. Ante annos non multos in Hiſpaniis commiſſa eſt cædes clandeſtina; cædis ſuſpicio vehemens fuit de pluribus, qui omnes ſe crimine expedire moliebantur. Cæteris audacior unus, vultus ſeveros induens ſummam in ea re innocentiam ſimulavit. Judex loco conſurgens omnium pectora nudari juſſit, & ipſe ſingulorum corda, curioſa manu exploravit: in illo autem, qui volebat à culpa videri remotior, cor ſingulariter ſilire ſenſit. & mox atrocibus verbis: tu feciſti, ait: ille convictus conſcientia & exterritus, vel vultu prodente ſe reum faſſus eſt. Ite impii, ſimulate, tegite ſcelera veſtra, fornicationes, adulteria, rapinas &c. quantum vultis & poteſtis. Sopite modo conſcientiam. In morte, nudabit pectora & corda veſtra, cum atrocibus vocibus. Hoc feciſtis, hoc, hoc &c. tunc fiet, quod prædixit Ezechiel. *diſplicebitis vobis, in conſpectu veſtro, in omnibus malitiis veſtris, quas feciſtis.* fiet quod minatus eſt (vide comment.)

Ecclеſ. 20. v. 43.

Nunc

Nunc finis ſuper te (vitæ, temporis, veniæ, miſericordiæ) *& immittam furorem meum in te, & judicabo te juxta vias tuas, & ponam contra te omnes abominationes tuas, & non parcet oculus meus* (quo omnia vidi) *ſed vias tuas ponam ſuper te.*

Geneſ. de Caino dicitur; *poſuitque Dominus in Cain ſignum.* quærunt docti, qualenam hoc ſignum fuerit! Opinio varia; mihi modo placent aliqui Rabini, qui aiunt fuiſſe canem ſemper præcurrentem, à quo veluti præcone Cain ſibi videbatur audire: Carnifex eſt Cain, occidit fratrem. Talis canis ſemper eſt Conſcientia mala, ſed erit præcipue in hora mortis; his vocibus allatrabit impium, tu Carnifex Chriſti, tu Judas, tu Chriſtum occidiſti, Crucifixiſti &c. p. l. Quisquis talia timet, videat &c.

§. 9. Conſcientia mala eſt Cerberus; ſive latrans moloſſus. Gen. 4. v. 15.

Pro Epilogo fac pulcram repetitionem dictorum; illo modo, quo fecit epilogus Concionis anni ſuperioris.

vide Celada in Eſther f. 353.

CONCIO X.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

Vnde ergo habet Zizania.

Matthæi. 13 ℣. 27.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit aliqua documenta ex Evangelica parabola. v. g. Cur Deus inter bonos toleret malos: quàm nocivus ſit ſomnus Spiritualis animæ: quinam ſint faſciculi in quos colligabuntur impii.

§. 1. *Ex variis ſcimus parabolis, bonis mixtos eſſe malos, & contra.*

§. 2. *Non ſine cauſa miramur, quod Deus toleret impios.*

§. 3. Id facit, ut manifeſta fiant, duo ex præcipuis eius attributis, Miſericordia & Iuſtitia.

§. 4. Item infinita Omnipotentia.

§. 5. Permittit præterea, ad utilitatem bonorum.

§. 6. Alia documenta ex Evangelio. v. g. quam nocivus ſit ſomnus ſpiritualis animæ.

§. 7. In quos tandem faſciculos colligandi ſint impii.

§. 1. Ex variis ſcimus parabolis. bonis mixtos eſſe malos, & contra.

HOdierna parabola de bono ſemine & zizaniis Chriſtus D. voluit oſtendere, non omnes qui in Eccleſia ſunt, eſſe juſtos, ac proinde futuros hæredes æternæ gloriæ, ſed alios eſſe triticū, qui congregabuntur in horreum Dei; alios verò eſſe zizania, qui colligabuntur in faſciculos, ut comburantur in gehennâ. Eodem tendunt aliæ parabolæ: de piſcibus bonis & malis in eâdem Sagena, de ovibus & hædis in eodem grege, de ſapientibus & fatuis Virginibus in eodem nuptiarum comitatu, de bene & male veſtitis in iiſdem nuptiis. *Matth. 25. v. 10* Providebat Salvator noſter, fore aliquando in Eccleſia perniciosum errorem, quem hodie hæretici docent, quemvis, modo credat & ſperet in Chriſtum, perſuadeatque ſibi ſe eſſe in gratia, certo ſalvari, ſive Lutheranus, ſive Calvinianus ſive Catholicus ſit. Ad hunc errorem eximendum, & ut cum timore & tremore ſalutem operari nos doceat ſalvator noſter, prædictis parabolis uſus eſt; Piſces boni & mali fuerunt in eadem ſagena, illi fuerunt electi, hi projecti in eſcam volucrum. Oves & hædi ſunt in eodem grege Eccleſiæ; ſed illæ ſtabunt ad dexteram, hi ad ſiniſtram; illis dicetur, *Venite*; his, *diſcedite*. *Matth. 25. v. 34.* Virgines prudentes & fatuæ expectarunt in eundem ſponſum; illæ ad nuptias admiſſæ ſunt, his clauſa fuit janua. *v. 41.* Omnes fuerunt invitati ad nuptias, unus tamen projectus eſt in tenebras exteriores. In hodierna parabola omnes pertinent ad eundem agrum Eccleſiæ, ſed aliqui ſunt triticum bonum, alii zizania, ideo tempore meſſis alii congregabuntur in horreum æt. gloriæ; alii ardebunt in inferno. Præter hoc pulcra alia documenta latent

ſub

Digitized by Google

ſub hodierna parabola, duo vel tria hac Concione latius explicabo.

Permittet divina providentia, ut inter triticum creſcant zizania, id eſt ut bonis permiſceantur mali. Servi cum in agro zizania viderunt, dixerunt ad Dominum, Vis imus & & colligimus, ut comburamus &c. ſed bonus Dominus reſpondit, vos ſinite creſcere uſque ad meſſem, tum dicam meſſoribus &c. Pari ratione hodie juſti, videntes tot impios, &c. dicent cum Abacuc, *Quare non reſpicis ſuper iniqua agentes, & taces devorante impio juſtiorem ſe* (pulcer locus pro pulcra inductione) *& taces*, (v. g. dum opprimuntur innocentes, vel viduæ &c.) vel dicunt cum Davide. *Propter te mortificamur tota die, æſtimamur ſicut oves occiſionis* (p. quomodo hoc multi oppreſſi poſſunt dicere) *exurge, quare obdormis Domine*. Vel ex pſ. *uſq; quo peccatores Domine, uſquequo gloriabuntur*. Sed bonus eſt Dominus, diſſimulat, quaſi, noſtro judicio, non reſpiceret ſuper iniqua agentes, quaſi dormiret; inter triticum optimum tolerat zizania, ſed propter graves cauſas, ex quibus ingens commodum & utilitas nobis emergit.

§. 2. *Non ſine cauſa miramur. Dei Patientiam tolerare malos.*

Abacuc 1. v. 13.

Pſ. 43. v. 3.

Pſ. 93. 1.

Primam cauſam colligo ex S. Lucæ 9. & 13. capite, ut ſcilicet ex hoc pateat infinita eius miſericordia & Juſtitia. Chriſtus Dominus venit ad civitatem Samaritanorum; qui cum eum recipere nollent, irati duo filii Boanerges Jacobus & Johannes dicunt, *Domine vis dicimus, ut ignis deſcendat de cælo, & conſumat illos*. Et converſus piiſſimus Jeſus increpavit eos; dicens, *neſcitis cuius ſpiritus eſtis. Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare*. Hæc patientia Chriſti Domini fuit illis omnino ſalutaris, nam teſte S. Ambroſio hoc loco, Samaritani poſtea citius crediderunt, & cum magno gaudio primi receperunt Evangelium, uti legimus. Hanc Chriſti Domini bonitatem in tolerandis peccatoribus prædixit David. *Ipſe autem eſt miſericors, & propitius fiet peccatis eorum, & non diſperdet eos &c. Recordatus eſt quia caro ſunt*; id eſt, Salvator noſter, non ſtatim punit peccatores, ut poſſet, repentinâ morte vel igne inferni, ſed hinc recordatur, quia caro ſunt,

§. 3. *Id facit, ut manifeſta fiant, duo ex præcipuis attributis, Miſericordia & Juſtitia.*

Luc 9. v. 54

Act. 8.

Pſ. 77. v. 38.

id eſt infirmi, proni ad malum; ex altera vero parte etiam recordatur quænam pro homine paſſus ſit quod ſudarit ſanguinem, pulcer locus. ideo infinita eius miſericordia non permittit, ut mors vel diaboli zizania ſtatim eradicent. Miſericors eſt. Verum, ſi impius illa bonitate abutatur, ſi in malitia pergat &c. Impletur tandem pars hodiernæ parabolæ, ut eradicentur &c. tum dicere oportet, Juſtus eſt. aliam p. parabolam habet cit. S. Lucas, ubi de ſterili ficu dicit Dominus horti hortulano: *Ecce tres anni ſunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac* (adhibita ſunt om-
Luc.13.v.7 nia media) *& non invenio, ſuccide ergo illam*: quaſi diceret, ſat diu expectavi, non eſt ſpes emendationis, fiat ergo Juſtitia.

§ 4. *Item infinita eius omnipotentia.*

Præter miſericordiam & Juſtitiam erga impios, oſtendit ſimul infinitam ſuam omnipotentiam. Sinite creſcere uſq; ad meſſe, quaſi diceret, tamen eradicabuntur & comburentur, ſenſu myſtico vult dicere, Impii licet ad tempus opprimant juſtos, licet ad tempus ſuis fruantur voluptatibus, nō tamen effugient manus meas. His ferè verbis, minimus fratrum Macchabæorum allocutus fuit impium tyrannum Antiochum, dum ait, *Tu vero qui inventor omnis malitiæ factus es in hebræos* (p. locus v. g. Vos advocati, judices, juriſtæ, qui facti eſtis inventores in viduas &c.) *non effugies manum Dei.* & iterum: *noli extolli fruſtra vanis ſpebus: nondum enim omnipotentis Dei & omnia inſpicientis judicium effugiſti.* diſſimulat Deus ad tempus, ſubito cum vult oſtendit ſe poſſe punire impium. Eupolus mordaciſſimus homo in ipſum Alcibiadem principem Athenienſium mordaciſsimos verſus ſcribere fuit auſus, quem tandem die quodam deprehenſum demerſit in mare dicens: tu me in ſcena ſæpe merſiſti Eupole, ego te ſemel mergam; idem Deus dicet impiis, vos in ſcena veſtræ vitæ riſiſtis me ſæpius, pupugiſtis pios &c. ego vos tandem, poſt longam patientiam, ſemel, ſed æternum vos mergam. Ite famuli, perge mors, eradicate zizania, colligite, alligate in

2. Machab. 7. v. 31. *v. 34.*

in faſciculos, projicite in infernum, ut ardeant, ut ſentiant æternum, Deum miſericordem, quem riſerunt & contemſerunt, eſſe juſtum & omnipotentem.

Alteram cauſam ſumo ex pſ. quia nimirum impii proſunt juſtis. cit. pſ. gloriatur David, ſe ſuſceptum à Domino; gloriatur dicens, *Dominus factus eſt mihi in ſalutem, dextera Domini fecit virtutem, exaltavit me, &c.* & quæ cauſa eſt illius exaltationis? ſumo illam ex v. 10. 11. 12. *Omnes gentes circuierunt me, circumdantes circumdederunt me, ſicut apes, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis.* Vult dicere, mei hoſtes mihi utiles fuerunt, ut aculei apum & ignis inter ſpinas. latent duo pulcra ſimilia: Urſus cum caput repletum ſentit noxio ſanguine, eius ſanandi cauſa illud immergit alvearibus, ut apum aculeis undique vulneratum noxium ſanguinem emittat (teſte Pierio l. 11. hier.) hac ratione apum aculei urſo ſunt ſalutares. Deinde, ignis abſumens ſpinas, tribulos & vepres in agro, reddit eum fertilem. hoc ergo ſanctus David vult dicere. Hoſtes mei me pupugerunt ut apes; fuerunt mihi veluti ignis; ſed ideo deflevi peccata mea; ob quæ illud merui, ideo clamavi ad Dominum; &c. & Dominus ſuſcepit me; factus eſt mihi in ſalutem; imò magnam gloriam promerui. Hoſtes noſtri vel impii exercent virtutem & ſanctitatem juſtorum. In ſapientiſſimo Romanorum ſenatu deliberatum fuit, num Chartago funditus eſſet exſcindenda eò quod Romæ ſemper eſſet infeſta, diſſuaſit Cato, ut eſſet Romanis cos virtutis, & juge armorũ exercitium, ne otio torperent. In hodierno Evangelio deliberant ſervi, de eradicandis zizaniis; vel impiis, non vult permittere Pater familias, ſinit ea creſcere, ut vexent, pungant pios, ad exercitium virtutum. Ex his ſpinis creſcit Corona gloriæ. Alexander validos & fortes optabat hoſtes, ut in iis debellandis majorem acquireret gloriam; crebro dicebat, malle ſe hæreditatem magni & periculoſi belli à Patre ſibi legari, in quo fortiter præliando laudem & victoriam adipiſceretur, quàm neſcio quos theſauros relinqui, ob hanc eandem cauſam ſapientiſsimus Deus relinquit:

§. 5. Permittit præterea, ad utilitatem bonorũ
Pſ. 117. v. 16.

linquit zizania vel impios, ut dum ſuis ſpinis & aculeis patientiam noſtram exercent, coronam augeant & theſauros æternæ gloriæ.

§. 6. *Alia documenta ex Evangelio v.g. nocet ſomnus ſpiritualis animæ.*

3. Pulcrà doctrina latet in illis verbis, *Cum dormirent homines, venit inimicus & superſeminavit zizania.* Somnus corporalis multis ſæpe obfuit. In V. T. Siſaram terræ affixit: Madianitas hoſti tradidit, Samſonem robore ſpoliavit, & Philiſtæis prodidit. Saul dormiens ſpoliatur armis. Holofernem capite truncavit. Rex Balthaſar ſe & optimates ſuos mero conſopivit, quos proinde Cyrus eadem nocte oppreſſit & occidit. Dan. 5. In N. T. Luc. 12. dormientis domum ſuffodit fur, & theſauros abſtulit. Dormientes diſcipuli intraverunt in tentationem, ſcandalum paſſivum in Chriſto, & timore perculſi illum deſeruerunt: ſtultæ Virgines, quia dormierunt excluſæ ſunt à nuptiis. Verum longe periculoſior eſt ſomnus ſpiritualis, cùm in peccatis obdormimus, & ſine ſcrupulo vivimus. Somno ſpirituali ſepulti jacent, qui ocio

Dan. 5. v. 30 ſe dant, & ceſſant bene agere: bene Epiphanius hær. 66.
Luc. 12. v. 39. *Cum nos obdormierimus à bonis operibus, cum neglexerimus juſtitiam,*
Matth. 26, v. 41. *cum mentem noſtram non vigilantem habuerimus ad mandatum Dei, tunc ſeminamus peccata.* Somno hoc ſpirituali ſunt oppreſſi, qui ceſſant à quotidianis orationibus, à frequentatione Sacramentorum, auditione miſſæ &c. tum dæmoni in corda noſtra latiſſimus patet aditus, ut ſuperſeminet zizania; ideo inimicus noſter diabolus fecit, quod facit dux quidam Chartaginenſium. Hic rebelles ſibi Africanos vicit pulcerrimo ſtratagemate. Sciens eos eſſe avidos vini, plura eiuſdem dolia reliquit in caſtris, ex quibus veluti fugitivis exceſſit, ſed vino commiſcuerat mandragoram (herbam ſoporiferam) inſecuti Africani invento vino ſe largiter proluerunt; poſtquam obdormierunt redux dux cum ſuis omnes obtruncavit. Idem agit diabolus! applica pulcrè. Iaël Siſaræ porrexit lac, tum &c. applica &c. ideò Chriſtus D. *Vigilate, & orate &c* nam inimicus homo, ſive diabolus, qui zizania ſuperſeminat, venit & inſidiatur ſicut fur, ſicut latro, ſicut lupus, ſicut

Digitized by Google

ſicut crudeliſsimus & aſtutiſsimus inſidiator. Venit clam, ne *dolus* deprehendatur. Venit in veſtimento ovis pacem cum homine loquens, mala autem in corde habet. Offert vinum dulce, ſed veneno permixtum; cum Joab dicit, *ſalve frater*, cum Juda, *Ave Rabbi*, ſed occultè occidit. transfigurat ſe in Angelum lucis, ſed eſt pater tenebrarum. Serpens eſt, baſiliſcus eſt, draco eſt, leo eſt, nil quærens, niſi animas, ideo vigilate &c.

Reſtant modo illa verba Evangelii, *Alligate ea in faſciculos ad comburendum.* Placet nobilis Concionator, qui dicit verba hæc inſinuare, in extremo die judicii, inter illos qui trudentur in infernum, pares ſociandos paribus, ut quos ſimilis culpa inquinavit, par etiam pœna conſtringat. quo poſito ait; In uno faſciculo colligati erunt impii Reges, Principes; ad comburendum, id eſt, ut æternum ardeant. In uno faſciculo colligati erunt impii prelati, animarum paſtores, Sacerdotes, qui &c. In uno &c. Impii Religioſi, quorum veſtis mentitur ſanctitatem, ſed intus latet iniquitas. In uno faſciculo erunt mali Judices, advocati &c. In alio uſurarii &c. In alio, luxurioſi, ſuperbi &c. ad comburendum. In uno, mali Conjugati &c. In uno ſalaces viduæ. In uno nequam juvenes & Virgines; Ut in faſcem verbo omnia redigam, infideles infidelibus, ſuperbi ſuperbis, invidi invidis, avari avaris, luxurioſi luxurioſis &c. juſta Dei vindicta jungentur, & copulabuntur, atque in unum conſtricti jacebunt, mutuoq; ſe prement; ſicut haleces in vaſe, ad comburendum, id eſt, ut ſimul ardeant. O quam infelicem finem habet infelix lolium! Si tamen finis dici poteſt, qui finem non habebit!

§. 7. In quos tandem faſciculos colligendi ſint impii.

Gratulor bono tritico, ſive juſtis, qui ab Angelis bonis congregabuntur in horreum gloriæ, quàm mihi & vobis impertiatur, SS. Trinitas, Pater, Filius & Spiritus ſanctus, Amen.

CONCIO XI.

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

Ite & vos in vineam meam.

Matth. 20. ℣. 7.

SYNOPSIS CONCIONIS.

1. IN vinea Eccleſiæ, quam Deus per Filium ſuum plantavit, Vitis pulcerrima fuit Chriſtus D. juxta illa verba Joannis 15. cap. v. 1. Ego ſum vitis. 2. Quales, illius exemplo nos debeamus eſſe vites. 3. Invectiva in illos, qui vites ſunt in vineis, frondoſis, ſpinoſis, ſterilibus &c.

§. 1. *Synagogam, veluti vineam Deus exterminavit, & aliam plantavit.*

§. 2. *Quare Deus à Chriſto D. vocetur Pater familias.*

§. 3. *Exiit, cum ex infinita caritate, venit in hunc mundum & naturam humanam aſſumpſit.*

§. 4. *Brevis digreſſio, cur Eccleſia comparetur vineæ.*

§. 5. *In vinea Eccleſia, prima & pulcerrima vitis eſt Chriſtus Dominus.*

§. 6. *Aliquot analogiæ inter vitem & Chriſtum Dominum.*

§. 7. *Palus fuit Columna.*

§. 8. *Palus, ſive arbor alia, fuit lignum Crucis.*

§. 9. *Vincula ferrea, Clavi.*

§. 10. *Alia analogia.*

§. 11. *Quales nos debeamus eſſe vites.*

§. 12. *Vel operarii.*

§. 13. *Quibus præcipue vinculis Vitis myſtica, debeat alligari palo.*

§. 14. *Simile Origenis, aliaq; proprietates Chriſtianæ Vitis.*

§. 15.

§. 15. *Qualis vinea Chriſti.*
§. 16. *Qualis Diaboli.*
§. 17. *Vites infructiferæ dabuntur igni in eſcã, & ad devorandũ.*

VInea Evangelica, hodierna Dominica, plerumque ſolet eſſe objectum Concionum in cathedris: Mihi quidem ſtatim illud ocurrit quod S. Joannes ait. *Miſit Angelus falcem ſuam acutam in terram, & vindemiavit vineam terræ, & miſit in lacum iræ Dei magnæ.* Et quænam fuit illa vinea adeo devaſtata? cui Deus adeo fuit iratus? ut præcipitata fuerit in abyſſum omnium miſeriarum? ut ab acuta falce D. Juſtitiæ præſciſſæ & eradicatæ vites projectæ fuerint in ignem, & ardent? Reſponſionem invenietis apud D. Zenonem l. 2. ſer. 26. *Vinea Dei prior ſynagoga fuit ſylvoſis errantium palmitum crinibus vilis, quæ cum per voluptuoſa ac profana loca, laſciva ſe paſſim fronde diffudit, generavit pro fructibus ſpinas, pro uva labruſcam* (dicamus, pro vino, fel draconum, fel & acetum! meminiſtisne odii, quo Judæi perſecuti fuerint Meſſiam? illud odium fuit fel draconum, venenum aſpidum? meminiſtiſne ſpinarum, quibus punctum & coronatum fuit caput Regis Judæorum? Vinea Synagogæ protulit illas ſpinas. Meminiſtiſne myrrhæ & aceti, quod in ardentiſsima ſiti, in Cruce propinarunt morienti Jeſu? ille potus crevit in vinea ſynagogæ) *Cuius rei indignatione commotus Dominus, illa deſerta, aliam, id eſt, Eccleſiam plantavit.* Neque tantum deſeruit Synagogam, ſed miſit Angelum, ſive Juſtitiam, quæ acuta falce totam vineam exterminavit, & miſit in lacum iræ Dei magnæ. Elegans eſt obſervatio S. Joan. Chryſoſtomi hom. 69 in S. Matth. *Expende autem & providentiam Dei ineffabilem* (erga vineam priorem, ſive Synagogam) *& ocioſitatem* (imò ingratitudinem) *inauditam iſtorum* (qui ad vineam illam fuerunt vocati) *Plura enim ipſe agricolarum opera fecit; maceriem compoſuit, vineam plantavit, parum quid agricolis operis ipſe reliquit, ut ſcilicet plantata jam vinea curam haberent. Nihil enim ille omiſerat*, imò, *ſepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificavit turrim, & locavit eam agricolis.*

§. 1. Synagogã, veluti vineam Deus exterminavit, & aliam plantavit. Apoc. 14. v. 19.

Matth. 21. v. 33.

Digitized by Google

Nihil *tamen illi lucrati ſunt*, ait D. Chryſoſt. & cum appropinquaſſet tempus fructuum, miſit ſervos, ut acciperent fructus, ſed agricolæ alium ceciderunt, alium occiderunt, alium lapidaverunt; imò tandem hæredem occiderunt; affigendo Cruci in monte Calvariæ; cuius rei indignatione commotus Dominus, ut paucis omnia dicam, exterminavit Synagogam, & aliam vineam, id eſt, Eccleſiam ſuam plantavit. Prima vitis fuit ipſe Filius Dei, ut ait: *Ego ſum vitis vera: & Pater*
Ioan. 15. v. 1 *meus agricola eſt:* Si ſumus palmites, nos quoque vites ſumus. Cum prima parte huius Concionis vobis oſtendero, qualis vitis fuerit Chriſtus D. in altera facile erit inferre, quales nos debeamus eſſe vites ut afferamus exoptatum fructum, ne tanquam aridi palmites, præſcindamur ab acutâ falce iræ magnæ, & projiciamur in ignem æternum.

§. 2. *Quare Deus à Chriſto Domino vocetur Paterfamilias.*

Hodiernam Evangelicam parabolam de vinea Eccleſiæ, orditur Chriſtus D. à Patre familias, qui illam plantavit; & non eſt alius niſi Deus Optimus Maximus. Pater! ob creationem ut loquitur Moyſes: *Nunquid ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit te, & fecit te, & creavit te.* Pater! quia omnia creata conſervat, *Pater meus, uſque modo operatur, & ego operor in eo.*
Deut. 32. v. 6. Pater! qui per Filium ſuum Unigenitum redemit nos. *Tu*
Ioan. 5. v. 17. *Domine, Pater noſter, & redemptor noſter, à ſæculo nomen tuum.*
Iſa. 63. v. 16. Pater per ſuaviſſimam providentiam, qua omnia diſponit tam ſuaviter. *tua Pater, providentia, gubernat ab initio cuncta.*
Sap. 14. v. 3 Pater! qui per gratiam & caritatem nos adoptavit in filios.
Ioan. 1. v. 12 *Dedit omnibus poteſtatem filios Dei fieri, ut filii ſimus & nominemur.* Pater! ob infinitam ſuam erga nos miſericordiam.
Luc. 6. 36. *Eſtote miſericordes, ſicut Pater veſter cæleſtis miſericors eſt.* Pater denique; qui nos fecit hæredes, & cohæredes Chriſti, qui-
Matth. 25. v. 34. bus tam divitem præparavit hæreditatem. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à ſæculo.*

§. 3. *Exiit, cum ex infinita caritate, venit in*

Hic Pater familias *exiit*; *greſſibus dilatatis*, ut ait cap. 22 libri ſecundi Regum. Dilatavit illos caritas. *Exiit* greſſibus pulcris. Cant. 7. *Quam pulcri ſunt greſſus tui.* Legunt alii. *Aurei ſunt greſſus tui.* Aureos, pulcros illos fecit caritas. *Exiit:*

it, ait S. Gregorius, *non per loci mutationem, ſed per pietatis effuſionem*, quod fecit, quando in tempore, ſic dilexit mundum, ut Filium ſuum Unigenitum dederit illi. Hic exiit, cum pulcerrimis greſſibus, inſtar hinnuli de collibus Bethel, de montibus æternæ gloriæ deſcendit in Virginis Uterum, cum Verbum Caro factum eſt, & Deus homo, incepit plantare Eccleſiam ſuam; quam ipſe ob varias cauſas comparat vineæ.

hunc mundum, & humanam aſſumpſit naturam. *1. Reg. 22. v. 37.* *Cant. 7. v. 1* *Ioan. 1. v. 14*

§. 4. *Brevis digreſſio, cur Eccleſia comparetur vineæ.*

Apud Symbolicos, florens & fœcunda vinea, eſt Symbolum Imperii, & latæ dominationis: inde hoc Emblema Vitis plena uvis, cum hoc lemmate, *Quid fœcundius.* addamus, quid pulcrius? Aſtiages aliquando ſomniavit, filiam ſuam adhuc virginem parere inſolitum fœtum; integram vineam, quæ ſuis frontibus & pampinis longè lateque diffuſis, obtegeret univerſam Aſiam. Somnium fuit impletum, cum deinde filia Aſtyagis peperit Cyrum, Regem totius Aſiæ! talis vinea eſt Eccleſia Chriſti; de illa ſola dicere poſſumus cum Regio Pſalte. *Extendit palmites ſuos uſque ad mare, & uſque ad flumen propagines eius: operit montes umbra eius, & arbuſta eius cedros Dei.* Sic Tertullianus, in perſona huius vineæ, ſivè Eccleſiæ fuit allocutus Monarchas & Reges huius mundi. *Veſtra omnia complevi, urbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatia, ſenatum, forum, totum mundum.* In Oriente, in Occidente, in Septentrione, in Meridie, in Europa, in Affrica, in Aſia, in Armerica, Chriſtus Dominus poſuit propagines ſuæ vineæ. & dicite; hac Eccleſia Chriſti? hac vinea? quid fœcundius? quid pulcrius? de qua ſponſa ait. *Vinea noſtra floruit.* Addo, quid fortius? In hac vinea ſtat illa turris, in petrâ, in rupe, cui nobilis pictor in apice impoſuit lucidam ſtellam cum hac inſcriptione, *ſecura Veritas.* In vinea Chriſti, in Romana Eccleſia ſtat illa turris, quam Clemens VIII. juſſit pingi, Ventorum furiis, inter fluctus maris expoſitam, ſed cum his titulis. *In æternum non commovebitur.* Chriſtus Dominus dixit, *uſque ad conſummationem ſæculi.* Joannes I. Rex Angliæ, hanc voculam

Pſ. 79. v. 11. *Cant. 2. v. 15.* *Matth. 28. v. 20.*

Digitized by Google

culam appoſuit, *Durabo.* Verùm, quò mea digreditur Concio, in qua modo non cogito laudare Eccleſiam ſive Vineam Chriſti; ſed promiſi, me velle oſtendere, qualis vitis in illa ipſe fuerit, & quales nos vites eſſe debeamus.

§. 5. In vinea Eccleſiæ, prima & pulcerrima Vitis eſt Chriſtus D. juxta illud. Ego ſum vitis. Ioan. 15. v. 1.

Suppono autem diſcurſum S. Auguſtini ſuper cap. 15. S. Joan. ubi Chriſtus D. ipſe de ſe ait, *Ego ſum vitis vera. Iſte locus,* inquit S. Aug. tr. 80. in Joan: *ubi ſe dicit Dominus vitem, & diſcipulos ſuos palmites, ſecundum hoc dicit, quod eſt caput Eccleſiæ, noſque membra eius. Dicitur autem Vitis, per ſimilitudinem: quemadmodum dicitur Ovis, Agnus, leo, petra, lapis angularis, & cætera huiusmodi, ex quibus apta ducuntur ſimilitudines, ob quas Chriſtus D. v. g. dixit; Ego ſum vitis.* Unde ſicut ex variis locis ſacræ Scripturæ congruè dicere poſſumus; Quia Eccleſia Chriſti eſt quoddam regnum & Imperium; Rex eius Chriſtus eſt. Quia Eccleſia eſt caſtrorum acies ordinata, & fortis exercitus, ſupremus eius dux eſt Chriſtus D. quia Eccleſia eſt ſponſa, immaculata, tota pulcra, hīc dicitur, quod Chriſtus D. ſit Sponſus. Quia Eccleſia Chriſti, *Paradiſus eſt, & & hortus deliciarum, Arbor vitæ, & puteus aquarum ſalientium in vitam æternam,* Chriſtus eſt. Quia Eccleſia Chriſti ager & campus eſt, cui benedixit Dominus, flos campi Chriſtus eſt. Denique quia Eccleſia vinea eſt, vitis illius pulcerrima Chriſtus eſt.

Ioan. 4. v. 14.

§. 6. Aliquot analogia inter Vitem, & Chriſtū Dominum.

1. Vitis, ut experientia docet, non creſcit, ut aliæ arbores per ſemen, ſed debet ramus aliquis ab alia viti præſcindi, & hic ramus debet plantari in terra, donec agat radices, tunc plantatur in vinea. hoc S. Bern. pulcre applicat Chriſto D. tract. 11. de paſſ. *Vitis primo nata eſt de vite, Deus genitus de Deo Sed ut majorem faceret fructum, plantatus eſt in terra, id eſt, in Virgine Maria conceptus eſt, de qua ſcriptum eſt, Aperiatur terra & germinet ſalvatorem.* Vitis immittitur foſſæ, foſſas in manibus & pedibus Chriſti fecerunt trabales clavi. pſ. 21. *foderunt manus meas, & pedes meos.* Vitis amat colles. Vitis myſtica ex utero V. tranſplantari voluit in montem Calvariæ

2. *Solet vitis fructifera præcidi, circumciſus fuit Ieſus,* cum octavo die

vo die ſanguinem ſuum fudit. 3. Poſtquam vitis eſt putata, debet vinculis alligari palo. S. Bern. cit. *Quis vincula vitis noſtra non videat? vinculum uterus Virginis! quem cæli capere non poterant, ipſa cepit vinculum in præſepio! membra pannis involuta, Virgo Mater alligat. pedes, manus, atque crura, ſtricta cingit faſcia. Vinculum quo ligabatur cum caperetur; injecerunt manum in Ieſum, & vinxerunt eum. Vinculum fuit corona illa ſpinea, cum magna amaritudine illud caput amabile complectens.* Sed an talibus vinculis Rex tam potens ligari potuit? memini Alexandrum M. cum medici vellent obligare illi vulnus, noluiſſe id permittere, ſed dixiſſe: *Non decet vinciri regem*, multo minus decuit Regem gloriæ talibus vinculis ligari. S. Bern. *Video & perhorreſco, & admiror, & admirando deficerem, niſi quod liquide cognoſco, te prius in corde, charitatis nexibus fuiſſe conſtrictum. Gratia ſit vinculis tuis bone Ieſu, quæ noſtra tam potenter diſruperunt* rurſus aliam cauſã dat S. Bern. cit. *O Mater amara; quid peccavit hic bonus filius tuus, ut vinculis etiam vinciatur? hic eſt qui ſolvit compeditos, qui erigit eliſos, ſuſcipit advenas & pupillos, & meruit vinculari.* Itaque vincula & nexus, Viti noſtræ non defuerunt.

Quod verò vincula hæc viti parum proſunt, niſi illis alligetur ad aliquam arborem, prout moris eſt in Italia, vel palum &c. S. Bern. c. 4. ſic de eo diſcurrit. *Vinculum fuit, quo ligatus fuit ad columnam, ut flagellaretur. Vide autem quam bene huic ligationi conveniat, quod vitis ad palum ligatur. quid enim per palum aliud quam ipſa columna, cui Dominus Ieſus fuit alligatus, accipitur? ſicut enim vitis palo, ſic Chriſtus Dominus columnæ alligatur.* §. 7. *Palus, fuit Columna.*

Sed quia gratior eſſe ſolet vitis foliorum umbra, cum ipſa levata ſupra quandam ſtruem lignorũ, huc & illuc diſtenditur, prout variis in locis, fieri ſolet, pari ratione, *Vitis noſtra exaltari debuit à terra ſicut Moyſes in deſerto exaltavit ſerpentem in ligno. Et vide quàm apte lignorum ſtrues, ſupra quam vitis ſolet elevari, crucem ſignet. Cancellantur enim ligna, hoc eſt, ex tranſverſo componuntur, & ſic ſuper hæc, vitis elevata diſtenditur* §. 8. *Palus, ſive arbor alia, fuit Lignum Crucis.*

Digitized by Google

tur, cancellantur ligna Crucis, elevantur, in illam diſtenditur brachiis, & toto corpore viti, noſtra; dinumeraverunt omnia oſſa mea. Sic vitis noſtra ligata fuit ad Arborem Crucis; O dura Vincula!

§. 9. *Vincula ferrea, clavi.* *Vinculum fuit quo ligatus fuit in Cruce, nempe ferrum,* (ferrei clavi) *fuit hoc vinculum multo durius cæteris, quod non ſolum manuum pedumque ſanctiſſimorum compagem diviſit, verum puriſſimam animam à mundiſſimo corporis animo ſeparavit.* Diutius me tenent vincula ſalvatoris. Pergo in analogiis inter vitem & Chriſtum D. præcipuè in ſua benedicta paſſione.

§. 10. *Alia analogia.* Lignum vitis, licet nobilem proferat fructum, tamẽ nullius eſt decoris. Cogitate vos videre vitem myſticam ligatam *Iſ. 53. v. 2.* vel ad columnam vel ad arborem Crucis, & mementote illius quod loquitur ſacer textus, *Ecce vidimus eum, & non erat illi ſpecies, neque decor; aſpectus eius non erat in eo, unde nec reputavimus eum, & nos reputavimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo & humiliatum.* Scitis appropinquante vere vites flere. O quoties vitis noſtra flevit, calidiſſimas lacrymas, imò ſanguinem, præcipuè in ſudore ſanguineo, & in agonia Crucis. cum oculis flere amplius non potuit, flevit corde, dum enim lancea fuit apertum ſanctiſſimum eius Latus, continuo exivit ſanguis & aqua. Folia vitis natura ita diſponit, ut tegant uvas, contra nimios calores ſolis ne nimium exſiccentur; ita tamen tegunt, ut relinquant ſpacium, per quod ſol ſuos radios poſſit uvis communicare, quantum ſatis eſt. Vere vitis eſt Chriſtus Salvator, præcipue in Cruce. Folia ſunt ſanguinolenta brachia; pulcra folia perforatæ manus; his nos protegit præcipuè peccatores, ne urat ignis & flamma Juſtitiæ. per eadem folia ſimul nobis communicat ignem D. caritatis. Pulcerrima eſt Vitis cum gemmat & floret. florum odor fugat ſerpentes. S. Bern *floreſcentibus vineis omne reptile natum cedere loco, nec ullatenus novorum ferre odorem florum.* Chriſtus Dominus in Cruce adeo florida fuit vitis, ut Pilatus juſſerit apponi hunc titulum, Jeſus Nazarenus Rex Judæorum. Gemmæ fuerunt piiſſimi affectus Chriſti D. in Cruce

pro

Digitized by Google

propeccatoribus.qui florida illa verba,Pater ignoſce &c.Hodie mecum in Paradiſo &c. Ecce filius tuus! Ecce Mater tua! Sitio &c. denique vitis fructus eſt, uva, quæ impoſita torculari dat vinum &c. de Chriſto Domino ait Sponſa: *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* torculari Crucis adeo preſſus fuit, ut dixerit Iſaias: Torcular calcavi ſolus &c. *Cant.1.v.13.*

§. 11. *Quales nos debeamus eſſe vites.* Talis vitis fuit Chriſtus Salvator noſter; unde facile intelligemus, quales nos debeamus eſſe vites in electa vinea Eccleſiæ. Sic ait eloquens Concionator; Vitis Chriſtiana, plantatur & radicatur in fide; rigatur per gratiam & Sanguinem Chriſti: canales & rivuli ſunt ſanctiſſima Sacramenta. Attollitur per Spem; dilatatur per caritatem, circumfoditur per timorem; radices abſconduntur in foſſa humilitatis; amputatur, circumciditur, à terrenis curis, per mortificationem, & abnegationem ſui; paxillatur per patientiam & fortitudinem, ligatur nexibus diſciplinæ & mandatorum, germinat in meditatione, floret in devotione, plorat per compunctionem, fert fructus in operatione. Fructus ſunt uvæ pulcerrimarum virtutum; torcular eſt invicta, & Chriſtiana Patientia, alligata Cruci Chriſti. Auditores mei! eſtisne tales vites? eſtisne plantati & radicati in fide? poterit fieri brevis repetitio.

§. 12. *Vel Operarii.* Alius Orator variat nonnihil phraſin, dum ait, illos, qui vites ſunt, debere ſimul eſſe operarios in illa vinea; & ait. Bonus operarius eſt, qui è vinea animæ ſuæ, (S. Bern. ſer. 64. in Cant. *nam viro ſapienti, ſua vita, vinea eſt, ſua mens, ſua conſcientia; nil quippe incultum in ſe ſapiens relinquit; ibi eſt vitis virtutis, botrus boni operis, vinum lætitiæ ſpiritualis*) bonus inquam operarius eſt, qui è vinea ſuæ animæ ejicit lapides, ſive removet omnia impedimenta ſalutis. Bonus operarius eſt, qui eradicat ſpinas; & plantat bonos palmites virtutum. Bonus operarius fodit vineam ſuam ligone pœnitentiæ; præſcindit ſuperfluos ramos & folia. Bonus operarius eſt, qui ſuos affectus, veluti palmites ligat & ſtringit ad arborem SS. Crucis. Bonus operarius colligit bonas uvas, & infert torculari,

lari, id eſt, qui meditatione paſſionis exſtimulat ſe, ad exercitium virtutum, & bonorum operum, quibus meretur ut tandem accipiat denarium, ſive mercedem æternæ gloriæ. Tales vites, tales palmites, tales operarios in vinea Eccleſiæ ſpero eſſe meos Auditores.

§. 13. Quibus precipuè vinculis Vitis myſtica debeat alligari palo. Eph. 4. v. 1.

De vinculis, quibus Chriſto D. & inter nos colligari nos oportet, loquitur S. Paulus: *Obſecro itaque ego vos, vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati eſtis* (ad vineam) *cum omni humilitate & manſuetudine, cum patientia ſupportantes invicem in caritate, ſolliciti ſervare unitatem Spiritus in vinculo pacis, unum corpus & unus Spiritus, ſicut vocati eſtis, unus Deus, una fides, unum baptiſma:* addamus, una vinea, in qua innumerabiles vites, in vinculo pacis, cum capite ſuo & inter ſe, unum ſunt. Clarius S. Baſilius; *Vult etiam nos quaſi claviculis quibuſdam, amplexibus caritatis, proximis inniti, & adhærere, ac in ipſis etiam conquieſcere, ut jugi affectu ſurſum verſus feramur, & quaſi ſcanſiles & arbuſtivæ vites, noſmetipſos adæquemus ſublimium faſtigiis arborum, diceres, odiſſe terram: ambire cœlum.* Arbor ſublimiſſima eſt lignum SS. Crucis; quò arctius huic vinculis ferreæ caritatis alligabimur, eo altius aſſurgemus, eo magis florebimus, eo ſuaviores proferemus fructus.

§. 14. Simile Origenis. Et alia proprietates bonæ vitis.

Elegans eſt ſimilitudo Origenis. Propterea palmes arbori nectitur, & claviculis tanquam manibus ſtricta confirmatur à lapſu; quo freta adminiculo, ventos turbineſque contemnat. Sine his vinculis, vitis ſerpit humi. Ita fideles, quaſi ad quandam arborem ſpe juncti, & confirmati, naturalium motuum procellas, cupiditatumque turbines, perferunt atque contemnunt. Ulyſſes, ne victus ſuavitate cantus Sirenum ſe præcipitaret in mare, juſſit ſe alligari ad malum; animæ piæ ne decipiantur à voluptatibus huius mundi, veluti vites, ſe alligant Arbori Crucis. Sic alligatæ vites, protrudunt gemmas. Gemmæ in hac myſtica vinea, ſunt ſanctæ cogitationes. Gemmæ deinde ſe aperiunt, fiuntque flores; Flores, ſunt pii affectus voluntatis; Flores verò matureſcunt

in

in fructus, in dulciſſimas uvas bonorum operum, ex quibus in torculari Crucis denique exprimitur vinum amoris, gaudii, lætitiæ; donec tales vites ex hoc mundo transplantentur in vineam cœleſtis gloriæ.

Ob multitudinem, pulcritudinem, fœcunditatem harum vitium de Eccleſia Chriſti, cum gaudio dicere poſſumus *Vinea Domini exercituum, domus Iſrael, eſt & vir Iuda germen eius delectabile.* Dicere poſſumus cum Regio pſalte. *Vineam de Ægypto tranſtulit, ejecit gentes, & plantavit eam, Deus virtutum reſpicit illam de cœlo, & viſitat vineam iſtam, quam plantavit dextera eius. Electam vineam* ut loquitur Iſaias. LXX. legunt, *Vineam Soreeh*, id eſt, plantatam vitibus, quæ uvas proferunt dulciſſimas abſque acinis. Eccleſia Chriſti eſt illa vinea, de qua cit. Iſ. ait, *Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei,* Ezechiel. *Vinea fructificavit in palmites, & emiſit propagines in terra bona* (v. 8.) *ſuper aquas multas plantata eſt ut faciat frondes, & portet fructum, ut ſit in vineam grandem.* Verbo Eccleſia eſt vinea, cui benedixit Dominus, cui tot contulit beneficia Deus, ut per Iſaiam quærat, *Quid eſt, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci.*

§. 15. Qualis ſit vinea Chriſti. Iſ. 5. v. 7. Pſ. 79. v. 9. Iſ. 5. v. 2. Ezechie. 17. v. 7.

Reſtat Auditores, ut obiter vos moneam, fieri poſſe, ut alicuius anima vel conſcientia, talis ſit vinea, vel vitis, ad quam iratus Dominus ait, *Ego plantavi te vineam electam, quomodo ergo converſa es mihi in pravum vinea aliena.* Quis ſcit, an non dicere poſſim ex Deuter. O vineam! *Vinea Sodomorum, vinea de ſuburbanis Gomorrhæ. Vva eorum, uva fellis, & botri amariſſimi, fel draconum, vinum eorum.* Venenum aſpidum, creſcit in illis. tale fel eſt ira, tale fel & venenum eſt odium &c De tali vinea exſpectavit Dominus *ut faceret uvas, & fecit labruſcas;* protulit tribulos & ſpinas. Quid inde? hoc fiet; implebitur prophetia Iſaiæ, qui in perſona irati Dei ait. *Et nunc oſtendam, vobis, quid ego faciam vineæ meæ; auferam ſepem eius, & erit in direptionem, diruam maceriem eius, & erit in conculcationem, & ponam eam deſertam; non putabitur, & non fodietur, & aſcendent vepres & ſpinæ; & nubibus mandabo, ne*

§. 16. Qualis Diaboli. Ier. 2. v. 21. Deut. 32. v. 32. Iſ. 5. v. 5.

pluant ſuper eam imbrem. Per Ezech. cit. hæc dixit Dominus, *Vinea mea, quam plantavi,* &c. *à qua ſperavi uvas, & accepi ſpinas,* &c. *ergone proſperabitur? nonne radius ejus evellet, & fructus ejus diſtringet, & ſiccabit omnes palmites germinis ejus & areſcet, & evellet radicitus; tanget eam ventus urens, &c.* Tandem dici poteſt cum Ezech. *Evulſa eſt in ira, in terramque projecta;* Exciſa eſt, & projecta eſt in ignem, & ardet; Ad literam hæc omnia evenere ſynagogæ; myſtice, quævis anima impii ita deſtruetur.

Ezech. 17. v. 9.

Ezech. 19. v. 12.

§. 17. *Vites infructiferæ igni dabuntur.*

Ezech. 15. v. 1.

Conſiderate Auditores, quales vos ſitis vites! Si palmites eſtis illius vitis quæ eſt Chriſtus, ſi fundatæ in fide &c. veniet hora, qua cœleſtis Pater familias, ex hâc valle lacrymarum, vos tranſplantabit in montes æternæ gloriæ. Si vites eſtis, de vineis Gomorrhæ (fiat vehemens repetitio multorum quæ dicta ſunt, v. g. ſi fertis ſpinas &c.) locum habet quæſtio Ezechielis: *fili hominis, quid fiet de ligno vitis? Ecce igni datum eſt in eſcam.* Poſtquam hæc dicta ſunt de ligno vitis, per eundem Ezechielem ait Dominus; *Propterea hæc dicit Dominus, quomodo lignum vitis inter ligna ſylvarum, quod dedi igni ad devorandum, ſic tradam habitatores Ieruſalem.* Hic locum habet illud Emblema, in quo depicta eſt veſtis, cum hoc lemmate, *aut igni, aut Deo.* Idem de nobis dici poteſt, cum vites ſimus, aut igni, aut Deo. S. Aug. tr. 81. in Joan. *Vnum de duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis. Si in vite non eſt, in igne erit. Vt ergo in igne non ſit, in Vite ſit* (ex hoc dicto S. Aug. fiat pulcer Epilogus, & adhortatio ad Auditores, ut ſint palmites, manentes in Chriſto; ne æternum ardeant.)

CON-

Digitized by Google

CONCIO XII.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Exiit, qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum.

Luc. 8. ℣. 5.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRima parte, per varias ſimilitudines ex ſacris literis, probat neceſſitatem audiendi Verbi Dei. In altera, agit de aliquibus in particulari, qui ſine fructu audiunt Verbum Dei.

§. 1. *Chriſtus Dominus eſt Cæleſtis agricola, qui exiit ſeminare ſemen Verbi Divini.*

§. 2. *Prima ſimilitudo, qua exponitur neceſſitas audiendi Verbi Dei.*

§. 3. *Vt ager ſine ſemine; ſic anima ſive verbo divino, in æternum non feret fructum.*

§. 4. *Conglobatio ſimilium ex S. literis, quibus probatur eadem neceſſitas.*

§. 5. *Proſecutio.*

§. 6. *Requiritur præterea, ut verbum Dei audiatur cum fructu.*

§. 7. *Explicantur verba illa Chriſti Domini: Videte quomodo audiatis verbum Dei.*

§. 8. *Aliqui in particulari audiunt verbum Dei ſine fructu. 1. Luxurioſi.*

§. 9. 2. *Superbi & obdurati in malo. Comparantur cum Saxis.*

§. 10. *Simile S. Chryſoſtomi.*

§. 11. *Superbia eſt pondus à quo ſemen Verbi Divini opprimitur.*

§. 12. 3. *Divites & avari non multum proficiunt ex auditione verbi divini, Comparantur cum ſpinis.*

§. 13. *Ex hoc dicto Chriſti Domini*

mini quo aſſerit divitias eſſe ſpinas, colliguntur pulcræ veritates.

§. 14. *Epilogus.*

§. 1. Chriſtus D. eſt cœleſtis agricola, qui exiit ſeminare ſemen Verbi divini.

Cum Salvator noſter in parabolâ hodierni Evangelii, claris verbis dixerit, ſe per ſemen, intelligere Verbum Dei, nos ſine timore aſſerere poſſumus, ipſum eſſe illum cœleſtem agricolam, qui (greſſibus dilatatis, greſſibus pulcris & aureis, greſſibus caritatis, ut dixi in initio Concionis præteritæ) exiit à Patre ſuo, & venit in hunc mundum, ad ſeminandum ſemen Verbi Divini; præſertim tribus ultimis annis ſanctiſsimæ vitæ ſuæ in hoc mundo. Diſcurrite per ſancta Evangeſia quatuor Evangeliſtarum S. Mathæi, S. Marci, S. Lucæ & S. Joannis; quærite vel legite, quid fecerit in Judæa, in Galilæa, in urbibus, in pagis, in itineribus, in plateis, in privatis ædibus! ubique ſeminavit Verbum Dei. Quærite Chriſtum Dominum in montibus, in vallibus, in campis, in deſerto, in mari, in navibus; ubique ſeminavit Semen Verbi Dei. Idem fecit in concionibus in templo; in conviviis, ubi convertit Magdalenam; juxta fontem Sichar, ubi per ſemen Verbi Dei ad ſui agnitionem traxit Samaritanam; ad telonium ex quo extraxit Matthæum; paucis verbis, ſeminis Verbi D. Quærite Chriſtum inter cœcos, mutos, paralyticos, ægros, omnibus prædicavit Verbum Dei. In Cor Nicodemi, nocturno tempore cum magno fructu projecit illud ſemen. Modis diverſiſsimis, monendo, minando, animando, per hiſtorias, per parabolas, per ſimilitudines, per teſtimonia ex pſalmis & libris Prophetarum, imò, miracula patravit tam mira tam varia! ad confirmationem ſuæ doctrinæ. Ego Salvatoris amorem erga prædicationem Verbi Divini inde colligo, quod in ultima Cœna, poſt inſtitutionem SS. Euchariſtiæ, vitæ ſuæ, ante Paſsionem finem ſive periodum imponere voluerit affectuoſiſsimo ſermone ad ſuos diſcipulos, & omnes electos: Imo pendens in Cruce ſeminavit 7. grana 7. verborum &c. Ut ego, quem infinita Dei bonitas ad munus prædicandi Evangelium elegit, ſive ut ego, qui in agro Eccleſiæ Chriſti, ſum agricola, inſiſtam veſtigiis, mei Salvatoris, duo vobis in hac concione pro-

proponam, prima parte quanta ſit neceſſitas excipiendi ſemen Verbi D. In alterâ quinam cum fructu, quinam ſine fructu illud excipiant.

§. 2. *Prima ſimilitudo, quâ exponitur neceſſitas audiendi Verbum Dei.*

Utiliſsimam doctrinam in parabola hodierni Evangelii nobis propoſuit Chriſtus Dominus ut bene dixerit S. Bernardinus ſuper illum ver. Matth. 5. *Aperiens os ſuum, docebat eos*, id eſt, *Aperitur theſaurus deſiderabilis, reſeratur gazophylacium regni cæleſtis, fons omnium bonorum panditur.* Talis fons eſt parabola hodierni Evangelii: ex illo varii SS. Patres & Concionatores hauſerunt hanc infallibilem Veritatem, ſive aptiſsimam ſimilitudinem ſicut ager non fert fructum, niſi ſeminetur; ſic homo Chriſtianus, non fert fructum virtutum vel bonorum operum quę homini adulto ad vitam ęternam ſunt neceſsaria, niſi audiat Verbum Dei. Ulterius. Quemadmodum ager, qui non ſeminatur, non tantum bonum fructum non profert, ſed ſpinas & tribulos; juxta maledictionem à Deo in Adamum prolatam, *Maledicta terra in opere tuo, ſpinas & tribulos germinabit tibi.* Sic anima hominis, ſine ſemine. Verbi Divini non tantum bonos fructus, non germinabit, ſed vitia, multa & varia, & gravia, & erit terra, ut S. Paulus loquitur, *reproba, & maledicto proxima, cuius conſummatio in combuſtionem.*

Matth. 5. v. 2

Gen. 3. v. 17

Heb. 6. v. 8

§. 3. *Vt ager ſine ſemine, ſic anima ſine Verbo Divino in æternum non feret fructum.*

Talem maledictionem experta fuit arbor fici, in qua cum in tranſitu Salvator noſter eſuriens non inveniret fructus ſive ficus, ſed ſola folia, ad illam ait: *Nunquam ex te naſcatur fructus in æternum & arefacta continuo ficulnea.* Auditores mei, oſtendite mihi agrum, qui non laboratur, neque ſeminatur, inferam ego infallibilem hanc conſequentiam, nunquam in illo naſcetur fructus in ęternum. Talis ager eſt reprobus, maledicto proximus, nihil ſupereſt aliud, quam ut mors ſua falce excindat ſpinas, quæ momento arefactæ proiiciuntur in ignem æternum, & ardent. Vultin' me loqui clarius? aſſero, ex parabola hodierni Evangelii mihi certũ eſſe, illos, qui per annum vix unquam interſunt Concioni; imò rident, contemnunt Verbum Dei, eſſe agros incultos, ſteri-

Matth. 21. v. 19.

les, plenos ſaxis & ſpinis, à quibus bonum ſemen ſuffocatur, vel à diabolis devoratur, donec ſpinæ eradicentur, & proiiciantur in ignem. Ut agro ſemen, ſic homini neceſſarium eſt Verbum Dei.

§ 4. *Conglobatio ſimilium ex ſacris literis, quibus probatur neceſſitas audiendi verbi Dei.* *Ioan. 6. v. 41.* *Iob. 7. v. 1.* *Heb. 4. v. 12* *Ierem. 23. v. 29.* *Pſ. 118. 105.* *Luc. 12. v. 49.*

Plurima ſimilia reperio in ſacris literis, quæ clarè nobis ponunt ob oculos, quam ſemen ſive auditio Verbi Divini nobis ſit neceſſaria. Ambulamus per deſertum huius mundi in denſiſsimis tenebris; teſte regio pſalte pſ. 118. Verbum Dei, eſt lumen, ſive lucerna, quæ illas tenebras illuminat. Iter agimus difficile; ne vires noſtræ deficiant opus eſt pane qui nos confortet, & potu, qui ſitim reſtinguat: quantum hæc corpori, tantum & multo magis animæ neceſſarium eſt verbum Dei, quod ipſe Chriſtus D. vocavit *panem*, & ſapiens, *vinum quod lætificat cor hominis*, vita noſtra ſuper terram, ſimul *eſt militia*, teſte Jobo; *gladius autem ſpiritus* (ut loquitur Apoſtolus) *quo hoſtibus nos oportet reſiſtere, eſt verbum Dei*. Verbum Dei comparatur igni, & quidem vehementi, quem Chriſtus D. venit mittere in terram, ut ardeat; quia ob corruptam noſtram naturam facillime refrigeſcimus, ſine hoc igne in amore Dei, & fervore illi ſerviendi, diu perſeverare non poterimus. A calido ſemine verbi D. ignis ille debet conſervari, Iſaias cap. 15. S. Joannes Evangeliſta cap. 15. Verbum Dei comparant cum aqua, quæ purificat; cum peccatorum ſordes pedibus noſtris in hoc itinere facillimè adhæreſcant, cœleſtis hæc aqua nobis eſt neceſſaria, qui nos abluat. Si contingat nos vulnerari, eadem aqua cœleſtis eſt medicina, ad vulnerum medelam.

§. 5. *Profectio.*

Ex hoc diſcurſu ferte ſententiam, quid ſentiendum ſit de iis, qui nunquam audiant conciones, vel audiunt ſine fructu. Qui in tenebris ambulat ſine lumine, facile offendit. Cui deeſt panis & potus, langueſcit. Graviter ſaucius, rejiciens medicinam eſt in periculo mortis. Qui ſine armis occurrit hoſti, facillimè vincitur; qui in hyeme non accedit ad ignem frigeſcit. Pari ratione ſic debemus diſcurrere; homo Chriſtianus ſine lucerna verbi divini, facile labitur in gra-

via

via peccata &c. (fiat nervoſa repetitio. Econtra verò ſententiam ferre poteſtis, quid ſentiendum ſit de illis, qui frequenter & cum fructu audiunt verbum Dei. His ſolatio eſſe poſſunt verba Chriſti D. *Si quis ſermonem meum ſervabit, mortem non guſtabit in æternum.* Et illa. *Beati, qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud.* *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit.* Tales ſunt oviculæ Chriſti, quæ aliquando in valle Joſaphat ſtabunt ad dexteram Judicis, quia audierunt vocem paſtoris. Puto ex dictis hac prima parte concionis vos omnes in meam ituros ſententiam, homini Chriſtiano adulto, ad ſalutem valde eſſe neceſſariam auditionem verbi Dei.

Ioan. 8. v. 51. *Luc. 11. v. 28.* *Ioan 8. v. 47.*

Verum ex fonte hodiernæ parabolæ alia quoque infallibilis veritas haurienda eſt, non eſſe ſatis recipere bonum ſemen verbi Dei, ſed debere illud conſervari in terra, ſive in corde bono & optimo. Quod multi frequenter audiant conciones, & tamen non emendentur, quod nihilominus ſint blaſphemi, maledici, &c. id verbo Dei, & cœleſti huic ſemini non eſt aſcribendum, neque concionatoribus, ſed ipſis auditoribus, qui ſemen Dei non cuſtodiunt, ſive, non audiunt conciones ut deberent. Hoc ſolari debet concionatores, dum, multis & magnis laboribus putant ſe nihil proficere, neque inter auditores magnos facere fructus. Noe ſuo tempore, cum arcam ædificavit, impiis magno zelo prædicavit pœnitentiam. Sine fructu: perſeverarunt in ſceleribus ſuis, donec Deus iratus diluvio illos delevit de facie terræ. An unquam ſceleratis Judæis defuerunt ferventes concionatores & Prophetæ, qui illis annuntiarent verbum Domini? nunquam. Sed ſine fructu: non tantum ſcelera ſua non emendarunt, ſed verbi D. præcones lapidarunt, aut alio modo, etiam in templo, trucidarunt. Imo ipſe Meſſias Chriſtus D. prædicando apud multos parum profecit, de quo ſummopere conqueritur: *Si non veniſſem & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent; nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo, quia audierunt me, & oderunt me, & patrem meum.* Cujus vitio hæc omnia? an cœleſtis ſeminis? an agricolæ? an Chriſti

§. 6. Requiritur præterea, ut verbum Dei audiatur cum fructu.

Ioan. 15. v. 22.

Domini?

Domini? blaſphemum eſt, talia cogitare; audientium culpa talia accidunt. Unde Chriſtus D. in hodierna parabola, non neceſſitatem tantum verbi D. nobis inculcavit, ſed poſtquam parabolam expoſuiſſet, ſubdidit; *Videte, quomodo audiatis verbum Dei.*

§.7. *Explicantur verba illa Chriſti D. Videte, quomodo audiatis.*

Quaſi diceret; videte, ut dum excipitis ſemen verbi Dei, ut cor veſtrum non ſit inſtar viæ, ne ſtatim veniat diabolus, & rapiat illud, ne credentes ſalvi fiatis. *Videte quomodo audiatis.* Id eſt, non ſatis eſt, ut verbum Dei cum gaudio ſuſcipiatis, ſed corda veſtra debent eſſe fœcunda, ſine petris, ſine ſaxis, ut cœleſte illud ſemen, poſſit agere radices. Si enim hoc non fiat, *facta tribulatione & perſecutione, continuo ſcandalizabimini.* Vel ut S. Marcus ait. (*Marc. 4. v. 17.*) *Ad tempus creditis, & in tempore tribulationis, recedetis. Videte quomodo audiatis verbum Dei*, quaſi diceret, cavere debetis, ne verbum divinum à ſollicitudinibus, & divitiis, & vitæ voluptatibus, ſuffocetur. S. Marcus ait. (*Marc. 4. v. 19.*) *Aerumnæ ſæculi, & deceptio divitiarum, & circa reliqua, concupiſcentiæ introeuntes ſuffocant verbum, & ſine fructu efficitur.* S Lucas his utitur verbis; (*Luc. 8. v. 14.*) *Sollicitudo ſæculi iſtius, & fallacia divitiarum ſuffocat verbum, & ſine fructu efficitur.* Videte denique, quomodo audiatis verbum, id eſt, ſemen hoc debet cadere in terram bonam, ſive cor bonum & optimum, ut illud retineatis, & ſic afferat fructum in patientia.

§.8. *Aliqui peculiariter audiunt verbum D. ſine fructu. primo Luxurioſi.*

In particulari, hodierna parabola inſinuat, triplicis præcipuè generis homines parum proficere ex auditione verbi divini; Primò enim ait Salvator, *Aliud cecidit ſecus viam.* per quam SS. Patres intelligunt homines luxurioſos, ex Iſaia: (*Iſa. 51. v. 23.*) *Poſuiſti ut terram corpus tuum, & quaſi viã tranſeuntibus.* ex Jer. (*Ier. 23. v. 12*) *Idcirco via eorum, quaſi lubricum in tenebris, impellentur enim & corruent in ea.* De his ait S. Paulus. (*1. Cor. 2. v. 14.*) *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei.* Eccleſiaſticus. (*Eccleſ. 21. v. 18.*) *Audivit luxurioſus, & diſplicebit illi, & projiciet illud poſt tergum ſuum.* Ex pſ. 49. (*Pſ. 49. 17.*) tales oderunt diſciplinam, & projiciunt ſermones Dei retrorſum. S. Chryſoſtomus libidinoſos auditores verbi divini, comparat leonibus, quibus cum eſuriunt, etſi ducantur ad amœnum hor-

Digitized by Google

hortum, flores non placent, ſed carnes vel aliquod cadaver; multò minus libidinoſi delectantur floribus verbi divini, ſed carne & ſanguine. Ut homo cum fructu audiat verbum Dei, requiritur ut intellectus illud intelligat, ut memoria, quaſi cuſtodiat, ut voluntas illud amet, ut appetitus executionem illius deſideret; ſed pulcre ait S. Gregorius in moralibus. *Si ſemel luxuria mentem occupaverit; vix bonum cogitare permittit. hebetat-ſenſum, confundit intellectum, maculat voluntatem, obſcurat memoriam, excæcat rationem.* Ob quam cauſam Salvator noſter dixit, *Neque mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne conculcent eas pedibus ſuis.* S. Chryſoſtomus. *Porci ſunt, qui vitam ſuam cænoſæ libidini mancipant:* tales porci non horrent auditam concionem pedibus conculcare, id eſt, contemnere, vili pendere, imò ridere; licet libenter videantur ſubinde illam audire. Talis auditor fuit Rex Herodes, adulter. Libenter audiebat clamantem vocem tubæ pœnitentiæ S. Joannis Baptiſtæ; ſed diabolus, per adulteram mulierem, per libidinoſam filiam (hæ ſunt volucres diaboli) mox ex corde illius rapuit projectum ſemen de atrocitate adulterii. Herodes adulter, Herodias adultera, filia ejus libidinoſa, fuerunt porci, qui tam nobiles margaritas, tam ſalutares S. Joannis admonitiones pedibus conculcarunt; projecerunt ſermones ejus retrorſum, oderunt concionatorem; diſplicuit illis ſecura libertas illius; neque odium illud reſtingui potuit, niſi ſanguine innocentiſſimi & ſanctiſſimi viri. Neſcio, an & hodie veniant tales porci ad conciones; ego tantum moneo, ſemen verbi divini, ut ferat fructum, cadere debere in cor mundum & caſtum. Si cadat in publicam viam, non deerunt volucres, quæ illud rapiant.

Matt. 7. v. 6.

In cordibus quoque ſuperborum, ſemen verbi divini, vel vox Dei, vel concio alicujus Apoſtolici Concionatoris, raro fert fructum. Idem aſſero de illis, qui longo tempore perſeverant in malo, & nihilominus oderunt vel nomen pœnitentiæ, unde impœnitentes vocantur aut obdurati in malo. Arbitror vos jam cogitare, ideo Chriſtum D. in hodierna pa-

§. 9. *2. Superbi & obdurati in malo. Cur comparentur ſaxis.*

Digitized by Google

rabola dicere, partem ſeminis cadere inter ſaxa & petras, in quibus ſemen non reperit ſufficientem humorem, & proinde areſcit. Cauſæ comparationis inter ſaxa, & ſuperbos atque impœnitentes peccatores non deſunt. Petra naturaliter dura eſt; durior eſt ſuperbia, quod vitium præ omnibus aliis corda hominum indurat, & facit illos rebelles veritati, atque lumini; ut impleatur illud Iſaiæ: *Induraverunt facies ſuas ſuper petram, & noluerunt reverti, non timentes illud.* Hoc fecit Pharao de quo textus ait: *Induratum, vel ingravatum eſt cor Pharaonis.* Eccleſiaſticus vocat *cor durum*, de quo S. Bernardus ait ad Eug. Papam, *quod nec compunctione ſcinditur*; alludit hic modus loquendi ad petras, quæ Chriſto in cruce pendente ſciſſæ ſunt, ſed ſcindi non poteſt ſuperbum & durum cor multorum peccatorum. Pergit S. Bernardus, *nec pietate mollitur, nec movetur precibus, nec minis cedit.* Quæ media non adhibent concionatores, ut gladio verbi divini ſcindant corda peccatorum, ut pietate emolliant, ut affectuoſis precibus, per vulnera, per mortem, per ſanguinem Salvatoris illos moveant ad pœnitentiam; cum pietas, cum preces nihil efficiunt, quas non proferunt minas, de morte, de judicio, de inferno, de ira Dei? fruſtra omnia! ſemen hoc cadit in ſaxa, proferre fructum non poterunt tales in æternum. Eo tandem deveniunt arrogantes & pertinaces peccatores, ut habeant cor (S. Bern. citatus) *obliviſcens præterita, negligens præſentia, non providens futura, quod nec Deum timet, nec homines veretur.* Clament concionatores, quantum volent.

Iſ. 5. v. 3.

Exod. 4. v. 14.

Eccleſ. 3. v. 27.

§. 10. *Simile S. Chryſoſtomi.* De tali corde ait Job. *Cor ejus indurabitur quaſi lapis, & ſtringetur quaſi malleatoris incus.* Quam hæc ſimilitudo ſit congrua meæ materiæ; quod talibus verbum Dei non multum proſit, intelligetis ex verbis S. Chryſoſtomi; *Sicut lapis, ſuper quam pluvia cadit, balneatur foris; intus tamen ſiccus exiſtit; ſic tales ab extra, quandoque concipiunt aliquam bonitatem, verbum Dei audiendo; intus tamen in ariditate cordis ſui permanent. Et ſic verbum Dei non poteſt fructificare, quia natum areſcit.*

Iob. 41. v. 15.

§. 11. *Superbia.* Saxa præterea & petræ, natutaliter ſunt frigidæ & pondero-

deroſæ, tales quoque ſunt ſuperbi. Superbia eſt frigidus aquilo, & ventus urens, qui ſemen verbi divini ſtatim exſiccat, & adurit. Superbia, eſt onus & pondus, à quo cœleſte ſemen ſtatim opprimitur & ſuffocatur. Superbi ex concionibus non multum proficiunt. Humilitas eſt illa virtus, quæ cor hominis ita diſponit, ut ſit terra bona. Sed propero ad finem concionis. *eſt pondus, à quo ſemen verbi divini opprimitur.*

§. 12. 3. Divites & avari, non multum proficiunt ex concionibus. Comparantur enim ſpinis.

Denique de divitibus, præſertim avaris, in particulari aſſerunt SS. Patres, quod ſemen verbi D. in illis non ferat fructum. Ideo Chriſtus D. dixit, *aliud cecidit inter ſpinas:* quibus avari comparantur. Nam 1. Spinæ pulcre & cum amœnitate virent & florent; ſed ſub foliis & floribus latent ſpinæ & aculei, & fructus amari. poſtquam exaruerunt, ſunt pabulum ignis. Conſummatio in combuſtionem. Parimodo, *avari divites* (utor verbis S. Bernardi) *ad tempus florent ad tempus epulantur, &c. & in æternum ardent.* Dives epulo, magno ſuo damno experitur. Talia per annum frequentiſſimè à concionatoribus, avaris, obtruduntur; quo fructu? nullo. Si dives epulo ex inferni flammis, ad aliquos veniret, & concionaretur multis divitiarum contemptum, non perſuadebit. Habent aures plenas ſpinis. 2. Teſte S. Gregorio M. *Divitiæ ſpinæ ſunt, quia ſollicitudinibus mentem lacerant.* Scilicet *ſpe acquirendi:* hæc ſpes eſt ſpina! *Cura retinendi:* hæc cura, eſt ſpina, & *timore perdendi*: hic timor, ſpina eſt.

§. 13. Ex hoc dicto Chriſti D. quo aſſerit divitias eſſe ſpinas, colliguntur pulcra veritates.

Sufficiat una auctoritas Chriſti D. qui diſerte aſſerit, divitias & curas hujus ſæculi, eſſe ſpinas. Sed colligamus ex hoc dicto, hauriamus ex hoc fonte pulcerrimas veritates. Si divitiæ ſpinæ ſunt, quæ ſuffocant verbum Dei, quam ergo pauci ſalvabuntur, cum totus pœnè mundus ſtudioſe & primario occupetur circa divitias & curas hujus ſæculi: quidquid dicant concionatores. Si divitiæ ſpinæ ſunt, an non errant, qui cum divitiarum amore, putant ſe poſſe ſanctè vivere & ſalvos fieri? Aut Chriſtus D. veritatem non dixit, aut is, qui amat divitias, non ſalvabitur! non dico, qui habet divitias, ſed qui amat. Inordinatus hic amor plerumque radix

 eſt gra-

Digitized by Google

eſt gravium & multorum ſcelerum, cum quibus ſalvari non poſſunt. Si divitiæ ſpinæ ſunt, errāt qui in divitiis ſuis gloriantur; gloriantur enim ſe poſſidere ſterilem agrum, plenum ſpinis. Si divitiæ ſpinæ ſunt. merito reprehendendi ſunt illi parentes, quorū tota cura eo tendit, ut ſuis filiis relinquant ſpinas. Contradicit quidē mundus, qui affirmat opes eſſe roſas; ſed Chriſtus, æterna Veritas aſſerit eſſe ſpinas. cui eſt credendum. Ego fidem adhibeo Chriſto Domino & aſſero illum bene dixiſſe, nam ſpinæ pungunt cum carni infiguntur: cruciant quamdiu carni inhærent; cruciant, quando extrahuntur. Eadem veriſſima ſunt de divitiis, quæſitæ, inventæ, poſſeſſæ, perditæ, præſertim in agone cruciant! Sed in quem agrum, falcem immittit mea Concio? modo perſuadere tantum volui meis Auditoribus, ut credant, avaros divites non multum proficere ex auditis concionibus. Eradicent prius ex cordibus ſuis ſpinas, & ſemen verbi Dei fructificabit.

§. 14. Epilogus. Et continget, quod contigit tempore Apoſtolorum ut acta referunt. *Verbum Dei creſcebat, & multiplicabatur numerus diſcipulorum in Hieruſalem valde: multa enim turba ſacerdotum obediebat fidei*, & cap. 15. *Audientes autem gentes, gaviſa ſunt, & glorificabant verbum Domini, & crediderunt, quotquot erant prædeſtinati ad vitam æternam. Diſſeminabatur autem verbum Domini, per univerſam regionem.* Act. 6. v. 7.

(Ex his fiat Epilogus)

CON-

CONCIO XIII.

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

Ecce aſcendimus Ieroſolymam.
Luc. 18. v. 31.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXponit varios fructus, & utilitates, Memoriæ Paſſionis Chriſti; quæ eadem, optima eſt diſpoſitio ad acceptabile tempus quadrageſimæ ſive pœnitentiæ.

§. 1. *Cruci ante ſpeluncam S. Mariæ Magdalenæ*

§. 2. *Confertur hodierni Evangelii lectio.*

§. 3. *Ardentia deſideria ut cruci Chriſti ſimus affixi; & ut illius memoriam nunquam deponamus.*

§. 4. *Proſecutio.*

§. 5. *Lignum crucis, ſive memoria Paſſionis, aquas amaras reddit dulces.*

§. 6. *Et Olivas.*

§. 7. *Scala Iacob fuit figura SS. Crucis.*

§. 8. *Memoria Paſſionis Chriſti nos confortat, & lætificat, & SS. Euchariſtia.*

§. 9. *Cur Societas Ieſu, hoc triduo nos invitet ad communionem, & memoriam Paſſionis Chriſti.*

§. 10. *Crux eſt jugum, quod poteſt fieri ſuave.*

§. 11. *Vnde dulcorati fuerint lapides S. Stephani.*

§. 12. *Chriſtus in cruce, Sol occumbens.*

§. 13. *Analogia aliqua inter lumen gloriæ in patria: & mememoriam Paſſionis in terris.*

CUm Magdalena poſt glorioſam Chriſti aſcenſionem appuliſſet in Gallias, in altisſimo monte, horridæ ſe incluſit ſpeluncæ, ad agendam ſeriam pœnitentiam. Miſit autem illi dominus per Arch. Michaelem ad- mira- *§. 1. Cruci ante ſpeluncam S. Magdalena*

mirabilem quandam Crucem, quam collocavit in introitu antri ut tanto commodius continuo illam poſſet intueri; In hac cruce, veluti in ſpeculo Magdalenæ continuo repræſentata fuerunt, myſteria vitæ Chriſti, & præcipuè illa, quæ in cruce fuerunt conſummata. Et ſic] aſperrima pœnitentia Magdalenæ non fuit difficilis. *Nihil enim eſt adeo grave (ait S. Greg. in ep.) quod non æquanimiter toleretur, ſi Chriſti paſſio ad memoriam reducatur.*

§. 2. *Confertur hodierni Evangelii lectio.*

Poſt paucos dies à concionatoribus invitabimur cum Magd. ad ſpeluncam pœnitentiæ, ut acceptabili tempore quadrag. defleamus noſtra peccata. Poſt paucos dies exordiemur magnum jejunium, ſenſualitati noſtræ valde difficile. Tempus quadrageſ. exigit, ut valedicamus omni vanitati & voluptati, ut crucifigamus concupiſcentias noſtras, ut nos totos demus orationi, & exercitio virtutum aliorumque bonorum operum.. Et hanc puto eſſe cauſam cur mater noſtra Eccleſia in hod. Eu. erigat vexillum crucis, cur oculis noſtris proponat myſteria præcipua paſſionis, Chriſti captivitatem, illuſionem, flagellationem, imò pendentem in cruce. Ut ſcilicet myſteriorum horum memoria, opera pœnitentiæ nobis reddat facilia; ut memores dolorum Chriſti libenter jejunemus, oremus, verbo, ſobrie, juſtè, piè & caſte vivamus. Talia & plura alia in nobis operatur viva memoria Paſſionis Chriſti; quod hac concione fuſius oſtendam; ut ſic incipiam animos veſtros diſponere ad ſanctam quadrageſimam. In Eu. Eccleſia illi præludit illa dulci memoria Paſſionis, idem ego faciam hac concione.

§. 3. *Ardentia deſideria, ut cruci Chriſti ſimus affixi: & ut illius memoriam nunquam deponamus.*

S. Bernardus ſuſpirare ſolebat ſer. 2. de paſſ. *Confige cruci tua manus meas, & pedes meos, & me totum ſervum tuum Domine.* Piiſſimum quoque fuit ſuſpirium S. Bonaventuræ p. 1. c. 1. *O cur crucis illius loco non fui, ut Chriſtus fuiſſet manibus meis & pedibus conclavatus? ſed ſi hoc modo non poſſum facere corpore, ſaltem hoc volo mente. In mente ſentio Clavos, in mente quotidie cerno illa Vulnera &c.* Referunt probati auctores, Judæos abductos in captivitatem Babylonicam; in quarum perſona David ceci-

cecinit triſtem illum pſalmum; *Super flumina Babylonis, &c.* *Pſ.137.v.1.*
pro aliquo ſolatio in graviſſimis ærumnis, ſuis anulis incluſiſſe lapillos, quibus inſculpta erat aliqua ſpecies civitatis Jeroſolymæ. hos lapillos continuo intuebantur, q.d. *Licet exules à patria ſimus, nunquam tamen tui Jeruſalem nos invadit oblivio.* Scio aliquos uti hoc anulo dum agunt de cœleſti beatitudine, laudo ego illas animas pias, quibus Chriſtus crucifixus eſt petra, quem geſtant in anulo cordis, cum SS. hoc propoſito, *Jeſu mei crucifixi nulla unquam me invadet oblivio.* Hunc anulum, hunc lapillum, ſponſa vocavit *faſciculum myrrhæ* quem poſuit inter ubera ſua. de quo ſuaviter ſuavis Bernardus ſer. 43. in Cantica. *Si ſapis, imitaberis ſponſæ prudentiam, atq; hunc myrrhæ tam carum faſciculum de principali tui pectoris, nec ad horam patieris avelli; amara illa omnia quæ pro te pertulit, ſemper in memoria retinens, & aſſidua meditatione revolvens.* *Cant.1.v.12.*

Talia ſuadeo meis Aud. ut cum S. Bernardo & S. Bonav. manibus & pedibus cupiant affigi cruci &c. nec votis ſolum ſed re ipſa, ut quibus cum S. Paulo dicere poſſit, *Chriſto confixus ſum.* Hoc cupio pro præparatione ad ſanctam quadrageſimam, ut cor cujuſvis ſit precioſus anulus ex auro caritatis. gemma ſit imago crucifixi. Si ſapitis auditores, *imitamini &c.* (applica S. Bern. verba ſuperius citata) & omnis myrrha hujus mundi, ſive quævis tribulatio; imò myrrha pœnitentiæ nobis erit dulcis. Quævis amara dulceſcunt per memoriam paſſionis. *§. 4. Proſecutio.*

Populus Iſraeliticus in deſerto graviſſima vexatus ſiti, pervenit in Mara. Videntes ibi aliquas aquas exultarunt præ gaudio. breve gaudium! dum bibunt, reperiunt eſſe aquas amaras inſtar fellis. *Nec poterant bibere aquas* unde & congruum loco nomen impoſuit populus, vocans illum *Mara*, id eſt, amaritudinem, & iterum cum gravi murmuratione dixerunt Moyſi; *Quid bibemus?* confugit ille more ſuo ad Dominum, qui *oſtendit ei lignum, quod cum miſiſſet in aquas, in dulcedinem verſæ ſunt.* Amariſſima illa aqua fuit ſymbolum ærumnarum hujus mundi, imo vanitati mundi ineſt amaritudo &c. lignum *§. 5. Lignum crucis, ſive, memoria paſſionis, aquas amaras reddit dulces. Exod. 15. v.23. v.24.*

vero

verò tam admirabilis virtutis, fuit figura ligni SS. Crucis, in qua filius Dei pependit, illud lignum injicimus in aquas noſtrarum tribulationem, cum eorum, quæ Chriſtus pro nobis paſſus eſt recordamur & omnis tribulatio animæ piæ, fit dulcis. Sentit mecum Joannes Cardinalis Vitalis cum ait verbo Crux: *A ligno indulcoratæ ſunt aquæ, quia nulla eſt tribulatio, quæ appoſito ligno crucis per memoriam & dilectionem* (crucifixi) *non dulceſcat.*

§. 6. *Et olivæ.* Fructus olivarum, ſive olivæ ſunt amariſſimæ; in aqua tamen ſalſa dulceſcunt; hinc illa epigraphe: *Amaritudine dulceſcunt.* Amariſſima Oliva vocari poteſt pœnitentia. Myrrheus ramus eſt contritio, ſi tamen injiciatur amaris lacrymis & precioſo ſanguini Chriſti, dulceſcit contritio. Et quis, niſi ſaxum ſit, recordari poteſt lacrymarum Chriſti, quas pro nobis Chriſtus in cruce effudit, ut non libenter doleat de ſuis peccatis. Myrrheus ramus eſt Confeſſio, & quidem integra, cujuſcunque peccati. Sed injice ſanguini Chriſti, Dulceſcit confeſſio, id eſt, quis recordari poteſt, inter quos dolores Chriſtus tam copioſe ſuum effudit ſanguinem; ſi recordetur præterea, hunc ſanguinem ſibi non profuturum, niſi integre confiteatur; & non libenter id faciat? Myrrheus, ramus hujus Olivæ ſive pœnitentiæ eſt jejunium! myrrheus ramus diligere inimicum &c. in lacrymis, in ſanguine Chriſti, in memoria & recordatione ejus paſſionis, & potiſſimum SS. Crucis, dulceſcunt hæc omnia.

§. 7. *Scala Iacob, fuit figura SS. Crucis.* Vix unquam ſufficienter explicari poterit myſterioſa illa ſcala, quam in ſomnio vidit Jacob Gen. 28 c. in duro lectulo, jacens humi, in ſaxo, & ſimul valde triſtis & afflictus, ob iram fratris Eſau, quem fugiebat. Conveniunt plurimi interpretes, illam ſcalam fuiſſe figuram SS. Crucis. D. Zeno Veron. in illum locum. *Scala proprio nomine crux vocatur, quia per ipſam Ieſus Chriſtus univerſa myſteria conficiens & concludens ſalutem, Adamo reportavit, & iter ad cœlum omnibus ſe ſequentibus patefecit.* Sed cur dominus triſti & afflicto ſe oſtendit in cruce, & non in gloria, in paradiſo. hic forte majori fuiſſet ſolatio,

Digitized by Google

tio, Jacobo, in illa triſtitia, in illis laboribus &c. quam fuerit aſpectus ſcalæ. Sic nos delicati ſentimus. Viro forti, qualis erat Jacob, pro ſolatio Deus objecit figuram & imaginem crucis, in qua contemplaretur labores, dolores, quos futurus Meſſias in ea erat paſſurus. & hæc viſio ſatis fuit efficax ad illum conſolandum, adeo, ut evigilans exclamarit; *Non eſt hic aliud niſi domus Dei & porta cœli.* q. d ſub umbra hujus ſcalæ, tam ſuaviter dormivi, ut videar mihi fuiſſe in paradiſo. Hæc ſcala omnem amaritudinem in ſuavitatem, omnem ærumnam in ſolatium, omnes labores in gaudia commutavit. Sic & hodie roboratur Chriſtianus crucis aſpectu, in hanc enim ſimul ac convertit lumina, momentaneum ac leve judicabit cujuſque tribulationis pondus. Scala crucis aperit nobis portam cœli; quod majus ſolatium in quacunque tribulatione deſiderare poſſumus? Eia mi Chriſtiane, cubas ſubinde humi cum Jacobo? jacet ſub tuo capite ingens ſaxum? forte aliud pulvinar ex ſpinis; quieſce, eleva oculos, aſpice ſcalam crucis, illi, non innitentem ſed clavis affixum tuum Salvatorem; ſede ſub hac umbra in patientia! cum domino placuerit, omnis tua amaritudo tibi vertetur in dulcedinem. Gen. 28, 17.

§. 8. *Memoria Paſſionis Chriſti nos confortat, & lætificat ut SS. Euchariſtia.*

Pulcerrimæ adducuntur rationes, ob quas Chriſtus D. Vener. S. Euchariſtiæ inſtituit ſub ſpeciebus panis & vini: una ex præcipuis eſt; panis confortat, vinum lætificat cor hominis, iidem prorſus effectus ſunt Euchariſtia, confortat & lætificat. Et quia Euchariſtiæ ſimul nobis repræſentat paſſionem, juxta illud S. Th. *O ſacrum &c.* ſequitur eaſdem effectus in anima præſtare memoriam paſſionis, confortat & lætificat. Franconius Abbas t. 10. de gratia Dei. *Recte in panis ac vini ſpecie celebrandum inſtituit myſterium paſſionis ſuæ, quia divina & inenarrabili jucunditate lætificat, & omnem priſtini doloris memoriam abſorbet.*

§. 9. *Cur Societas Ieſu hoc triduo nos invitet ad communio-*

Advertite cauſam piiſſimam ob quam hoc triduo dum Euch. proponit Chriſti paſſionem Societas Jeſu omnes invitet ad devotam Communionem, ut nimirum dum mundus fruitur deliciis vanitatis, nos fruamur deliciis Chriſti & cœli.

nem & memoriam Paſſionis. Eia animæ afflictæ, urget vos aliqua triſtitia, accurrite ad Eccleſiam, & paſſionē Jeſu Chriſti quæ in SS Sacramento nobis conſideranda proponitur, fervide expendite, mox tribulationum pondus alleviabitur, & ſuave fiet. Urget aliqua alia afflictio, mentes veſtras in paſſionem Chriſti firmiter defigite, quæ in Auguſtiſſimo ſacramento veluti ſub candido velo abſconditur, afflictiones veſtræ evaneſcent, veluti tenebræ exſurgente Aurora. S. Laur. Juſtin. de caſto connubio verbi & animæ *paſſio paſſione vincitur, & cruciatus cruciatibus ſuperatur, rem ſervi lenit dolor domini.* p. locus. cor afflictiſſimum lenit & conſolatur v. g. Columna, vel ſpinea corona, &c. præcipue crux Chriſti.

§. 10. Crux eſt jugum, quod fieri poteſt ſuave. Ideo Salvator noſter poſtquam dixit. *Venite ad me omnes qui laboratis,* &c. ſubdit, *Tollite jugum meum ſuper vos.* ſcio dictum Rabani, *Iugum Chriſti eſt Evangelium quod Iudæos & gentes in unitate conjungit & ſociat.* Sed etiam memini me legere in Ludolpho Carth. *Tollite jugum crucis & mortificationis.* q. d. quoties vos premet aliqua ærumna in hoc mundo, tollite jugum, apprehendite crucem meam, eamque ob oculos veſtros tenete. Si videatis vos derelictos &c. memores eſtote, quomodo ego in hac cruce clamavi ad Patrem, *Deus meus* &c. Affligit vos paupertas, videte quomodo ego pendeam totus nudus in cruce. Pungunt dolores? videte ſpinas in capite, clavos in manibus &c. Suntne linguæ quæ vos vexant &c. S. Gregor. *Si paſſionem Domini ad memoriam revocemus nihil eſt tam durum & amarum, quod non æquo animo toleremus.* De Apoſtolis ait Sylveira. *Apoſtoli ſuos cruciatus ſunt amplexi Chriſto comite, & ſimul iſta patiente, ac proinde valde ſuaviſſimi & perjucundi fuerunt.*

§. 11. Vnde dulcorati fuerint lapides S. Stephani Act. 7. v. 55. Qui hoc myſterium ignorant mirantur dum audiunt Eccleſiam dicere de S. Stephano, *Lapides torrentis illi dulces fuerunt.* putant aliqui fuiſſe illi dulces, quia dum lapidaretur *vidit cælos apertos.* Sic eſt, memoria cœli dulces facit tribulationes, Venerabil. Beda advertit, quod textus etiam addat, quod *viderit Ieſum ſtantem à dexteris virtutis* Dei & proinde etiam quin-

Digitized by Google

quinque SS. Vulnera, quæ in cruce accepit, & in gloria retinet. Viſio plane beata, viſio conſolatrix, viſio confortatrix, quæ lapides dulcorare valuit, & mira quadam ſuavitate imbuere. Beda in c. 7. ait. *Ad confortandam ergo Beati Martyris patientiam, cæleſtis regni janua panditur, & ne innoxius homo lapidatus in terra titubet, Deus homo crucifixus apparet coronatus in cælis* (poteſt fieri p. applicatio.)

Peculiarem aliquam circumſtantiam advertit S. Lucas. *Cum ſol occidiſſet, omnes qui habebant infirmos variis languoribus ducebant illos ad eum:* forte ob metum Phariſæorum, forte ex aliquo pudore, fortaſſis ob alias cauſas. Guilhelmus Parienſis per ſolem occumbentem intelligit Chriſtum inter dolores morientem in cruce. Per infirmos, omnes triſtes & afflictos. Per mare, in quo ſol occumbens quaſi ſubmergitur, ſanguinem Chriſti.; Et qui in tenebris crucifixionis hunc occumbentem ſolem aſpiciunt, qui accidunt &c. ſciant certò, ſe liberandos, à quacunque detineantur infirmitate. Sic ait cit. Auctor: *ſolis occaſus recte deſignat Chriſti paſſionem, & mortem, in qua curavit multos ab ægritudine infirmitatis.* O triſtes & deſolatæ animæ! in anguſtiis, has quærite tenebras; relinquite omnes creaturas, quærite ſolitudinem cordis; in hac aſpicite morientem ſolem &c. mox vobis erit bene. §. 12. *Chriſtus in cruce, Sol occumbens. Luc. 4. 40.*

Quod Beatis in patria eſt lumen gloriæ quo ſunt beati; nobis, in via eſt aſpectus crucifixi. Laur. à Ponte in Sap. Salom. *Hic noſter Chriſtus Crucifixus eſt noſtrum lumen gloriæ; hæc ſanctiſſima de illo meditatio prius nos corroborat, confortat & ſublevat.* Ut S. Auguſtinus auſus fuerit dicere. *In omnibus adverſitatibus non inveni tam efficax remedium, quàm Vulnera Chriſti, in quibus dormio, ſecurus & requieſco intrepidus.* S. Bernardus. *Per has rimas licet mihi ſugere mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo, id eſt, guſtare & videre, quoniam ſuavis eſt dominus.* Ipſe Chriſtus D. ad hominem triſtem (teſte S. Laur. Juſtin.) *Omne aſperum intinge in latus meum, & erit tibi dulce.* Ex his verbis poterit fieri p. epilogus. §. 13. *Analogia aliqua inter lumen gloriæ in patria, & memoriam paſſionis in terris.*

EXHORTATIO.

Die Cinerum.

Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.

Gen.3.℣.19.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

MOrs omnia bona hujus mundi, Regum opes, purpuram, ſceptra, vertit in cineres. Omnes morimur.

§.1. *Apud Aegyptios olim in conviviis, inter cibos menſis illata fuit Calvaria.*

§.2. *Eccleſia, cur initio quadrageſima utatur cineribus.*

§.3. *Omnia caduca, convertit mors in cineres: figura fuit ſtatua Nabuchodonoſoris.*

§.4. *Pulcerrimum dictum Philippi II. Hiſp. Regis in agone.*

§.5. *Mors ſtatuas Regum frangit, ſicut Ieremias lagenam.*

§.6. *Mors illos ſpoliat.*

§.7. *Proſunt hi cineres, ut reprimat ſpiritus ſuperbos.*

§.8. *Deinde, ut homo non peccet.*

§.9. *Dictum S Proſperi.*

§.1. *Apud Ægyptios olim in conviviis, inter cibos, menſis illata fuit Calvaria.*

REferunt hiſtoriæ apud Reges Ægyptios moris fuiſſe, ut in regiis & ſplendidiſſimis conviviis, quæ aliquoties per annum publice habebantur, inter primos cibos, in argentea vel aurea pelvi, apponeretur caput, non alicujus apri, vel vituli; ſed calvaria emortui cadaveris. hoc ludicrum cibi genus ad paſcendos oculos excogitatum, ſive, hæc calvaria toto tempore conviviis, erat quaſi quidam præco, qui convivas inter epularum gaudia mortis commonefaciebat, ut meminiſſent ſe morituros.

Inci-

Digitized by Google

Incipimus hodie quadrageſimam, qua Mater Eccleſia nos invitat ad convivium pœnitentiæ; in illo nobis apponet panem lacrymarum, & vinum compunctionis, apponet cibos gulæ non ita ſapidos, ſalpas, haleces, &c. Verum initium facit à calvaria, ſive memoria mortis. in menſa altaris videmus pelvim cum ſacris cineribus, quibus ſuos hoſpites monet, ut meminerint ſe morituros. Conviva in hac menſa fuit David, cum dixit. *Cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam.* Convivæ fuerunt tot ſanctiſſimi anachoretæ, multis annis dormientes in ciliciis & cineribus. tantum ego à vobis non exigo; ſed hoc, ut hodierni cineres, quibus aſperſi eſtis, faciant vos memores mortis. Ut hoc fiat prima parte breviſſimi ſermonis cineres vobis in manus dabo, id eſt, oſtendam, quomodo mors omnia in hoc mundo convertat in cineres. in altera parte audietis breviter ad quid cineres iſti ſint utiles, &c.

§. 2. *Eccleſia, cur initio quadrageſimæ utatur cineribus.*

Pſ. 101. v. 10.

Voluptates hujus mundi repræſentant flores & roſæ; divitias, ſplendor auri, gemmarumque decor; honores, ſceptra, corona, purpura. O filii hujus ſæculi, quid fluxa & caduca hæc quæritis? has roſas, hos flores, gemmas, aurum, ſceptra, coronas, purpuram, improviſa, certa tamen mors, momento deſtruit, convertitque in cineres. Regis Nabuchodonoſoris ſomnium narrat Daniel his verbis: *Ecce quaſi ſtatua una grandis, ſtatua illa magna, & ſtatura ſublimis, caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento, porro venter & femora ex ære; tibiæ autem ferreæ. pedum quædam pars erat ferrea, pars autem fictilis.* Quidnam in ſenſu myſtico elegans hæc ſtatua ſignificet, advertere poſſumus ex triplici diverſa lectione. Chaldaica, vocat illam ſplendidam ob ſplendorem auri, *ſplendor ejus præſtans.* hæc ſtatua quatenus aurea repræſentat divites, quorum gloria & felicitas in hoc ſæculo conſiſtit in auro. Pagninus vocat ſtatuam ſublimen, *gloria ejus ſublimis* quo ſenſu repræſentat mundi hujus monarchas, & in honoribus atque dignitate conſtitutos. In lectione hebraica laudatur à pulcritudine & venuſtate; ait enim, *forma ejus eximia.* Statua ergo

§. 3. *Omnia caduca, vertit mors in cineres; ſicuti Dan. 2. vertit ſtatuam Nabuchodonoſoris.*

Dan. 2. v. 31.

Digitized by Google

ergo quam Nabuchodonoſor in ſomnis vidit tam pulcram & formoſam repræſentat Adonides & Helenas, Veneriſque aſſeclas, qui ſe voluptatibus dedunt, Felix fuiſſet ſtatua ſi quemadmodum caput, pectus & brachia habuit aurea atque argentea, argenteos etiam & aureos habuiſſet pedes; ſed quia fuerunt ex terra, vidit ita rex ſtatuam-*donec abſciſſus eſt*
v.45. *lapis de monte ſine manibus, & percuſſit ſtatuam in pedibus ejus ferreis, & fictilibus, & comminuit eos. tunc contrita ſunt pariter, ferrum, teſta, æs, argentum & aurum, & redacta quaſi in favillam, quæ rapta ſunt vento.* Hanc cataſtrophen quotidie Mors in orbe ludit. O divites! capita habetis aurea, ſed pedes luteos, quamprimum mors calculo letalis alicujus morbi illos percutit, ruitis, nec aliud ſupereſt, quam ut in ſepulcro convertamini in vermes & cineres. O Principes, Reges & Monarchæ, quid cervices attollitis, virgæ & ſceptra veſtra videntur ferrea, ſed pedes ſunt fictiles, ideo mors illa comminuit in cineres. O venuſtuli, formoſuli! ecquid roſæ, & flores vos delectant, capita coronatis roſis, quæ luteis pedibus innituntur; momento quo non putatis, flores illos demetit mors, & mox convertuntur in favillas, & cineres.

§. 4. *Pulcerrimum dictum Philippi II. agonizantis.*

Statua talis fuit Hiſpaniarum Indiarumque monarcha Philippus II. toto orbe celeberrimus Princeps; ſed myſterium hoc agnovit; cum in agone videret ſibi aſtantem regnorum ſuorum hæredem Philippum; purpura, qua regium corpus tegebatur, remota, pectus ebullientibus ac ſtabulantibus vermibus & pediculis horridum illi oſtendens dixit: *Vide Princeps, quo tandem recidant utriuſque ſolis divitiæ, & territo concuſſoque bellis veteri, novus orbis ſub jugum miſſus; Morior futurus mox pulvis & cinis.* ſic mors ludit cum regibus, eorum pompam &c. vertit in cineres.

§. 5. *Mors tales ſtatuas regum &c. frangit, ſicut Ieremias lagenam &c.*

Cum regnum populi Iſraelitici eſſet florentiſſimum, Jeremias jubente Domino lagunculam figuli teſtaceam coram proceribus regni in valle Tophet in minutiſſimas confregit partes, dicens; *hæc dicit Dominus exercituum, ſic conteram populum iſtum, & civitatem iſtam, ſicut conteritur vas figuli, quod*

non

non poteſt ultra inſtaurari. eodem modo Mors mundi hujus ſta- *Iſ.19. v. 11*
tuas, divitias, honores, voluptates, etiam regum & Cæſarum
confringit, atque in cineres convertit.

Eoſdem Nabuchodonoſor in ſomniis vidit, veluti gran- *§. 6. Mors illos ſpoliat &c.*
des beſtias, unam quaſi leænam cum alis aquilæ, mox tamen
vidit plumas illas illi avelli, *& ſuper pedes quaſi homo ſtetit.* Ite *Dan. 7. v. 4.*
reges veſtite vos purpura, ite venuſtuli ornate vos floribus
gemmis, auro; tegite etiam pedes ſi vultis; nihilominus ſunt
pedes hominis, id eſt, fictiles ex terra; cum illos mors ſubruit,
cadunt omnia ut mutentur in cineres. Sic impletur quod
ſcriptum eſt per Prophetam. *detracta eſt ad inferos* (id eſt, ad *Iſ. 11. v. 14.*
ſepulcrum) *ſuperbia tua, concidit cadaver tuum* (ſcilicet in ci-
neres) *ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum eruent ver-
mes.* Sic impletur illud, quod legitur in libris Macchab. *quia* *1. Macchab. 2, v. 62.*
*gloria ejus ſtercus & vermis eſt, hodie extollitur, & cras non in-
venietur, quia converſus eſt in terram ſuam, & cogitatio ejus per-
iit.* ſic impletur illud Baruch. *Ubi ſunt principes gentium? ubi* *Baruch. 3. v. 19.*
*ſunt qui argentum theſaurizant, & aurum, in quo confidunt homi-
nes? exterminati ſunt (à morte) & ad inferos deſcenderunt,* id eſt,
ad ſepulcrum, in quo ſunt pulvis & cinis.

Memoria hujus cineris ſuperbos in nobis debet repri- *§. 7. Proſunt hi cineres, ut reprimant ſpiritus ſuperbos.*
mere ſpiritus, & humilitatem cordibus noſtris ingenerare.
Hæſerat Moyſes 40. diebus & noctibus apud Dominum in
monte, in continua oratione; quando rediit ad populum, in
deſcenſu ex monte, advertere ſuum caput radiare pulcerri- *Exod. 19.*
mis radiis, itaque, velamine aliquo illud texit. quærunt inter-
pretes, quale velamen fuerit? Rabini dicunt fuiſſe ſuda-
rium, quod Moyſes præpararat, ut poſt mortem in ſepul-
cro eo tegeretur. Senſus myſticus eſt; ſuperbas cogitatio-
nes quæ Moyſen ob auream capitis lucem, tanquam ami-
ci DEI, efferre potuiſſent, repreſſit vir ſanctus memo-
ria mortis. hoc facite O divites! theſauris veſtris apponi-
te ſudarium mortis, mementote quia pulvis eſtis, & nun-
quam peccabitis. Vos O Reges, veſtras coronas, ſceptra
invol-

involvite ſudario moribundi, & non ſuperbietis. Permitto vobis O virgines Moguntinæ ut ornetis vos floſculis, gemmis &c. ſed quæſo præ oculis ſemper habete ſtrophiolum, quo poſt mortem in tumulo facies veſtra tegetur. illud vobiſcum ferte ad nuptias, ad choreas, & nunquam Deum graviter offendetis.

§. 8. *Deinde ut homo non peccet.*

Rem miram narrat Plinius l. 28. c. 3. fides ſit penes auctorem, citato loco ſic ait: *minus miretur hoc, qui ſciat, veſtem à tineis non attingi, quæ fuerit in funere.* Vermis eſt ſuperbia, vermis eſt luxuria &c. ne illi rodant veſtem nuptialem gratiæ, vel candidam ſtolam virginitatis, vel purpuream togam caritatis, debent illa indumenta aſpergi cinere, vel imponi ſepulcro, id eſt, memento mori, & in æternum non peccabis.

§. 9. *Dictum S. Proſperi.*

Finio, (quia mediæ horæ limites hodie excedere non licet) cum S. Proſpero. *Hæc & ſimilia* (de morte, poteſt fieri brevis repetitio dictorum) *cogitare, nihil eſt aliud, quàm vitiis omnibus repudium dare, & omnia blandimenta carnalia refrænare* hoc intendit Eccleſia hoc ſacro tempore quadrageſimæ, ideo pro felici exordio cineribus nos aſpergit.

CONCIO XIV.

DOMINICA I. QUADRAGESIMÆ.

Cum jejunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.

Matthæi. 4 ℣. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

VAria Elogia continet Jejunii; præſertim hæc tria. Comprimit vitia; erigit mentem; contra ſpirituales hoſtes, facit nos fortes.

§. 1. *Gau-*

Digitized by Google

§.1. *Gaudet auctor, ſuos auditores, lugere, cum lugente Eccleſia.*
§.2. *Cur die Cinerum nos aſperſerit cineribus.*
§.3. *Elogia Iejunii: damna gulæ.*
§.4. *Invectiva in violatores præcepti de jejunio.*
§.5. *Elogia alia Iejunii.*
§.6. *Caro noſtra eſt radix paſſionum & vitiorum.*
§.7. *Patuit in hominibus tempore diluvii, & in Sodomitis.*
§.8. *Similitudo: & conglobata elogia Iejunii.*
§.9. *Quales, qui jejunant.*
§.10. *Figura paſſerum in ſacrificio, quorum unus occidebatur alter avolabat.*
§.11. *Qualis anima S. Pauli, dum corpus caſtigavit: cum aliis elogiis Iejunii.*
§.12. *Iejunium nos facit fortes; contra tentationes Satanæ, qui tempore quadrageſimæ magis furit.*
§.13. *Iuditha unde fortis?*
§.14. *Apoſtrophe ad Auditores.*
§.15. *Cur fugienti Eliæ Angelus attulerit panem tantum.*
§.16. *Cur Chriſtus D. jejunaverit.*

NI fallor, hæc triſtis & luctuoſa facies templi, lugubres cortinæ, tecta altaria, verbo; luctus, lacrymæ, triſtitia, matris noſtræ Eccleſiæ, & vos reddit triſtes, timidos, promptos ad lacrymas. *Nunc gaudeo*, dicam ergo cum Apoſtolo. Veſtra triſtitia, eſt mea lætitia; veſter luctus, eſt animæ meæ gaudium. *Non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam. Contriſtati enim eſtis ſecundum Deum: quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.* Hæc triſtitia operatur in nobis contritionem, & verum dolorem de ſummo bono: hæc triſtitia operatur propoſitũ non peccandi amplius: hæc triſtitia operatur in nobis deſiderium per opera pœnitentiæ ſatisfaciendi D. Juſtitiæ, quas illi debemus. O quam gaudeo, adeſſe illud tempus, quo magni peccatores convertuntur ad Dominum Deum ſuum. O quam gaudeo, adeſſe illud tempus, quo cum magna devotione recolimus myſteria Paſſionis Salvatoris noſtri.

[Margin: §.1. *Gaudet auctor ſuos Auditores lugere, cum lugente Eccleſia.* 2. Cor. 7. v. 9.]

Ante paucos dies fuit tempus, Eheu! à mundo conſe- §.2.

[Margin: *Cum die Ci-*]

Digitized by Google

nerum, nos aſperſerit cineribus. cratum epulis, poculis, luſui; ante paucos dies vidimus filios hujus ſæculi projectos ante vitulum aureum, Exod. 32. *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Sed nunc facit Eccleſia, quod tum fecit Moyſes; *Arripiens vitulum quem fecerant, combuſſit & contrivit uſque ad pulverem quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Iſrael.* O quàm gaudeo! Vitulus aureus; illæ voluptates, ſunt cinis &c. p. ideo die Mercurii Mater Eccleſia nos aſperſit cineribus, cum acri mortis comminatione, *memento homo* &c. hinc ſalutaris triſtitia, hinc luctus, hinc cogitationes de pœnitentia; *Nunc gaudeo &c.* Non jam ſuper uno peccatorum pœnitentiam agente ſed ſuper innumeris. Gaudeo præcipuè, adeſſe tempus jejunii, quod vitia comprimit, mentes erigit, & nos contra hoſtes noſtros fortes facit. hæc erunt tria puncta hujus concionis.

§.3. *Elogia Iejunii, damna gulæ.* Quadrageſima eſt tempus jejunii, quod cum dico, nomino bonorum omnium fontem; vel ut loquar cum S. Chryſoſt. hom. 1. in gen. *Bonorum omnium Matrem, & pudicitiæ, aliarumque virtutum omnium Magiſtrum.* Enim verò ſicut crapula & gula, radix eſt omnium vitiorum; ita ſobrietas cauſa eſt omnium bonorum. Tertullianus l. de jejun. c. 9. vocavit *precioſum theſaurum.* Damna gulæ frequenter nobis proponit ſcriptura. *Adamus,* ait Tertul. c. 3. *gula vendidit ſalutem; manducavit & periit;* feliciſſimus ſi cibo unius arboris abſtinuiſſet. Ex gula, lapſus totius naturæ ingreſſus mortis in mundum, deſtructio Sodomæ ut ſacer narrat textus. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, ſuperbia ſaturitas panis & abundantia.* (*Ezech. 16. v. 49.*) Ex gula originem ſuam idololatria in populo Iſraelitico juxta illud ſcripturæ duxit. *Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere.* (*Exod. 32. 6.*) Ex gula cauſa rebellionis in Deum & oblivionis ejuſdem fuit. *Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitravit, incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem ſuum & receſſit à Deo ſalutari ſuo.* (*Deut. 32. 15*) Gula cauſa fuit reprobationis Eſau. (*Exod. 16. 3.*) S. Chryſoſt. *Vtinam jejunaſſet Eſau; non vendidiſſet primogenita. illorum privilegium pinguiſſimam*

Digitized by Google

ſimam hæreditatem vendidit pro lentibus. Propter gulam, propter carnes, qualia murmura in populo contra Moyſem & Deum. Nolo in particulari fuſius referre vitia, quæ pullulant ex gula; ſufficiat Tertull. dicere, *Appendices gulæ ſunt laſcivia atque luxuria.* Item c. 1. *Libido ſine gula, eſt monſtrum.*

Facile advertitis, quorum hæc omnia juſtiſſimam cauſam mihi præbeant invehendi in violatores quadrageſimæ, præcipue in voratores carnium. Adamus pro pomo; hodie plurimi pro media libra carnis vendunt ſalutem: hic manducat farcimen, hic fruſtum de petaſone &c. manducat corpus, perit animo; Ubi ſunt illi incraſſati, illi impinguati carnibus &c. etiam hoc ſacroſ. tempore quadrageſimæ? ſi mihi oſtendatis, oſtendam ego vobis rebelles, qui recedunt à Deo ſuo &c. oſtendam vobis libidinoſos, &c. Eſau pro lentibus, hodie multi pro avicula, &c. vendunt jus hæreditatis æternæ. Propter hoc præceptum de abſtinentia à carnibus qualia murmura; Contra Pontifices, Eccleſiam &c. Ideo gula fons eſt malorum, &c. Eccleſ. ait *ſi præſtes animæ tuæ concupiſcentias tuas, faciet te in gaudium inimicis, tuis.* O miſer; voras avem ut præſtes &c. ſed diabolo facis gaudium. (O ſi videres) Angelo Cuſtodi triſtitiam. §. 4. *Invectiva in tranſgreſſores Quadrageſimæ.* *Gen. 3. v. 6.* *Eccleſ. 18. v. 31.*

Itaque (ait S. Chryſoſt. hom. 72. ad pop. Antioch.) *quia cibis laſcivit caro, & fit petulans, propterea ciborum jejunium ſuſceptum eſt, ut carnis impium coerceat, & equum nobis facilem reddat.* Jejunium enim mitigat concupiſcentias; ſciunt qui jejunant. Mitigat voluptates; ſciunt qui tentantur; mollit furorem, compeſcit iram, ſedat fluctus naturæ: excitat rationem, claram facit animam, ut attendat, ne peccet. §. 5. *Elogia alia Jejunii.*

Veritas eſt certiſſima, quotidiana experientia comproba ta. quod caro noſtra ſit radix, ex qua pullulent inordinati affectus & appetitus, qui nos præcipites agunt, & vi quadam admi- §. 6. *Caro eſt radix paſſionum & vitiorum.*

admirabili trahunt & impellunt, ut in captivitatem peccati,
Rom. 7. 23. & diaboli incidamus. Senſit ipſe S. Paulus cum dixit. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, &c.* Hanc repugnantiam alibi vocat ſtimulum, qui quaſi urget & ſtimulat ad peccatum. Non quod illi motus abſolute vim inferant; hoc repugnat libero arbitrio, ſed Apoſtolus declarare voluit vim, quam infert caro, niſi caſtigetur, & in ſervitutem redigatur. Qui radicem lolii fovet, rigat, non debet mirari ſi mox in horto videat luxurioſos, & fœcundos frutices: & qui carnem ſuam fovet, non miretur, ſi germinent fructus, de quibus ait Apoſto-
Galat 5. 19. lus. *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, &c.*

§ 7. *Patuit in hominibus tempore diluvii, & in Sodomitis.* Si proponam quæſtionem hanc, quales fuerint homines, quando iratus Deus, univerſali diluvio delevit mundum, vel quales fuerint Sodomitæ &c. reſpondebitis ſine dubio, fuerunt peſſimi, fuerunt carnales &c. D. Ephrem Syrus ita illos deſcribit; *Ardebant omnes in adulteria, ſtupra, inceſtus,*
Gen. 6. v. 11. *beſtialitates &c.* fundamentum eſt verſus. *Corrupta eſt terra coram Domino, & oppleta iniquitate.* Si nos reſpondemus propoſitæ quæſtioni. Aliter reſpondit Veritas æterna, Chriſtus
Luc. 17. 27. D. *Erant comedentes & bibentes.* Quomodo? edere, bibere eſtne hoc repleri iniquitate? Nolo ego hoc dicere; ſed Chriſtus D. ita ait, *erant*, &c. ut oſtendat radicem tantorum
eod. v. 28. ſcelerum! & de Sodomitis dixit. *In diebus Loth comedebant & bibebant.* Sæpius hoc fecit Chriſtus D. De homine nequiſſimo, de tyranno, de immiſericorde erga Lazarum, de quo
Luc. 16. 22. ait, *Mortuus eſt dives & ſepultus eſt in inferno*, non dixit aliud quam hoc. *Induebatur purpura, & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendide*, non dixit; fuit luxurioſus, fuit immiſericors &c. ſed, *epulabatur &c.* *In hoc* (ait D. Greg.) *attende quaſi in origine omnium genera peccatorum*; Cogita fœditates, &c. plerumque fœdiſſimi ſunt, tales divites de quibus loquitur Chriſtus (eſt locus pro p. inductione) S. Baſil. h. 1. de jejun. *Terreat te divitis exemplum quem vita in deliciis acta, tradidit incendio.*

Quid

Digitized by Google

Quid ſperandum de terra (quærit S. Aug.) de terra fœcunda, quæ in viſceribus ſemina claudit zizaniorum, ſi eam inſuper copioſe irriges, niſi ſpinæ & tribuli? Et quid tibi mi Chriſtiane ſperandum eſt de maledicta terra carnis tuæ, in cujus viſceribus latet fomes omnis peccati, ſi illam foves, ſi riges copioſo vino, ſi addas fimum carnium? *ſpinas & tribulos germinabit tibi,* dixit Dominus, ad Adam; Ex his omnibus patet Jejunii, & neceſſitas & utilitas. Fomitem inordinatorum motuum extinguit, dum ſubtrahit materiam qua fovetur. Venenatam illam radicem, mortificat, rami dum pullulare volunt, ſtatim exſiccantur. Ille impetus & motus, qui nos quaſi impellunt ad malum, per jejunium infringitur. Stimulus carnis hebetatur. Lex membrorum corporis corrigitur: Repugnantia ſenſualitatis per jejunium ſuperatur, & captivatur, in ſervitutem redigitur, petulantia deprimitur. Maledictos illos pampinos, opera carnis, luxuriam &c. omnes præſcindit jejunium, latentes illas ſpinulas, quæ pungunt &c. jejunium eradicat. Maledictum humorem, fomentum ſcelerum jejunium radiis divini amoris, quem excitat, exſiccat: exhaurit venenatum illum fontem. Verbo; Jejunium reprimit vitia. S. Chryſoſt. ſer. 1. de jej. *Jejuna quia peccaſti, jejuna ut non pecces.* §. 8. *Similitudo & conglobata elogia Jejunii.* Gen. 3. v. 18

Non dubito, eſſe ex vobis multos, qui hac quadr. malint mori, quam Deum graviter offendere. Plurimi quotidie in honorem Paſſionis, præcipue ſacrificii crucis, quotidie audiunt miſſam. Plerique erunt ferventiores in precibus in eleemoſynis, in aliis operibus devotionis. Verbo. de vobis hoc ſpero, piè, ſobrie, juſte omnes vivent, &c. Et quales hi homines? de impiis dixit Chriſtus D. *Erant edentes, &c.* de S. Joanne B. verò dixit Chriſtus D. *Venit Joannes neq; manducans, neque bibens.* De piis ego dicam, *erant jejunantes.* Hi ſunt qui malent mori quam comedere carnes; hoc exigit præceptum Jejunii. Hi ſunt, qui ſtrictiſſime ſibi imponunt unicam de die refectionem; hoc requirit quadrageſimale jejunium &c. Itaque jejunantes ſunt caſti, pudici &c. Jejunantes §. 9. *Quales, qui jejunant.* Luc. 7. v. 33.

ſunt humiles, modeſti! Jejunantes, ſunt mites, manſueti &c. Jejunantes ſunt dediti conſiderationi Paſſionis; jejunantes, ſunt ferventes in oratione! Hic enim eſt alter effectus jejunii, ut mentes noſtras erigat ad cœleſtia.

§. 10. *Figura paſſerum, quorum unus in ſacrificio occidebatur, alter avolabat.*

Pulcerrimam figuram invenio in ſacrificio, quod à mundatis leproſis debuit offerri; nimirum duo paſſeres, ſed unus, occidebatur, alter liber evolabat. O mi Chriſtiane! O peccator! cum in ſalutari balneo ſacramenti pœnitentiæ, vel ſanguinis Chriſti, à turpiſſima lepra peccati mortalis mundata eſt anima tua, cũ ſuper nivem eſt dealbata; aliud ſacrificium Deus à te non exigit, quam cor contritum & humiliatum, hoc eſt, corpus tuum & animam tuam. Sed alter paſſer, cultro Jejunii occidatur, caſtigetur, mortificetur. Sic anima tua inſtar paſſeris evolabit ad palmam crucis. Cum S. Paulo. *Coloſſ. 3. v. 5.* *Mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram:* & tunc videbitis, quam ſit levis alter paſſer, ſcilicet ſpiritus, ut evolet ad ſublimem perfectionem. Si pedi alicujus avis, etiam aquilæ, alligetur aliquod pondus, non altum evolabit. tolle pondus, tum nubes penetrat. Aquila eſt, anima noſtra, creata à Deo, ut evolet ad cœlum. Si verò caro, quam animat, gravetur; æquo pondere? *Luc. 21. 34.* Chriſtus D. nominavit *crapula & ebrietate* (in quadrageſima, carnibus & nimio cibo) humi ſerpet; tolle pondus, tolle nimium cibum, &c. evolabit; Vitia comprimit, mentem erigit Jejunium.

§. 11. *Qualis anima S. Pauli, dum corpus ſuum caſtigavit, cum aliis elogiis Jejunii. 1. Cor. 9. v. 27.*

De corpore ſuo ait Apoſtolus. *Caſtigo corpus meum & in ſervitutem redigo in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in Jejuniis multis, in frigore & nuditate.* Sic S. Paulus tractavit ſuum corpus. & in tali corpore qualis fuit anima? ſancta, munda, ardens tanta caritate, ut dicere fuerit auſus, *Quis nos &c.* qualis anima? in continua ectaſi, unita Chriſto Salvat. plena deſideriis, *Quis me liberabit &c.* qualis anima &c. rapta uſque ad tertium cœlum; Nunquid dicere poſſum cum S. Athanaſio, l. de virg ad virg. *Vides, quid faciat Jejunium? Morbos ſanat, diſtillationes corporis exſiccat,*

ficat, dæmones fugat, pravas cogitationes expellit (bonas generat) *mentem clariorem reddit, cor mundum efficit, corpus ſanctificat, denique ad thronum Dei hominem ſiſtit.* Talia à vobis exigo Audit. per hanc S. quadrag. Cogitationes ſacroſ. de, de &c. N.N. ſine Jejunio non habebitis. Exigo mentis veſtræ oculos claros ut videatis præcipitia, inter quæ verſantur impii, &c. erit forte, ut vobis proponam Chriſtum flagellatum, vel coronatum ſpinis &c. ſed cupio ut agnoſcatis, quis ſit, quare talia toleret &c. ſine Jejunio mentem claram non habebitis. Exigo corda munda &c.

Licet tempus hoc ſit ſanctiſſimum, non ideo quieſcit Satan, imò eo majori ira *circuit & quærit quem devoret. Surgamus & pugnemus contra inimicos noſtros: ecce enim bellum ex adverſo,* dixit fortiſſimus Jonathas, ad ſuos milites. Prodeunt vexilla Regis noſtri, vocamus ad labarum crucis. Sed bellum ingruit ex adverſo; procedit contra nos cum fortiſſimis ſociis &c. Surgamus pugnemus; ſed armenus nos clypeo Jejunii. hoc nos fortes facit. debilitat corpus, ſed roborat animam S. Chryſoſt. h. 1. in gen. *Jejunium animæ noſtræ alimentum eſt, & ſicut corporalis iſte cibus impinguat corpus, ita & Jejunium animam habiliorem efficit & valentiorem.* de ſe faſſus fuit Tharſenſis, *cum infirmor* (propter labores & Jejunia,) *tunc fortior ſum.* Jejunio vincimus noſtros hoſtes. §. 12. *Jejunium nos facit fortes, contra tentationes Satanæ, qui tempore quadrageſimæ, magis furit.* 1. Pet. 5. 8. 1. Macch. 9. v. 44.

Miror Judítham; dum cogitare fuit auſa, poſſe fieri ut ſuis manibus interficeretur Holofernes, dum fecit. 1. fuit ſolicita ut corpus exterius elegantiſſimè ornaret. Siſte Judith, arma hęc pulcritudinis ſunt periculoſa, expugnabitur q. cor holofernis, ſed tua pudicitia periclitabitur. Ne ſibi talia eſſent, ſed hoſti, hoc egit. Carnem eandem rigidiſſima inedia maceravit; & 3. ſe totam dedit precibus. Hæc arma celavit Judith ſub ornatu veſtium. Jejunans abiit ad caſtra Aſſyriorum, Jejunans introducitur in tentorium Holofernis, & commodò tempore, cum Holofernes ebrius iaceret in lecto ipſa ſobria, vibrato gladio, reſecta cervice, vicit & populum liberavit. S. Cromatius, *Judith per lætitiam vultus* §. 3. *Juditha, unde fortis.*

Digitized by Google

vultus ieiunium texit & ab hoſte victoriam reportavit. Abſtinentia Holofernem jugulavit, & *omnis exercitus fugit.* Una temperans vidua, una jejuna Judith, unius mulieris jejunium, univerſos ſtravit exercitus ebrios.

§. 14. *Apoſtrophe ad Auditores.* Surgamus, & pugnemus contra inimicos noſtros; ecce bellum ex adverſo; Ecce Holofernem cum potenti exercitu; quot ſcelera, tot milites. Hæc faciamus cum Juditha; 1. Ornemus animas noſtras gemmis virtutum, &c. 2. Carnem verò maceremus jejunio. 3. Oremus. Jejunantes vincemus, jugulabimus infernalem Holofernem &c. triumphabimus! Omnis exercitus vitiorum fugiet. Caveant qui cum Holoferne ebrii jacent in lecto ſcelerum, peribunt &c.

§. 15. *Cur fugienti Eliæ, angelus attulerit panem tantum. 3. Reg. 21. v. 7.* Cum Elias l. 3. reg. c. fugeret à facie iratæ Jezabelis perrexit in deſertum, viam unius diei. Cum infirmatus jaceret humi, ecce angelus Domini tetigit eum, & dixit, *ſurge & comede*, & aſpexit Elias ad caput ſuum, & ecce ſubcinericius panis & vas aquæ. comedit ergo & bibit, & perrexit &c. Nunquid meliores cibos potuiſſet afferre angelus ad majorem confortationem ?&c. ſic putant delicatuli; ſed angelus Eliam inſtruere voluit (ait Tertull.) *ieiunio eſſe vincendum.* quod & contigit. Surgamus &c. ecce bellum &c. adeſt Jezabel rebellis caro &c. fugite in montem Calv. ſed &c. arripiamus jejunium. Nam

§. 16. *Cur Chriſtus D. jejunaverit.* Finio verbis S. Baſilii; *Ante paſſionem Chriſtus D. prius* ſe munivit cibo ſacroſ. ſui Corp. & S.-*diaboli incurſus in deſerto noluit excipere, niſi prius carnem ſuam ieiunio communiviſſet,* p. locus. duo potentia arma &c.

CON-

CONCIO XV.

DOMINICA II. QUADRAGESIMÆ.

Domine, Miſerere mei.

Matthæi. 15 ℣.22.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AGit de excellentiſſimis perfectionibus Orationis, quas in paucis verbis, & in aliis circumſtantiis, obſervavit Canæa, cum à Chriſto D. petivit ſanitatem ſuæ filiæ.

§.1. *Oratio eſt potens armatura, contra omnes hoſtes.*

§.2. *Nullus peccator convertitur, niſi prius illi obviet Chriſtus D.*

§.3. *Oraturus, ante omnia cum Cananæa, egrediatur è ſtatu peccati.*

§.4. *Oratio Cananææ, fuit humilis, plena fide erga Chriſtum.*

§.5. *Proſecutio: Perſeverantia vicit.*

§.6. *Vocula hæc, miſerere, involvit magnam fiduciam.*

§.7. *Cur initium Pſalmi 50. ſit miſerere.*

§.8. *Regina Eſther qualis acceſſerit Aſſverum.*

§.9. *Cur Chriſtus D. Cananæam non ſtatim exaudiverit? ut pergeret orare.*

§.10. *Cur Ioſeph ſuos fratres durius fuerit allocutus.*

§.11. *Non ſtatim deſiſtendum eſt ab oratione.*

§.12. *Elogia Orationis perſeverantis.*

§.13. *Importunitas clamantis cæci, quàm grata Chriſto Domino.*

§.14. *Quid ſit quærere, pulſare? ex S. Chryſoſtomo.*

§.15. *Digreſſio ad Sodales Agonia.*

§. 1. *Oratio eſt potens armatura, contra omnes hoſtes.*

SAncti Patres dum excurrunt in laudes Orationis, qua in hod. Evang. mulier Cananæa, gentilis Chriſtum D. ad miſericordiam inflexit, inter alia encomia, & varia; advertunt vim, potentiam & efficaciam orationis vincere omnis generis hoſtes & adverſarios. Dum Moyſes orando elevat manus, ecce, tota langueſcit Amalecitarum fortitudo; dum voces laudis, & orationis extollit populus, corruunt muri Jerichontini. Ardenti oratione ignem de cœlo detraxit Elias, cœlum & nubes clauſit, in ſupplicium ſuorum hoſtium. Eſther impiiſſimas & aſtutiſſimas machinationes Amani, quibus Dei populum perdere cogitabat, humili oratione contrivit. Contra potentiſſimum exercitum Holofernis, Judith, mulier, vidua, imbellis, ſola, alia arma non popoſcit, quam orationem; dum enim ſummus ſacerdos deſcendentem in caſtra Aſſyriorum interrogaret, quænam arma vellet parari, reſpondit c.8. *Nihil aliud fiat, niſi oratio pro me, ad Dominum Deum noſtrum.* c.4. *Scitote quoniam exaudiet Deus preces veſtras &c.* Mira, res &c. (vide v.12. cit. cap. eſt p. locus) David cum ſe videret inter medios inimicos, & perſecutores; cum in ſupremis eſſet anguſtiis, & periculis, hoc habuit ſolatium; *Ego autem orationem meam ad te Domine.* q.d. hæc arma contra potentiſſimum hoſtem mihi ſuperſunt, ut orem; & mox totus animoſus ait, *diſfringam illos &c.*) certe Goliathum non fuit aggreſſus niſi in nomine Domini, & prævia oratione. Sed ne putemus, orationem ſolummodo eſſe fontem contra hoſtes externos; ſed multò magis contra internos, contra poteſtates tenebrarum, contra diabolos, qui prioribus longe ſunt periculoſiores; S. Mater Eccleſia nobis hodie proponit Cananæam, quæ Oratione obtinuit à Chriſto D. ut etiam diabolus è corpore filiæ ejiceretur. Contra hunc hoſtem continuo nobis eſt pugnandum; propterea aſſidue quoque orandum eſt. Speculum perfectiſſimi orantis eſt Cananea, quod hac Conc. oſtendam.

Judith 8. v.33. cap.4. v.12.

§.2. *Nullus peccator con-*

Non ſine myſterio initio Evangelii dicitur, de Chriſto D. *Egreſſus eſt Ieſus* de &c. & ſtatim de Cananæa, *Egreſſa mulier*

lier Cananæa; prior egreſſus eſt Jeſus; ut quaſi obviaret Cananææ, & hæc mox egreſſa eſt, ut occurreret Chriſto. Nunquam autem egreſſa fuiſſet, nunquam Chriſtum quæſiviſſet, nunquam deſeruiſſet ſuam cæcitatem, niſi prius Chriſtus D. illam præveniſſet radiis ſuę miſericordiæ, illamque illuminaſſet. Inſinuat itaque his voculis Evangeliſta Catholicam doctrinam, nimirum quod peccator nunquam egrediatur, præſertim hoc tempore quad. ut Deum quærat, ut convertatur, niſi prius à Chriſto D. divinæ gratiæ radiis illuſtretur, quibus moveatur. Nunquam Petrus de miſerabili triplicis negationis ſcandalo egreſſus fuiſſet foras, niſi prius converſus Dominus reſpexiſſet Petrum. Quicunque ſentiunt fortes & ſuaves motiones, ut hac quadr. ferventer orent, ut recolant paſſionem Chriſti &c. id aſcribant infinitæ bonitati Chriſti: hic nos excitat, hic movet, hic nobis occurrit. Qui verò ſentiunt ſe tepidos &c. implorent gratiam Chriſti; ſed ſciant.

Vertitur, niſi prius illi obviet Chriſtus D.

Ante omnia, ut orent, prout oportet, exemplo Cananææ, quemadmodum hæc vocata à Chriſto egreſſa eſt è gentilitate ſua, ita & nos egredi debemus è ſtatu peccati, omnia gravia peccata, imò occaſuras debemus deſerere; nam ſi iniquitatem aſpicimus in cordibus noſtris, *Non exaudiet Dominus* ait David. *Longe faciamus iniquitatem à tabernaculo noſtro* (eſt phraſis Jobi.) *Tunc elevabis ad Deum faciem tuam, rogabis eum & exaudiet te.* Cum Pharao territus tam horrendis pœnis, muſcis, locuſtis, grandine, fulminibus &c. diceret ad Moyſem & Aaron, *Orate, ut ceſſet plaga*, bene reſpondit Moyſes. *Egreſſus à te orabo Dominum, &c. Egreſſusq; Moyſes oravit,* &c. Et nos cum orare volumus, egredi debemus ab infernali Pharaone & à peccato, verbo ponere nos debemus in ſtatu gratiæ; ut loquitur Joannes Evangeliſta. *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo.* Jam cogitate vos videre Cananæam, paulatim appropinquantem ad Chriſtum D

§. 3. *Oraturus, ante omnia cum Cananæa egrediatur è ſtatu peccati.*

Pſ. 65. v. 18.
Iob. 22. v. 23.
Exod. 8. v. 29.

Quamprimum in conſpectum venit ad pedes ejus proſtrata

§ 4. *Oratio Ca-*

Digitized by Google

nanea fuit humilis, plena fide, erga Chriſtum D. ſtrata per profundæ humilitatis actum illum veneratur & adorat: *Procidens ad pedes ejus adoravit.* & ut advertit Abulenſis, ſuæ voci, quemdam ſpiritum & impulſum impreſſit, eam altius extulit, ut ab omnibus audiretur, *Clamavit*, primum omnium ærumnam ſuam expoſuit, *filia mea male à dæmonio vexatur.* Sed cum magna modeſtia, ſiq. omni merito ſe deſtitutam agnoſcens, ad infinitam Chriſti miſericordiam recurrit, *Miſerere mei.* hoc verbulo ſolam miſericordiam efflagitavit. Et licet Chriſtus nec verbulo reſpondeat, imo licet dicat, non ſe miſſum, niſi ad oves Iſrael, tamen, quantò magis Chriſtus D. multiplicavit negationem, tanto magis mulier plorans & clamans, & rogans multiplicavit ſupplicationem; D. Chryſoſt. h. 39 in gen. *Non ſolum eam non abegit dictorum aſperitas, ſed in majorem alacritatem excitavit.* & toties contempta (loquor verbis S. Hieron.) in precibus perſeveravit, & quaſi novo modo ſupplicandi, *Domine fili David miſerere mei*, Gloſſa in cat. D. Th. *Magna fides* (addo, magna fiducia, magna humilitas) *hic notatur, Deum credit, ubi Dominum vocat; hominem ubi dixit, Fili David.* q. d. Tu igitur qui verus Deus es, & verus homo, tanquam homo oſtende cor tuum afflictionibus meis compati; *miſerere mei fili David.* Ut Deus autem, omnipotentiam tuam in diri & crudelis hujus inimici interitum impende, & huic afflictæ animæ clementer ſuccurre. Tibi qui cœleſtis es medicus & meam & filiæ afflictionem expono, quę tanta eſt, & in corde matris & corde filiæ, ut dulciſſimum cor ad compaſſionem & auxilium permovere debeat; Abul. *In quantum vocavit eum Dominum oſtendit eum Deum, cum filium David dixit, oſtendit eſſe hominem, idque ut Dominum ad beneficentiam excitet quia David ad conferenda beneficia ſummè fuit proclivis.*

§. 5. Proſecutio. Perſeverantia vicit. Hæc voluit dicere Cananæa. Tu, qui ut Deus, ipſiſſima es clementia; tanquam homo, ipſa bonitas! clementiæ & bonitatis effectus, in me, & filia mea oſtende. *Miſerere mei*, quia dolor filiæ, dolor eſt Matris; miſerere mei, quia nec in domo ſedere poſſum, intrinſecus eſt inimicus; dæmon terribilis; Si

ovicu-

Digitized by Google

ovicula non ſum, ovicula fieri poſſum. Si catellus ſum, ut ais, non peto panem, ſed micas. Tandem ergo poſt longum certamen inter Chriſtum D. & Cananæam, movit Chriſtum & obtinuit, quidquid deſideravit. S. Ambr. l. 5. in Luc. c. 7. *Cananæa fuit pertinax in precibus, ſapiens in reſponſis, fidelis in verbis, prætereuntem revocat, tacentem rogat, excuſantem adorat, negantem inclinat.* Utinam, qui miſericordiam Dei, & clementiam Chriſti Salvatoris imploramus, in noſtris afflictionibus, præſertim ſi male torqueamur à tentationibus dæmonis, imitemur modum orandi, quem obſervavit Cananæa.

Miſerere. Hinc optime inchoatur oratio. hoc verbo, *miſerere* ait Origenes, Chriſto D. voluit dicere, Domine, nihil ego precioſum, tuis dignum conſpectibus, neque obſequia præſtiti quibus niti oratio mea poſſe videatur. Nihil affero tantæ conveniens Majeſtati; ac proinde ad unicum miſericordiæ ſinum recurro; hunc imploro, hanc ſumo mediatricem, *miſerere.* Ad miſericordiæ pulſo fores. Non ſine myſterio Salomon portas templi voluit fieri ex lignis Olivarum; Oliva enim eſt ſymbolum miſericordiæ; ut dum in templum ad Deum orandum accedere volumus orationem cum Cananæa exordiamur ab humilitate, & fiducia in ſolam D. miſericordiam; humili corde dicentes, *miſerere* &c. Portæ miſericordiæ ſunt v. g. Vulnera SS. pedum crucifixi, ſed hoc verbulo pulſemus, *miſerere* &c (ſic de benedicto corde.)

§. 6. *Vocula hæc miſerere, involvit magnam fiduciam.*

Eundem modum orandi nos docuit regius Pſaltes. Eximias in illo pſalmo petit gratias, *magnam Dei miſericordiam &c.* Sed Pſalmi exordium eſt, *miſerere.* Petit lavari ab iniquitate ſua, & ſuper nivem dealbari. petit, ne Deus avertat faciem ſuam &c. petit cor mundum, novum, rectum, Spir. S. Non ſine myſterio, initium hujus orationis fuit *miſerere*, ut oſtenderet ſpem ſuam inniti, non ſuis meritis, ſed d. miſericordiæ. Sic oravit Daniel. *Peccavimus Domine, injuſtè egimus &c. Nobis confuſio &c. Miſerere. Nec enim in juſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis.* & Publicanus *DEUS propitius eſto*

§. 7. *Cur initium Pſalmi 50. ſit vocula miſerere.* Pſ. 50. v. 1. Dan 9. 18. Luc. 18. 13.

eſto mihi peccatori, D.Chryſoſt. *Vides celeritatem - agnovit peccata & abluit peccata; criminum accuſatio, facta eſt illi criminum remiſſio.* Orantes cum humilitate ſtatim exaudit Chriſtus Dominus.

§.8. *Regina Eſther qualiter acceſſerit Aſſverum.* *Eſther.5.v.2.3.* Pulcram figuram habemus in Eſther. Nulli licitum erat Regis Perſarum adire præſentiam, niſi quem nominatim Rex vocaſſet, & qui aliter intrare præſumpſiſſet, reus capitis damnabatur. Eſther tamen non vocata, ob periculum populi, ob latam Regis ſententiam, in gentem ſuam, ſumit animos, intrat aulam regiam; & Rex ſtatim porrexit illi virgam auream exoſculandam in ſignum clementiæ. Sed quali modo fuit ingreſſa Eſther? in veſte lugubri, capite aſperſo cineribus, tota mœrore conſumpta, proſtrata humi, inter ſingultus copioſas fundens lacrymas! hic habitus, hæc mœſtitia, hæ lacrymæ, hæc humilitas Eſtheris ſtatim commovit viſcera Regis Aſſveri; hoc modo virgam furoris flexit in ſignum clementiæ. Et Eſther ambabus manibus virgam amplexata & oſculata fuit. Si quæ forte & nos neceſſitas premat; ſi timeamus ne iratus Deus nos punire velit; ſumamus animos, accedamus ad thronum D. miſericordiæ; accurramus ad Chriſtum Salvatorem; nec dubitemus Virgam auream, ſanctiſſimam crucem, ſceptrum regni ſui, ſtatim nobis porrigit, & extendet in ſignum clementiæ. Sed ſi accedamus triſtes, afflicti, humiles; ſi cum lacrymis miſericordiam imploremus, initium orationis ſit *Miſerere.* Medium orationis *Miſerere*, finis Orationis; *Miſerere.*

§.9. *Cur Chriſtus D. Cananæam non ſtatim exaudiverit? ut pergeret orare.* Et ſi videatur, quod Deus preces noſtras non velit exaudire, quod diſſimulet, quod non liberet nos ab afflictione, à qua liberari cupimus, non ideo ceſſemus ab oratione; habet Chriſtus D. juſtiſſimas cauſas, quare id faciat! ut p. obſervavit D. Chryſoſt. de muliere Cananæa. Initio Chriſtus D. nihil reſpondit, imò duris verbis rejecit. In fine docet, cur dare diſtulerit, non ut eam repelleret; ſed ut ejus patientiam omnibus manifeſtaret. Nam ſi propter repulſam diſtuliſſet, neque tarde ei donaſſet, & nos minimè agnoviſſemus, mulieris

Digitized by Google

lieris ab initio uſque in finem fortitudinem; *Dimitte*, inquiunt, *eam, quia clamat poſt nos.* Vos auditis vocem, ego mentem video, nolo theſaurum mentis ſuæ occultum permanere, ſed expecto & ſileo, ut manifeſtetur & omnibus clarus fiat &c. Non exaudiendo ſtatim, Chriſtus D. intendit in orante augmentum virtutum, & majus gaudium.

Sacræ loquuntur Literæ quod Joſeph ad fratres, quaſi ad alienos durius ſit locutus dum vocavit inſidiatores regni &c. &c. an quia illos oderat? an quia perdere cogitabat? non certè, ſed ut majus eſſet gaudium. D. Greg. exclamat; *O tormentum miſericordiæ! amat & cruciat.* hoc facit Chriſtus D. cruciat, enim ſtatim exaudiendo, ſed revera quia amat, quia delectatur, quò magis nos inſiſtimus precibus. Verbo vult nos perſeverare in oratione &c. *§ 10. Cur Ioſeph ſuos fratres durius fuerit allocutus. Gen. 42. 7.*

Chriſtus D. pulchram aud. S. Lucam propoſuit ſimilitudinem amici venientis nocte ad amicum, & petentis tres panes; qui repulſam paſſus ab amico, tamen non deſtitit rogare, clamare, petere, pulſare, qua importunitate tandem obtinuit quod petiit, & ſtatim ſubdit Chriſtus D. & *Ego dico vobis, petite.* (ſcilicet hoc modo) *& accipietis*; S. Hier. in hunc locum. *Chriſtus D. noſter hanc ſubjecit parabolam, ut intelligeremus importunos nos amicos eſſe debere, pulſando Chriſtum: ipſe enim ſi rectè vivamus, amicus noſter eſt.* (Si eſſet Dom. Congregat. fiat digreſſio ad ſodales Agoniæ.) *hujus amici oſtium* (p. locus) *inceſſanter pulſare debemus, & horis eum inquietare nocturnis, & uſque adeo moleſti eſſe, ut importuni etiam judicemur, ſed non hujus importunitatis timeamus offenſam, quia hæc apud Dominum importunitas opportuna eſt.* Propterea (D. Chryſoſt. hom. 40. in gen. c. 25.) *nunquam ceſſemus orare Deum, ferventſque & æſtuans deſiderium oſtendamus & non ægrè feramus, neque ſegniores efficiamur, ſi non ſtatim audiamur.* Ideo non audimur, ut fervor & æſtus orationis noſtræ augeatur. Cruciat Chriſtus, ſed revera amat, & quærit majus bonum noſtrum. *§. 11. Non ſtatim deſiſtendum eſt ab oratione. Luc. 11. v. 5. v. 9.*

Si vis accipere, pete, & in petendo ne defatigeris, perſevera, pulſandoque inſta, & accipies; *Nam regnum cælorum vim* *§. 12. Elogia orationis perſeverantis.*

Digitized by Google

Matt.11.12. *vim patitur, & violenti rapiunt illud. O beata violentia*; inquit S.Ambr. ſer.13. de natali Domini, *quæ non indignatione percutitur; ſed miſericordia condonatur. Beata inquam, violentia,* (beata precum multiplicatio, *miſerere mei*, Domine adjuva me, fili David,&c. Etiam Domine &c.) *quæ vim patienti, bonitatem elicit, & utilitatem tribuit inferenti,- Vis admittitur,-*& gratum id eſt vim patienti. *Quisquis violentior Chriſto fuerit, religioſior habebitur.* (iterum eſt locus, ex quo pulcra digreſſio fieri poteſt ad ſodales Agoniæ. Ille ſcilicet Chriſto crucifixo eſt gratior, qui majori violentia pulſat oſtia SS. Vulnerum &c. O beata violentia &c.)

§.13. *Importunitas clamantis cæci, quàm grata Christo D.*

Marci.10. cæcus ſedebat juxta viam, qui cum audiſſet, quia Jeſus Nazarenus eſt (qui tranſiret) cœpit clamare & dicere, *Ieſu, fili David miſerere mei.* & comminabantur ei multi ut taceret. at ille multò magis clamabat, fili David miſerere mei. Quid quæſo importunius? nec multitudinem attendit, nec minas curat, nec perſonam eſt veritus ſed opportunè, importune clamavit; & an propterea repulſus eſt? imo obtinuit, ut Jeſus ambulans ſtaret, illumque ad ſe vocarit, *ſtans Ieſus præcepit vocari illum.* (Marc.10. v.48.) Beata importunitas quæ prætergradientem firmavit, immobilemque reddidit, ſalutem eripuit, viſum recipit, & exiliens Chriſtum fuit ſecutus. Perſeverantia impetravit. Sic oremus &c.;

§.14 *Quid ſit quærere, pulſare, &c. ex S. Chryſoſtomo.*

Aurea aliqua adhuc reſtant verba S. Chryſoſt. hom.24. in c.7. S.Matthæi. Non tantum obiter pulſare juſſit Chriſtus, ſed cum ſedulitate multa, & magna intentione! hoc eſt enim, quod ait, quærite, ſiquidem ille, qui quærit aliquid, cuncta profectò alia mente projiciens, unum intendit, illud ſolum quod requirit, ac præſentium rerum nihil omnino conſiderat, hoc eſt, quærere. Pulſare verò, vehementer accendi, & ardere prorſus mente, præcipit. Egregiè: Duo requirit S.Chryſoſt. vel potius Chriſtus D. dum nos docet modum orandi. Perſeverantiam & fervorem; fervorem in petendo, perſeverantiam in poſtulando & quærendo. Nam ut ipſe ait. Propterea oſtium clauſum eſt (p.locus) ut te ad pulſan-

Digitized by Google

pulſandum inducaris: idcirco non celeriter annuit (ut Cananeæ) ut tu diutius inquiras: permane igitur in quærendo & pulſando, & abſque ambiguitate percipies. Non deſiſtas, donec invenias; ne recedas, ne abeas, quouſq; clauſa reſerentur, ſi enim cum hoc ſtudio mentis acceſſeris, & dixeris, Niſi accepero, non recedam, prorſus accipies. Hæc fuiſſe videtur mens Cananeæ in hod. Eu. Domine, niſi accipiam, niſi liberes filiam meam, &c. non recedam; & accepit; Sic oremus & nos &c.

Præſertim qui ſodales ſunt Agoniæ, dum petunt felicem mortem 1. in libro Tobiæ legimus, quomodo Tobias petierit Saram *Hic ego hodie non manducabo, neque bibam, niſi prius petitionem meam confirmes, & promittas mihi dare Saram filiam tuam.* & accepit, &c. ſic dicamus ad Chriſtum D. &c. (fiat pius & affectuoſus Epilogus.) §. 15. *Digreſſio ad ſodales Agoniæ.* Tob. 7. v. 10

CONCIO XVI.

DOMINICA III. QUADRAGESIMÆ.

Erat Ieſus ejiciens dæmonium.

Lucæ, 11 ℣. 14.

SYNOPSIS CONCIONIS.

OB varias cauſas Deus permittit, ut in hoc mundo patiamur diabolum, tentationes; una ex præcipuis eſt, ut eo magis vigilemus, & per ardentes preces, recurramus ad Deum.

Digitized by Google

§.1. *Gladius Domini terribilis, eſt diabolus, per quem punit impios.*

§.2. *Cur permittat Deus etiam in hoc mundo vexari homines, à diabolis? Vt ſcilicet ad ipſum recurramus.*

§.3. *Et ad Chriſtum Dominum.*

§.4. *Cur Chriſtus D. in oratione Dominica, poſuerit hanc petitionem, Et ne nos inducas in tentationem.*

§.5. *Cur Deus in deſerto, in populum immiſerit ignitos ſerpentes.*

§.6. *Quinam hodie, ab illis lædantur? quinam non?*

§.7. *Serpens affixus cruci à Moſe fuit figura Chriſti Domini.*

§.8. *Quibus diabolus potiſſimum inſidietur.*

§.9. *Quibus inſtrumentis diabolum facillime poſſimus vincere.*

§.10. *Differentia inter nomen, Ieſu Salvatoris.*

§.11. *Et diaboli: ut propter ſolum nomen magis vigilemus.*

§.12. *Confugiendum præcipue eſt ad Chriſtum D.*

§.13. *Et eo ferventius, quo magis diabolus nos perſequitur.*

§.1. *Gladius Domini terribilis; eſt diabolus, per quem impios punit. Ezech. 21. v. 3. & 4.*

PRopheta Ezechiel minatur Jeroſolymæ terribili gladio, ſic enim ait. *Ecce ego eijciam gladium meum de vagina ſua, & occidam in te juſtum & impium.* v. 4. *Egredietur gladius meus de vagina ſua ad omnem carnem, ab auſtro ad Aquilonem.* v. 5. *Vt ſciat omnis caro, quia ego Dominus eduxi gladium meum de vagina ſua.* v. 9. *Loquere, gladius, gladius exacutus eſt & limatus.* v. 11. *Iſte exacutus eſt gladius, & iſte limatus eſt, ut ſit in manu interficientis*, ut graſſetur, ut trucidet, ut inebrietur ſanguine & probatus eſt. Scio Prophetam ad literam loqui de Dei vindicta, & ſuppliciis quæ exercuit in populum ſuum per Chaldæos, per Nabuchodonoſorem & alios tyrannos. Myſtice per hunc gladium & interficientem, interpretes intelligunt diabolum; per quem iratus & juſtus Deus de ſuis hoſtibus ſeſe tam atrociter ulciſcitur, non tantum in inferno, ubi æternum ab illis impii cruciabuntur; ubi æternum horribilis illa vox inſonabit, *Gladius, gladius Domini &c*

Digitized by Google

ni, &c. Sed etiam in hoc mundo, per immanem tyrannidem, quam exercet in impios. Sed quia illa in animas ſpiritualis eſt, & ſub oculos non cadit; permittit ſubinde Deus ut corpora poſſideantur, ut ab illis miſerrimè tractentur ut videamus (D. Chryſoſt. l. 2. de provid.) *diſtortas manus, torvos oculos, oris ſpumam, horrendam & confuſam vocem, diabolicum tremorem &c.* ut hinc colligamus, quid intus agant in anima. Pertinet hæc materia ad alias Conc. V. 14. cit. cap. Deus terribiliſſimam minatur pœnam, dum crudeli tyranno gladium concedit, qui tribus aciebus feriat, *Triplicetur gladius.* Hic eſt ille enſis, quo Lucifer in peccatore ſauciat linguam, ferit oculos, vulnerat aures. Et hos effectus alibi explico. Dicam hac concione, Deum permittere diabolis tantam poteſtatem nos vexandi, tentandi, &c. ut ferventibus precibus recurramus ad Deum, præſertim hoc tempore paſſionis &c.

§. 2. *Cur Deus permittat, homines etiam in hoc mundo vexari à diabolis. Ut ſcilicet ad ipſum recurramus.*

Quæſtionem hanc, cur Deus permittat in hoc mundo homines à dæmonibus ita vexari, eleganter tractavit S. Chryſoſt. variis locis, præſertim l. 1. de provid. tom. 5. ubi ait unam ex præcipuis cauſis eſſe, ut nos perpetuo vigilare, & ad ſe recurrere cogat, & rogare, ut nobis ſuccurrat, nos defendat; ſic & ſemper illum habeamus nobiſcum, nobis proximum; *Quomodo* (ait) *ex illo proficimus, dum illius inſidias metuimus; vigilamus ſobriis in orationibus, jejuniis &c. ad Deum currimus ſicut pueri, cum larvas aſpiciunt, ad matrem.* Diligit Pater filium ut ſuos oculos, blanditiis ad ſe vocat, & allicit puerum, renuit puer, currit alio! Quid tum pater? facit ut aliquis ingrediatur larvatus famulus, ut hic terreat, ut excitetur ſtrepitus; ſic expavefactus puer, plenus timore, ut ſe ſalvet, currit ad ſinum, & amplexus patris, ruit in ejus brachia, ſub hac umbra ſe abſcondit, nec audet ab illo diſcedere. Et Deus & Chriſtus Salvator noſter nos plus diligit, quam ullus pater poſſit diligere etiam unicum & unigenitum filium, vocat nos, allicit nos; *Venite ad me omnes &c.* imò deliciæ illi ſunt, ſi cum illo eſſe velimus; verùm quia facillimè ad alias currimus creaturas, quia alia ſectamur ſolatia, quia vagamur poſt veſtigia *Matt. 11. v. 28.*

 gregum;

gregum; in hunc finem voluit eſſe diabolos, in hoc mundo, terribiles, feroces qui nos terreant, tentent, horrore concutiant, ut timore perculſi veloces accurramus, & piiſſimi patris noſtri, quæramus protectionem, & territi cum Davide

Pſ. 16. v. 8. exclamemus. *Sub umbra alarum tuarum protege me, à facie impiorum, qui me afflixerunt.*

§. 3. *Et ad Chriſtum Dominum.* Vellet Chriſtus D. ſuaviſſimus amator noſter, & ſponſus, & pater hoc ſacroſ. tempore quadrag. nos ſemper hærere inter manus & brachia crucifixi. Deliciæ illi eſſent, ſi habitaremus in dulciſſimo ſuo corde. Vellet, nobis non eſſe requiem, vel habitationem niſi in ſanctiſſ. Vulneribus Crucifixi; vellet nos ſemper ſedere ſub umbra crucis. Quia recedimus, quia alio fugimus, permittit à dæmonibus nos tentari, terreri, &c. ut neceſſitate compulſi quæramus patris brachia, ut in benedictum cor & ſacroſ. Vulnera, per ferventem orationem, per ardentia deſideria nos abſcondamus. Ut vigilemus, ut ſobrie, juſte, caſte & pie vivamus, *Et ſic, diabolus* (inquit S. Chryſoſt.) *ſibi ipſi, non nobis eſt malus; nos enim ſi velimus, plurima commoda per illum, perque illius nequitias* (& tentationes) *conſequimur, illo etiam invito ac renuente. Sit ille ſemper malus* (ait S. Ambr. quærat ſemper noſtram ruinam &c.) *ut ſit bonus Deus ſemper* (& Salvator noſter) *qui malitiam ejus in gratiam nobis convertit.* Si nimirum ad Deum & Chriſtum D. in ejus tentationibus confugiamus.

§. 4. *Cur Chriſtus D. in oratione Dominica poſuerit hanc petitionem, Et ne nos &c.* Hoc nos Chriſtus D. docere voluit, (ait D. Cypr. l. de orat. dom.) dum in oratione dominica nos juſſit dicere, *Et ne nos &c.* per malum enim intelligitur Diabolus (ex communi ſententia plurimorum SS. PP. & ipſiuſmet Chriſti D.) dum enim in parabola de bono ſemine ait S. Matthæus. *Venit malus, & rapit quod ſeminatum eſt*, S. Lucas inquit, *Venit diabolus & tollit verbum de cordibus eorum.* Voluit proinde Chriſtus D.

Matt. 13. v. 27. cum quotidie à diab. tentemur, nos quotidie confugere ad

Luc. 8. v. 12 patrem cœleſtem, & dicere, pater noſter &c. libera nos à malo &c. Placet Deo, placet Chriſto Salvatori, cum ab illo territi confugimus ad preces & D. auxilium imploramus.

Inter

Digitized by Google

Inter pœnas,quibus Deus in deſerto punivit rebellem §.5.
& murmurantem populum,hæc fuit graviſſima. *Miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes* tam ardentes & flagrantes, ut ſeditioſos unico ictu peremerint, & ita accenderint, ut præ ſiti exareſcerent. Interpretes in diverſas abeunt ſententias, dum explicant unde venerint hi ſerpentes; cum enim antea *Num.21.6.*
populum non infeſtarint, non videntur in illo deſerto fuiſſe, ſed aliunde adveniſſe. Aliqui dicunt iratum Deum ſubito creaſſe in ſupplicium populi. prout in Ægypto produxit ranas,locuſtas &c. Alii dicunt illas ex vicina Libya miniſterio dæmonum fuiſſe adductas juxta aliud pſalmi. *Immiſſiones per Angelos malos.* Magis mihi placent illi, qui dicunt fuiſſe ante in deſerto Arabiæ,& arida illa ſolitudine,quam Iſraelitæ perambulabant,prout & hodie in illa naſcuntur ſerpentes maximè venenoſi, calidiſſimi, leviſſimi, inſtar ignitorum cometarum,alati & volatiles,ut ait Solinus. Sed populo nocere non potuerunt, quia Deus illos infrenavit, ut neminem vel inficere vel mordere poſſent; & hoc, quamdiu fuerunt probi, Moyſi obſequentes &c. deinde verò venenatas illorum linguas,& dum à Deo recederent, dum cogitarent de Æg. de ollis,alliis & cepis, punivit illos Deus his ſerpentibus, deditque illis poteſtatem mordendi,lædendi. Donec populus erga unum elevatum à Moyſe in cruce elevavit oculos, & iterum confugit ad Dominum. Tum ſtatim rurſum infrenati fuerunt iſtæ viperæ,tum nemini amplius nocuerunt.

Cur Deus in deſerto in populum immiſerit ignitos ſerpentes.

Pſ.77.v.49.

Pulcerrimam hic habetis figuram hujus mundi; Inſtar de- §.6.
ſerti, aridi, inaquoſi,infernalibus.ſcatet ſerpentibus; myriades dæmonum terram perambulant, inter nos converſantur. Serpentes ſunt exurentes, terribiles,pleni veneno mortifero gehennali; ſed erga homines, qui ambulant & habitant ſub adjutorio altiſſimi, qui quotidie in precibus ad Deum confugiunt,qui ſervant mandata ejus. (ut loquar accommode ad tempus quadr. Illis qui habitant in Vulneribus Chriſti &c.p.) nihil prorſus nocere poſſunt. dæmon. ne porcos quidẽ tangere licuit ,niſi Chriſto conſentiente; qui itaq; per ſemetipſum

Quinam hodie ab illis lædantur? quinam non?

 ire in

Marc. 5. v. 12. ire in porcos non potuit, quid mirum ſi ſine conditoris manu (animam hominis juſti) tangere non poſſit. Quod verò in hoc deſerto multi mordeantur, quod inficiantur veneno graviſſ. ſcelerum, quod ſacroſ. hoc tempore ad fontem pœnitentiæ, ad fontes ſalutis, ad fontes aquarum viventium ex ſacroſ. Vulneribus Salvatoris, ſiti exareſcant; ſibi, ſuis ſceleribus, ſuæ ingratitudini, ſuæ negligentiæ & tepori in cultu divino, in precibus, in jejuniis, in vigiliis &c. aſcribant. His nocere poſſunt iſti ſerpentes.

§ 7. *Serpens affixus cruci à Moyſe fuit figura Chriſti crucifixi.*

Sed ecce vexillum crucis, quod mater noſtra Eccleſia erigit. Ecce ſerpentem in cruce, Chriſtum Salvatorem. Ad hunc elevate oculos, hunc aſpicite; ad hunc confugite; ſolus hic aſpectus, Deum ad pœnitentiam movet; dum excitat amorem Chriſti patientis, dum ardentes nos facit in oratione, ſimul infrenat infernales hos ſerpentes, ut nihil prorſus nocere poſſint. Sed terrent nos, ſpuunt ignes, exerunt venenatas linguas, & permittit hoc Deus, ut nos territi, eo majori fervore ad Deum curramus, ut quæramus brachia Chriſti, ut nos abſcondamus in maceriis petræ.

§. 8. *Quibus diabolus potiſſimum inſidiatur.*

Et his potiſſimum Satan ſolet inſidiari; *Neque enim mirum deputat, ſi eos abſorbeat* (ait S. Greg. M. in c. 40. Jobi) *quos ſuperbia erigit, avaritia tabefacit, voluptas dilatat, malitia anguſtat, ira inflammat, diſcordia ſeparat, invidia exulcerat, luxuria inquinans necat; abſorbebit quaſi flumen, & non mirabitur quia pro magno non exiſtimat, cum eos devorat, qui per ipſa vita ſua ſtudia deorſum currunt, ſed illos magnopere rapere nititur, quos deſpectis terrenis ſtudiis, jungi jam cæleſtibus contemplatur.* hoc exiſtimat, ſi efficiat, ut illi qui alioquin vivunt bene, hoc quadr. jejunio comedant carnes; Si efficiat, ut hoc ſacroſ. tempore offendatur Chriſtus D. &c. Sequitur clare, eo magis nobis vigilandum eſſe; eo magis recurrendum ad Deum, in orationibus, in

1. Pet. 5. v. 8. jejuniis &c. ut monet S. Petrus. *Sobrii eſtote & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* & D. Ambr. de pœnit. c. 13. *Exurge frater, exurge, pelle torporem, vigila ſemper, vigila & eſto pro tua ſalute ſolicitus.*

Digitized by Google

licitus. Cave nocturnum furem, ne domus tuæ perfodiat parietem,&c. patet enim incurſibus incauta ſecuritas; in dormiente nihil tutum, facile contingit, ut hic letaliter feriatur. Clama jugiter, eripe me de inimicis Deus meus.

Sanctus Job inſinuat diabolum licet ferociſſimum à nobis poſſe vinci; poſſe adduci veluti draconem in hamo. poſſe alligari arbori ſicut paſſerem &c. Sed arbor illa eſt ſacroſ. Crux; hamus ille fortis & potens eſt oratio; funis eſt jejunium. Permittit itaque Deus, ut etiam in quadrag. diabolus nos infeſtet, permittit ut tentemur; ſed hoc intendit, ut ideo fugiamus ad crucem & conſiderationem Paſſionis Salvatoris. hoc intendit ut jejunemus, ut ferventius oremus. His inſtrumentis ille draco, ille ſerpens, ille circumiens leo, velut paſſer ligari poteſt ad crucem ne nos mordeat. Terribilis gigas erat Goliath; David tamen in funda ſua & ſelectis quinque lapidibus illum vicit. Inſtar Goliathi electo populo inſultat infernalis Goliath, præſertim per quadrag. Noſtrum eſt arripere fundam orationis &c. & dicere. In nomine Domini exercituum.

§. 9. *Quibus inſtrumentis diabolum facillime poſſimus vincere.*

Solum nomen diaboli, debet nos facere vigiles, attentos & ferventes in oratione. Varia & pulcra afferunt SS. Patres, quæ obſervarunt in illa oppoſitione, quæ eſt inter Chriſtum & diabolum; & quidem quoad ipſum nomen. Cum Ang. B.V. annuntiavit Incarnationem verbi dixit. *Vocabis nomen ejus Ieſus.* & hoc contigit in circumciſione. Non fuit hoc ſatis. dum Salvator mundi penderet in cruce, Pilatus motus altiori inſtinctu, hoc nomen impoſuit in titulo ſuper caput ejus & quidem ſcriptum tribus linguis in mundo celeberrimis, Hebraica, Græca & Latina; prima ob ſanctitatem, 2. ob ſapientiam & eloquentiam, 3. ob potentiam Romanor. Jeſus Naz. Rex Jud. Voluit Spir. S. inquit S. Hier. ut totus mundus agnoſceret, quis eſſet ille Dominus, quod ejus officium, quid moriens faceret & quid tunc pro nobis in cruce operaretur. quod licet ſit Salvator noſter, quod nos amet, quod quærat noſtram ſalutem.

§. 10. *Differentia inter nomen Ieſu Salvatoris.* *Luc. 1. v. 31.*

Econ-

§.11. *Et diaboli, ut propter ſolum nomen ejus magis vigilemus.*

Econtra, dicunt Rupertus & S. Thomas, ut ſciamus quis ſit diabolus, quid intendat; voluit Spir. S. ut iiſdem tribus linguis illi daretur nomen, unde S. Joannes de illo ait, *Cui nomen hebraice Abaddon, Græce Apollyon, latine, habens nomen Exterminans*; unde paſſim in ſcriptura vocatur exterminator, græcè κωφὸς, id eſt, qui ligat linguas, qui occludit aures, qui oculos excæcat; quæ officia in uno hod. dæmoniaco ſimul exercuit, dum fecit mutum, ſurdum, cæcum. Hoc nomen illi dedit Judith loquens de patribus V. T. ob ſcelera ſua ſeverius caſtigatis ait, *Exterminati ſunt ab exterminatore* & deinde S. Paulus. *Perierunt ab exterminatore.* in Lib. Regum vocatur. *Angelus percutiens* Hebraice. Maſchuh (*percuſſor, perdens, homicida*, à Solomone *Angelus crudelis*. à Job, *Mors interitus*. D. Joannes: *Nomen illi mors*. Jerem. *Malleus univerſæ terræ*, à S. Petro, *Leo rugiens*. Pſ. *Aper de Sylva* &c. & nobis inſidiatur Audit. nunquid æquum eſt ut fugiamus ad Salvatorem, hoc eſt, quod Deus intendit, cum illi permittit nos vexari.

Apoc. 9. v. 11. Iud. 8. v. 25. 1. Cor. 10. v. 9. 2. Reg. 24. v. 16. Prov. 17. v. 11. Iob 18. v. 13. Ier. 50. v. 23. 1 Pet. 5. v. 8 Pſ. 79. v. 14

§. 12. *Confugiendum eſt præcipue ad Chriſtum D.*

Dominica ſuperiori Mater Eccleſia nobis ſtatuit ante oculos, filiam Cananeæ, à diabolo miſerè tortam; hodie, dæmoniacum mutum, ſurdum, cæcum. Sed ſanatur à Chriſto, ut illi, quorum animæ torquentur ab eodem carnifice per peccatum mortale; ut muti, ſurdi, cæci ſciant, quo debeant confugere, cujus debeant implorare auxilium, ſcilicet Chriſti Salvatoris noſtri. Proponuntur nobis hæ larvæ, ut territi confugiamus ad Vulnera Chriſti. Oſtenditur nobis exterminator &c. ut quæramus Salvatorem, & liberatorem in cruce; qui ſolus contra tam potentem hoſtem nos tueri & defendere poteſt.

§. 13. *Et eo ferventius, quo terribilius, diabolus nos perſequitur. exemplo Davidis. Pſ. 63. v. 5.*

Regius Pſalmiſta ait. *Alieni inſurrexerunt adverſum me & fortes quæſierunt animam meam.* pro particula, *fortes* legunt alii, *formidabiles.* alii, *Violenti.* alii, *ſævi.* S. Aug. *potentes.* ſcilicet diaboli. Voluit igitur David dicere. Animæ meæ, uni, debili, infirmæ, tot fortes inſidiantur, huic omnes adhibent machinas, in hujus exitio procurando omnia ſtudia collocant. *quærunt animam meam, ut auferant eam* (ait S. Aug. in ſolil. c.

Digitized by Google

lil. c.16.) *hoc eſt, continuum ſtudium ejus, hoc unicum deſiderium ejus ut animas, quas creaſti, devoret.* Quod Davidi contigit, nobis contingit quotidie (applica p.) Væ nobis, niſi faciamus, quod David fecit, ut ſcilicet accurramus ad Dominum, ut ferventer oremus, ut quavis hora ſuſpiremus cum S. Davide. *Deus in adjutorium meum intende &c.* Pſ.69. v.1. niſi Chriſtum habeamus nobiſcum &c. niſi, præſertim hoc tempore memores ſimus ejus Paſſionis. O quam torquere poſſumus diabolos ſi velimus! S. Ambroſ. orat. de obitu Theodoſii Imper. p. dixit de Clavo qui aſſervatur Mediolani. *Ecce clavus in honore eſt, & qui Chriſto impreſſus fuit ad mortem - p. remedium ſalutis eſt, atque inviſibili quadam poteſtate dæmones torquet.* Eſt v.g. aliquis qui dum tentatur ad ſuperbiam à diab. &c. memor eſt coronæ ſpineæ, & cogitat, cum humili Chriſto volo eſſe humilis. mi Jeſu in adjut. meum intende. Hoc eſt ſpinis torquere diabolum. hoc modo poterit fieri pulcerrimus & pius Epilogus.

CONCIO XVII.

DOMINICA IV. QUADRAGESIMÆ.

Abiit Ieſus trans mare.

Joan. 6. ℣. 1.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QUi Deo & Chriſto Domino ſerviunt, non ſint ſolliciti de neceſſariis ad ſuſtentationem.

§. 1. *Aliter diabolus ſuos ſervos tractat.*

§. 2. *Aliter Chriſtus D.*

§. 3. *Chriſtus D. ſollicitus eſt, ut nos nutriat, ſi illi ſerviamus.*

§. 4. *Cur in menſa propoſitionis in Vet. Teſtamento ſemper jacuerint panes.*

§. 5. *Suaviſſima & efficaciſſima argumenta ex Pſ. 36. ut ſine cura ſerviamus Deo.*

§. 6 *Cogitemus de Deo: cogitabit de nobis.*

§. 7. *Teſtimonium S. Cypriani.*

§. 8. *Chriſtus D amat nos, ut mater filios: cur non providebit neceſſaria.*

§ 9. *Digreſſio ad ſacrilege confitentes.*

§. 10. *Quanta fiducia filii erga Patrem.*

§. 11. *Non deſeramus Ieſum: non deſeret nos.*

§. 12. *Booz fuit figura Chriſti Domini.*

§. 13. *Bene illis! qui quærunt Ieſum.*

§. 1. *Aliter diabolus ſuos ſervos tractat.* INgens eſt differentia inter hunc mundum, & Chriſtum D. Illam experiuntur, hinc, qui mundo huic ſerviunt; hinc verò illi, qui ſequuntur Chriſtum D. Hic ſuos nutrit, & paſcit. Ille ſuos aſſeclas relinquit in fame. Exemplo nobis ſit miſer ille juvenis, cui in animum venit, paternis excedere laribus, ubi omnium rerum erat abundantia; poſtquam abiit, coactus fuit ſervire homini abjectiſſimo, ut ſacer loquitur textus. *Adhæſit uni civium regionis illius*; (*Luc. 15. v. 15.*) qui illum ablegavit in villam ſuam, fecit illum ſubulcum, nullo modo de victu ſervi ſolicitus, unde ad eas redactus eſt anguſtias, ad illam famem, ut inanem ventrem optaret implere ſiliquis porcorum, *& nemo illi dabat.* hoc modo ſuos miniſtros tractat mundus & diabolus.

§. 2. *Aliter Chriſtus D.* Alio modo Chriſtus D. agit cum illis, qui ſibi ſerviunt. ut videmus in hod. Evangelio. Cum inter aliquot millia hominum, in deſerto, extra urbes & civitates, quinque tantum adſunt panes & duo piſces, Chriſtus D. ingenti miraculo ita illam modicam annonam multiplicavit, ut non tantum omnes ſaturati fuerint, ſed multa fragmenta ſuperaverint. Apud tam divitem & dulcem Dominum ejus ſervi non patiuntur

famem,

famem. Hoc unum hoc S. tempore quadrageſimæ intendit mater noſtra Eccleſia, ut Deo & Chriſto D. impenſe & omni ſtudio ſerviamus. ſed, quia magnum impedimentum eſſe ſolet, nimia ſollicitudo de panibus, ſive de neceſſaria ſuſtentatione; eadem, nobis hodie proponit in Evang. pulcerrimam hiſtoriam; ex qua diſcere poſſumus; Deum & Chriſtum D. in his ſolicitum eſſe, pro iis qui illum ſequuntur. Hanc veritatem, cum ingenti ut ſpero, omnium ſolatio, hac concione latius explicabo.

Tres ſeptimanæ in ſancta quadrageſima ſunt reſiduæ, Dominica hodierna qua illas ordimur, vocatur *Lætare*; ut nimirum cum magna lætitia hodie incipiamus ſervire Chriſto Salvatori noſtro hoc ſacro tempore Paſſionis, quod ut mater Eccleſia efficacius nobis perſuadeat, in Evangelio nobis Chriſtum D. proponit tam ſolicitum, ut ipſe nos nutriat, ut ipſe de omnibus neceſſariis nobis provideat, illo fine, ut nos hac ſollicitudine liberi, eo majori fervore nos totos ejus ſervitio mancipemus. Id quod Spir.S. nos monet. *Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum.* Simplici corde (id eſt, ut explicat S. Petrus Chryſol. ſer. 16.) omnibus curis & anxietatibus libero, & illam de illo habete opinionem, quam habetis de viro aliquo honeſto honorato. Quem enim virum talem reperias, qui ſervum habeat, qui tota fidelitate, ſolicitudine, & amore ſerviat, cuique ſervus per omnia ſatisfaciat, qui illi dicat, licet mihi fidelis ſis ſervus, quære tamen aliquem, qui te nutriat, qui te veſtiat, qui te ſuſtentet. Et qualis herus, qui famulum fidelem, permittat affligi fame? Vel *Quis Rex* (ait S. Chryſologus) *devotus militibus debitam non procurat annonam? Quis Dominus fidelibus ſervis juſta cibaria non miniſtrat?* Itaque, non ſentiamus aliter de Chriſto Salvatore noſtro, ſed certo nobis perſuadeamus, quod ſi fideles ejus fuerimus ſervi, præſertim hoc tempore Paſſionis; ſi ejus obſervaverimus mandata, ipſe ſolicitus erit, unde emamus panes, & unde manducemus. Has mutuas curas, vel mutuam correſpondentiam, paucis & ſuavibus verbis in

§. 1. Chriſtus D. ſollicitus eſt, ut nos nutriat, ſi illi ſerviamus.

Sap. 1. v. 1.

Cant. 2. v. 17. bis in ſponſo laudavit ſponſa. *Dilectus meus mihi & ego illi, & Ego dilecto meo, & ad me converſio ejus.* q. d. Si ſequar meum ſponſum ad montem perfectionis, ſi, ſi &c. ipſe vigiles habet oculos, ut me nutriat. Pſalmiſta. *Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum, & in eis, qui ſperant ſuper miſericordia ejus, ut eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.* O ſuave motivum ut Chriſto D. ex toto corde ſerviamus. ut his tribus ſept. nos totos ejus ſervitio impendamus, ut ſequamur ejus veſtigia per viam crucis ad montem Calv. ipſe alet nos. hoc parum eſt, eruet à morte æterna animas noſtras; hoc ſentiamus de Chriſto D. & ejus ſervitus nobis erit ſuavis. Jejunium eſt ſuave. Confeſſio paſchalis ſuavis &c. & onus ejus leve.

Pſ. 32. v. 18.

§. 4. *Cur in menſa propoſitionis in V. T. ſemper jacuerint panes.*

Non ſine magno myſterio Deus juſſit in templo ſuo poni Menſam propoſitionis. In illa ſemper jacebant pulcri & albi panes, & ſingulis ſeptimanis debebant renovari, ut ſcirent ingreſſuri templum, ad ſerviendum Deo, ad eum laudandum &c. ſe non intrare domum alicujus avari, ſed liberaliſſimi Regis, qui habeat panes in domo ſua, ut ſuos cibet, & alat. Quiſquis templum ingrediebatur, videbat menſam ſtratam albis panibus; quorum aſpectu moneretur, Deum illis, qui ſibi ſerviunt, etiam providere de neceſſaria ſuſtentatione. Nolo hic vos adducere ad menſam altaris, in qua in Catholicis templis jugiter aſſervatur panis Angelorum, quo bonus Jeſus tanquam cibo cœleſti & ſupernaturali alit animas noſtras. Hoc inſinuo. Ducite me in domum alicujus patrisfamilias, alicujus Mercatoris N.N. alicujus viduæ, &c. in qua domo, maritus & conjux ſerviunt Deo, filii ſerviunt Deo, idem faciunt ſervi & ancillæ; non diebus tantum feſtis, ſed feriatis, præſertim hoc tempore Paſſionis, quotidie interſunt ſacro &c. ducite me ad tales ædes; ſtatim vobis oſtendam in illis menſam ſtratam albis panibus. Volo dicere. Deus tales alit. Non patiuntur famem, Deus eſt cum illis, non tantum per gratiam, ſed providentiam &c. Juxta Chriſti D. promiſſionem. *Quærite primum regnum Dei, & cætera adjicientur vobis.*

Matt. 6. 33.

Regius

§.5. *Suaviſſima & efficaciſſima argumenta ex Pſ.36. ut ſine cura ſerviamus Deo. Pſ.36. v. 3. 4. 5. 6. 7.*

Regius Pſaltes pulcerrimè nos inſtruit, quomodo & in quibus debeamus Deo ſervire. dum ait, *ſpera in Domino & fac bonitatem.* verſ. 4. *Delectare in Domino.* verſ. 5. *Revela Domino viam tuam.* per agnitionem ſcelerum (advertitisne Auditores, illa exercitia, quæ tempore quadrageſimæ à nobis exigit ſervitus Dei) verſ 6. *Subditus eſto Domino*-per perfectam reſignationem,-*& ora eum.* v. 7. *Deſine ab ira & derelinque furorem.* Denique, *declina à malo & fac bonum, expecta Dominum, & cuſtodi viam ejus.* præſertim hac quadrag. Viam crucis; ſequere cruenta veſtigia Salvatoris ad montem Calvariæ, etſi oneratus ſis aliqua cruce. Talia exigit, à nobis ſanctiſſimus Rex, ſi velimus Deo ſervire. Verum in via tam aſpera, quis nos nutriet? unde ememus panes? quis nos ſolabitur? quis nos diriget? reſpondeat, qui nos inſtruxit. eadem Davidis cythara ſuaviſſimè cecinit, dulciſſimas promiſſiones. 1. *Paſceris in divitiis ejus.* divitiæ Dei ſunt panis, & omnia quæ ſerviunt conſervationi hominis. His divitiis ſuos paſcit Chriſtus Dominus, Divitiæ ejus ſunt, omne aurum & argentum, omnes theſauri hujus mundi. Spera in Deo tuo, & paſcet te. dabit ipſe quantum eſt neceſſe. Divitiæ Salvatoris noſtri ſunt, dulciſſimus panis Euchariſtiæ. hoc pane paſceris; imo 2. *dabit tibi petitiones cordis tui.* Suavis petitio amantis cordis tempore paſſionis eſt, compati doloribus Salvatoris; dabit, &c. (hoc modo poteſt fieri p. inductio.) *Ipſe faciet, quod ſperamus.* 3. *delectabuntur tales in multitudine pacis.* Non dubito illos, qui hodie in deſerto comederunt de quinque panibus, & piſcibus comediſſe cum ingenti delectatione videntes tantū miraculum &c. pari delectatione comedemus nos panem quotidianum, ſi ſequamur Chriſtum ad deſertum pœn. 4. Inſuper, *hæreditas eorum in æternum erit.-in diebus famis ſaturabuntur.* cum -ſubinde-*ceciderit non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam. Non derelinquet ſanctos ſuos, in æternum conſervabuntur.* Dominus non derelinquet eum in manibus ejus. nec damnabit eum; cum judicabitur illi.

 Impii

Impii, peccatores, peribunt. Non erunt, diſperibunt ſimul, &c. Salus autem juſtorum à Domino, & protector eorum in tempore tribulationis,& adjuvabit eos Dominus,& liberabit eos, & eruet eos à peccatoribus & ſalvabit eos. *Timete (*inquit Pſalmiſta) *Dominum omnes ſancti ejus,quoniam non eſt inopia timentibus eum. Divites eguerunt & eſurierunt. inquirentes autem*
Pſ.33.v.10 *Dominum non minuentur omni bono.* Quot ſuavia, efficacia argumenta & motiva, ut ſequamur Chriſtum D. in deſertum pœnitentiæ, in montem perfectionis, ut adhæreamus illi, ut nos totos ejus ſervitio impendamus. Benignus eſt Dominus, qui ſuos paſcit divitiis gloriæ ſuæ.

§.6. *Cogitemus de Deo, cogitabit de nobis.*

Oculos ſuos defigit Dominus in eos, qui ſuos in ipſum fixos tenent. & efficaciter,ut ſcilicet illis provideat de neceſſario pane. Speculum lucidiſſimum eſt Deus noſter, vis, ut illud te aſpiciat? aſpice tu illud. Non tu majori diligentia oculos tuos convertis ad Chriſtum D. quàm ipſe ad te. Hoc promiſit divinus ſponſus D.Catharinæ Senenſi, *Filia cogita de*
Pſ.31.v.8. *me, & ego cogitabo de te. firmabo ſuper te oculos meos*; p. S. Aug. *Non à te auferam oculos meos. quia & tu non aufers oculos tuos à me.* an enim tibi ſuaviora ſunt viſcera, an tibi dulcius cor, quàm mihi? dixit Chriſtus D. ad S.Cathar. Itaque, quæſo animæ piæ, his diebus mille concipiamus cogitationes pias, dulces de ſponſo noſtro, vel ligato ad columnam, vel ſpinis coronato, vel in cruce pendente. In cruce, ad columnam cogitabit de nobis; providebit de pane quotidiano. S.Petrus
1.Pet.5.v.6 dicit, *omnem ſolicitudinem veſtram proÿcientes in eum, quia ipſi cura eſt de vobis.* famulus qui in agro pro Domino ſuo graviter laborat, de cibo non anxiatur; etenim novit Dominum, curam ſui ſuſcepiſſe, ſibique providere, ſi fidelis ſit ſervus. Deone ſervis? Chriſto laboras? jacta cogitatum tuum in Dominum, ipſe de te ſolicitus erit.

§.7. *Teſtimonium S. Cypriani.*

Eleganter D.Cyprianus in Prov. c.10. *Quando factum eſt, ut juſto poſſent deeſſe vitæ ſubſidia: cum ſcriptum ſit, Non occidit Dominus fame animam juſti. Elias in ſolitudine corvis miniſtrantibus paſcitur: & Danieli in lacu ad leonum prædam juſſu Regis*

Regis incluſo, prandium divinitus apparatur, & tu metuis, ne operanti tibi, & Dominum promerenti deſit alimentum; quando ipſi in Evangelio ad exprobrationem illorum, quibus mens dubia eſt & fides parva teſtatur & dicit: Aſpicite volatilia cœli, &c. Paſſeribus alimenta præſtantur; nec cibus deeſt; tu Chriſtiano, Dei tui ſervo, tu operibus bonis dedito, tu Domino tuo charo, putas aliquid defuturum? Vnde hac incredula cogitatio? Quærite, inquit Chriſtus, primum regnum Dei &c. (applicari hæc pulcre poſſunt hod. Evangelio, deinde nobis &c.)

Tenerrimum amorem, quo Deus nos proſequitur, explicat per os Iſaiæ his verbis. *Audite me, qui portamini à me in utero*) filii mei, vos enim meis geſto concluſos penetralibus, vos meis porto viſceribus. inter amores, potentiſſimus eſt amor matris erga filium, unde David dicebat ad Jonatham. *Sicut mater unicum amat filium ſuum, ita & ego te diligebam.* Ita nos diligit Chriſtus Salvator noſter; & quomodo obliviſcetur noſtri, ut non miſereatur noſtri ut non ſit ſolicitus de nobis; qui ait, Ego vos geſto &c. & inſuper addit. Ego ipſe, ſive, ſicut dixit ad Moyſen. *Ego ſum qui ſum* q.d Ego Deus ſum, qui non poſſum omittere, ne q. momento, quia me ipſum cognoſcam, intelligam, contempler & diligam. Hac eadem cura, dicit Dominus, his cogitationibus ſolicitus ſum de vobis, qui eſtis infantes viſcerum meorum, ut vobis ſit bene. Quid ergo tam ſumus ſoliciti de panibus; Si Dominum ſequimur; ſi viciſſim Deum amamus, ſi viciſſim de Deo & Chriſto Salvatore noſtro cogitamus! Deus, Pater noſter eſt; qui corvos N. N. paſcit: paſcit & nos. *§. 8. Chriſtus D. amat nos, ut mater filios: cur non providebit neceſſaria. Iſ 46. v 3. 2. Reg. 1. v. 26. Exod. 3. v. 14.*

Non ſine myſterio Chriſtus D. nominavit corvos, *conſiderate* corvos, ut bonitatem patris cœleſtis magis explicet. Corvus eſt avis voraciſſima, rapaciſſima, crudelis, ingrata illis, à quibus nutritur. unde illud adagium, corvos enutri, & tibi oculos effodient. Cadaveribus non parcunt, quorum carnes dilacerant & vorant, tamen pater cœleſtis paſcit illos. Myſtice, per corvos intelligere poſſumus illos crudeles peccatores; illos procraſtinatores pœnitentiæ, qui hoc S. Paſchali tempo- *§. 9. Digreſſio ad ſacrilege confitentes.*

tempore, licet videant pendens in cruce cadaver Chriſti, tamen pergunt eſſe crudeles &c. Corvi præcipuè ſunt ſacrilege confitentes & communicantes: qui venenato ore vorant carnem, & corpus Chriſti in Euch. qui lambunt ejus ſanguinem, &c. Et tamen pater cœleſtis hos nequiſſimos homines paſcit & nutrit &c. Quanto magis ergo de nobis erit ſolicitus, qui illum amamus &c. *omnem ſolicitudinem* &c.

§. 10. *Quanta fiducia filii erga patrem.* Mirabilis eſt illa fiducia, qua aliquis puer, patris ſui providentiæ & amori innititur. Sine cura vivit, ludit, dormit, quieſcit. Si ex puero quæras; dic mihi, eſtne tibi triticum? Non. Suntne tibi aliæ veſtes? Non. an alii calcei? Non. Si ergo hi defecerint, quid ages? Reſpondebit, pater meus bonus eſt, pater meus dives eſt, pater meus amat me, ipſe mihi omnia procurabit. Puer eſt ſine cura, quia habet patrem, à quo, quia habet vitam, ſperat etiam victum. Quanto magis nos, modicæ fidei, Deo & Chriſto D. fidere debemus? hic neceſſe eſt, ut efficiamur parvuli; ut in ſinu D. providentiæ ſuaviter quieſcamus &c. p. Hæc eſt illa fiducia quæ quietum reddit & tranquillum cor ſervi Dei. David dum in hæc verba læta ac hilari voce prorumpit. *Paratum cor ejus ſperare in Domino.* Symmachus legit, *firmum cor ejus, expers ſolicitudi-*
Pſ. 111. v. 8. *nis.* Alii ut D. Hier. *Confirmatum cor ejus, non timebit.* & hinc ille fervor in ſervitio Dei, ille fervor ſequendi Chriſtum (ſi eſſet Dominica Congregationis, fieri poterit digreſſio, quomodo ſodales debeant eſſe parvuli &c.)

§. 11. *Non deſeramus Ieſum, non deſeret nos.* Hanc Dei erga ſuos providentiam ſuaviſſimè conſideravit S. Aug. L. 3. Confeſſ. & in ſolil. c. 14. *In toto tempore* (O Deus) *totum me ſimul, ſemperque conſideras, ac ſi nihil aliud conſiderare habeas. Sic ſuper cuſtodiam meam ſtas, ſicut ſi omnium oblitus ſis, & mihi ſoli intendere velis. quocunque iero Domine, tu me non deſeris, niſi ego te prior deſeram &c.* quæſo non deſeramus
Rom. 8. v. 37. Jeſum. ipſe nos non deſeret, ipſe paſcet nos in divitiis. S. Paulus, & ibi Origenes; *In his omnibus ſuperamus.* Non noſtra virtute, ſed per eum, qui nos dilexit; *dum enim in illius amore pendemus*, ſenſum doloris non recipimus.

nec

Digitized by Google

nec periculum eſt, ut egeſtas nos premat, ut deficiamus in via.

Figura pulcerrima Chriſti D. fuit Booz qui dixit ad Ruth. *Nuntiata ſunt mihi omnia, quæ feceris ſocrui tuæ, & quod reliqueris parentes tuos, & terram in qua nata es, & veneris &c. Reddat tibi Dominus pro opere tuo, & plenam mercedem recipias à Domino Deo Iſrael, ad quem veniſti, & ſub cujus confugiſti alas,* filia mea (c.3.) *quæram tibi requiem, & providebo ut bene ſit tibi.* talis erga ſuos eſt Chriſtus D. dum nos ad ipſum confugimus, ſub ipſius alas; dum in ſacroſ. ejus Vulneribus quærimus requiem &c. ipſe providet ut nobis ſit bene. (eſt iterum locus pro p. digreſſione ad ſodales Agoniæ.

§.12. *Booz fuit figura Chriſti D.* Ruth.2.v.11. Cap.3.1.

Finio Concionem verbis Eſdræ. *Manus Domini noſtri eſt ſuper omnes, qui quærunt eum in bonitate. Et imperium ejus, & fortitudo ejus* (p. ut reficiat &c.) *& furor ſuper omnes qui derelinquunt illum.*

§.13. *Bene illis qui quærunt Deum.* 1.Eſdra 8. v.22.

CONCIO XIIX.

DOMINICA PASSIONIS.

Quis ex vobis arguet me de peccato.

Joan. 8. ℣.46.

SYNOPSIS CONCIONIS.

GRatitudo à nobis exigit, ut ab hac Dominica, uſque ad Paſcha, & deinceps, frequenter ſimus memores Paſſionis Chriſti. Quam illa memoria, nobis ſit utilis & proficua.

§.1. *Exordium.*
§.2. *Oblivio beneficii, eſt magna ingratitudo.*
§.3. *Ne proinde obliviſcamur bene-*

beneficii Redemptionis, & Paſſionis Chriſti.
§.4. *Cujus memoria nos illuminat.*
§.5. *Voluntatem accendit.*
§.6. *Vt in ſeraphico S. Franciſco, & aliis.*
§.7. *Memoria Paſſionis eſt carbo ignitus.*
§.8. *Cur terra fuerit mota in crucifixione? quàm ſit proficuum recordari præcipuè effuſi ſanguinis.*

§.1. *Exordium.* QUàm variis modis ſollicita mater Eccleſia nos per quadrageſimam invitat ad perfectionem Chriſtianam; Dominica prima nos provocavit ad jejunium, exemplo Chriſti D.40. diebus & noctibus, jejunantis in deſerto. Dominica ſecunda ad orandum, exemplo mulieris Cananææ. Dominica tertia ponendo nobis ob oculos dæmoniacum à Chriſto ſanatum voluit nobis inſinuare, ut ſi contra hunc hoſtem tuti eſſe velimus: imò ſi fortaſſis per peccatum aliquod mortale corda noſtra poſſideat, velimus liberari; ut confugiamus ad Chriſtum, ut per hujus gratiam & auxilium, omne dæmonium, per contrit. Confeſſ. &c. à nobis ejiciatur. Dominica quarta invitavit nos ad pœnitentiam, amore, & benevolentia, qua Chriſtus reficit & confortat illos, qui ſunt in deſerto pœnitentiæ. Dominicam hodiernam Eccleſia vocat Dominicam Paſſionis, ſcilicet (verba ſunt S. Leonis) *excellens ſuper omnia Paſſionis Dominicæ ſacramentum purificatis corporibus & animis incipiamus celebrare.* Ad eundem finem, multis locis, pia eſt conſuetudo, ut in mediis Eccleſiis erigatur arbor ſacroſ. Crucis, veluti vexillum, quo convocamur ad piam memoriam illorum tormentorum, quæ pro nobis Chriſtus in cruce ſuſtinuit. Verbo. Intentio Eccleſiæ eſt, ſuis filiis hodie perſuadere piam memoriam Paſſionis, quàm utilis illa nobis ſit, quatuor punctis hac concione declarabo.

Matt.4.2. Matt.15.v.22. Luc.11.v.14. Ioan. 6.

§.2. *Oblivio beneficii, eſt magna ingratitudo.* Liberaliſſimus ſemper erga nos fuit, & eſt Deus Opt. Max. innumera contulit & confert beneficia, magna, eximia, naturalia, ſupernaturalia, &c. ſed eadem vult à nobis ſingulari qua-

ri quadam gratitudine recoli & æſtimari. Uti enim nihil terra profert, ut inquit ille, ingrato ſceleſtius ac peius, ita etiam in oculis Dei, nihil eo eſt abominabilius. *Ingratus* inquit Seneca *ille eſt*, *qui non omni qua valet ratione gratiam acceptam agnoſcere ſtudet; ingratior vero ille, qui eam contemnit & negligit: ingratiſſimus ille, qui ejuſdem obliviſcitur.* hæc oblivio eſt ventus ille ſiccus, qui fontes arefacit, fructuſque omnes deſtruit. *Populus meus oblitus eſt mei diebus innumeris &c.* quod vitium *Ier.2. v.32.*
adeo deteſtatus fuit David cum inſigni propoſito, ſe velle eſſe memorem beneficiorum. *In æternum non obliviſcar juſtificationes tuas.* *Pſ.118.93.* *Si non meminero tui Ieruſalem, adhæreat lingua mea faucibus meis.* Hanc gratam memoriam hodie exigo à meis Auditoribus præcipuè erga Chriſtum, ejuſque immenſa beneficia nobis collata; & hoc tempore pro benedicta ejus Paſſione.

§.1. *Ne proinde obliviſcamur beneficii Redemptionis, & Paſſionis Chriſti.*

Quod majus argumentum amoris, & benevolentiæ eſſe poteſt, quàm ſi amicus, pro amico, qui in carcere de vita periclitatur, fide jubeat; ſi deinde liberet? An hoc oblivione dignum eſt beneficium? Chriſti D. erga nos amor tam ardens fuit, ut in periculo longe majori, æternæ ſcilicet damnationis pro nobis fide juſſerit, & ſolverit, *redimens nos in ſanguine ſuo.* *Apoc.5.v.9* Sed; *Gratiam fidejuſſoris tui* (ſic monet Eccleſiaſticus c.29.) *ne obliviſcaris; dedit enim pro te animam tuam,* dedit vitam, dedit ſanguinem, & quidem in cruce. Pincernæ Pharaonis, cum exiret ex carcere, dixit Joſeph. *Memento innocentiæ meæ afflictæ.* *Gen.40.v.14.* Jeremias ait. *Recordare paupertatis meæ, abſynthii & fellis.* *Thren.3.v.19.* Talia ad nos loquitur hoc S. tempore Paſſionis Chriſtus Salvator noſter, noſter Joſeph de cruce, fili recordare meæ innocentiæ, &c. recordare tuorum ſcelerum quæ cauſa ſunt meæ paſſionis: recordare meorum Vulnerum, recordare clavorum, &c. Anima grata & ſancta, reſpondet cum ſponſa Cant.1.v.12. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus, &c.* *Cant.1.v.12.* Sicuti enim faſciculus in gremio collocatus, cum ſemper ante oculos verſetur, è memoria effluere nequit; ſic ſponſi noſtri cruciatus nunquam animo debent excidere, ſed perpetuum

tuum ſanctiſſ. cogitationum noſtrarum objectum & materia eſſe debent. Inter alias imagines Virginis Matris Doloroſæ hæc me valde movet ad devotionem, in qua in ejus gremio ſuper candidum Strophiolum, jacent ſpinea corona, & tres clavi, quos jugiter aſpicit; meo judicio tantum deeſt hæc ſuperſcriptio: *faſciculus myrrhæ*, hoc modo hoc S. tempore paſſionis deberent in cordibus noſtris, in memoria, in jugi recordatione jacere ſpinæ, & clavi crucis, imò totus crucifixus, totus faſciculus myrrhæ. Hæc itaque paſſionis recordatio, illuſtre inprimis eſt gratitudinis noſtræ teſtimonium, & argumentum perpetuum.

§. 4. *Cujus memoria nos illuminat.*

Recordatio & memoria Paſſionis Salvatoris noſtri ſpiritualibus illuſtrationibus illuminat intellectum noſtrum. Duo diſcipuli euntes in Emaus, locuti fuerunt cum Chriſto D. in perſona peregrini, de iis quæ contigerant Jeroſolymæ; & mox aperti fuerunt oculi eorum. Favus mellis aperuit oculos Jonathæ. (1. Reg. 4. v. 27.) Melleæ cogitationes de paſſione Chriſti aperiunt oculos mentis. Fel piſcis exenterati à juniore Tobia, (Tob. 11. v. 15.) fuit remedium cæcitatis in parente. longe præſtantius remedium contra cæcitatem cordis eſt fel, ſive amaritudo paſſionis, ſi hæc quaſi exenteretur, id eſt, ſi bene ponderetur. Eunuchus Candacis Reginæ Æthiopum, Iſaiæ de paſſione legebat prophetiam, (Act. 8. v. 28.) S. Philippus intervenit legenti, & Chriſti crucifixi nomen eum edocuit. Vidit, credidit, & baptizatur. Nihil nos hoc tempore utilius legere poſſumus, quam paſſionem, ſi in ſchola ſacroſ. Crucis proficere velimus; nam Chriſtus Jeſus in crucem actus, eſt vera lux mundi, quæ &c. eſt candela illa Evangelica, non jam ſub modio collocata, ſed ſuper candelabrum crucis, ut luceat toti mundo, ut ſit inextinguibilis Pharos, quæ nobis in tenebris hujus mundi, per procelloſum mare oſtendat portum ſalutis. Eſt lampas prudentium Virginum, plena oleo miſericordiæ, quam qui habet, nõ poteſt non pervenire ad nuptias Agni. Illuminato intellectu ab hac lampade, ab hac luce, per memoriam paſſionis, facillimè movetur & accenditur voluntas ad omne bonum qui eſt alius fructus memoriæ paſſionis.

Sicut

Digitized by Google

Sicut enim, quando ſolares radii, in ſpeculi concavi centro colliguntur ipſum ſimul illuminant, & ardens faciunt; ſic dum paſſionis memoria ſemel animæ profunde imprimitur, ſtatim lumina & radii intellectus in ardores tranſeunt voluntatis; cognitio hæc ſtatim eſt radix pulcerrimorum fructuum, ſive effectuum. Moyſes mox ut ardentem rubum fuit conſpicatus, dixit, *Vadam & videbo &c.* hæc viſio ſtatim excitavit ejus deſiderium, multo magis aſpectus Chriſti inter vepres in rubo ſacroſ. Crucis &c. memoria paſſionis in voluntate piiſſimos & ſuaviſſimos commovet affectus, amoris, gaudii, doloris, compaſſionis, &c. *§. 5. Accendit voluntatem.* *Exod. 3. v. 3.*

Patuit in Seraphico S. Franciſco, qui ſuum crucifixum continuis humectabat lacrymis. Lacrymas è corde elicuit ignis & flamma amoris. flammas excitavit memoria & recordatio paſſionis. Patuit in aliis. S Brigitta nunquam de paſſione loquebatur, vel illam meditabatur, quin lacrymis teſtaretur, cor præ amore liqueſcere. S Catharina Senenſis tota fiebat ignea, & Seraphicis ardoribus æſtuabat; B. Ægidius ex primis ſociis S. Franciſci, cadebat in deliquium, quotieſcunque crucifixum tantum aſpiciebat. Audiviſtis alias de illo peregrino, qui cum veniſſet ad montem Calvariæ, ex recordatione viva paſſionis, tantum concepit dolorem, ut mortuus corruerit. Aperto corde in illo reperta fuerunt hæc verba inſcripta, *amor meus crucifixus eſt*; videtur amantis hujus cor fuiſſe ignea quædam fornax amoris erga ſuum Salvatorem, quæ tandem diſſiliens & in partes diſtracta, piiſſimam ejus animam in cœlum evaporavit. *§. 6. Ut in Seraphico S. Franciſco & aliis.*

Advertite quam pulcræ figuræ in hoc impleantur. Salvator enim noſter in crucem actus eſt ardens quidā carbo, & pruna igniens, quæ non labia noſtra tantum purificat, ſed & animas pollutas expiat, & ignem mittit in univerſam terram; ignem inquam interiorem de quo Jerem. ait. *Ab excelſo miſit ignem in oſſibus meis.* ab excelſo) ab arbore crucis. Ab excelſo) à vulnerato crucifixi capite; Ab excelſo) à Vulneribus ſacroſ. manuum. Ab excelſo) à benedicto illius *§. 7. Memoria paſſionis eſt Carbo igniens.* *Thren. 1. v. 13.*

 corde,

corde, hoc tempore cadunt illi ignes, amoris; doloris &c. qui ardent in auditorum meorum cordibus. Memoria; piæ etiam momentaneæ cogitationes de Chriſto crucifixo ſunt primum quæ excitant in nobis flammas contritionis, propoſitum &c. Vide apud Ezech. fig. de thuribulo, &c. de prunis altaris &c. Crueta ſubucula Cæſaris univerſam Romam concitare potuit ad vindictam; quanto magis nos commovere debet, non cruenta veſtis tantum Chriſti D. ſed totum corpus vulneratum. Finiam hoc 3. punctum verbis, quæ Dominus dixit ad Joſue. *Non recedat* hoc *volumen* Jeſu Chriſti crucifixi, *ab oculis veſtris ſed meditemini in eo diebus ac noctibus*, tunc dirigetis viam veſtram in cœlum.

Ioſue 1. v. 8

§. 8. De ſudore ſanguineo Chriſti D. decurrente in terram p. dixit S. Athan. ſer. de cruce & paſſ. *Suum omnino ſanguinem in terram profudit, unde factum eſt, ut in ea pro ſpinis, bona omnia, & vita flores repullulaſcerent.* & D. Cypr. l. de paſſ. Chriſti. de eodem ſanguine Chriſti. *Vulneri tam putrido* (cujuſcunque peccati mortalis) *& antiquarum cicatricum fætori non inveniebatur medicamentum aptum niſi unguento ſanguinis Chriſti, quo plaga vetus liniretur.* Terræ motum ſub crucifixione contigiſſe aliqui putant, tum cum ſanguis Chriſti de cruce in illam defluxit. Scio diverſa & pulcerrima myſteria de hoc terræ motu habere SS. Patres; placet illud quod lego apud S. Damaſc. hom. in Sab. S. *Terra commota eſt, Dominico reſperſa cruore, non quærens vindictam, ſed tabem ſordeſq; ex ſe excutiens, & læta ob ſui luſtrationem, quoſdam velut lætitiæ ſaltus dedit.* Sanguis Chriſti ipſam terram velut purificavit. Cum SS. Patres cauſas inquirunt lacrymarum SS. Petri, quam diu vixit. Reſp. S. Baſilius. *Nulla tanti luctus cauſa fuit, quando egreſſus foras flevit amare niſi horti mentio, ubi Redemptor pro peccatoribus ſanguinem fudit.* D. Ambroſius in cap. 7. S. Lucæ pie dixit, Chriſtus D. *lacrymarum balneo, ſanguinis in cruce balneum applicavit.* Libenter hoc tempore paſſionis loquor de lacrymis & ſanguine Chriſti. ne tamen longior ſim, unum adhuc dictum S. Anaſtaſii quæſt. 8. omittere non poſſum, ſic ait. *Quid mirum*

Cur terra fuerit mota in crucifixione. Quam ſit proficuum recordari præcipuè effuſi ſanguinis.

Digitized by Google

rum ſi reſpiciens ſanguinem Deus (agni ſcilicet paſchalis) *Iſraelitarum miſeretur. Signum enim eſt, quod hodie viſo ſanguine Filii ſui Deus non aufert miſericordiam ſuam à nobis. Sicut enim viſo in poſtibus ſanguine agni, illaſam dimittebat angelus percuſſor domum, eamque veluti filiorum Dei eſſe cenſebat, ſic & Deus puniens peccata, ubi primum* ſanguinem crucifixi *præ foribus ejuſdem animi, nempe in oculis conſpicit, abſtinet à ſupplicio, & confert benedictionem.* Sed quo collimat hic meus diſcurſus de efficacia ſang. Chriſti, objiciet mihi fortaſſis nonnemo, cui à ſcopo concionis meæ, de recordatione paſſionis aberrare videor. Non aberro; imò ſcopum tango in centro. Illa enim vis ſanguinis Chriſti tanta eſt, ut ſoli memoriæ de ſe & paſſione filii Dei, eoſdem tribuat effectus. Dum enim illius memores ſimus, divinus ille cruor ex Vulneribus Salvatoris defluit quaſi in terram horti cordis noſtri; unde fit, ut in illo pro ſpinis bona omnia , & vitæ flores repullulaſcant (hoc modo fiat pulcerrima applicatio per dicta. & ſi deſit adhuc aliquid materiæ, vide varios Auctores de utilitate memoriæ Paſſionis Chriſti &c.)

CONCIO XIX.

DOMINICA PALMARUM.

Probet autem ſe ipſum homo; & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.

1. Cor. 11. v. 28.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AGit contra ſacrilege communicantes , quam atrox committant ſcelus; & atrocem contra illos promulgat ſententiam.

§. 1. *Pro-*

Digitized by Google

§. 1. *Proponit Auctor, ſe dicturum contra ſacrilegas communiones.*

§. 2. *In ſtatu peccati mortalis, non licet accedere ad SS. Euchariſtiam, ſine pravia confeſſione.*

§. 3. *Euchariſtia, eſt ſacramentum viventium.*

§. 4. *Declaratur ſimili.*

§. 5. *Aliud ex S. Ambroſio.*

§. 6. *Proſecutio.*

§. 7. *Quis apud Græcos fuerit Calix amoris.*

§. 8. *Illum Chriſtus D. inſtituit in ultima cœna. Quomodo.*

§. 9. *An non ingens eſſet injuria, calicem hunc pedibus conculcare.*

§. 10. *Hoc faciunt ſacrilege communicantes cum atroci crimine.*

§. 11. *Teſtimonium S. Ambroſii, de atrocitate hujus ſceleris.*

§. 12. *Sacrilega communio, includit varia crimina.*

§. 13. *Terribilis ſententia contra ſacrilege communicantes.*

§. 14. *Terribiles Hiſtoriæ.*

§. 15. *Epilogus Patheticus; ſed imploranda eſt gratia Spiritus S ut bene ſuccedat.*

§. 1. *Proponit Auctor ſe dicturum contra ſacrilegam communionem.*

FRequenter ex me audiviſtis, quam atrox & horrendum crimen ſit ſacrilega confeſſio; quàm tales peccatores moriantur infeliciter, quomodo à dæmone decipiantur. Hac concione oſtendam æquè atrox, ſi non majus crimen eſſe indignam & ſacrilegam communionem. quæ hoc ſacro paſchali tempore plerumque ſacrilegam confeſſionem comitatur. Plerique illi, qui ultro, ſcientes in ſacroſ. illo tribunali peccatum mortale ex pudore tacent, nihilominus communicant ut præceptis Eccleſiæ ſatisfacere videantur. Memini adhuc quæſtionis, quam Chriſtus D. in Evangelio ante octiduum ſuis æmulis propoſuit. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* quibus verbis, ſuam innocentiam, & immunitatem ob omni peccato declarare voluit; ita quivis ante comm. conſtitutus eſſe debet, ut dicere poſſit conſcientia bona, quis me arguet de peccato, ſaltem gravi & lethali. Nam de venialibus non eſt quæſtio; hæc non faciunt ſacrilegam communionem. Itaque poſtquam oſtendero, quam

quam atrox crimen illa ſit, atrocem ſuper ſacrilege communicantes, & terribilem feram ſententiam. Spero concionibus prioribus aliquos vermes in aliquorum cordibus redditos eſſe inquietos, conabor per Dei gratiam in hac concione plane jugulare, ut affigam SS. Cruci. Victoria vel unica, ſive ſalus unicæ animæ valde me conſolabitur.

Præſens concio ſupponit Catholicam doctrinam ex Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 7. Nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione ad S. Euchariſtiam accedere audeat. Contra illos, qui putant ſufficere ad juſtificationem, confeſſionem cordis. Doctrina hæc fundata eſt in verbis S. Pauli *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.* Verbum hoc probare duo ſignificat. 1. idem eſt, quod examinare ſe, ſcrutari conſcientiam, ſcopere ſpiritum, ut nuper ex pſ. inſinuavi. Juſſu g. Apoſtoli quivis communicaturus conſiderare debet, quibus peccatis Deum offenderit. Sed hoc non eſt ſatis. ideo probare ſe, 2. idem eſt, quod judicare; Vult S. Paulus, ut communicaturus prius conferat ſe ad judicem, qui judicet, an talis dignus ſit ut particeps fiat ſacramenti SS. Euch. Cum autem in propria cauſa nemo judex eſſe poſſit, clarum eſt, quod S. Paulus nos mittat ad judicem, quem Chriſtus Judex in ſua Eccleſia ſuo loco conſtituit, ſcilicet ſacerdotem approbatum, ſive confeſſarium, cui pœnitens conſcientiam ſuam aperire debet, ut ſi forte gravis ſceleris ſit reus, id à confeſſario judicetur, & abſolvatur. ut ſi forte aliquis per peccatum mortale incurrit mortem animæ, per ſacramentum pœnitentiæ vitæ ſpirituali ſive gratiæ prius reſtituatur.

§. 2. Inſtatu peccati mortalis non licet accedere ad Euchariſtiam ſine confeſſione.

1. Cor. 11. v. 28.

Quod ad uſum Euchar. plane eſt neceſſarium, nam eſt ſacramentum viventium, ea communio non prodeſt niſi illis qui ſunt in ſtatu gratiæ. Eſt hæc differentia inter ſacramenta: baptiſmus, pœnitentia ſunt ſacramenta mortuorum, ſive, illi gratiæ quæ illis annexa eſt, fiunt participes qui ſunt in ſtatu peccati, reliqua gratiam non conferunt, niſi qui jam ſunt in ſtatu gratiæ ſanctificantis.

§. 3. Euchariſtia eſt ſacramentum viventium

§.4. *Declaratur ſimili.* S. Dionyſius declarat ſimili: dum communionem vocat, *ſpiritualem inſitionem:* Nam hortulanus, qui ſylveſtri arbori, alium ramum arboris bonæ, vel ſurculum, vult inſerere, aut, inoculare, ut vocant, duo agit. primum, præſcindit ramum; deinde attendit, an arbor, cui vult inſerere vivat; in arbore emortua nunquam creſcet ſurculus. Pulcerrimus ſurculus de arbore vitæ, eſt v.g. Caro Chriſti D. ſublimis ſurculus ejus anima, ſurculus perfectionis infinitæ Divinitas; Pulcerrimæ roſæ & ſurculi ſunt roſea ejus Vulnera. Omnes hi ſurculi per communionem animæ hominis debent inſeri, veluti arbori, an non æquum eſt, ut per gratiam vivat, vel ſi incidit in mortem peccati; per ſacramentum pœnitentiæ, prius vitæ reſtituatur.

§.5. *Aliud ſimile S. Ambroſii.* *Matt. 10. v. 16.* *Ioan. 4. v. 14.* S. Ambr. in hac materia mittit nos ad ſerpentes, ut ab illis diſcamus, quomodo ad com. debeamus accedere, forte motus illis Chriſti verbis; *Eſtote prudentes ut ſerpentes*, ſerpens ait cum venerit ad bibendum, priuſquam bibat, extra fontem evomit venenũ ſuum, & poſtea bibit. de ſeipſo dixit ipſe Salv. *quod ſit fons aquæ ſalientis in vitam æt.* Permittite mihi, Audit. ut hod. Dom. deducam vos fontes Salvatoris. Videtis erectum crucifixum, pro vexillo quo hod. die convocamur ad montem Calvariæ. Aſpicite vulneratos pedes; ecce ſaliunt fontes ſalutis (ſic de manibus & benedicto corde) hi fontes ſanguinis in monte Calvariæ ſemel ſalierunt. Non virga Moſis, ſed crux, ſed clavi, ſed lancea, aperuerunt. Sed ſcatent quotidie in ſacroſ. ſacram. altaris. Imo invitamur, ut ex illis bibamus. qui in Paſchate communicat, bibit ſanguinem Chriſti ex Vulneribus pedum (ſic de aliis.) ſed O miſer, eſne ſerpens? latet fortaſſis venenum odii, venenum luxuriæ N.N. fac prius, quod ſerpentes faciunt, depone venenum. ad hunc finem Chriſtus alium ſuſcitavit fontem, ex quo prius bibere oportet, ſcilicet ſacramentum pœnitentiæ, & confeſſ. hic prius evome & ſubmerge tuum venenum. Id omittere periculoſum eſt.

§.6. *Proſecutio.* Si ſerpens non faciat, ob frigus aquæ, quæ naturali veneno per

Digitized by Google

no per potum miſcetur, rumpitur in partes. Primus ſerpens, qui cum veneno p. mortalis acceſſit ad fontem Euchariſtiæ, fuit Judas, ſed abiit, ſuſpendit ſe in arbore, & crepuit medius. idem in V.T. contingebat adulteræ, quæ ſibi male conſcia bibebat aquas zelotypiæ. *Num.5. v. 25.* O anima infelix quæ rea es p. mortalis. Adultera es Chriſti Jeſu. cave ne ſine confeſſione bibas aquas ex fonte SS. Euch. rumperis! Sed hæreo nimis diu in præambulis, ex hoc modo intelligite, quam atrox crimen ſit ſacrilega Comm. quid faciunt, qui indigne communicant & quidem ex verbis S. Pauli quæ ſupra citavi. *Probet &c.* *1. Cor. 11. v. 28.* *Reus eſt ſanguinis Domini, &c.* ſic modo intelligo, ſacrilege communicantes peculiarem injuriam inferunt ſanguini Chriſti.

§. 7. *Quis apud Græcos fuerit Calix amoris.*

Apud Græcos moris fuit, ut hoſpes invitatis præcipuis amicis, & paucis, peculiariter dilectis, antequam illos domum dimitteret, propinaret, calicem amoris, vel ut vocabant, τέλος φιλίας, id eſt, *extremum* amicitiæ: cum Dominus menſæ dextera ſcyphum hunc propinaret, ex ſiniſtro brachio aperta vena permittebat in calicem fluere aliquot guttas ſanguinis, & illas vino vel alteri liquori mixtas ebibebat, in ſignum ſummi amoris.

§ 8. *Illum Chriſtus D. inſtituit in ultima cœna? quo modo.*

Tale convivium meo judicio fuit Ultima cœna, in qua Chriſtus D. cum paucis & dilectis diſcipulis, ſumens calicem, bibit, Apoſtolis dedit, dicens *bibite ex eo omnes* & cum addidit verba conſecrationis, *Hic eſt calix* &c. aperta ſimul eſt vena non brachii tantum, ſed benedicti cordis, & vinum totum converſum fuit in ſanguinem Chriſti, quem ſuis amicis bibendum dedit; τέλος φιλίας, *extremum amicitiæ.* aſſerente S. Joanne *cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos &c.*

§ 9. *An non ingens eſſet injuria hunc calicem pedibus conculcare.*

Verum ſi apud græcos aliquis ex hoſpitibus illum calicem, bibiſſet, ſed ſtatim evomuiſſet, vel projeciſſet humi & pedibus conculcaſſet, & potum, & ſcyphum, vel ſi injeciſſet venenum vel in contemptum aquam putridam, fœtidam, plenam vermibus; vel bufonem aliquem; vel ſcyphum cum potu injeciſſet cloacæ; nunquid talis fuiſſet indignus hac

Digitized by Google

menſa; nunquid hoſpiti graviſſimam intuliſſet injuriam; nunquid tam amabilis Dominus cauſam habuiſſet juſtiſſimam triſtitiæ, & indignationis?

§. 10. *Hoc faciunt ſacrilege communicantes, cum atroci crimine.*

Hos faciunt qui ſacrilege communicant. Calicem ſanguinis Chriſti, calicem ſalutis, calicem amoris, bibunt & evomere coguntur. Bibunt, & ſimul humi projiciunt, pedibuſque conculcant. bibunt & injiciunt venenum. bibunt & miſcent vermes atque bufones; bufones ſunt peccata occultata. Bibunt, ſed potum amoris; ſed aquas vitæ, ſed ſanguinem Chriſti, injiciunt fœtidiſſimæ cloacæ cordis, in quo abſconditi latent vermes peccatorum, quæ præ pudore in confeſſionali noluerunt aperire. Quid de his dicemus? nonne indigni ſunt hac menſa; nunquid amantiſſimo Chriſto Jeſu graviſſimam inferunt injuriam? nunquid tam amabilem Dominum de novo, ſi fieri poſſet, ad novam triſtitiam, ad novam agoniam adigerent? Percipite bene auditor. quam atrox crimen ſit ſacrilega communio. Si fieri poſſet, ſi cœleſti patri placeret, ut caro Chriſti in horto tremuit, ſic in ſacrilega communione in ſceleſta lingua, in ſcelerato corpore tremeret ſacra hoſtia, imò in manibus ſacerdotis, antequam hic illam porrigat, ad tam atrox ſcelus! ſicut Jeſus in agonia ſudavit ſanguinem, ſic ſacra hoſtia in perfida proditorum lingua ſudaret ſanguinem, ad tam atrox ſcelus! ſicut tandem in agonia ultima crucis diſſiliit & ruptum eſt cor Chriſti præ anguſtiis mortis, ſic dum ſacrilegi communicantis linguæ ſacroſ. Hoſtia imponitur, ad tam atrox crimen, diſſiliret, rumperetur, præ nova triſtitia, ob infame ſcelus.

§. 11. *Teſtimonium S. Ambroſii de atrocitate hujus ſceleris.*

Recordor verborum S. Ambr. l. 3. off. c. 16. *In ipſo proditore hoc Chriſtus Dominus graviſſimum invenit quod gratiæ vicem non præſentaverit, & convitiis amicitiæ, venenum malitiæ, miſcuerit*, id eſt, gravia ſcelera commiſit Judas; fuit avarus, murmurator, proditor &c. De his tamen Chriſtus D. conqueſtus non fuit, ſed cum Davide, dixit *quoniam ſi inimicus meus &c.* Et hodie Chriſto D. diſplicent blaſphemiæ, adulteria &c. ſed ſi queri poſſet, de hoc præcipuè conquereretur,

Pſ. 54 v. 13.

triſta-

triſtaretur, affligeretur, quod tales ſine pœnitentia manducent ejus panem, & bibant ejus ſanguinem.

De atrocitate hujus ſceleris dubitatis? Eſt quædam blaſphemia operis. Nam ſacerdos in tribunali confeſſionis ſedet loco Chriſti. fatetur hoc pœnitens abjiciens ſe ad pedes confeſſarii, cum humili proteſtatione, confiteor Deo omnipotenti, & tibi pater. Dum nihilominus diſſimulat peccatum coram Deo, qui omnia ſcit, putat Deum in confeſſario decipi poſſe; quod eſt horribilis blaſphemia. *§. 12. Indigna communio varia involvit ſcelera.*

2. Sacrilega confeſſio eſt enorme mendacium, ſimile illi cujus mentio fit in actis Apoſtolorum. *Ananias &c.* (vide textum) putarunt ſe poſſe decipere S. Petrum, & hic non dixit, *mihi mentiti eſtis*, ſed ait S. Petrus, *Ananias cur tentavit &c.* & corruit mortuus. Tale mendacium committunt ſacrilege communicantes. Cauſam ob quam non ſtatim corruant mortui, inſinuat Paſch. c. 8. *Certus ſit,* inquit *quia ultores Angeli, nec ſemel indigne communicanti parcerent, niſi bonitas Chriſti gladium ſuſpenderet, & removeret momentaneam mortem.* *Act. 5. v. 3. 4*

3. Sacrilega communio, eſt ingens ſacrilegium, ſive, gravis irreverentia erga SS. Sacramentum. Nec unicum plerumque eſt ſacrilegium, plerumque per multos annos longiſſima connectitur, & conglobatur catena. Ut nuper, cum de ſacrilega confeſſione dicerem, inſinuavi. Non poſſum modo atrocitatem hujus ſceleris pluribus declarare.

Venio ad judicium & ſententiam, quam me ſpiritus S. ſcribere & proclamare jubet ſupra indignè communicantes. fecit id jam pridem S. Paulus in cit. verbis &c. *Probet* & vide textum. *Reus erit &c.* Scio SS. PP. variis modis hæc verba explicare ſecundum Theophylactum. *Indignè communicare eſt ſanguinem Chriſti effundere.* Theophylactus. *Reus erit qui indigne ſumit, perinde acſi ipſe quoque ſanguinem Domini effundat: ut enim qui tum pupugerunt Chriſtum* (p. l. qui flagellarunt &c.) *ſanguinem ejus non ut biberent effuderunt, verum ut effunderent: ſic indigne bibens, nihilque inde commodi referens, fruſtra ac temere profundit ſanguinem. &c.* *§. 13. Terribilis ſententia contra ſacrilege communicantes. 1. Cor. 11. 28.*

Digitized by Google

Preme illud; *Nihil commodi referens.* p. ſanguis in comm. porrectus deberet nos mundare, ſed &c. ſanguis ille deberet nos unire, accendere &c. p. locus. omitto ſimilia. eo modo collimo, ut ego cum S. Paulo, cum Theodoro I. S. Pontifice, ſanguine Chriſti terribilem ſcribam ſententiam contra ſacrilege communicantes. Sed! ah! heu! horreo adhuc ego id facere, heu! terribile, tremendum eſt. ſanguine Chriſti ſcribere ſententiam mortis æt. vel ſuper unicam animam. Una aut altera brevi hiſtoria ſternam mihi viam.

§. 14. *Terribiles hiſtoria.* Obiit aliquando in Hiſpania (parcitur nomini Urbis) celebris Juriſta; prima nocte, pro more patriæ fuit ſepulcro illatus, dilata concione funebri in alterum mane. Demandata illa fuit Religioſo ex Ordine S. Franciſci; qui dum nocte hæreret in bibliotheca, ad illam ſe præparaturus, ſubito, in alto noctis ſilentio audivit ſonum terribilis tubæ. Aperto mox oſtio, intrarunt aliquot viri, aſſidentes menſæ, veluti Judices. Ex angulo in quem præ timore ſe abſconderat, audivit honoratiorem dicentem ad aſtantes miniſtros; *adducite huc animam paulo ante ſepulti Iuriſtæ*; eodem momento, cum magna catenarum concuſſione, fragore, clangore buccinæ, inter chorum dæmonum, & inter flammas ſtetit anima illa, coram horum Judicum tribunali. Allatis in medium contra illam graviſſimis accuſationibus, de atrociſſimis ſceleribus, præſertim ſacrilegis communionibus, ſententia lata fuit, animam cum corpore detrudendam eſſe in ignes inferni. Cum aſſidentium nonnemo dixit, *quis manus inferet cadaveri, in cujus lingua adhuc jacet integra & illibata Hoſtia ſanctiſſimi ſacramenti?* cui alter; *Hic ſacerdos, impedimentum hoc poterit tollere*; protractus in medium juſſus eſt ire ad templum, prælatis cum magna reverentia à quibuſdam facibus, ubi, indutus ſacro ſuperpelliceo, deductus fuit ad ſepulcrum; quod cum momento, cum ingenti fragore ſe impoſuiſſet, excepta ex ſacrilego ore in calice Hoſtia, illam detulit ad ſacrarium; inter nubium de cœlo fragorem & tonitrua. Quem putatis fuiſſe motum inter auditores, cum ille concionator de cathedra hunc proceſſum

Digitized by Google

ceſſum enarravit? puto omnes cum ingenti horrore fuiſſe exſecratos ſacrilegas communiones. Notiſſima eſt hiſtoria de Udone, qui nocte ex lecto raptus ad Chriſti tribunal, accuſatus à S. Mauritio, aliiſq; Martyribus, lecta æternæ condemnationis ſententia, antea ſacram Hoſtiam in calicem debuit evomere, antequam capite plecteretur. Horrore plenum eſt, quod refert Baronius ad annum Chriſti 646. de Pyrrho Patriarcha Conſtantinopolitano, contra quem veluti relapſum & pertinacem hæreticum, Summus Pontifex in coacto epiſcoporum concilio ſententiam tulit excommunicationis, hoc modo. Legit Summus Pontifex ſacrum in altari ſupra ſepulcrum SS. Apoſtolorum Petri & Pauli; peracta conſecratione calicis; aliquot guttis precioſi ſanguinis ſcripſit formam ferendæ ſententiæ. Quid ſtupetis? quis horror vos invadit.

Jam audite ſacrilege communicantes: audite ſententiam; cogitate vos audire feralem tubam. Jeſus meus crucifixus mihi permittit, ut ex ſacroſ. pedibus accipiam aliquot guttas ſanguinis (dæmones ſubſcribent atramento infernali) guttis ſanguinis Jeſu, ego ſcribo: Sacrilege communicans meretur ut ſtatim ad altare coram omni populo cogatur SS. hoſtiam evomere, meretur ut poſſideatur à dæmone. Jeſus Crucifixus permittit mihi guttas ſang. ex dexterâ &c. vult ut hanc ſcribam ſent. ſacrilege communicans meretur, ut ſtatim corruat mortuus, &c. Cave ne fiat (hoc modo fiat vehemens affectus.) §. 15. *Epilopus Patheticus.*

Sed timeo, ne dæmonium mutum adhuc ſit fortius. Quæſo juvate me Auditores; juvate animæ piæ; ſuccurrite meæ linguæ, meis verbis, meo fervori. promovete mea deſideria; Ruite mecum in genua, dicite pro talibus unum Pater, & Ave. forte fervens talis oratio, concioni meæ addita, movebit Jeſum ad miſericordiam, ut vel unicum cor durum moveat &c. Recitetur ſubmiſsè: Pater & Ave.

Surge, & dic. Si aliquod cor motum eſt, revoco meam ſententiam; ſanguine Jeſu hoc ſcribam. Vade fili, confitere, *noli amplius peccare; & ſalvus eris.*

CON-

CONCIO XX.

HISTORIÆ PASSIONIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI

Bajulans ſibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum & ibi crucifixerunt eum.

Joan.19 ℣.16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

COntinet hæc concio, quatuor Puncta. Primum agit de illis verbis, Ecce Homo! Alterum tractat hanc quæſtionem, an Chriſtus D. debuerit condemnari ad mortem. Tertium proponit Bajulationem Crucis. Quartum deſcribit modum crucifixionis.

§.1. *Exordium ſumitur ex dicto quodam S. Auguſtini, & cap.23. Levitici.*

§.2. *Chriſtus D. coronatus ſpinis oſtenditur populo.*

§.3. *Sed Iudæi magis exacerbantur.*

§.4. *Cum plerique miſeris compatiantur.*

§.5. *De dolore B. Virginis ex hoc ſpectaculo.*

§.6. *Ecce homo.*

§.7. *Sanguis ejus ſuper nos.*

§.8. *Quinam ſe faciant reos ſanguinis Chriſti, cum tragica hiſtoria.*

§.9. *Pius affectus, ut ſit ſanguis Chriſti ſuper nos.*

§.10. *Nova inſtantia Iudæorum, ut Chriſtus crucifigatur.*

§.11. *Pilatus ſedet pro tribunali, & ventilatur hæc quæſtio. An Chriſtus debeat mori.*

§.12. *Aliqua notabilia; & an mori debeat ſecundum legem naturæ.*

§.13. *An mori debeat ſecundum legem Moſis.*

§.14. *An*

Digitized by Google

§.14. *An ſecundum legem gratiæ.*
§.15. *Sententia mortis.*
§.16 *Sed condemnatus erit aliquando omnium Iudex.*
§17. *Chriſtus D. tandem traditus fuit voluntati Iudæorum.*
§.18. *Amplexatus fuit crucem cum piiſſimis affectibus.*
§.19. *Qualis exiverit ex urbe Ieroſolyma.*
§.20. *De doloribus Chriſti D. in bajulatione. De immani ejus vulnere in humero.*
§.21. *De lapſibus ſub cruce.*
§.22. *De occurſu matris.*
§.23. *De occurſu S. Veronicæ.*
§.24. *Sic tandem perventum fuit ad montem Calvariæ.*
§.25. *Meditatio Paſſionis nobis debet eſſe fructuoſa.*
§.26. *Ingreſſus in myſterium crucifixionis.*
§.27. *In monte Calvariæ iterum fuit denudatus.*
§.28. *Figura & cauſa hujus denudationis.*
§.29. *Quam ignominioſa & pænoſa illa fuerit.*
§.30. *In detractione veſtis Chriſtus D. immanes ſuſtinuit dolores.*
§.31. *Proſecutio cum affectuoſa oratiuncula ad B. Virginem.*
§.32. *Quos dolores ſuſtinuerit, in detractione, & nova impoſitione ſpineæ coronæ.*
§.33. *Proſecutio.*
§.34. *De myrrhato vino.*
§.35. *Ex aliquorum opinione Chriſtus D. fuit affixus cruci; jacens humi. Quo modo?*
§.36. *Proſecutio.*
§.37. *Putant alii, ſiniſtram fuiſſe conclavatam, ante dexterã.*
§.38. *De affixione pedum.*
§.39. *Affectuoſa circumſtantia crucifixionis, & ingens Chriſti D. dolor.*
§ 40. *Secundum alios ſtans, in erecto theatro fuit affixus cruci.*
§.41. *De clavis, & cauſa peculiari converſionis boni latronis.*
§.42. *Tragica Hiſtoria.*
§.43. *Proſecutio.*
§.44. *Apoſtrophe ad pertinacem peccatorem.*
§.45. *De Titulo Crucis.*
§.46. *Figura Chriſti pendentis in cruce.*
§.47. *Revelatio facta S. Brigittæ. Sive. Affectuoſa deſcriptio Chriſti Crucifixi.*
§. 48. *In epilogo pro gratiarum actione auditoribus diſtribuuntur aliqua inſtrumenta paſſionis.*
§.49. *Proſecutio.*
§.50. *Proſecutio.*

§. 12. Exordium ſumitur ex dicto quodam S. Auguſtini, & cap. 23. Levit. 23. 29.

HOdierna die paraſceves; puto quemvis Concionatorem dicere poſſe cum S. Auguſtino: *Qui Deum non amat, quia ab eo creatus eſt, meretur infernum: qui vero non amat, ob tormenta quæ pro homine paſſus eſt, meretur ut novus creetur infernus!* Dictum hoc S. Auguſtini fundamentum habet in ſacris literis. *Anima quæ in hac nocte (* ego, addo hodierna die Paraſceves) *afflicta non fuerit, delebitur de populo meo, id eſt, ex libro viventium.* Superiori anno hodierna die ex hac cathedra vobis deſcripſi Chriſti Domini flagellationem; Anima quæ ſine piis motibus audire poteſt tam dirum Chriſti Domini tormentum, timeo, ne deleta ſit de numero filiorum Dei (*ſic de coronatione.*) Hac concione vobis proponam myſterium Paſſionis præcipuum, ſcilicet, crucifixionem; ſive modum quo cruci affixus fuit, ideo non puto opus eſſe ullis minis; certum mihi eſt, illa intentione omnes huc veniſſe, ut cum compaſſione, cum contritione, &c. audiant concionem paſſionis. Ut vos confirmem in bono propoſito, cupio, vos memores eſſe illius, quod hiſtoriæ referunt de Beata Angelina de Fulginio. Cum hodierna die meditaretur myſteria paſſionis; audivit vocem ſponſi de cœlo; *Benedicat vobis Pater meus, quicunque acerbiſſimos dolores meos, commiſeratione proſequimini. Cœlum in vos omnia dona depluat. Benedico vobis cruci meæ addictis.* Itaque auditores, attendite & audite cum compaſſione, quæ dicturus ſum; Benedicet vobis interim pater, benedicet vos filius, Spiritus Sanctus omnia dona depluet. Unam præcipuè gratiam vobis ſpondeo, quam Salvator noſter ſanctæ Gertrudi promiſit: *Filia, qui amanter crucifixum in terris intuetur, eum amanter reſpicere crucifixus in hora mortis dignabitur* (applica myſteriis de quibus hac concione dicturus es) nam ut bene ille dixit: *Unus, amoris plenus oculorum obtutus, in tam amabilem ſcopum* (Chriſtum paſſum) *cor Dei rapere poteſt, &c.*

Quomodo autem vos audire cupiam hanc concionem, ex breviſſima hiſtoria vobis oſtendam. Obiit Romæ vir religioſus apprimè deditus cultui & meditationi paſſionis; Chri-

Chriſtum paſſum perpetuo habebat præ oculis, & in corde; hunc cogitabat, hunc amabat; neſcio, ob quam cauſam poſt obitum apertũ fuerit corpus; ſed cor nullum fuit invẽtum; obſtupuere medici, qua ratione homo ſine corde vivere potuiſſet, & advertit unus ex aſtantibus, ad pedes crucifixi, qui ſtabat in Oratorio, jacere cor defuncti. O felicem mortem piiſſimi viri, per quam ejus cor expiravit in vulnera pedum Jeſu. Dicturus vobis ſum de Jeſu damnato ad mortem; & qua crudelitate affixus fuerit cruci; quæſo, prius ad ejus pedes corda veſtra abjicite, imo in ipſum ejus pectus & cor ponite, ut hanc concionem audiatis corde puro, tenero, molli, & igneo; nam mundantur, molliuntur, igneſcunt in Vulneribus Jeſu; cum advertam vos hæc feciſſe, in nomine Jeſu pergam.

§. 2. Chriſtus coronatus ſpinis oſtenditur populo.

In crudeli flagellatiõne, in pœnoſa coronatione, virgis, flagris, ſpinis, ſpecioſiſſima forma venuſtiſſimi corporis, adeo fuit deformata, lacerata, tam copioſus undique ex omnibus membris defluxit ſanguis; ut Pilatus videns Chriſtum, non dubitarit, tam triſti & miſerabili ſpectaculo, excoriati quaſi hominis, mitigandam rabiem Judæorum; itaque foràs illum eduxit, & ex altiori loco palatii, ingenti populi multitudini ſpectandum obtulit. Præceſſit Pilatus; ad latus, vel paulò poſt ipſum ſatelles aliquis Chriſtum D. ingenti alligatum funi traxit potius, quàm duxit; indutum adhuc vili purpura, cum ſpinea corona in capite, & arundineo ſceptro in manibus. Si quibuſdam picturis antiquis fidem adhibemus; alius lictor ferrea manu Chriſti D. collum, cum comis comitis tam fortiter tenuit, ut pie meditari poſſimus ſenſiſſe Chriſtum D. illas anguſtias, quas ſtrangulandi perferre ſolent. Pie aliqui meditantur Salvatorem noſtrum, elevatis oculis, cum novarum lacrymarum effuſione aſpexiſſe ingratum populum, atq; in gemitu cordis dixiſſe cum Jobo, *Miſeremini mei, amici mei*, quos ita dilexi, fovi, quibus tanta beneficia exhibui. Popule meus, quid feci tibi? miſerere! ſed fruſtra. Textus hiſtoriæ paſſionis ait; *Cum vidiſſent eum Pontifices & miniſtri, clamaverunt dicentes, crucifige &c.* *Iob.19.21.*

§. 3. *Sed Iudæi magis exacerbantur.* Quemadmodum elephantes, leones, canes, lupi in prælиis viſo ſanguine accenduntur magis in rabiem, ita Judæi, viſo hoc ſpectaculo, exultarunt, & cum plauſu nova petiverunt tormenta. Nos animæ piæ; cum in capite ſponſi noſtri, unam videmus coronam, movemur ad compaſſionem, flemus, gemimus! Judæi libenter vidiſſent decem tales coronas in benedicto illo vertice. Animæ piæ! cum nos intuemur illa Vulnera & defluentem ſanguinem; liquefiunt oculi, diffluunt particulæ cordis præ tenerrima compaſſione; ipſi viſo hoc ſanguine fuerunt magis irritati, & altis vocibus exclamarunt: *Crucifige*. forte tum Chriſtus D. ſuſpiravit cum
Ier.12.v.8. Jeremia, *Facta eſt mihi hæreditas mea, quaſi leo in ſylva, dedit contra me vocem ſuam.*

§. 4. *Cum plerique miſeris compatiantur. Gen. 37. v. 32.* Julius Cæſar viſo ſanguineo capite hoſtis ſui capitaliſſimi Pompeji Magni, ingemuit & flevit. Multò magis Jacob viſa ſanguinea tunica dilecti ſui Joſephi, quem putabat à fera peſſima fuiſſe devoratum. David in regias prorupit lacrymas, cum vidit arma occiſi Saulis, quid ſi Regem vidiſſet, incumbentem gladio, & volutantem ſe in regio cruore. Quintil. Populum egit in furorem prætexta Caji Cæſaris prolata in foro. Triſtius longe ſpectaculum, Pilatus propoſuit oculis Judæorum; non ad gemitus, ad lacrymas, ad debitam compaſſionem, ſed lætitiam, plauſum, riſum, exultationem, imò ad atrociorem rabiem & furorem.

§. 5. *De dolore B. Virginis, ex hoc ſpectaculo.* Ex tanto ſpectantium numero una fuit benedicta ejus mater, cum S. Joanne diſcipulo, & paucis fœminis, quæ ad compaſſionem, & lacrymas commotæ fuerunt; ſcio eſſe aliquos illius opinionis, B. Virginem perſonaliter interfuiſſe ipſi flagellationi & coronationi; ſed probabilius eſt, intraſſe Jeroſolymam, & veniſſe ad multitudinem populi, cum Pilatus illum foras educeret. O Virgo! O triſtis Mater! (exclamat S. Bonav.) *qua ratione virginei tui oculi hanc repræſentationem & ſcenam ſpectare potuerunt, quos dolores ſenſit tenerrimum tuum pectus, cum gladius Simeonis qui hactenus illud pupugit, converſus fuit in ſpinas, quæ per caput Filii cor tuum penetrarunt; Obſecro te Domi-*

Digitized by Google

Domine Ieſu Rex Chriſte, ut hujus tuæ apparitionis merito, detur mihi nunc gratia taliter converſandi, ut poſt vitæ præſentis incolatum, tibi præſenter ſine omni labe peccati, ornatus ſplendore virtutum, ne tuo tribunali oblatus confundar.

Pilatus audiens irritati populi vociferationes, *Crucifige, crucifige*, ait *Ecce Homo*, q.d. Videtis illum, quem accuſatis, quid ſe appellarit Regem; Ecce qualis Rex, ecce coronam, ecce ſceptrum, ecce purpuram; Ecce ejus potentiam, ecce hic eſt, contra quem dicitis, *ſeduxit populum*, ſi fecit, ſatis luit: jam miſero parcite. quia abjectum videtis. Hoc ſenſu Pilatus protulit hæc verba, *Ecce Homo*; prolata verò ore Spiritus S. infinitam comprehendunt Chriſti D. excellentiam. *Ecce homo*, quem ego formavi de puriſſimo ſanguine puriſſimæ Virginis. *Ecce homo*, cujus Humanitas unita eſt Divinitati. *Ecce homo*, ſanctiſſimus & innocentiſſimus; *Ecce homo*, qui totus eſt amor & caritas; *Ecce homo*, qui pro genere humano ſe Juſtitiæ D. offert in holocauſtum in altari ſacroſ. Crucis. *Ecce homo*, Redemptor hominum. O impii huc hominem petitis ad necem? Si cogitemus eadem verba proferri à Patre æterno; illorum ſignificationem pulcre exponit Ezechiel. *Quæſivi de eis virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me, pro terra, ne diſſiparem eam, & non inveni.* Hugo Card. hunc verſum ſic exponit. *Quæſivi, utrum ſaltem unum bonum invenirem, inter tantam multitudinem, qui interceſſionem ſuam quaſi obſtaculum poneret inter me, & vos, ne tranſirem ad percutiendum eos, & ira mea precibus reſiſteret*, & non inveni unum talem hominem niſi hunc, *Ecce homo, ecce filius meus dilectus &c.* Doctor gentium ait, *Vnus eſt mediator Dei, & hominum, homo Ieſus Chriſtus; Qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus* hunc hominem vultis crucifigere? Nos, O Pater æterne dicimus cũ Regio Pſalte. *Protector noſter aſpice Deus, & reſpice in faciẽ Chriſti tui.* Dion. Carth. *In hunc reſpice, & per omnẽ ſanctitatem, dignitatem, ac meritum, omniũ quæ ipſe pro nobis aſſumſit, fecit ac pertulit, tribue nobis, quod opera noſtra non merentur.* Veritatem dixit Pilatus, vocando Chriſtum D. hominem. *Ecce homo*; Alex. M. vulneratus aſſentatorib. qui Filiũ Dei appellabant dixit: *Iovis*

§. 6. *Ecce homo.* *Ioan. 19. v. 5. 6.*

Ezech. 22. v. 30.

1. Tim. 2. v. 4.

Pſ. 83. v. 10

filium me eſſe dicitis, ſed vulnus hoc, hominem eſſe me clamat. Idem de Chriſto, cum addito dicere poſſumus. Ecce vulnera clamant, Homo eſt; ſed angeli de cœlis clamant Ecce Deus; homo Deus, cujus ſcabellum pedum eſt orbis univerſus (fiat p. deſcriptio.) Et vos ſcelerati Judæi, &c. *Quouſque irruitis in*
Pſ. 61. v. 4. *hominem*, quoſque inſaniet furor veſter? fruſtra agimus! rabidi canes ſemel guſtarunt ſuavitatem dulciſſimi ſanguinis hujus hominis, ſatiari non potuerunt, donec totum in cruce exhauſerunt.

§. 7. *Sanguis ejus ſuper nos.* Cum Pilatus reſponderet, Regem veſtrum crucifigam? non invenio in eo cauſam mortis, æquitas exigit ut illum dimittam, auſi fuerunt exclamare, *ſanguis ejus ſuper nos, & ſuper*
Matt. 27. v. 25. *filios noſtros.* q. d. ſi innocens eſt, tu Judex eris liber, nos culpam & pœnam in nos ſuſcipimus: Crucifigatur; quod cæſus ſit virgis, quod ſpinis coronatus: parum eſt: atrociora meruit, debet mori; ſuper nos ſit vindicta hujus ſanguinis; Quod contigit: ſanguis ille, quo genus humanum redemptum eſt, genti Judaicæ miſerandum excidium, perpetuum exilium, omnium populorum odium atque irriſionem, ac denique pleriſque eorum ſempiternum attulit exitium. In hodiernum uſque diem, Divina Juſtitia vellicat Synagogæ aures, ubi
Gen. 4. v. 10. eſt innocens Abel? ubi Meſſias tuus? quid feciſti? *ſanguis ejus clamat ad me de terra.* Væ vobis Judæi! veſtræ manus ſunt plenæ hoc ſanguine, hoc ſanguine vos polluti eſtis; ſanguis hic
Gen. 42. v. 22. perſequitur vos. *En ſanguis Ioſeph exquiritur,* Joſue *Victor hujus*
Ioſua 20. 5. cap. 8. v. 19. *ſanguinis vos perſequitur. Sanguis ille redundavit in capita veſtra.*

§ 8. *Quinam ſe faciant reos ſanguinis Chriſti cum tragica hiſtoria.* Sic iraſcimur Judæis; cum ex Chriſtianis non deſint, qui ſe ejuſdem ſanguinis reos faciunt. Faciunt id quicunque letali ſcelere audent offendere divinam Majeſtatem. Illi tamen potiſſimum. 1. ſacrilege confitentes & communicantes. 2. blaſphemi, per ſacroſ. Sacr. Vulnera, mortem, crucem & ſanguinem Chriſti; Miramur ſubinde puniri nos fame, peſte, bellis &c. Sanguis Chriſti requiritur ultor & vindex gladius illius cruoris, perſequitur nos. 3. Clamat potiſſimum hic ſanguis contra peccatores in malo obſtinatos, qui

etiam

etiam hoc ſacro paſſionis tempore converti nolunt ad Dominum, licet per ſanguinem Chriſti illud ab ipſis petatur; non emanet tandem vindicta. Expertus id fuit nobilis ille juvenis Romanus. Ejus complex in graviſſimis ſceleribus, Hortenſia, tandem fuit converſa; altera Magdalena! O abyſſus judiciorum Dei; Julius (fuit hoc nomen Adoleſcentis) etiam in periculoſo morbo, nullis precibus, nullis minis potuit permoveri ad confeſſionem. O clementiam divinæ bonitatis! apparuit illi tandem Chriſtus D. Salvator mundi illo ſchemate, quo pependit in cruce; primum blandis verbis rebellem juvenem monuit ad pœnitentiam monſtrando vulnera, ſanguinem; reluctantem adhuc adorſus fuit graviſſimis minis; ſed fruſtra; ut tandem iratus Dominus aliquot guttas precioſiſſimi cordis projecerit in faciem ſcelerati juvenis, & dixerit *ſanguis meus ſit tibi in perditionem*. Illo momento infelix juvenis expiravit. Ita, ita, O bone Jeſu; nos hoc momento volumus converti, (eſt locus pro piiſſimo affectu veræ pœnitentiæ.

§ 9. *Pius affectus, ut ſanguis Chriſti ſit ſuper nos.*

Ita animati, O Pater æterne, nos iiſdem verbis, ſed alio utemur ſenſu; Ita, *ſit hic ſanguis ſuper nos*; ſed ut nos redimat, ut infernum extinguat, ut aperiat cœlos; *Sit hic ſanguis ſuper nos*, ut illo inunctos angelus percutiens non feriat, *ſit hic ſanguis ſuper nos*, ut velut cœleſtis medicina ſanet noſtra vulnera, ut mundet lepram, ut pellat omnes animarũ infirmitates; *Sit ſuper nos*, ut hic ſanguis Pelicani, nos paſcat & confortet; ita mi Jeſu, pulli ſumus, ſitimus tuum ſanguinem. Sanguis ejus in cordibus noſtris, ſit velut fons omnium gratiarum, velut radix omnium virtutum, velut ſcaturigo ſanctitatis. *Sit ſuper nos* quotidie in ſacrificio miſſæ, ut ſit noſtra ſatisfactio & propitiatio; donec in cœlis gaudeamus æternum, & agno dicamus laudem & gloriam, quod ſanguine ejus immaculato fuerimus redempti.

§. 10. *Nova inſtantia Jud. ut Chriſtus crucifigatur.*

Redeo ad Pilatum. Offenſus importunitate populi, & implacabili illorum erga Chriſtum D. odio, ait ad Principes & Phariſæos; *Accipite eum vos, crucifigite; ego enim non invenio*

Ioan.19.16 *venio in eo cauſam*. S.Joannes Chryſoſt. *Sed Iudaos canes, nihil horum in verecundiam convertit*. audacter reſpondent Præſidi, *Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori; quia Filium*
v.7. *Dei ſe fecit*. Alb.M. *advertenda eſt malitia illorum, qui de lege nihil curaverunt, niſi in quantum videbatur contra Chriſtum facere*.
v.8. Cum ergo *Pilatus audiſſet hunc ſermonem, magis timuit*. non quod timeret legem Judæorum, ſed quia gentilis erat, ne Filium Dei occideret; & ideo Deorum ſupplicium ſentiret. Iterum ergo ſolus interrogavit Jeſum unde eſſet? an eſſet Deus? &c. ſed ipſe tanquam agnus coram ipſo obmutuit, & non ape-
v.9. ruit os ſuum. Timens adhuc magis, iterum quærit ex Judæis, Regem veſtrum crucifigam: clamarunt ommes, *Tolle, tolle*, videre hunc hominem non poſſumus, debet mori in cruce non
v.12. habemus Regem niſi Cæſarem. *Et ſi dimittis, non es amicus Cæſaris* q.d. Niſi in noſtram veneris ſententiam, qua hunc cruci addixeris, Cæſarem appellamus, apud quem te accuſabimus, ut hoſtium Cæſaris fautorem, & tibi rebellionis crimen, contra Cæſarem impingemus. Hic aries, dejecit tandem conſtantem Pilati animum, S.Laur.Juſt. *O quanti quotidie Iudicis hujus imitantur inconſtantiam, O quot ab eo quod diſponunt ſancte agere, ſe ſubverti permittunt*. Probabile eſt, Judæos, cum audiverunt Chriſtum vocari ſuum regem, moviſſe capita, infremuiſſe dentibus, ſibilaſſe lingua, non, non eſt Rex noſter. Aliud nos credimus. Chriſtus D. eſt vir dolorum, ſed Rex noſter. Coronatus eſt ſpinis; eſt tamen Rex Regum &c.

Punctum II.

Ventilatur hæc quæſtio coram Præſide Pontio Pilato; an Chriſtus D. debeat condemnari ad mortem Crucis.

§.11. *Pilatus ſedet pro tribunali, &* TAndem ergo Pilatus, circa horam diei undecimam in meridie, in vigilia paſchatis, ſedit pro tribunali, in loco, qui græce dicitur *lithoſtrotos*; hebraice, *Gabbatha*; fuit hic locus qua-

cus quaſi parvum theatrum, pulcrè ornatum, in illo ſedes, expoſita innumerabilis populi conſpectui; quam cùm conſcendit Judex, reus Chriſtus D. eductus fuit, & impoſitus parvo ſcabello, auditurus ſententiam mortis. Sede, quieſce mi Jeſu; interim dum hæc quæſtio ventilatur, an vivere, an mori debeas, an dimitti, an crucifigi. *quæritur an Chriſtus D. debeat mori.*

Notandum eſt. 1. Quæſtionem hanc tractari poſſe ſecundum triplicem legem, naturæ, Moſis & gratiæ. Prima cœpit à creatione mundi, & duravit, uſque ad illud tempus, quo Deus in monte Sinai, tradidit populo præcepta & tabulas decalogi, tum incepit lex Moyſis; abrogata fuit per Chriſtum auctorem legis gratiæ; & durabit uſque ad conſummationem ſæculi. Itaque quæritur, an ſecundum has leges Chriſtus D. debeat mori. Notandum eſt 2. Ut quis damnetur ſecundum aliquam legem, oportere id fieri coram judice, præſente reo, aſtantibus accuſatoribus, Advocato, Conſiliariis & teſtibus. In præſenti judicio, coram tribunali Pilati, Pilatus eſt Judex. Reus & accuſatus eſt Jeſus Nazarenus; Advocatus ipſius eſt, innocentia; accuſatores ſunt Judæi, Conſiliarii in lege naturæ ſunt Patriarchæ, Adam, Abel, Noe, Iſaac, Jacob, Joſeph. Si his præſens proponatur quæſtio, an Jeſus Nazarenus à Præſide debeat condemnari ad mortem; Adam reſpondebit, ſic debet mori, ut mihi & meis poſteris reſtituat vitam; & quidem per arborem crucis; cum ego per fructum arboris, me meoſque occiderim. Abel dicet; licet innocens ſit, tamen mori debet, & cum copioſa ſanguinis effuſione; ego peremptus à fratre Caino, fui figura, ſecundum quam à ſuo populo electo, educi debet in montem, ut ibi crucifigatur. Noe, hanc addet circumſtantiam, mori debet, & totus nudus in Cruce; talis ego à filio meo fui irriſus. Amantiſſime Iſaac, tibi quid videtur? debetne CHRISTUS mori? abſque dubio, reſpondet, & ſicut ego meis humeris portare debui in montem neceſſaria ligna ad ignem holocauſti, ſic ille in montem efferre,

§. 12. Aliqua notabilia. Et an mori debeat ſecundum legem naturæ. Exodi 20. tot.

Digitized by Google

CONCIO XX.

HISTORIÆ PASSIONIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI

Bajulans ſibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum & ibi crucifixerunt eum.

Joan. 19 ℣. 16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

COntinet hæc concio, quatuor Puncta. Primum agit de illis verbis, Ecce Homo! Alterum tractat hanc quæſtionem, an Chriſtus D. debuerit condemnari ad mortem. Tertium proponit Bajulationem Crucis. Quartum deſcribit modum crucifixionis.

§. 1. *Exordium ſumitur ex dicto quodam S. Auguſtini, & cap. 23. Levitici.*

§. 2. *Chriſtus D. coronatus ſpinis oſtenditur populo.*

§. 3. *Sed Judæi magis exacerbantur.*

§. 4. *Cum plerique miſeris compatiantur.*

§. 5. *De dolore B. Virginis ex hoc ſpectaculo.*

§. 6. *Ecce homo.*

§. 7. *Sanguis ejus ſuper nos.*

§. 8. *Quinam ſe faciant reos ſanguinis Chriſti, cum tragica hiſtoria.*

§. 9. *Pius affectus, ut ſit ſanguis Chriſti ſuper nos.*

§. 10. *Nova inſtantia Judæorum, ut Chriſtus crucifigatur.*

§. 11. *Pilatus ſedet pro tribunali, & ventilatur hæc quæſtio. An Chriſtus debeat mori.*

§. 12. *Aliqua notabilia; & an mori debeat ſecundum legem naturæ.*

§. 13. *An mori debeat ſecundum legem Moſis.*

§. 14. *An*

§.14. *An ſecundum legem gratiæ.*
§.15. *Sententia mortis.*
§.16 *Sed condemnatus erit aliquando omnium Iudex.*
§17. *Chriſtus D. tandem traditus fuit voluntati Iudæorum.*
§.18. *Amplexatus fuit crucem cum piiſſimis affectibus.*
§.19. *Qualis exiverit ex urbe Ieroſolyma.*
§.20. *De doloribus Chriſti D. in bajulatione. De immani ejus vulnere in humero.*
§.21. *De lapſibus ſub cruce.*
§.22. *De occurſu matris.*
§.23. *De occurſu S. Veronicæ.*
§.24. *Sic tandem perventum fuit ad montem Calvariæ.*
§.25. *Meditatio Paſſionis nobis debet eſſe fructuoſa.*
§.26. *Ingreſſus in myſterium crucifixionis.*
§.27. *In monte Calvariæ iterum fuit denudatus.*
§.28. *Figura & cauſa hujus denudationis.*
§.29. *Quam ignominioſa & pœnoſa illa fuerit.*
§.30. *In detractione veſtis Chriſtus D. immanes ſuſtinuit dolores.*
§.31. *Proſecutio cum affectuoſa oratiuncula ad B. Virginem.*
§.32. *Quos dolores ſuſtinuerit, in detractione, & nova impoſitione ſpineæ coronæ.*
§.33. *Proſecutio.*
§.34. *De myrrhato vino.*
§.35. *Ex aliquorum opinione Chriſtus D. fuit affixus cruci; jacens humi. Quo modo?*
§.36. *Proſecutio.*
§.37. *Putant alii, ſiniſtram fuiſſe conclavatam, ante dexterã.*
§.38. *De affixione pedum.*
§.39. *Affectuoſa circumſtantia crucifixionis, & ingens Chriſti D. dolor.*
§ 40. *Secundum alios ſtans, in erecto theatro fuit affixus cruci.*
§.41. *De clavis, & cauſa peculiari converſionis boni latronis.*
§.42. *Tragica Hiſtoria.*
§.43. *Proſecutio.*
§.44. *Apoſtrophe ad pertinacem peccatorem.*
§.45. *De Titulo Crucis.*
§.46. *Figura Chriſti pendentis in cruce.*
§.47. *Revelatio facta S. Brigittæ. Sive. Affectuoſa deſcriptio Chriſti Crucifixi.*
§. 48. *In epilogo pro gratiarum actione auditoribus diſtribuuntur aliqua inſtrumenta paſſionis.*
§.49. *Proſecutio.*
§.50. *Proſecutio.*

§. 12. Exordium ſumitur ex dicto quodam S. Auguſtini, & cap. 23. Le. vit. 23. 29.

HOdierna die paraſceves; puto quemvis Concionatorem dicere poſſe cum S. Auguſtino: *Qui Deum non amat, quia ab eo creatus eſt, meretur infernum: qui vero non amat, ob tormenta quæ pro homine paſſus eſt, meretur ut novus creetur infernus!* Dictum hoc S. Auguſtini fundamentum habet in ſacris literis. *Anima quæ in hac nocte* (ego, addo hodierna die Paraſceves) *afflicta non fuerit, delebitur de populo meo, id eſt, ex libro viventium.* Superiori anno hodierna die ex hac cathedra vobis deſcripſi Chriſti Domini flagellationem; Anima quæ ſine piis motibus audire poteſt tam dirum Chriſti Domini tormentum, timeo, ne deleta ſit de numero filiorum Dei (ſic de coronatione.) Hac concione vobis proponam myſterium Paſſionis præcipuum, ſcilicet, crucifixionem; ſive modum quo cruci affixus fuit, ideo non puto opus eſſe ullis minis; certum mihi eſt, illa intentione omnes huc veniſſe, ut cum compaſſione, cum contritione, &c. audiant concionem paſſionis. Ut vos confirmem in bono propoſito, cupio, vos memores eſſe illius, quod hiſtoriæ referunt de Beata Angelina de Fulginio. Cum hodierna die meditaretur myſteria paſſionis; audivit vocem ſponſi de cœlo; *Benedicat vobis Pater meus, quicunque acerbiſſimos dolores meos, commiſeratione proſequimini. Cælum in vos omnia dona depluat. Benedico vobis cruci meæ addictis.* Itaque auditores, attendite & audite cum compaſſione, quæ dicturus ſum; Benedicet vobis interim pater, benedicet vos filius, Spiritus Sanctus omnia dona depluet. Unam præcipuè gratiam vobis ſpondeo, quam Salvator noſter ſanctæ Gertrudi promiſit: *Filia, qui amanter crucifixum in terris intuetur, eum amanter reſpicere crucifixus in hora mortis dignabitur* (applica myſteriis de quibus hac concione dicturus es) nam ut bene ille dixit: *Unus, amoris plenus oculorum obtutus, in tam amabilem ſcopum* (Chriſtum paſſum) *cor Dei rapere poteſt, &c.*

Quomodo autem vos audire cupiam hanc concionem, ex breviſſima hiſtoria vobis oſtendam. Obiit Romæ vir religioſus apprimè deditus cultui & meditationi paſſionis; Chri-

Chriſtum paſſum perpetuo habebat præ oculis, & in corde; hunc cogitabat, hunc amabat; neſcio, ob quam cauſam poſt obitum apertū fuerit corpus; ſed cor nullum fuit invētum; obſtupuere medici, qua ratione homo ſine corde vivere potuiſſet, & advertit unus ex aſtantibus, ad pedes crucifixi, qui ſtabat in Oratorio, jacere cor defuncti. O felicem mortem piiſſimi viri, per quam ejus cor expiravit in vulnera pedum Jeſu. Dicturus vobis ſum de Jeſu damnato ad mortem; & qua crudelitate affixus fuerit cruci; quæſo, prius ad ejus pedes corda veſtra abjicite, imo in ipſum ejus pectus & cor ponite, ut hanc concionem audiatis corde puro, tenero, molli, & igneo; nam mundantur, molliuntur, igneſcunt in Vulneribus Jeſu; cum advertam vos hæc feciſſe, in nomine Jeſu pergam.

In crudeli flagellatiōne, in pœnoſa coronatione, virgis, flagris, ſpinis, ſpecioſiſſima forma venuſtiſſimi corporis, adeo fuit deformata, lacerata, tam copioſus undique ex omnibus membris defluxit ſanguis; ut Pilatus videns Chriſtum, non dubitarit, tam triſti & miſerabili ſpectaculo, excoriati quaſi hominis, mitigandam rabiem Judæorum; itaque foràs illum eduxit, & ex altiori loco palatii, ingenti populi multitudini ſpectandum obtulit. Præceſſit Pilatus; ad latus, vel paulò poſt ipſum ſatelles aliquis Chriſtum D. ingenti alligatum funi traxit potius, quàm duxit; indutum adhuc vili purpura, cum ſpinea corona in capite, & arundineo ſceptro in manibus. Si quibuſdam picturis antiquis fidem adhibemus; alius lictor ferrea manu Chriſti D. collum, cum comis comitis tam fortiter tenuit, ut pie meditari poſſimus ſenſiſſe Chriſtum D. illas anguſtias, quas ſtrangulandi perferre ſolent. Pie aliqui meditantur Salvatorem noſtrum, elevatis oculis, cum novarum lacrymarum effuſione aſpexiſſe ingratum populum, atq; in gemitu cordis dixiſſe cum Jobo, *Miſeremini mei, amici mei*, quos ita dilexi, fovi, quibus tanta beneficia exhibui. Populе meus, quid feci tibi? miſerere! ſed fruſtra. Textus hiſtoriæ paſſionis ait; *Cum vidiſſent eum Pontifices & miniſtri, clamaverunt dicentes, crucifige &c.*

§. 2. Chriſtus coronatus ſpinis oſtenditur populo.

Iob. 19. 21.

§. 3. *Sed Judæi magis exacerbantur.* Quemadmodum elephantes, leones, canes, lupi in præliis viſo ſanguine accenduntur magis in rabiem, ita Judæi, viſo hoc ſpectaculo, exultarunt, & cum plauſu nova petiverunt tormenta. Nos animæ piæ; cum in capite ſponſi noſtri, unam videmus coronam, movemur ad compaſſionem, flemus, gemimus! Judæi libenter vidiſſent decem tales coronas in benedicto illo vertice. Animæ piæ! cum nos intuemur illa Vulnera & defluentem ſanguinem; liquefiunt oculi, diffluunt particulæ cordis præ tenerrima compaſſione; ipſi viſo hoc ſanguine fuerunt magis irritati, & altis vocibus exclamarunt: *Crucifige.* forte tum Chriſtus D. ſuſpiravit cum *Jer. 12. v. 8.* Jeremia, *Facta eſt mihi hæreditas mea, quaſi leo in ſylva, dedit contra me vocem ſuam.*

§. 4. *Cum plerique miſeris compatiantur. Gen. 37. v. 32.* Julius Cæſar viſo ſanguineo capite hoſtis ſui capitaliſſimi Pompeji Magni, ingemuit & flevit. Multò magis Jacob viſa ſanguinea tunica dilecti ſui Joſephi, quem putabat à fera peſſima fuiſſe devoratum. David in regias prorupit lacrymas, cum vidit arma occiſi Saulis, quid ſi Regem vidiſſet, incumbentem gladio, & volutantem ſe in regio cruore. Quintil. Populum egit in furorem prætexta Caji Cæſaris prolata in foro. Triſtius longe ſpectaculum, Pilatus propoſuit oculis Judæorum; non ad gemitus, ad lacrymas, ad debitam compaſſionem, ſed lætitiam, plauſum, riſum, exultationem, imò ad atrociorem rabiem & furorem.

§. 5. *De dolore B. Virginis, ex hoc ſpectaculo.* Ex tanto ſpectantium numero una fuit benedicta ejus mater, cum S. Joanne diſcipulo, & paucis fœminis, quæ ad compaſſionem, & lacrymas commotæ fuerunt; ſcio eſſe aliquos illius opinionis, B. Virginem perſonaliter interfuiſſe ipſi flagellationi & coronationi; ſed probabilius eſt, intraſſe Jeroſolymam, & veniſſe ad multitudinem populi, cum Pilatus illum foras educeret. O Virgo! O triſtis Mater! (exclamat S. Bonav.) *qua ratione virginei tui oculi hanc repræſentationem & ſcenam ſpectare potuerunt, quos dolores ſenſit tenerrimum tuum pectus, cum gladius Simeonis qui hactenus illud pupugit, converſus fuit in ſpinas, quæ per caput Filii cor tuum penetrarunt; Obſecro te*

Domi-

Domine Ieſu Rex Chriſte, ut hujus tuæ apparitionis merito, detur mihi nunc gratia taliter converſandi, ut poſt vitæ præſentis incolatum, tibi præſenter ſine omni labe peccati, ornatus ſplendore virtutum, ne tuo tribunali oblatus confundar.

Pilatus audiens irritati populi vociferationes, *Crucifige, crucifige*, ait *Ecce Homo*, q.d. Videtis illum, quem accuſatis, quid ſe appellarit Regem; Ecce qualis Rex, ecce coronam, ecce ſceptrum, ecce purpuram; Ecce ejus potentiam, ecce hic eſt, contra quem dicitis, *ſeduxit populum*, ſi fecit, ſatis luit: jam miſero parcite. quia abjectum videtis. Hoc ſenſu Pilatus protulit hæc verba, *Ecce Homo*; prolata verò ore Spiritus S. infinitam comprehendunt Chriſti D. excellentiam. *Ecce homo*, quem ego formavi de puriſſimo ſanguine puriſſimæ Virginis. *Ecce homo*, cujus Humanitas unita eſt Divinitati. *Ecce homo*, ſanctiſſimus & innocentiſſimus; *Ecce homo*, qui totus eſt amor & caritas; *Ecce homo*, qui pro genere humano ſe Juſtitiæ D. offert in holocauſtum in altari ſacroſ. Crucis. *Ecce homo*, Redemptor hominum. O impii huc hominem petitis ad necem? Si cogitemus eadem verba proferri à Patre æterno; illorum ſignificationem pulcre exponit Ezechiel. *Quæſivi de eis virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me, pro terra, ne diſſiparem eam, & non inveni.* Hugo Card. hunc verſum ſic exponit. *Quæſivi, utrum ſaltem unum bonum invenirem, inter tantam multitudinem, qui interceſſionem ſuam quaſi obſtaculum poneret inter me, & vos, ne tranſirem ad percutiendum eos, & ira mea precibus reſiſteret*, & non inveni unum talem hominem niſi hunc, *Ecce homo, ecce filius meus dilectus &c.* Doctor gentium ait, *Vnus eſt mediator Dei, & hominum, homo Ieſus Chriſtus; Qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus* hunc hominem vultis crucifigere? Nos, O Pater æterne dicimus cũ Regio Pſalte. *Protector noſter aſpice Deus, & reſpice in faciẽ Chriſti tui* Dion. Carth. *In hunc reſpice, & per omnẽ ſanctitatem, dignitatem, ac meritum, omniũ quæ ipſe pro nobis aſſumſit, fecit ac pertulit, tribue nobis, quod opera noſtra non merentur.* Veritatem dixit Pilatus, vocando Chriſtum D. hominem. *Ecce homo*; Alex. M. vulneratus aſſentatorib. qui Filiũ Dei appellabant dixit: *Iovis filium*

§. 6. *Ecce homo.* Ioan. 19. v. 5. 6.

Ezech. 22. v. 30.

1. Tim. 2. v. 4.

Pſ. 83. v. 10

filium me eſſe dicitis, ſed vulnus hoc, hominem eſſe me clamat. Idem de Chriſto, cum addito dicere poſſumus. Ecce vulnera clamant, Homo eſt; ſed angeli de cœlis clamant Ecce Deus; homo Deus, cujus ſcabellum pedum eſt orbis univerſus (fiat p. deſcriptio.) Et vos ſcelerati Judæi, &c. *Quouſque irruitis in*

Pſ.61. v.4. *hominem*, quoſque inſaniet furor veſter? fruſtra agimus! rabidi canes ſemel guſtarunt ſuavitatem dulciſſimi ſanguinis hujus hominis, ſatiari non potuerunt, donec totum in cruce exhauſerunt.

§.7. *Sanguis ejus ſuper nos.* Cum Pilatus reſponderet, Regem veſtrum crucifigam? non invenio in eo cauſam mortis, æquitas exigit ut illum dimittam, auſi fuerunt exclamare, *ſanguis ejus ſuper nos, & ſuper*

Matt.27.v.25. *filios noſtros.* q.d. ſi innocens eſt, tu Judex eris liber, nos culpam & pœnam in nos ſuſcipimus: Crucifigatur; quod cæſus ſit virgis, quod ſpinis coronatus: parum eſt atrociora meruit, debet mori; ſuper nos ſit vindicta hujus ſanguinis; Quod contigit: ſanguis ille, quo genus humanum redemptum eſt, genti Judaicæ miſerandum excidium, perpetuum exilium, omnium populorum odium atque irriſionem, ac denique pleriſque eorum ſempiternum attulit exitium. In hodiernum uſque diem, Divina Juſtitia vellicat Synagogæ aures, ubi

Gen.4.v.10. eſt innocens Abel? ubi Meſſias tuus? quid feciſti? *ſanguis ejus clamat ad me de terra.* Væ vobis Judæi! veſtræ manus ſunt plenæ hoc ſanguine, hoc ſanguine vos polluti eſtis; ſanguis hic

Gen.42.v.22. perſequitur vos. *En ſanguis Ioſeph exquiritur,* Joſue *Vitor hujus*

Ioſua 20. 5. *ſanguinis vos perſequitur. Sanguis ille redundavit in capita veſtra.*

cap.8.v.19. Sic iraſcimur Judæis; cum ex Chriſtianis non deſint, qui

§.8. *Quinam ſe faciant reos ſanguinis Chriſti cum tragica hiſtoria.* ſe ejuſdem ſanguinis reos faciunt. Faciunt id quicunque letali ſcelere audent offendere divinam Majeſtatem. Illi tamen potiſſimum. 1. ſacrilege confitentes & communicantes. 2. blaſphemi, per ſacroſ. Sacr. Vulnera, mortem, crucem & ſanguinem Chriſti; Miramur ſubinde puniri nos fame, peſte, bellis &c. Sanguis Chriſti requiritur ultor & vindex gladius illius cruoris, perſequitur nos. 3. Clamat potiſſimum hic ſanguis contra peccatores in malo obſtinatos, qui

etiam

etiam hoc ſacro paſſionis tempore converti nolunt ad Dominum, licet per ſanguinem Chriſti illud ab ipſis petatur; non emanet tandem vindicta. Expertus id fuit nobilis ille juvenis Romanus. Ejus complex in graviſſimis ſceleribus, Hortenſia, tandem fuit converſa; altera Magdalena! O abyſſus judiciorum Dei; Julius (fuit hoc nomen Adoleſcentis) etiam in periculoſo morbo, nullis precibus, nullis minis potuit permoveri ad confeſſionem. O clementiam divinæ bonitatis! apparuit illi tandem Chriſtus D. Salvator mundi illo ſchemate, quo pependit in cruce; primum blandis verbis rebellem juvenem monuit ad pœnitentiam monſtrando vulnera, ſanguinem; reluctantem adhuc adorſus fuit graviſſimis minis; ſed fruſtra; ut tandem iratus Dominus aliquot guttas precioſiſſimi cordis projecerit in faciem ſcelerati juvenis, & dixerit *ſanguis meus ſit tibi in perditionem.* Illo momento infelix juvenis expiravit. Ita, ita, O bone Jeſu; nos hoc momento volumus converti, (eſt locus pro piiſſimo affectu veræ pœnitentiæ.

§ 9. *Pius affectus, ut ſanguis Chriſti ſit ſuper nos.*

Ita animati, O Pater æterne, nos iiſdem verbis, ſed alio utemur ſenſu; Ita, *ſit hic ſanguis ſuper nos*; ſed ut nos redimat, ut infernum extinguat, ut aperiat cœlos; *Sit hic ſanguis ſuper nos*, ut illo inunctos angelus percutiens non feriat, *ſit hic ſanguis ſuper nos*, ut velut cœleſtis medicina ſanet noſtra vulnera, ut mundet lepram, ut pellat omnes animarũ infirmitates; *Sit ſuper nos*, ut hic ſanguis Pelicani, nos paſcat & confortet; ita mi Jeſu, pulli ſumus, ſitimus tuum ſanguinem. Sanguis ejus in cordibus noſtris, ſit velut fons omnium gratiarum, velut radix omnium virtutum, velut ſcaturigo ſanctitatis. *Sit ſuper nos* quotidie in ſacrificio miſſæ, ut ſit noſtra ſatisfactio & propitiatio; donec in cœlis gaudeamus æternum, & agno dicamus laudem & gloriam, quod ſanguine ejus immaculato fuerimus redempti.

§ 10. *Nova inſtantia, ad. ut Chriſtus crucifigatur.*

Redeo ad Pilatum. Offenſus importunitate populi, & implacabili illorum erga Chriſtum D. odio, ait ad Principes & Phariſæos; *Accipite eum vos, crucifigite; ego enim non invenio*

Ioan.19.16 *venio in eo cauſam.* S. Joannes Chryſoſt. *Sed Iudæos canes, nihil horum in verecundiam convertit.* audacter reſpondent Præſidi, *Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori; quia Filium*
v.7. *Dei ſe fecit.* Alb. M. *advertenda eſt malitia illorum, qui de lege nihil curaverunt, niſi in quantum videbatur contra Chriſtum facere.*
v.8. Cum ergo *Pilatus audiſſet hunc ſermonem, magis timuit.* non quod timeret legem Judæorum, ſed quia gentilis erat, ne Filium Dei occideret; & ideo Deorum ſupplicium ſentiret. Iterum ergo ſolus interrogavit Jeſum unde eſſet? an eſſet Deus? &c. ſed ipſe tanquam agnus coram ipſo obmutuit, & non ape-
v.9. ruit os ſuum. Timens adhuc magis, iterum quærit ex Judæis, Regem veſtrum crucifigam: clamarunt ommes, *Tolle, tolle,* videre hunc hominem non poſſumus, debet mori in cruce non
v.12. habemus Regem niſi Cæſarem. *Et ſi dimittis, non es amicus Cæſaris* q. d. Niſi in noſtram veneris ſententiam, qua hunc cruci addixeris, Cæſarem appellamus, apud quem te accuſabimus, ut hoſtium Cæſaris fautorem, & tibi rebellionis crimen, contra Cæſarem impingemus. Hic aries, dejecit tandem conſtantem Pilati animum, S. Laur. Juſt. *O quanti quotidie Iudicis hujus imitantur inconſtantiam, O quot ab eo quod diſponunt ſancte agere, ſe ſubverti permittunt.* Probabile eſt, Judæos, cum audiverunt Chriſtum vocari ſuum regem, moviſſe capita, infremuiſſe dentibus, ſibilaſſe lingua, non, non eſt Rex noſter. Aliud nos credimus. Chriſtus D. eſt vir dolorum, ſed Rex noſter. Coronatus eſt ſpinis; eſt tamen Rex Regum &c.

Punctum II.

Ventilatur hæc quæſtio coram Præſide Pontio Pilato; an Chriſtus D. debeat condemnari ad mortem Crucis.

§. 11. *Pilatus ſedet pro tribunali, &* TAndem ergo Pilatus, circa horam diei undecimam in meridie, in vigilia paſchatis, ſedit pro tribunali, in loco, qui græce dicitur *lithoſtrotos*; hebraice, *Gabbatha*; fuit hic locus qua-

cus quaſi parvum theatrum, pulcrè ornatum, in illo ſedes, expoſita innumerabilis populi conſpectui; quam cùm conſcendit Judex, reus Chriſtus D. eductus fuit, & impoſitus parvo ſcabello, auditurus ſententiam mortis. Sede, quieſce mi Jeſu; interim dum hæc quæſtio ventilatur, an vivere, an mori debeas, an dimitti, an crucifigi. *quæritur an Chriſtus D. debeat mori.*

Notandum eſt. 1. Quæſtionem hanc tractari poſſe ſecundum triplicem legem, naturæ, Moſis & gratiæ. Prima cœpit à creatione mundi, & duravit, uſque ad illud tempus, quo Deus in monte Sinai, tradidit populo præcepta & tabulas decalogi, tum incepit lex Moyſis; abrogata fuit per Chriſtum auctorem legis gratiæ; & durabit uſque ad conſummationem ſæculi. Itaque quæritur, an ſecundum has leges Chriſtus D. debeat mori. Notandum eſt 2. Ut quis damnetur ſecundum aliquam legem, oportere id fieri coram judice, præſente reo, aſtantibus accuſatoribus, Advocato, Conſiliariis & teſtibus. In præſenti judicio, coram tribunali Pilati, Pilatus eſt Judex. Reus & accuſatus eſt Jeſus Nazarenus; Advocatus ipſius eſt, innocentia; accuſatores ſunt Judæi, Conſiliarii in lege naturæ ſunt Patriarchæ, Adam, Abel, Noe, Iſaac, Jacob, Joſeph. Si his præſens proponatur quæſtio, an Jeſus Nazarenus à Præſide debeat condemnari ad mortem; Adam reſpondebit, ſic debet mori, ut mihi & meis poſteris reſtituat vitam; & quidem per arborem crucis; cum ego per fructum arboris, me meoſque occiderim. Abel dicet; licet innocens ſit, tamen mori debet, & cum copioſa ſanguinis effuſione; ego peremptus à fratre Caino, fui figura, ſecundum quam à ſuo populo electo, educi debet in montem, ut ibi crucifigatur. Noe, hanc addet circumſtantiam, mori debet, & totus nudus in Cruce; talis ego à filio meo fui irriſus. Amantiſſime Iſaac, tibi quid videtur? debetne CHRISTUS mori? abſque dubio, reſpondet, & ſicut ego meis humeris portare debui in montem neceſſaria ligna ad ignem holocauſti, ſic ille in montem efferre, *§. 12. Aliqua notabilia. Et an mori debeat ſecundum legem naturæ. Exodi 20. tot.*

debet lignum crucis, in quo immolabitur, cum ſpinea corona in capite, cujus umbra fuit aries quem parens meus Abraham accepit inter ſpinas, & pro me Deo obtulit in holocauſtum. Jacob ait, mons in quo morietur eſſe debet mons Calvariæ, quia ibi ego in ſomno ſub arbore vidi myſticam ſcalam ſanctiſſimæ crucis, qua nobis aperiet aditum ad cœlum. Omnium ſententiam ſuo calculo comprobabit Joſeph; revocabit Judici in mentem, debere ſuo exemplo prius vendi triginta argenteis quod jam factum eſt, à proditore Juda. O mi Jeſu, timeo, ex mente horum conſiliariorum & teſtium, accuſatorum tuorum deſiderio, & voluntati, ut crucifigaris, fiat ſatis. *Veritas Domini manet in æternum.* Opponit ſe quidem pro Jeſu Nazareno Innocentia, cum graviſſimis rationibus, iniquum eſſe, innocentem condemnari; indecens eſſe nudari Regem gloriæ &c.

§. 13. *An mori debeat ſecundum legem Moſis.* Verum quia in hoc tribunali Naturæ non auditur, appellat ad legem Moyſis, ut æquiores reperiat conſiliarios: nimirum Prophetas, inter quos præcipui ſunt David, Salomon, Iſaias, Jeremias, Daniel, Amos, Abacuc. Quid ergo vobis videtur de Christo, ſanctiſſimi Prophetæ? Reſpondet *Pſ. 21. v. 13.* David; inſtinctu Spiritus Sancti prædixi. *Inimici mei, deriſerunt me, circumdederunt me* &c. (Vide textum) omnia hæc *Sap. 2. v. 20* debent impleri; mori debet. Subjicit *Salomon* Sapiens. *Debet enim condemnari morte turpiſſima*, Iſaias. *Medius inter duos latrones*; Jeremias, *debet conſpui &c.* Conſentiunt in hæc, & plura, prophetæ omnes. Mi Jeſu, diſpone domui tuæ, etiam ſecundum hanc legem non vives, ſed morieris. Stupet, miratur, reſiſtit innocentia, quia rejicitur, abit ad legem gratiæ.

§. 14. *An ſecundum legem gratiæ.* Conſiliarii hujus tribunalis ſunt Eximiæ Virtutes, Humilitas, Obedientia, Patientia, Zelus Divinæ Gloriæ. Aſſident Virtutibus Divina attributa, Juſtitia, Sapientia, Bonitas, Miſericordia, &c. ab his, quis non ſperet benevolam ſententiam? fruſtra! Chriſtus mori debet; Caritas enim, Regi- *Ioan. 3. v. 16* na virtutum ait; me inſtigante de Deo dicitur, quod ſic dile- *Philip 2. v. 7. 8.* xerit mundum, ut Filium ſuum Unigenitum tradiderit in mor-

Digitized by Google

mortem, fiat ergo. Filius Dei fieri debet obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis, dicunt obedientia & humilitas! Zelus clamat, mori debet, ne tot animæ æternum pereant (ſimilis diſcurſus fiat per attributa divina.) Quid facies Innocentia? appellabis ad patrem cœleſtem? fruſtra; ipſe miſit filium in hunc mundum, ut moriatur. Ad piiſſimam matrem? ſed jam dudum conſenſit in hanc mortem, licet dilectiſſimi filii: Quid reſtat? Mi Jeſu, ut diſponas domui tuæ, & moriaris.

§. 15. Sententia mortis.

Itaque præſes Pilatus, poſtquam ad ſpeciem lotione manuum proteſtatus fuiſſet, ſe cogi ad condemnationem viri innocentiſſimi, fracto baculo, ſurrexit & ait: (Hoſtes Chriſti arrigite aures.) Ego Pilatus Imperatoris, Romanique Senatus, vices gerens in regno Judæorum, volo & mando, auctoritate qua fungor, & judico, juxta leges Judæorum, Jeſum Nazarenum, cum Jeſma & Diſma latronibus, ad locum juſtitiæ duci, & in medio ipſorum, crucifigi? Cum magna animi mei commotione aliquando legi in pio libello, Chriſtum D. cum Pilatus incepit pronuntiare ſententiam proruiſſe in genua, in miſerabili ſchemate, quo ſtabat in conſpectu populi, & flexis genibus excepiſſe ſententiam mortis, & acceptaſſe cum gaudio, ruminans illum verſum pſalmi, *in capite libri &c.* O Pater, ad hoc natus ſum, ut moriar. SS. Patres hoc loco perpendere ſolent, qua triſtitia mater Jeſu; quo jubilo, Judæi, audiverint pronuntiari ſententiam tam ignominioſæ mortis.

§. 16. Sed condemnatus, erit aliquando omnium Iudex.

Cavete peccatores, ne & vos jubiletis. Oſeas dixit *Iudicium Domino, cum habitatoribus terræ.* Ieſus, quem audiviſtis condemnari ad mortem, eſt hic Dominus. Iudicium ipſi vobiſcum. Audi impie, per Ieremiam ait tibi. *Ecce ego!* (ego coronatus ſpinis &c.) *judicio contendam tecum.* Bene dixit idem propheta. *Viro huic judicium mortis.* Superbe, tu es ille vir; tu ille lictor, qui innocenti Chriſto funes injecit; ſed erit tuus Iudex, & judicium mortis te expectat (hoc modo fieri poterit acerba invectiva.) Bene illis, qui ut judicium tale caveant, hodie imo hac hora, coram hoc judice corde humilia-

Oſee 4. v. 1. Ier. 2. v. 35. & cap. 26. v. 16.

miliato & contrito, procumbunt, & gemunt, Jeſu miſerere noſtri! hoc agite, & piiſſimus Dominus vos abſolvet à ſententia mortis.

Punctum III.

Bajulatio Crucis.

§. 17. *Chriſtus D. tandem traditus fuit voluntati Iudaeorum.* v. 16.

IAm ſequemur ſanguinea veſtigia Chriſti bajulantis crucem in montem Calvariæ. Tandem per iniquiſſimam ſententiam Pilatus Jeſum tradidit voluntati eorum, ut crucifigeretur. O innocens agne!! quæ jam te expectant tormenta? nam ſi Judæi talia intulerunt antequam voluntati eorum à judice eſſes traditus, quid jam facient hæ furiæ? *tradidit voluntati eorum.* O barbaram ſententiam; quæ dixit percutite, cædite, urite, lacerate, torquete, crucifigite, facite quod vultis. Innocens eſt, tamen facite cum illo quod lubet. Itaque ſuſcipientes Jeſum exuerunt eum purpura, & induerunt eum veſtimentis ejus. Textus non meminit quod abſtulerint ſpineam coronam. itaque probabiliter togam injecerunt ſuper caput & coronam, & cum toga amplius laceraverunt caput Chriſti, & ſpinas profundius adegerunt. Propria illum veſte induerunt, non ex aliqua miſericordia, ſed ad majorem confuſionem & ignominiam, ut inter latrones (quia ex vultu & ſpecie id fieri non poterat) ſaltem ex veſtibus agnoſceretur. latrones educti fuere liberi; deductæ etiam cruces. Filius DEI ipſe crucem ferre debuit. Euthymius: *tulit crucem in humeris, tanquam ſtrenuus miles lanceam, qua dejecturus erat adverſarium.*

§. 18. *Amplexatus fuit crucem cum piiſſi-*

Meditantur Sancti Patres Chriſtum Dominum noſtrum flexis genibus, ruiſſe in amplexus & oſcula, cum verbis illis, O bona crux; O diu deſiderata! vel illis ex Canticis; *Veni ſoror, ſponſa mea, vadam ad montem myrrhæ & collem*

collem thuris, non ſine te. Veni crux ut in illo monte ſis mihi altare holocauſti, quod offeram patri in remiſſionem peccatorum. Veni crux, ut ſis mihi clavis, qua aperiam cœlum. Veni crux, lignum maledictionis, ut in te ſuſpenſus, & maledictum factus pro genere humano, ob cujus delictum univerſa terra maledicta eſt, auferam maledictionem legis, quæ univerſum mortalium genus Divinæ Majeſtatis ream tenet, utque benedictionem orbi reducam. Veni crux, ut mihi ſis armorum vice, quibus Cherubinum Paradiſum ancipiti ignis gladio cuſtodientem, amoveam, Paradiſumque reſerem hactenus clauſum. Veni, ut ſis mihi baculus Jacob, quo tranſibo torrentem, imo rubrum mare meæ paſſionis. Veni crux, ut ſis mihi in monte Calvariæ Thronus Salomonis, de quo prædicabo æternam ſapientiam. Veni, ut ſis ſedes tribunitia, ex qua pronuntiabo ſententiam abſolutionis ſuper electos. Veni, ut ſis arca fœderis & ſedes propitiatorii. Veni, faciam ex te arcam Noe, ut in illa ſalvetur genus humanum, ex naufragio inferni. Veni, faciam te refugium afflictorum. Veni, convertam te in Paradiſum pro triſtibus. Veni, ut in monte fias lignum vitæ, ut fructus tui, ſint dulces gutturi electorum. Veni, eris petra, in qua fundabo Eccleſiam meam. Veni, ut ſis mihi ſceptrum, quo dominabor mundo. Veni, ut ſis mihi funda & lapis, quo confringam caput infernalis Goliath. Veni, ut ſis mihi gladius quo abſcindam caput Holofernis. Veni, ut ſis mihi clavus Jael, qui perforabit caput infernalis Draconis. Talia cogitans Salvator, apprehendit crucem, illamque oſculatus ſurrexit, & triſtiſſimæ proceſſioni initium dedit. Obſtupuit ſynagoga, obſtupuere Judæi advertentes hunc affectum Chriſti erga ſuum patibulum. *mis affectibus.*

Sic oneratus cruce Chriſtus exivit ex urbe triumphans; in triumpho amoris, non triumpho vanitatis hujus mundi. Exiit triumphans non in curru triumphali *§. 19. Qualis exiverit ex urbe Ieroſolyma.*

tracto ab equis vel elephantis, ſed pedes portans crucem, tractus à tigribus, à leopardis &c. Tales fuerunt carnifices, qui Chriſtum duxerunt, trudendo, trahendo; &c. Exiit ex urbe triumphans, non exaltatus, ſed humiliatus infra omnes. exiit coronatus, non lauro, ut Romani triumphatores, ſed ſpinis: Exiit, non picta facie (quod apud Romanos moris erat,) ſed facie lacera, ſputis horrida &c. Exiit non in purpura, ſed vili veſte, & ſanguine. Non inter voces populi exultantis, ſed inter blaſphemias populi, irritati, & rebellis. Exiit, non ſtipatus militibus, ſed duobus latronibus. Exiit non ad ſplendidum capitolium, ſed montem Calvariæ. O mi Salvator, qualis cataſtrophe. ante paucos dies à populo in urbem fuiſti inductus veluti Rex, jam educeris ſicut latro. Tuis pedibus ſubjecerunt palmas, jam ſpinas ſuper caput. Tunc acclamarunt *Oſanna:* jam inſonat triſtis Echo & vox præconis Ieſus Nazarenus educitur, ut crucifigatur: hic hic fuit triumphus amoris.

Matt. 21. v. 5.

§. 20. *De doloribus Chriſti D. in bajulatione. De immani ejus vulnere in humeris.*

Sed quis enarrare poterit illa quæ Chriſtus ſuſtinuit in hoc triumpho crucis; in hac ſanguinea proceſſione ad montem Calvariæ? Crux tam fuit gravis, ut onerare potuerit duos fortes homines, Chriſtus ſolus tulit, jam ante ita vexatus, unum, peculiariſſimum tormentum, quod crux in hoc itinere Chriſto cauſavit, bene eſt ponderandum. Audiviſtis in flagellatione corpus ipſius innumeris vulneribus fuiſſe conciſum; vulnera verò maxima fuerunt in dorſo & humeris. His impoſitum fuit pondus crucis: itaque ipſum pondus, & crucis agitatio cum Chriſto, jam ad dextram, jam ad ſiniſtram, jam antrorſum, jam retrorſum, hæc agitatio crucis, ex multis vulneribus in humero paulatim unum fecit vulnus, carnem, nervos ita preſſit, ita comminuit, ut denique crux duro, & acuto aliquo nodo jacuerit ſuper nudum os in humero Salvatoris, ut nihil fuerit intermedium, niſi toga plena ſanguine. Conqueſtus eſt aliquando Chriſtus Dominus piæ perſonæ in aliqua revelatione, paucos admodum meminiſſe hujus vulneris, & hujus doloris, ſe verò reſpicere illos peculiari benignitate,

gnitate, qui meminerunt, promiſitque ſe peculiari gratia memoriam hujus vulneris remuneraturum. facite hoc animæ piæ &c. ab hoc tempore eſtote vos inter illos, qui erga hoc vulnus peculiarem fovent devotionem.

Præterea animæ electæ peculiari affectu frequenter meminerunt lapſuum, quibus Chriſtus, ob pondus crucis, ob corporis fatigationem, ob tunſiones & percuſſiones lictorum ſub & cum cruce ruit in terram: me ſingulariter movit, ille lapſus, quo pingitur totus pronus jacens in corpore, ſuper illum crux, quam impii pedibus calcant, quaſi botrum cypri, inter terram & crucem cum copioſa ſanguinis effuſione ex tot vulneribus. §.21. *De lapſibus ſub cruce.*

Alii cum peculiari motu & devotione in hac proceſſione hærent ad triſtiſſimam ſtationem, in qua B. Virgo occurrit filio, quamprimum ex prætorio Pilati illum vidit prodire, ducta fuit à S. Joanne ad aliquem angulum plateæ, ad quem dum filius cum cruce venit, triſtis Mater irruit per milites, & ante filium ruit in genua. O triſtes aſpectus, O triſte colloquium triſtiſſimorum cordium. Filius dixit: *O Mater! ecce filium tuum*? agnoſciſne hanc faciem? O Mater! ecce vado ad mortem, fiat, O Mater, da filio ultimam benedictionem; Mater reſpondit: O fili, vox tua dulcis eſt; audio vocem Jeſu mei! ſed eheu; qualis eſt dilectus meus? tune es filius meus? O pulchritudo Angelorum? ubi tuus decor; ah fili non ego agnoſco hanc coronam. hac ego te non coronavi, impia Mater fecit. Ah fili; an needum ſedata eſt ira patris; an alius modus non eſt redimendi homines, niſi per mortem, & per mortem crucis? O fili, verbo creaſti mundum, cur verbo non potes redimere. Ah Mater, dixit cor Jeſu, aliud placet patri; hoc ſcilicet, ut in illo ſtatu quo me vides, pergam ſub cruce ad montem Calvariæ, ut ibi illi affixus moriar fiat! Enormitas peccati mortalis exigit turpem mortem filii Dei! Vade Mater; licet eam in mortem, tamen amo te, ita Mater; amo te, pluſquam omnes creaturas. O Mater ago tibi gratias (hoc modo fac pulchram inductionem &c.) Ito Mater, ſed prius §.22. *De occurſu Matris.*

filio

Digitized by Google

filio ultimam impertire benedictionem! Vale Mater! Vale mi Jeſu repoſuit Mater! O fili, te reſpiciunt oculi mei, tu mihi benedic, qui cœlum & terram reples benedictione. O fili ego tibi ago gratias quod N.N. (fac pulcram inductionem) O abyſſos doloris, &c. Sanctus Bonaventura in meditatione vitæ Chriſti c. 76. *Cum Mater vidit filium ſic vituperabiliter & ſic enormiter à tanta multitudine duci, quanto repleta ſit dolore dici non poteſt.* Illo tempore, quo hoc colloquium duravit, Judæi quia viderunt pergere non poſſe, & ex timore, ne moreretur antequam crucifigeretur, angariaverunt Cyrenæum, cui impoſuerunt crucem.

§. 22. *De occurſu S. Veronicæ.*

Stationem Sanctæ Veronicæ in ſilentio tranſire non poſſum, exiverat illa ex urbe cum aliis matronis, ut intereſſet ſupplicio mota præcipue ex hoc, quod facies eſſet plena ſanguine, livore, ſudore, quem tamen tergere ipſe non poſſet: acceſſit Salvatorem, & ſtrophiolum ſuum porrexit, cui Jeſus faciem impoſuit & benignis oculis gratias egit pro exigua charitate. In diſceſſu Veronica dum ſanguinis vult luſtrare veſtigia, reperit faciem Chriſti (pulchrè deſcribe.) cauſæ, ob quas Chriſtus hunc theſaurum in hoc itinere reliquit, tenerum ejus oſtendunt amorem. Primò ſponſus cum ſponſam ob iter debet deſerere, reliquit ſui ideam, ut ſit memoriale, in quo ſponſi recordari poſſit. O felix Veronica! abit ſponſus animarum, itinere difficili ad mortem crucis, ſed ecce dat ſuam imaginem, ut &c. Secundo. Idem ſponſus ſponſæ ſubinde donat ſpeculum. O Veronica ecce ſpeculum, &c. Tertio, addit literas, cum ſignis amoris, ſubinde ſanguine ſcriptis. O Veronica ecce ſanguineas literas, ecce ſigna amoris, vulnera &c. lege in his literis, quantum te ſponſus amet, quanta pro te paſſus ſit. Denique, memor ſum ſtrophioli madidi lacrymis pœnitentis, quo addito Angelus Cuſtos in agone peccata impoſita lanci Juſtitiæ, longe ſuperavit. O anima triſtis; quid times tua peccata? N.N. Ecce ſtrophiolum, ecce lacrymas, ecce ſanguinem Chriſti; hunc apponamus, &c. (fac pulchram apoſtrophen) dicamus frequenter ex

ter ex corde, *Pater reſpice in faciem CHRISTI filii tui.*

Pervenerunt tandem ad radices montis Calvariæ; hoc loco Chriſtus ultimum lapſus fuit ſub cruce; Nec poterat pergere ulterius; meditantur ſancti Patres Chriſtum hic jacuiſſe toto corpore proſtratum humi, facie jacentem in terra cum ferventiſſimis deſideriis, & ſuſpiriis, quibus hos dolores patri æterno obtulit pro omnibus, O mi Jeſu, ſpero unum pro me oblatum. Figuram Chriſti in hoc lapſu habemus libro Machabæorum. Ubi Onias ſummus ſacerdos luctu obrutus ante altare ſe proſtravit; qui aſpiciebat, ejus cor vulnerabatur. Idem fecit Chriſtus Dominus ſummus ſacerdos, dum ad locum ſupplicii pervenit, luctu plenus, ante locum altaris ſe proſternit. Libro 2. Regum. *Amaſa conſperſus ſanguine* ob vulnus à Joab inflictum, *jacebat in via*; meminit textus prætereuntes peculiariter fuiſſe motos, ad compaſſionem & lacrymas. Eheu! Auditores, huc oculos. alius hodie jacet in via; heu qualis: (eſt pulcher locus.) Sed ubi eſt compaſſio? ubi lacrymæ? ubi miſericordia? crudeles lictores truſerunt magis: dicunt aliqui quod in hoc lapſu aliqui ſtudio corruerint ſuper Jeſum, ut fortius affligerent ſolo; fecerunt hoc alii conculcando pedibus! O barbariem! O tyrannidem! O vos leones! O tigrides! O latrones! Sed quid ego modo lictores reprehendo; luunt in inferno, & æternum luent. Te appello & alloquor, quisquis es actu in peccato mortali; quisquis in ſtatu vivis, quo ob ſcelera diſplices Deo, tibi inquam dico: Ecce jacet Salvator humi; tu es crux, tu lictor, tu leo, tu tigris, tu latro, qui trudis, trahis; ſuggerit ſæpè angelus cuſtos, ſuggerit Spir. S. clamant concionatores, ſiſte peccator, ſiſte; quo ruis? hoc peccato conculcas filium Dei &c. quis eſt fructus, nullus; concupiſcentiæ &c. obeditur in ignominiam filii Dei. Tullia filia Servii ut regnaret juſſit occidi parẽtem in publicis plateis; dũ in ſanguine volvitur, ſupervenit filia in regio curru, ſtitit auriga, cohorruit, ipſa, *perge, perge.* Ille, *quomodo poſſum, an non vides jacentem parentem?* ergo, &c. illa, *perge, modo imperem.*

§. 24. *Sic tandem perventum fuit ad montem Calvariæ.*

2. Maccab. 3. v. 35.

2. Reg. 20. v. 12.

Pari ratione peccator in ſanguinea hac via procedit, cum Chriſto Domino ſimilem tyrannidem exercet cum Jeſu, dum currit in via voluptatum, pergere non poteſt, niſi conculcet Jeſum, clamat tum cœlum, ſiſte miſer, ecce! ſed voluptas, diabolus inſtant, perge! eis reſpondet impius; pergam, ut fruar illa voluptate N.N. &c. licet Chriſtus in ſanguine ſub cruce jacens pedibus conculcetur. Nos animæ piæ coram hac ſtatione corde contrito propoſitum faciemus potius mori, quàm Deum offendere.

§. 25. *Meditatio Paſſionis nobis debet eſſe fructuoſa.*

Poſt ultimum hunc lapſum Chriſtus pervenit ad locum crucifixionis; Antequam modum crucifixionis vobis narrem, moneo prius, ut ex conſideratione acerbiſſimorum dolorum, quos in bajulatione pertulit, fructum aliquem hauriamus. Neque enim ſatis eſt horum meminiſſe tantum, ut intellectus illos meditetur; ſed voluntas moveri debet ad pios affectus: quinam illi ſint inſinuat S. Ignatius præludio tertio, ſept. tertiæ. Tertium eſt petere quod intendimus; dolorem, confuſionem ob commiſſa peccata. Puncto quarto: dum conſiderat intellectus, omnia quæ Chriſtus in SS. Humanitate paſſus eſt, voluntas debet triſtari, dolere, plorare; præcipue dum intellectus veritatem hanc penetrat, omnia illa, Chriſtum pati propter peccata noſtra. Hinc horrere debemus peccatum tanquam præcipuum lictorem, qui &c. Secundo bonus fructus eſt compaſſio, quem prædixit Zacharias. *Aſpicient ad me, quem confixerunt, & plangent eum planctu, quaſi ſuper unigenitum, & dolebunt ſuper eum, ut doleri ſolet in morte primogeniti*; in die illa (pulchre hoc) *magnus erit planctus in Ieruſalem*, pulchre. Credibile eſt, patrem in honorem mortis filii ſui hactenus rem ita diſpoſuiſſe, ut ſemper fuerint in Eccleſia animæ piæ devotæ paſſioni &c. (pulchre) tales ſunt adhuc hodie. His accenſeri volumus, &c. (pulcher locus.)

Zach. 12. v. 11.

Pun-

Punctum IV.

De Modo Crucifixionis.

COgitate, tandem Chriſtum Dominum gravi cruce oneratum, inter manus lictorum, per ſanguinea veſtigia, per viam duram & aſperam, perveniſſe ad montem Calvariæ; illud theatrum Tragœdiæ, cui ſimilem, id eſt, tam atrocem, crudelem, barbaram, orbis nunquam ſpectavit. Filium Dei crucifixum. Quæcunque heri veſperi, hac nocte, hoc mane lacrymabundis ſpectaſtis oculis, ſudantem præ anguſtiis ſanguine, in terribili jacentem agone, ligatum catenis, coram Anna percuſſum alapa, à Caipha proclamatum reum mortis, tota nocte in ſubterranea ſpecu irriſum, oneratum colaphis & alapis, conſputum; accuſatum coram Pilato, irriſum in veſte alba ab Herode, flagellatum, coronatum ſpinis, condemnatum ad mortem, oneratum cruce, hæc omnia, licet atrocia, licet crudelia; prologus & præludium tantum fuerunt ad Tragœdiam, quam jamjam videbimus.

§. 26. Ingreſſus in myſterium crucifixionis.

Cum magno applauſu & jubilo viderunt tandem Judæi Chriſtum vivum adhuc ſub cruce in colle Calvariæ; quia timuerant, ne in via corrueret mortuus, ob eundem timorem juſſerunt accelerari crucifixionem. Itaque aliqui ex lictoribus arreptam Crucem ex humeris Chriſti depoſuerunt humi: alii ſolverunt vincula, quibus agnus erat ligatus, alii crucifixionis inſtrumenta, clavos, malleos, funes, forcipes ex corbibus coram oculis Chriſti explicarunt, alii acceperunt menſuram pro terebrandis foraminibus, alii terebrarunt, alii, & maxime barbari atque crudeliſſimi in ipſum Salvatorem, veluti leones & tigrides, veluti lupi in agnum involarunt, & immani furia, atque impetu iterum ſanctiſſima veſte illum exuerunt. O Cherubini, O Seraphini, iterum veſtris alis tegite veſtros oculos & facies. Iterum portæ cœli deſolamini & obſtupeſcite! Filius Dei denuo, non

§. 27. In monte Calvariæ iterum fuit denudatus.

Digitized by Google

jam in palatio Pilati, non in aliqua aula, non coram una cohorte: ſed in monte, coram innumerabili multitudine populi, in conſpectu ſolis, in meridie, ſtat totus nudus: non ſine figuris & myſteriis.

§. 28. *Figura & cauſa hujus denudationis.* Adam in paradiſo, in ſtatu innocentiæ, nudus comedit de arbore mortis, & ſe atque poſteritatem ſuam veſte gratiæ & ſanctitatis ſpoliavit. Alter Adam in monte Calvariæ, arborem vitæ nudus amplectitur, ut veſtem innocentiæ nobis redderet. Noe nudus à filiis fuit irriſus; & Noe cœleſtis ebrius vino amoris ab electo populo & ingrata ſynagoga. Ingens erat æſtus & flamma amoris, quæ ardebat in corde, & omnibus membris Salvatoris. Variis modis quæſivit refrigerium. In cœna in monte Sion aperiendo venam cordis, emittendo ſanguinem in inſtitutione venerabilis Euchariſtiæ. Poſt cœnam quæſivit aerem nocturnum in monte & horto Oliveti. ibidem poros omnes corporis aperuit, & calenti atque æſtuanti ſanguini exitum dedit. Ad columnam flagra, in ſpinea coronatione, ſpinæ, non poros, ſed vulnera in ſanctiſſimo corpore æſtuantem nimium præ amore ſanguinem eduxerunt. Verùm amori necdum factum eſt ſatis; quia reliquus ſanguis calere, æſtuare, ardere, ebullire præ nimia dilectione pergit, in monte Calvariæ, abjicit veſtes, affigitur cruci, ut per manuum pedumque hiantia vulnera effluens cruor frigidiore aura in monte Calvariæ refrigeretur, donec lancea ultimas guttas ex ipſo corde educat.

§. 29. *Quam ignominioſa & pœnoſa illa fuerit.* Sed quale refrigerium, quale ſolatium, quod ingentis doloris & confuſionis fuit cauſa. Super illum verſum. *Tota die verecundia mea contra me eſt, & confuſio faciei cooperuit me.* *Pſ. 43. v. 16* Meditantur ſancti Patres, pudiciſſimum Jeſum plus ſenſiſſe hanc denudationem, tali loco, coram tanto populo, quam flagella, quam ſpinas, quam colaphos, quam vulnera, quam reliquos dolores. Sol, Luna, & aſtra cœli, ne tale cogerentur ſpectare ſpectaculum, obſcurata ſunt inſolita eclipſi. Scio eſſe piam aliquorum meditationem, Beatam Virginem, Magdalenam, & pias fœminas ſubmiſiſſe vela & ſtrophiola ad tegen-

Digitized by Google

tegendam Magiſtri nuditatem: ſed figuris & ſacris literis longe conformius eſt, pependiſſe totum nudum in cruce.

Detractio togæ ex duplici capite fuit valde pœnoſa. Si exiguo vulneri etiam delicata byſſus adhæreat, & in vulnere atque cruore indureſcat, non ſine dolore detrahitur, præſertim ſi id fiat cum quodam impetu. Sanctiſſimum Chriſti corpus fuit plenum vulneribus, & magnis, latis, atque profundis, præſertim in dorſo, brachiis & lateribus ex flagellatione. Ex revelationibus ſcimus fuiſſe aliquot millia. quis dubitet veſtem Chriſti, cum poſt ſpineam coronationem, antequam cum cruce exiret ad montem Calvariæ, illa rurſum fuit indutus, adhæſiſſe tot vulneribus; Neque tantum adhæſit, ſed variis modis fuit vi quadam iiſdem impreſſa, ut cum lacerata carne, cum cute, cum ſanguine, cum livore, induruerint. Hoc ſine dubio fecerunt, primò, funes, quibus in bajulatione crucis circa corpus, & ſupra dorſum fortiter fuit ligatus. Secundo; hoc fecerunt ſceleratæ manus, & ferreæ chirothecæ, quibus lictores illum ſub cruce apprehenſa veſte, cum vulnerata carne, jam ad ſiniſtram, jam ad dexteram traxerunt, nunc antrorſum, nunc retrorſum. Tertio; hoc fecerunt fuſtes, baculi, & funes quibus illum percuſſerunt urgentes ut pergeret. Sine dubio hæc inſtrumenta veſtem in vulnera Chriſti quaſi immerſerunt. Quartò idem fecit ponderoſiſſima crux, præcipuè in humeris, dorſo, & illis partibus, quas potiſſimum tetigit. Quinto non dubito non dubito in graviſſimis lapſibus, dum jacuit ſub cruce in terra, à terra inferius, à pondere crucis ſuperius, veſtes cum ſanctiſſima carne, & lacerata cute fuiſſe magis compreſſas, & quaſi conglutinatas. Vel maxime in hianti, lato, & profundiſſimo vulnere in humeris CHRISTI, uſque ad ipſa oſſa; cui vulneri dum Crux incumbit togam ipſis oſſibus adhæreſcere fecit. Jam cogitate.

§ 30. *In detractione veſtis Chriſtus D. immanes ſuſtinuit dolores.*

Digitized by Google

§.31. *Proſecutio; cum affectuoſa oratiuncula ad B. Virginem.*

Dum toga & veſtis à lictoribus quaſi leonibus magna furia & violentia, etiam ferreis chirothecis à ſanctiſſimo corpore detracta fuit, quo dolore id contigerit, renovata fuerint plurima & præcipua vulnera ſanctiſſimi corporis; quo Chriſti Domini terrore? Semel in vita ſocius fui reo mortis, educto ad rotam cum in loco ſupplicii ante depoſitas in terra crates, dirum inſtrumentum atrocis mortis, miſer reus à lictoribus uſque ad caligas & induſium veſtibus exutus fuit, putavi rumpendum mihi cor præ compaſſione, oculi quaſi recuſarunt videre tam funeſtum ſpectaculum. Memini adhuc, quis fuerit mihi ſenſus, memini quos in corde ſenſerim motus compaſſionis. Quos ſenſiſſem, ſi miſeri rei corpus ante fuiſſet plenum vulneribus? Si dire laceratum? Qualo fuit corpus Chriſti in monte Calvariæ! Loquere ſi potes O afflictiſſima mater! loquimini animæ piæ, ſi ſuſpiria & gemitus permittunt, quis vobis fuerit ſenſus, dum pœnoſam hanc veſtium denudationem, dum hanc lanienam conſpexiſtis? Certum eſt cum toga à corpore ex vulneribus avulſas fuiſſe particulas carnis, & laceratæ cutis, cum guttis plurimis & indurati & recentis cruoris; & hanc veſtem nequiſſimi lictores abiecerunt humi, pedibuſque conculcarunt. In oratione ſancti Ephrem ad B. Virginem pro felici hora mortis cum peculiari devotionis ſenſu ſoleo orare hæc verba: *O Mater Dei, per gladium doloris, qui pertranſivit viſcera pietatis tuæ, cum conſpexiſti manſuetiſſimum illum tuum agnum, inter carnificum manus:* (Scilicet cum in monte Calvariæ ante crucem ſtans veſtibus exueretur) *per exceſſivum dolorem, quem paſſi ſunt oculi tui pleni miſericordia, cum viderent tunicam Ieſu, plenam denſatis ſegmentis carnis & ſanguinis; nec non conculcatam pedibus tortorum ne me deſeras in hora mortis meæ.* Spero ob hanc orationem, ob memoriam doloris, quem in detractione veſtium Jeſus ſuſtinuit in corpore; mater Maria in corde; in hora mortis meæ peculiare aliquod ſolatium.

§.32. *Quos dolores ſuſti-*

Alterum caput ob quod detractio veſtium vel denudatio Chriſti in monte Calvariæ fuit valde pœnoſa, eſt hoc: ante detra-

Digitized by Google

detractionem veſtis, non depoſuerunt ex capite ſpineam coronam, ſed togam inconſutilem, quæ anterius aperta non fuit, elevatam injecerunt coronæ & ſanctiſſimo vertici, & ſic magno impetu veſtem cum ſpinea corona ſupra faciem, & pectus Chriſti detraxerunt. Tormentum inauditum! perpendite ejus circumſtantias. Itaque primo; toga ſpinis implicita, ſpinarum radices, aculeos, cuſpides capiti & cerebro divino immerſas ingenti dolore, & laniena cum ipſa corona extraxit. Secundo, aliquæ ſpinæ longiores in ipſo capite, præcipue quæ inter juncturas oſſium profunde hærebant fractæ ſunt; illarum aculei & cuſpides in ſuis vulneribus fortiter inhærentes, permanſerunt; ut mox novi doloris eſſent cauſa. Tertio; cum ſpinis & avulſa corona veſti implicita, pariter evulſi ſunt multi capilli, præſertim comæ ſputis & ſanguine condenſatæ. videor mihi quaſi videre capillos inter ſpinas, ut delicatam lanam agnorum, cum vepres pertranſeunt. Quarto, ſpinea corona cum veſte à vertice avulſa, dum ſuper faciem & pectus ducta fuit, frontem, oculos, genas, labia præcipue pectus immaniter laceravit; quod in coronatione ante, quod in nocturno carcere præſtiterant Judæorum ungues jam faciunt ſpinæ. Quæſo vos, filiæ Sion conſideraſtiſne unquam tormentum ſponſi veſtri, quod ſequitur. Quinto, dum fortior aliquis ex lictoribus ſpineam coronam in toga adverterat jam adhærere pectori & cordi, forti manu & ferrea chirotheca illam pectori & cordi impegit. O mi amantiſſime Jeſu per hunc ſaltem dolorem, cujus pauci meminerunt, propitius eſto mihi peccatori.

nuerit, in detractione, & nova impoſitione ſpinea corona.

Conſideraſtiſne hoc? Sexto; leo ille, qui coronam ex detracta toga evolvit, totam plenam ſanguine, plenam particulis cutis & carnis, plenam evulſis capillis in ferrea chirotheca tenuit ante faciem & oculos Chriſti, minitans quaſi novam coronationem. Septimo; furia lictorum non fuit contenta minis, duo vel tres de novo ſpineam coronam capiti Chriſti impreſſerunt; vi qua potuerunt. Hinc, octavo, nova vulnera, ſanctiſſimo capiti fuerunt inflicta. Nono; in priora

§ 33. Proſecutio.

priora vulnera ſe inſinuarunt aliæ ſpinæ, prioribus vel craſſiores, vel longiores, vel acutiores vel hebetiores; omnes, novos & acutiſſimos dolores cauſarunt. Decimo, dixi paulo ante aliquos aculeos de ſentibus fractis manſiſſe in profunditate vulnerum, præcipuè inter juncturas oſſium, cum novæ ſpinæ eadem vulnera penetrarunt, ſuis aculeis, maximè hebetiores & craſſiores priores cuſpides profundius adhuc & fortius in caput ei ipſum cerebrum Chriſti magna vi adegerunt. O filiæ Sion, cum in recitatione Roſarii piis cogitationibus in tertia decade egredimini, ut videatis ſponſum veſtrum in diademate ſpineo, quo coronavit eum crudelis mater ſynagoga, advertite, quas cogitationes fovere poſſitis. Scio, conſideraſtis hactenus ſæpe dolores, quos ſponſus veſter ſuſtinuit in coronatione, forte non ita illos, quos ſpinea corona cauſavit in crucifixione. Cum hodie viſitabitis ſepulcra, dicite devote Roſarium; ad verba, benedictus Jeſus talia ego cogitabo. ah, qua furia in monte Calvariæ meo Salvatori cum veſte detracta eſt ſpinea corona; ah benedictus Jeſus, qui pro me tales ſuſtinuit dolores! hæc cogitabo, quis fuerit dolor in capite Chriſti, cum novæ ſpinæ nova quæſiverunt vulnera, cum &c. (eſt locus pro brevi, affectuoſa repetitione prædictarum circumſtantiarum) dicam proinde ferventer, *Benedictus Ieſus.* Sancta Maria Mater Dei propter dolores benedicti cordis tui, in hoc myſterio, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis noſtræ Amen.

§. 34. *De myrrhato vino.* Si piis picturis, quæ in ſancto Evangelio fundamentum habent, credimus, Chriſtus Dominus ſic denudatus & ſpinea corona rurſum redimitus, quia foramina necdum omnia parata, ſedit pro aliqua quiete, (ſi tamen quies illi in his tormentis eſſe potuit,) in aliquo ſaxo; in quo, loco myrrhati vini, quod reis piæ matronæ ſubmittere ſolebant, obtulerunt illi acetum & fel. quod cum nollet bibere, ipſam crucifixionem lictores aggreſſi ſunt. Totum hoc myſterium Evangeliſtæ duabus voculis deſcripſerunt: *Crucifixerunt eum* ut noſtris meditationibus & conſiderationibus latior pateat campus.

Cele-

Digitized by Google

§. 35. *Ex aliquorum opinione Christus cruci fuit affixus jacens humi. Quomodo.*

Celebris inter interpretes & ſanctos Patres eſt quæſtio, an Chriſtus Dominus ſit crucifixus humi, jacens in terra, vel in alto, ſtans in aliquo theatro. Utraque ſententia doctos & pios habet patronos. Secundum priorem, lictores, poſtquam foramina in trunco crucis præparata fuerunt, Salvatorem brachiis & pedibus magna furia apprehenſum ſuper crucem poſuerunt, atque toto corpore crudeliter extenderunt. Piæ revelationes referunt Chriſtum Dominum, antequam à lictoribus dejiceretur in terram, prius ultro ante crucem ruiſſe in genua cum interno cordis ſuſpirio: O bona crux, diu deſiderata, ſolicite amata, ſine intermiſſione quæſita, & cupienti animo præparata, accipe me, & redde me Patri meo, & mihi da meos electos, pro quibus libenter moriar. Ita pater, non mea, ſed tua voluntas fiat. Mox Chriſtus Dominus partim crudeliter à crucifixoribus in cruce extenſus fuit, partim ipſe volens & lubens brachia, manus, pedeſque extendit. A dextera factum eſt initium; illam impoſuerunt ſupra præparatum foramen, & ne movere poſſet, prius forti fune cruci alligarunt, ut divinus ſanguis magna copia ceſſerit in extremos digitos. Tum unus impoſitum clavum ferreo malleo per Chriſti manum & lignum crucis, quinque vel ſex ictibus fortiſſimè adegit. Ah mi Jeſu tuos dolores! quia tali clavo non cutis tantum & caro, ſed arteriæ & nervi læſi, imo rupti & diſcerpti fuerunt, fons ſanguinis ebulliit, dum clavus manum penetravit, zerbrach das Fleiſch/ es öffnet ſich die Haut es zerthenneten ſich die Nerven/ es verruckten ſich die Arme/ es umbkehrten ſich die Knotten / es erhebte ſich die Bruſt/ es bewegten ſich alle Gebein/ es zergliederten ſich alle Glieder/ ꝛc. Ad clavorum terebrationem, ad cutis & carnis lacerationem, ad nervorum rupturam, puto omnia membra ſanctiſſimi corporis, præcipuè pectus & cor Jeſu cohorruiſſe & tremuiſſe. Accede huc impie & pertinax peccator! qui tua dextera per horrenda ſcelera Deum tuum offendis. Tu, tu es ille carnifex, tu dexteram tuam armas malleo,

tu acuis clavos, tu es crudelis percuſſor, tu laceras carnem Salvatoris tui, tu ſanguinis fontem aperis, tu pectus, corpus & cor Jeſu contremiſcere facis. Vin' audire quænam ſcelera dexteræ tuæ ſint novus malleus, & novi clavi qui vulnerant dexteram tui Salvatoris? verùm non lubet mihi hodierna die, in hac concione, vel memoriæ ſcelerum tuorum inhærere. Hoc fac, rue deinde in genua coram crucifixo, dole de tuis peccatis, deteſtare ſcelera, & per dolorem dexteræ manus roga Jeſum, ut illa ſuo ſanguine deleat.

§.36. *Proſecutio.* Conclavata dextera venerunt ad ſiniſtram, quæ cum præparatum foramen non attingeret, aliud non fecerunt, ſed ad majorem torturam, alligato forti fune, brachium ſiniſtrum, juncturas cubitorum, nexus in humeris, pectus, dorſum, ipſum brachium dexterum jam cruci affixum, tam diu, tam fortiter, tam crudeliter, veluti in equuleo diſtraxerunt, & extenderunt, donec lævæ palmæ foramen attigit, tum & illam trabali clavo fortiſſimis percuſſionibus affixerunt, ebulliitque alter fons ſanguinis, & fluvius paradiſi. Ah mi Jeſu! tuos dolores! ah afflictiſſima mater, quis tibi ſenſus, cum clavorum & percuſſionum, malleorumque ſonus, tuas aures, præcordia pectoris, & ipſum cor altiſſime penetravit.

§.37. *Putant alii ſiniſtram fuiſſe conclavatam ante dexteram.* Dicunt alii certum non eſſe, an prius affixa fuerit dextera manus, an ſiniſtra, hactenus peculiarem inveni cauſam, ob quam aliqui dicunt barbaros carnifices prius manum ſiniſtram ſupra præparatum foramen alligaſſe forti fune, ne movere ſe poſſet, & prægrandi clavo affixiſſe, hac intentione, ut quia vicinior eſt cordi, cor Chriſti ſtatim immani laceratione nervorum, qui ex corde in manus extenduntur, terreretur, & concuteretur. & factum eſt, quamprimum enim clavi nervos ſciderunt, & lacerarunt, illi verſus cor ſe contraxerunt immani dolore. Craſſitudo & anguli clavorum aliquas venas cum carne ad ſe traxerunt, dieſelbige Nägel/ haben das Fleiſch/ die Haut/ die Nerven mit ſich in die Löcher durchs Holtz geriſſen/ derentwegen/ die Ader und Nerv/ in heiligen Leib biß zum Hertzen/ über die maſſen geſpannet/ oder gantz zerriſ-

Digitized by Google

zerriſſen worden. O Pater benigniſſimè! ubi tua miſericordia adverſus benigniſſimum filium.

Major difficultas fuit in affigendis pedibus. Aliqui putant quemvis ſeparatim ſuo clavo fuiſſe affixum; aliis placet modus, quo plerumque utuntur pictores, ut duo ſimul unico clavo crudeliter fuerint cruci confixi. Ruptis jam nervis in manibus, in pedibus, non eſt dubium, quin per ſanctiſſimum corpus immani dolore fuerint contracti, aliis integris cum inexplicabili tormento diſtractis & extenſis. Super verba Pſalmiſtæ. *Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia oſſa mea,* dicunt ſancti Patres non fuiſſe ullum oſſiculum in corpore Chriſti, nullum nervum, nullum muſculum, nullam juncturam inter membra, quæ ob horribilem hanc diſtractionem non fuerit mota loco, cum ingenti tormento. Omnia hæc myſteria in ſe comprehendunt hæ duæ voculæ, *crucifixerunt eum.* id eſt. Chriſtus jacens humi clavis fuit cruci affixus.

§. 18. De affixione pedum.

Pſ. 21. v. 18.

Quod ſequitur eſt plane triſte & crudele. Ah mi Jeſu, Deus cordis mei, notum tibi eſt, quam heri & hodie ante crucem devote flexerim genua mea, nota tibi ſunt deſideria pectoris mei, quæ tibi aperui; non ignoras, me conatum eſſe, illa quæ dicturus ſum, rigare lacrymis contriti cordis, ut ſuavius influant in aures meorum Auditorum. Ah mi Jeſu! move omnium præſentium corda, ut audiant cum compaſſione, cum contritione, cum internis lacrymis (ſaltem animæ piæ, quæ te amant, quæ gratæ tibi eſſe cupiunt pro tuis doloribus) illud tormentum, quod jam dicam. Quia clavi fuerunt longiores, ut cuſpides totum truncum penetrarint, ne ponderi corporis in alto cederent, crucem cum affixo jam corpore verterunt; & ita Jeſus crucifixus, facie, capite, ſpinea corona, ore, pectore, prono corpore jacuit humi, dum interim unus ad dexteram, alter ad ſiniſtram, alii ad pedes, ferreis malleis, forcipibus, repercuſſionibus, cuſpides clavorum intorſerunt. quis explicet, quos dolores ita repercuſſi clavi cauſarint in manibus, pedibus & toto corpore; quomodo vulnerarint dila-

§. 19. Affectuoſa circumſtantia crucifixionis, & immanis Chriſti D. dolor.

& vulnera fuerint dilatata, quomodo de novo tremuerint nervi, potiſſimum illi, quos clavi ob anguſtias foraminum ex ipſis vulneribus, inter lignum & clavos extraxerant. Neque hæc fieri potuerũt, quin facies, pectus & alia membra Chriſti ad terram, ad ſaxa, ad lapides fuerint alliſa, quin ſpinæ capiti adhuc profundius fuerint impreſſæ. Dum hæc audio, dũ talia tormenta Chriſti cogito, dũ illa eloquor aliud gemere, aliter ſuſpirare non libet, quam ah mi Jeſu! ah mi Jeſu! cur non viciſſim amo te. Poſteaquam ita humi Chriſtus Dominus fuit cruci affixus; magno clamore, brachiis, humeris, ſcalis, furcis, funibus crucem elevarunt, permiſeruntque cadere in præparatam ſcrobem. Ob vim concuſſionis benedicta Vulnera de novo ſtillarunt copioſum ſanguinem, qui per Chriſti membra & crucem defluxit in terram. Hæc eſt prima opinio de modo crucifixionis.

§.40. *Secundum alios ſtans, in erecto theatro fuit affixus cruci.*

Altera opinio ſic illam contigiſſe putat. Dum pars carnificum Chriſtum Dominum veſtibus ſpoliavit, dum felle & aceto potarunt, alii poſt parata foramina crucem elevatam inter ſaxa & ligna in terra firmarunt, & ante illam uſque ad præparata foramina pro pedibus erexerunt parvum theatrum pro octo vel decem perſonis. Per applicatas ſcalas primi aſcenderunt cum clavis, funibus & malleis: deinde inter lictorum manus Chriſtus Dominus aſcendere debuit, vel potius voluit. Quamprimum in altum venit, dum jam ob omni circumſtante populo videretur, coram cruce ruit in genua, illamque ſanguineis brachiis veluti ſponſam ſuaviſſimè fuit amplexatus. Mox ſurgens ſtans ante crucem ipſe brachia extendit, & ſimul aliqui dexteram, alii ſiniſtram clavis affixerunt cum magna properatione & feſtinatione, timentes ne antequam penderet in cruce, mortuus corrueret. Ob eandem cauſam, dum alii per manus adegerunt clavos, brachiis & funibus ſanctiſſimum corpus ad crucem fortiter tenuerunt.

§.41. *De clavis; & cauſa peculiari*

Non poſſum hac concione referre plures piiſſimas conſiderationes ſanctorum Patrum ſupra illam crudelitatem, qua clavi per manus & pedes Chriſti adacti ſunt. Sanctæ Bri-

gittæ

Digitized by Google

gittæ revelatum fuit, unum ex tribus vel quatuor, non tranſiiſſe manum & truncum crucis, niſi poſt viginti octo, graves & fortes ictus. O peccatores; verè non eſtis memores dolorum, quos piiſſimus Jeſus pro vobis ſuſtinuit, alioquin novis ſceleribus non offenderetis. Modo mihi permittite, ut in memoriam vobis revocem converſionem boni latronis. Variæ afferuntur ejus cauſæ. Sanctus Hilarius affert unam materiæ meæ plane peraccommodam. Et credo (ait) eum, ad hanc beatæ confeſſionis fidem, auditus, tranſeunte palmas clavo, gemitus accendit. id eſt, forte piiſſimus Jeſus inter immanes dolores, inter atrocem conclavationem nonnihil ingemuit, ah Pater; ita Pater! hic gemitus per aures illapſus in cor latronis, qui vicinus jam pendebat in cruce, cor ejus ita permovit, ut exclamarit *Domine memento mei &c.* hic gemitus, in latronis corde excitavit contritionem &c. Si forte aliquorum corda corde latronis ſunt duriora vos ſaltem auditores obſecro, ut gemitus Jeſu, ut ejus dolores, ut vulnerata brachia vos hodie moveant ad ſeriam pœnitentiam. O obſtinate peccator, an gemitus Chriſti te non movent? an adhuc opus eſt minis? audi. *converſionis, boni latronis.*

Fuit Salvatoris nobili Virgini, per vota in monaſterio Deo dedicatæ. decepta à diabolo, poſtquã multis annis devotiſſime Deo ſerviiſſet, eo devenit ut ſtatuerit nocte exire ex monaſterio. adulta nocte omnibus altum dormientibus conclavi egreditur verſus murum, per quem ſe evaſuram ſperabat. fortuna fuit, quod neceſſe fuerit tranſire imaginem crucifixi, antequem ſtabat triſtis mater ob devotionem celeberrima, excœcata Virgo intendebat tranſire celerrimè; ſed vix tranſiit, cum ex imagine inſonuit vox, *Quo properas infelix? cur præ dæmonio filium meum abdicas?* territa fuit, tamen perrexit, concupiſcentia excæcarat oculos, obturarat aures. O inauditum miraculum! imago Chriſti de ligno crucis ſe ſolvit, & clavum ex dextera manu & cum dextera manu tam fortiter projecit in faciem, ut territa cum ſanguineo vulnere ſemianimis corruerit in terram; deinde rediit ad crucem, plane priori modo affixa, excepto brachio, & *§. 42. Tragica Hiſtoria.*

 dexte-

Ecce ferreus eſt, ſed ardens, accenſus flamma divini amoris, & nihilominus cor tuum frigidum manet.

§. 45. *De titulo crucis.*

Poſtquam etiam pedes Chriſti cruci affixi fuerunt, celeriter unus affixit titulum I.N.R.I. & lictores deſilientes de theatro, illud amoverunt, ſolverunt funes quibus alligarant corpus Chriſti, quod tum ex ſolis clavis pependit, ſtetitque coram omnium oculis crux cum Jeſu inter duos latrones. Hæc opinio ex duobus capitibus valde eſt probabilis. Primo enim, ſic ab immenſa populi multitudine crucifixio potuit ſpectari. Secundo ob eandem cauſam hic modus eſt terribilior.

§. 46. *Figura Chriſti pendentis in cruce.*

Ego Auditores, dum Chriſtum crucifixum, in cruce elevatum videre mihi videor hæc cogito. Jam ex cruce pendentem video, non æneum Moſis, ſed ſerpentem vivum, qui ſua morte in cruce ſuffocavit ſerpentem inferni. Elevate & vos Auditores veſtros oculos, aſpicite hunc vermem, ſanat vulnera ſerpentium ignitorum. Jam video verum agnum Paſchalem, aſſatum flammis amoris in ligno crucis. Jam video botrum cypri pendentem in vite crucis, vel in arbore vitæ. Jam video fortiſſimum Samſonem amplectentem columnam crucis, cum quibus regnum Satanæ & portas inferni dejiciet. Jam video in monte orantem verum Moyſen; ne brachia decidant, clavis ſunt affixa. Jam video fontem vitæ, qui in cruce ſe dividit in quatuor fluvios paradiſi. Salit fons unus ex manu dextera &c. Fons per varios canales ejiciens aquas; Canales, nervi, venæ, vulnera, aqua, ſanguis. Jam video arborem vitæ plantatam in monte Calvariæ, rigatam ſanguine filii Dei, cujus fructus non mortem & maledictionem, ſed vitam & benedictionem generant.

§ 47. *Revelatio facta S. Brigittæ ſive, Affectuoſa deſcriptio Chriſti crucifixi.*

Sancta Brigitta in ſuis revelationibus peculiare aliquid notavit libro quarto capite ſeptimo. Tunc color mortis in partibus, quibus præ ſanguine aſpici potuit, acceſſit, præterea labia inceperunt diſtendi, dentibus maxillæ inhæſerunt, conſequenter labia ut dentes tegere non potuerint. paulatim idem contigit in oculis. paulatim capilli quantum per co-

ronam

ronam ſpineam licuit, inceperunt aſſurgere & horrere: barba ejus ſuper pectus ejus cecidit (NB vide ut hunc locum pulchrè amplifices per circumſtantias morientis corporis humani, ſed ex ſcriptura, & præcipuè ex Pſalmis.) Addit ſancta Brigitta illo tempore, quo Chriſtus pependit in cruce, omnes homines in toto mundo ſenſiſſe aliquem dolorem, non ſcientes unde; & quid mirum? ſi ſol ita ſenſit, ut fuerit obſcuratus, ſi petræ ſciſſæ ſunt, quid mirum ſi ſenſerint membra dum caput pependit in cruce. O auditores quomodo ergo nos modo ſine dolore, (ſine N.N.) talia audire poſſumus.

§. 48. *In epilogo, pro gratiarum actione, diſtribuuntur aliqua inſtrumenta paſſionis.*

Verum modica arena, quæ ſupereſt me monet, ut finiam. Finire tamen non poſſum, niſi in gratiarum actionem erga meos Auditores, quod benevole me audiverint, cum Jeſu meo ſim liberalis, imo & abſentes cupio liberalitatis meæ eſſe participes. Feci hac concione mentionem Togæ inconſutilis Chriſti Domini, ſpineæ coronæ, illarum ſpinarum quæ fractæ, &c. ſanguinis quem effudit copioſe, clavorum, vinculorum, quibus & manus & corpus Chriſti in cruce fuit alligatum. Feci mentionem veli beatæ Virginis, ſtrophioli ſanctæ Magdalenæ, capillorum Chriſti, fellis & aceti, crucis, malleorum, ſcalarum, & afflictiſſimæ Matris. Omnia hæc liberaliter cupio diſtribuere. Tunica inconſutilis Salvatoris, præcipue ſanguinolenta, eſt ſymbolum unionis & concordiæ, quæ in vera Eccleſia requiritur. Sanctiſſimo Patri Clementi X. Auguſtiſſimo Imperatori, Regibus Catholicis Electoribus, Omnibus Principibus & ſtatibus Imperii offero hanc veſtem Chriſti. Precor illam unionem quam hodie in cruce per ſuam mortem & ſuo ſanguine intendit facere. Spinea Corona Summo Sacerdoti ad aram crucis fuit quaſi infula, in qua ſacrificium crucis cœleſti Patri obtulit. Hanc offero Eminentiſſimo noſtro Principi Electori. Nil ditius offerre poſſum. Ubi eſt corona Chriſti, eſt felix regimen; ex hac corona, ex his ſpinis creſcunt roſæ æternæ gloriæ; felix & diuturnum regimen in terris, æternam gloriam Eminentiſſimo noſtro Principi Electori apprecor ex intimo corde.

Spinæ

Digitized by Google

Spinæ quæ ex corona fractæ fuerunt, & immerſæ capiti & ſanguini Chriſti, ingens ſunt theſaurus. Unam ex his offero Eccleſiæ cathedrali, aliam Collegiatæ Sancti Andreæ &c. Reſiduas diverſorum Ordinum religioſis. Sanguinem copioſe effuſum offero Nobilitati, ut in illo legant, in quo conſiſtat nobilitas ſanguinis. Unum ex clavis, quo Conſtantinus Magnus deinde uſus fuit in fræno, offero Magiſtratui, & Eccleſiaſtico & Politico, ut &c. Vincula, quibus &c. offero conjugatis. Sunt ſymbolum amoris & unionis, quæ illis ſunt neceſſaria. Crux eſt Matrimonium, & gravis crux, unita tamen, & levior, ſi alligati ſunt vinculis mutui amoris. Sine his vinculis matrimonium crux eſt graviſſima. Viduis & afflictis dono ipſam crucem. ut juxta hanc ſtent cum beata Virgine in fortitudine & patientia Chriſtiana, quam diu Deo placuerit. Amari ſunt fructus crucis in hoc orbe; in altera vita creſcunt in illa fructus gloriæ & lætitiæ. § 49. *Proſecutio*

Juvenibus & Virginibus dono offero velum Beatæ Virginis, & ſtrophiolum Magdalenæ. fuerunt ex mundiſſima byſſo. Involvit unum ex clavis, qui vocatur timor Domini; & pro illis, qui ſuperbiunt in capillis, addidi ſanguineas comas Salvatoris crucifixi; in iis veluti ſpeculo videre poſſunt, quomodo ſe debeant ornare. Adverti his diebus cum magno luctu, adverterunt alii cum magno ſcandalo, fabulatores, nugatores in templo ſub Miſerere; illis offero fel & acetum &c. pulchre &c. & malleos; his deberent contundi illæ linguæ. Supereſt peccator & erga hunc cuperem eſſe liberalis, ſed nihil ex jam dictis offerre audeo: Non togam; timeo ne rurſum conculcet pedibus, ne per aleas perdat & vendat pro leviſſima voluptate; Non ſpineam coronam, timeo ne iterum imponat capiti Chriſti. Offerrem libenter unam ſaltem aut alteram ſpinam, ſi ſcirem transfigendum cor ad timorem Domini & pœnitentiam, ſed timeo, ne cerebro JESU profundius immergat. Non Chriſti ſanguinem, timeo ne denuo polluatur, & vindictam clamet. § 50. *Proſecutio.*

Non clavos, ne filium Dei ſibimetipſi rurſum crucifigat. non vincula, non crucem, non fel & acetum, timeo, ne &c. Scio quid faciam, ſupereſt Mater Doloroſa. O impii ad hanc confugite &c. Pro me Auditores ſervavi mihi benedicta vulnera mei Salvatoris; ibo ibo, & in his hac ſeptimana me abſcondam, eſt locus pro pulchro affectu.

Itane? erga meipſum, erga meos auditores, erga abſentes ita ſum liberalis? & quid retribuam Domino, quid retribuam Jeſu meo? quod &c. Hoc quod ſum &c. Sed ſcio me gratius Jeſu meo nihil poſſe offerre, quàm ſi dicam cum Stephano Alb. ex exordio. Diu noctuque, &c. & cum ſancto Bernardo, Quocunque iero &c. Idem facite Auditores (poterit fieri affectuoſus Epilogus.)

CONCIO XXI.

DOMINICA RESURRECTIONIS.

Nolite expaveſcere; Ieſum quæritis Nazarenum, Crucifixum: ſurrexit, non eſt hic.

Marc. 16. v. 6.

SYNOPSIS CONCIONIS.

TRiumphavit Chriſtus D. per mortem crucis de ſuis hoſtibus, & noſtris: hinc ſeges, Paſchalis lætitiæ.

§. 1. *Poſt pericula, ſi ex illis liberemur, magis gaudemus, & lætamur.*

§. 2. *Merito ergo exultamus in glorioſa Chriſti Domini Reſurrectione.*

§. 3. *Chriſtus D. per ſuam mortem, ita abſtulit timorem mortis, ut electi libenter moriantur.*

§. 4. S.

§.4. *S. David non timuit mortem; ob præviſam Virgam crucis.*

§.5. *Maria quoque Virgo, eſt Virga; Sanctiſſima crux Filii ſui baculus: in horum præſentia dulce eſt mori.*

§.6. *Quare Simeon cum gaudio dixerit, nunc dimittis &c.*

§.7. *Quomodo Elias fugerit à facie Iezabelis, timens mortem: quare mox non timuerit.*

§. 8. *Diabolum quoque vicit Chriſtus Dominus.*

§.9. *A Crucifixo, Cruci fuit affixus.*

BEne dixit Doctor Angelicus 1. 2. q. 32. a. 4. *Memoria triſtitiæ ſit cauſa delectationis propter ſubſequentem evaſionem*, & Euripides in Medea: *Geminatur lætitia, cum ſuccedit adverſitati proſperitas.* Secundum S. Auguſt. plerumque magnum gaudium præcedit aliqua calamitas. Fortis aliquis belli dux, procedit obviam ſuo hoſti, pugnat generoſe, læditur, vulneratur, concurritur diu dubia victoria; cum tandem inimicæ phalanges franguntur, cum fugiunt, cum belli dux ſe videt victorem; *tum triumphat victor Imperator, & quanto majus periculum fuit in prælio, tanto majus eſt gaudium in triumpho.* Navigant mercatores in Indias, in medio curſu exoritur ſæva tempeſtas, quales timores? qualia pericula? tandem pacatur mare, ſedantur venti; *Et exultant nimis, quia timuerunt nimis.* Infirmatur unicus filius alicujus Patris, & Matris, fertur ſententia à medico, nullam ſpem vitæ ſupereſſe. O gemitus! lacrymas optimorum parentum! Repente præter omnem ſpem convaleſcit filius. *& fit tum tale gaudium, quale non fuit cum antea fortis & ſalvus ambularet.* §. 1. *Poſt pericula, ſi ex illis liberemur, magis lætamur & gaudemus.*

O dulciſſime Jeſu! tu hodie es ille belli dux; tu his diebus pugnaſti cum diab. morte & ſynagoga? quos dolores non ſuſtinuiſti, &c. quot vulnera excepiſti? quantum ſanguinis effudiſti! ſed hodie redis glorioſus victor, & triumphator hoſtium. Tu fuiſti ille nauta, quem terribilis tempeſtas demerſit; ſed hodie facta eſt tranquillitas magna. O electe fili, quo dolore ſacroſ. tua Mater aſpexit te mori in cruce. Quia ite- §. 2. *Merito ergo exultamus in glorioſa Chriſti Reſurrectione.*

rum vivis &c. quid mirum quod hoc tuum prælium, tua tempeſtas, tua mors, ſit nobis cauſa magnæ delictionis, hic pone p. ſuperius dicta &c.) Devicti hoſtes ſunt mors & diabolus; quo ſenſu victi ſint, hac concione vobis proponam.

§. 3. *Chriſtus D. per ſuam mortem ita abſtulit timorem mortis; ut electi libenter moriantur.* Mortuus eſt Filius Dei in cruce; ſed ut moriendo vinceret mortem & nos à timore mortis liberaret. S. Paulus ait. *Communicavit carni & ſanguini, ut per mortem deſtrueret eum qui habebat mortis imperium & liberaret eos, qui timore (quod contigit feſto glorioſæ Reſurrectionis) mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti.* His diebus dicere potuimus cum Eccleſ. *O mors quàm amara eſt memoria tua.* hodie dicendum eſt, O mors, quam, talis inſecuta fuit reſurrectio, quam dulis eſt memoria tua! *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum* dixit Sapiens. Per mortem Chriſti rediit vita. Hoc quidem paſſio Chriſti non efficit, ut plane non moriamur morti temporali; manet hoc decretum, *Omnibus hominibus ſtatutum eſt ſemel mori*; *Sed Chriſtus D.* ait S. Thomas, *per mortem ſuam abſtulit timorem mortis* (1. Petr. 3. *Deglutiens mortem.* S. Paulus 1. Cor. 15. *Abſorpta eſt mors in victoria*) *& per conſequens amorem vitæ præſentis: quando enim conſiderat homo, quod Filius Dei Dominus mortis mori voluit,* (& tam glorioſus deinde reſurrexit, in gloria, &c. quales & nos cum Chriſto reſurgemus &c. p. quisquis hæc duo conſiderat) *non timet mori.* imo S. Paulus auſus fuit dicere, *Deſiderium habens diſſolvi & eſſe cum Chriſto.* Credo equidem; quis hodierna glorioſa die, non deſideret eſſe cum Chriſto; id eſt, impatibilis, qualis Chriſtus reſurrexit; immortalis, ut ipſe; in corpore glorioſiſſimo, ut ipſe; in gaudiis & lætitia. Si in monte Oliveti, ſi ad columnam &c. volupe nobis fuit, & eſt eſſe cum Chriſto; quale nobis erit gaudium, eſſe cum illo in cœlo. Quisquis hæc cogitat, non timet mori; & hoc ſenſu Jeſus ſua morte victi mortem, non quod non debeamus mori, ſed quod electi libenter moriantur, ut intrent gloriam & ſint cum Chriſto Dom. in omnem æternitatem.

Heb. 2. v. 14. *Eccleſ. 41. v. 1.* *Sap. 2. v. 24.* *1. Pet. 3. v. 22.* *1. Cor. 15. v. 54.* *Philip. 1. v. 23.*

§. 4. *Sanctus* Sanctus David tam parum timuit mortem, ut auſus fuerit di-

rit dicere. *Nam & ſi ambulavero in medio umbra mortis non timebo.* & de qua umbra loquitur regius Pſaltes? Putant aliqui locutum fuiſſe de variis miſeriis, pœnis & periculis hujus mundi. Bellarminus ait, locutum fuiſſe de materialibus tenebris, quas in homine, claudendo illi oculos cauſat; S. Gregorius M. l. 4. mor. c. 17. ſuper verba pſ. 43. *Quoniam humiliaſti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos umbra mortis. Quos conſtat, ait, non ſpiritu, ſed ſola carne mori*, id eſt, precioſa morte ſanctorum *nequaquam vera morte, ſed umbra mortis dicuntur operiri. Vera mors eſt, qua anima ſeparatur à Deo, umbra vero mortis eſt qua caro ſeparatur ab anima.* & hanc mortem ait David ſe non timere. Sed unde intrepidus ille animus? cur non timet Rex ut moriatur &c. ipſe cauſam addit, *Quoniam tu mecum es. Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* Euthymius. *Quidam per Virgam & baculum crucem intellixere; ex duabus enim partibus crux componitur, quarum rectam baculum dicunt, à quo erecti ſumus, cum in errore jaceremus: tranſverſam vero, Virgam eſſe ajunt, per quam concuſſit Dominus ac confregit dæmones.* Caſſiodorus. *Vmbra mortis abſolutè diabolus eſt, qui obſcurè nobis laqueos ponit, ut per nebulas ipſius decepti, in æterna mortis præcipitium corruamus.* Sed cantemus domino, laqueus contritus eſt, nos liberati ſumus. p (pone aliquot laqueos) ſuis laqueis per mortem Chriſti ſuffocatus eſt diabolus. In ſignum victoriæ, hodierna die, in glorioſa Reſurr. ſignũ crucis, in quo his diebus pependit in ſumma ignominia, & ſummis doloribus, hoc inquã ſignum cum vexillo gloriæ præfert manu dextera; SS. Crux, fuit baculus quo percuſſit inimicos. SS. Crux fuit gladius, quo præſcidit caput Goliathi; fuit lancea, qua jugulavit mortem. Non eſt cur impoſterum timeamus mortem; in eodem victorioſiſſimo ſigno poſſumus percutere, confringere & vincere noſtros inimicos. Si moriamur cum Chriſto in cruce; cum eodem reſurgemus in gloria.

David non timuit mortem, ob præviſam virgam crucis. Pſ. 22. v. 4.

Solatio plena eſt gloſſa Hug. Card. ſuper illa verba, *Virga Virga, &c. Virga dicitur B. Virgo, baculus crux: hæc duo vere conſolantur nos in omni tribulatione.* Hoc nomine Iſaias cap. 11. de illa prophetizavit, *Egredietur, virga de radice Ieſſe,*

§. 5. Glorioſa Virgo eſt Virga, SS. Crux Filii ſui baculus

Digitized by Google

In horum præſentia dulce eſt mori. *Ieſſe, & flos de radice ejus aſcendit.* itaque, Virgo Virga eſt, flos filius ejus Jeſus! His diebus radix hujus Virgæ benedictum cor afflictiſſimæ Matris fuit plenum abſynthio & amaritudine; medium cordis tetigit dolor: fuit virga inter ſpinas. Hodie refloruit Virga, *Virga Virgo dulciſſima* in gaudiis in deliciis ob glorioſam filii Reſurr. Filius ejus Jeſus his diebus fuit percuſſus à Deo, quaſi leproſus hodie in glorioſa reſurr. flos eſt pulcerrimus, flos divinus &c. Hæc duo, & pios hodie ita conſolantur, ut in præſentia Jeſu & Mariæ non timeant umbram mortis; quod morti & cruci Chriſti aſcribendum eſt, qui vicit mortem.

§.6. *Quare Simeon cum gaudio dixerit, nunc dimittis. Luc. 2. v. 35.* Luc. 2. vix venit Virgo in templum & filiolum ſuum obtulit æterno Patri, cum cœleſti luce illuſtratus Simeon infantem accepit in ulnas, benedixit & matri dixit: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Dion. Carth. *Gladius hoc eſt, amariſſimus dolor, quo anima tua implebitur cum videris Filium tuum occidi.* ante biduum vidimus ſub cruce hanc prophetiam fuiſſe adimpletam, & mox Simeon animo intrepidè ait, *Nunc dimittis ſervum tuum.* q.d. Vidi Jeſum, vidi Mariam, nunc libenter moriar. Vidi Filium Dei, qui pro humano genere morietur, occidetur in cruce, nunc non timeo mori. Origenes hom. 15. in S. Lucam. *Quis eſt autem, qui de ſæculo iſto recedit in pace* (quinam ſunt illi qui cupiunt diſſolvi &c. qui libenter deſerunt mundum &c.) *niſi qui intelligit, quod Deus erat in Chriſto* (dum mortuus eſt, dum ſanguinem fudit &c.) *mundum reconcilians ſibi.* Multò magis, qui ſimul intelligit Chriſtum D. poſt mortem glorioſum reſurrexiſſe, & credunt, & ſperant mortem temporalem ſibi fore oſtium ad eandem gloriam, in quam Chriſtus ingreſſus eſt, multò magis inquam hi mori non timent, Chriſtus D. mortuus eſt, ut à timore mortis nos liberaret. Gaudium, ſolatium, voluptas quæ inde in cordibus noſtris oritur, eſt fructus glorioſæ Reſurrectionis.

§.7. *Quomodo Elias fugerit à facie* ... Cum Elias intellexiſſet vitæ ſuæ ſtrui inſidias ab impia Jezabele, *timuit, & ſurgens abiit.* Elia, nonne tu es ille Propheta, qui evocato de cœlis igne tot milites conſumpſit? nonne

nonne tu es ille vir, qui cœlos claudere & aperire potes? Nonne tu es, quem, ita Achabi terrere non potuit, & mulierem times? Interea, eccur mortem ita times, &c. Reſp. S. Joannes Chryſoſt. hom. de Elia & Petro, *Deus declarare voluit miracula illa, quæ oſtenſa fuerant, non ab Elia ſed ſua potentia facta fuiſſe. Vide quid faciat, quo tempore Deus ipſe operabatur: Reges, Principes & populi ſuccumbebant Eliæ; cum Deus abſceſſiſſet, etiam mulier una Prophetæ illi terribilis viſa eſt.* In Jezabele agnoſcite mortem, quæ ante adventum Chriſti omnibus fuit terribilis. Sed comitemur prius Eliam. Ex timore à facie Jezabelis fugit in deſertum, *cumque* (totus feſſus & languidus) *veniſſet, & ſederet ſubter unam Iuniperum, petivit animæ ſuæ, ut moreretur.* O Elia! nonne fugis Jezabelem? nonne timuiſti, ne te occidat? & umbra juniperi timorem pepulit, animos addidit; ſub hac umbra cum gaudio vis mori? Pulcrum myſterium advertit Rupertus Abbas: quod Elias in ſpinoſo junipero agnoverit myſterium Paſſionis & mortis Chriſti in cruce, cujus myſterii agnitione ita illuminatus fuit, & animatus illa morte, ut mortem nihil amplius timuerit: *Confugit ad vivificum crucis lignum, illic ambit mortem, illic feſtinat commori Chriſto*, ut cum eodem fiat particeps gloriæ. Allegoria Juniperi valde placuit Dion. Carth. cum dixit, *Per ſpinoſam Iuniperum, cujus umbra fugat ſerpentes, & ſub cujus cineribus diu conſervatur ignis, intelligitur crux Salvatoris, in qua ipſe mortis aculeos toleravit, quæ ſua virtute fugat dæmonia, & cujus memoria ignem conſervat divini amoris toto vitæ hujus curriculo, in animo devoti meditatoris. Sub hac cruce debemus ſedere, hoc eſt, amoroſo revolvere corde, quid, quanta & qualia pro nobis paſſus ſit filius Dei.* (hoc fecimus his diebus; hodie debemus meditari, quàm glorioſus reſurrexerit, & petemus ut Chriſto confirmemur, ut illi compatiamur, & commoriamur, & deinde cum eodem ad gloriam reſurgamus. Cum dolore his diebus ſpectavimus Salvatorem in diademate ſpineo, quo divinus vertex fuit transfixus, ſed iidem aculei transfixerunt capita draconum, caput ſerpentis, caput mortis, caput peccati. Sed ſpinæ non am-

Iezabelis, timens mortem. quare mor non timuerit. 3 Reg. 19. v. 3.

Digitized by Google

amplius ſunt in capite Chriſti, corona ſpinea mutata eſt in auream. Rupertus Ab. *Nolite videre quod his diebus fuerit ſpinea; non cogitate tantũ calamum fuiſſe ſceptrum, ſed videte ſimul, ſummum cœli & terræ imperium cum calamo illo & propter calamum eſſe datum, & omnem poteſtatem in cœlo & in terra.* Hodie *egredimini filiæ Sion &c.* In capite infernalis ſerp. manet ſpina, quæ in totam æternitatem, nõ evelletur, ſub umbra Juniperi, apud Chriſtum D. quæramus refrigerium & quietem, & mortem non timebimus; poſt ſanctam mortem cum Chriſto D. capite noſtro reſurgemus ad gloriam. Interim ignem amoris, erga Chriſtum D. tutius cuſtodire non poterimus, quàm ſub cineribus Juniperi, id eſt, per memoriam paſſionis, & crucis Chriſti. Finio hoc punctum verbis S. Hier. ep. 3. ad Heliod. *O mors! illius morte tu mortua es! illius morte nos vivimus. Chriſtus D. cum occiſus fuit occidit mortem.*

§. 8. *Diabolum quoque vi- vi Chriſtus* Cum morte Chriſtus D. per mortem diabolum quoque vicit: *Ante faciem ejus ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes ejus, ait Abacuc.* S. Chryſoſt hom. de cruce & latrone. *Decuit ſplendorem crucis illuminare credentes; ſola enim Chriſti crux eſt, quæ diſſolvit tenebras, & Regnum dæmonum diſſipavit. Crux nobis Sol Iuſtitiæ facta eſt.* Chriſtus D. per corpus (quod fuit vulneratum &c.) corporis expertes, & malignos dæmones debellavit, & per crucem de adverſariis poteſtatibus triumphavit. Propterea liberati Iſraelitæ jubilarunt. *Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt*, advertit Origenes non tantum dici, Magnificatum eſſe, ſed glorioſe magnificatum Deum, tum ſcilicet cùm Pharao in mari rubro fuit ſubmerſus, & addit, *Etenim aliud eſt magnificari, aliud glorioſe magnificari.* Fuit Chriſtus D. magnificatus cum factus eſt homo cum in Nat. Angeli cecinerunt gloria &c. cum tres magi &c. item in miraculis &c. p. imò cum pependit in cruce, *Erat enim gloria, ipſa paſſio crucis*; Verùm gloria hæc (Orig.) non erat glorioſa; *Quando ſurrexit, tunc glorioſe magnificatus eſt*, quando Pharaonem infernalem ſubmerſit in ſuo ſanguine, tunc glorioſe magnificatus eſt. Similiter ferme diſcurrit S. Aug. in pſ. 44.

Abacuc. 3. v. 4.
Exod. 15. v. 1.

Digitized by Google

pſ. 44. *Chriſtus crucifixus, Iudæis ſcandalum, gentilibus ſtultitia, nobis credentibus ubique ſponſus pulcer occurrit: pulcer in cœlo, pulcer in terra: pulcer in utero, pulcer in manibus parentum, pulcer in miraculis, pulcer in flagellis, pulcer in ligno, pulcer in ſepultura.* Hodie autem, in glorioſa Reſurr. dicendum eſt, quod ſit pulcerrimus: totus pulcer: glorioſe pulcer. *Et in capite ejus diademata multa*, S. Thomas. *diademata multa, id eſt, multæ victoriæ; diadema enim idem eſt, quod corona, quæ ſolet eſſe in victoribus ſignum victoriæ.* Cogitate vos hodie in capite Chriſti videre diadema aureum, in ſignum quod vicerit mundum. Cogitate vos videre coronam gemmeam. Multæ victoriæ; vicit mortem; In capite ejus corona ex ſtellis; Multæ victoriæ; Vicit diabolum; In capite ejus corona ex roſis & floribus; Victoriæ multæ; Vicit peccatum. In capite ejus corona ferrea; Multæ victoriæ; vicit hoſtes fortiſſimos, vicit ſynagogam; ſic *vicit leo de tribu Iuda*. S. Thomas. *Chriſtus dicitur leo, quia triumphavit de diabolo.* hodie impleta eſt prophetia S. Davidis. *Poſuiſti tenebras & facta eſt nox* (his diebus in monte Calvariæ & univerſo mundo) *in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſylvæ, catuli leonum rugientes, ut rapiãt & quærant eſcam ſibi* (hoc triduo Judæi &c. quales leones; multò magis diaboli qui &c.) *Ortus eſt Sol & in cubilibus ſuis collocabuntur.* Caſſiodorus. *Ortus* eſt Sol, cum, *Reſurrectio ſancta declarata eſt, & (diaboli) majeſtatem ejus minime ſuſtinentes, in ſuis ſe trepidi cubilibus abdiderunt.* S. Joannes ait. *Et vidi beſtiam, & Reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo, qui ſedebat in equo &c.* Vidimus nos his diebus hoſtes Chriſti &c. (fiat p. applicatio) ſed ubi hodie ſunt inſtrumenta mortis, ubi virgæ, ubi ſpinæ &c. Ubi ſunt audaces illi milites quod non impediant, quo minus reſurgat. Quare Satan non retinuit SS. Animam in limbo? ubi ſunt catenæ inferni? &c. fruſtra hæc omnia; Vicit bonus Jeſus; Cantemus illi, glorioſe magnificatus eſt.

Apoc. 19. v. 12.

Apoc. 5.

Pſ. 103. v. 20.

Apoc 19. v. 19. & 29.

Pulcer eſt diſcurſus S. Petri Dam. ſer. 1. de exalt. S. Crucis. *In hac cruce, confoſſum eſt latus innoxium & ad horam cru-*

§ 9. A crucifixo cruci fuit affixus.

crucifixus eſt innocens manibus, & mundo corde. Terribilis ille latro, cujus manus plenæ ſunt ſanguine, in hac item confoſſus eſt, & confectus. Sed Chriſtus aliter, aliter ipſe. Chriſtus ad momentum, ille in æternum, S. Paulus ait. *Principatus & poteſtates traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo.* Petrus Dam. legit. *Debellavit aereas poteſtates, & affixit eas cruci ſuæ.* Dum diabolus Chriſtum interficit, in ipſa cruce crucifigitur. Orig. hom. 8 in Joſue. *Viſibiliter filius Dei in carne crucifixus eſt, inviſibiliter vero in ea cruce diabolus in Principatibus & poteſtatibus affixus eſt. Cantemus &c.* ut ſupra. Æquiſſimum eſt, ut Chriſto reſurgenti, mortis & diaboli domitori, lætis mentibus & vocibus accinamus lætiſſimum Alleluja.

CONCIO XXII.

DOMINICA IN ALBIS.

Pax vobis.

Joan, 20. ℣. 20.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AGit de eximio fructu S. Crucis, de Pace, quam Chriſtus D. fecit inter Deum & homines; de ejus pulcritudine, aliiſque circumſtantiis.

§. 1. *Senſus illorum verborum ex Evangeliſtis; Emiſit ſpiritum (ſcilicet Chriſtus D. in cruce) & tradidit Spiritum.*

§. 2. *Heroes, qui pro patria mortem non timuerunt, ſumma fuerunt affecti laude: quanto major debetur Chriſto Domino.*

§. 3. *Chriſtus D. ſua morte ſedavit tempeſtatem, ortam contra genus humanum. Figura fuit*

ra fuit Ionas.

§. 4. *Pacem fecit Chriſtus D. quia per ſuam mortem, pro nobis ſatisfecit. Et ideo amandus eſt.*

§. 5. *Fecit autem pacem, ſive ſatisfecit pro nobis ſanguine ſuo.*

§. 6. *Fructus Paſſionis Chriſti, eſt remiſſio peccati: in qua conſiſtit Pax inter Deum & homines.*

§. 7. *Ingens pulcritudo hujus Pacis, ſive Remiſſionis peccatorum.*

§. 8. *Chriſtus Dom. oſtendit S. Catharinæ, rem omnium pulcerrimam; Anima juſti in gratia.*

§. 9. *Pulcritudo hæc animæ, ſive, hujus Pacis, aſcribenda eſt Chriſto: cum magna gratiarum actione.*

VIncentius Belluacenſis in ſpec. hiſtoriali c. 45. pulcre expendit verba, quibus duo Evangeliſtæ S. Matth. & S. Joannes deſcribunt mortem Salvatoris noſtri in cruce. S. Matth. ait; *Emiſit ſpiritum, gab den Geiſt auf.* S. Joannes. *Tradidit Spiritum. Dargeben, uberlieffern,* Voculæ diverſæ, quarum utraque nobis proponit præcipuum effectum mortis Chriſti in cruce. Citatus auctor ait: *Bene dicit Matthæus, Emiſit ſpiritum, ſcilicet, tanquam Columbam ex arca, quæ ramum Olivæ tulit, id eſt, reconciliationem noſtram cum Deo Patre, juxta illud Rom. 5. reconciliati ſumus Deo per mortem filius ejus.* Puto vos omnes, dum hæc ego dico, recordari columbæ quam Noe emiſit ex arca, & eo rediit cum ramo Olivæ, in ſignum finiti diluvii. In hod Evangel. cœleſtis columba, ſive Chriſtus D. glorioſè reſurgens à mortuis, rediit ad triſtes Apoſtolos, cum ramo Olivæ, precans illis fructus Pacis, quam per mortem ſuam concluſit. *Ioannes vero dicit, tradidit ſpiritum, ſcilicet quaſi pretium noſtræ Redemptionis.* quo, cœleſti Patri, ob peccata irato, abunde fuit ſatisfactum & totum humanum genus ipſi reconciliatum; De qua pace, ſive reconciliatione S. Greg. Naz. ait orat. 42. *Quamvis permulta illius temporis miracula fuerint, ſol obſcuratus, & rurſum inflammatus, velum ſciſſum, ſanguis & aqua profluentes ex latere, terra*

§. 1. *Senſus illorum verborum ex Evangeliſtis; Emiſit Spiritum (Chriſtus in Cruce,) & tradidit Spiritum.* *Matt. 27. v. 50.* *Ioan. 19. v. 30.* *Rom. 5. v. 10.* *Gen. 8. v. 11*

tremore concuſſa, petra rupta, mortui reſurgentes, & ſimilia ſigna, quis eſt, qui pro dignitate laudare queat? Nullum tamen cum ſalutis noſtræ miraculo conferendum eſt, in quo exiguæ cruoris guttæ orbem univerſum inſtaurarunt, atque idem, quod lacti coagulum, hominibus præſtiterunt, in unum nos conjungentes, & cum Deo, & inter nos. Quam conjunctionem in hod. Evang. Chriſtus D. precatur ſuis diſcipulis, dicendo, *pax vobis*. q.d. Mei Apoſtoli, Petre! tu me negaſti; Andrea, Jacobe, &c. fugiſtis; Thoma tu nondum credis, ſed nolite deinceps timere iram cœleſtis patris, ego illi ſatisfeci, ego vos illi reconciliavi; Abſtuli ego bella uſque ad finem terræ: arces hoſtium contrivi, arma confregi, ſcuta combuſſi. Pax vobis, pax toti terrarum orbi, pax hominibus bonæ voluntatis. De eximio hoc fructu SS. Crucis & mortis Chriſti de pace de modo quo Chriſtus D. conſtituit hanc pacem, inter Deum & homines, & ejus pulcritudine pluribus aget hæc concio, in qua de attentione veſtra non dubito.

§. 2. *Heroes, qui pro patria mortem non timuerunt, ſumma fuerunt affecti laude, quanto major debetur Chriſto D.*

In hoc olim deſudavit eloquentia Rhetorum, Poetarum, & Hiſtoricorum, ut dignis laudibus extollerent viros fortes, qui pro patria vitam & ſanguinem poſuerunt. Plato voluit illos dici heroes, viros excellentiſſimos, homines divinos: quales apud Romanos fuerunt, Marci Attilii, Curtii, Horatii, apud Athen. Codri, apud alios alii ſimiles fortiſſimi viri, qui pro ſalute, & pace publica populi Romani, mori & ſanguinem fundere non dubitarunt. Et quas laudes, quas benedictiones, quos applauſus offeremus Chriſto D. reſurgenti à mortuis, qui illa morte, quam pro nobis ſuſtinuit, non unam urbem, non aliquem populum, ſed totum genus humanum, liberavit ex miſerrima ſervitute & captivitate diaboli, à morte æterna, à pœnis inferni; qui ſua morte exortam contra mortales tempeſtatem ſua morte ſedavit; bella abſtulit, pacis Olivam plantavit, occluſas cœli portas iterum aperuit, ut æternum ſimus beati.

Hi ſunt

§. 3. Chriſtus D. ſua morte ſedavit ortam tempeſtatem contra genus humanum. Figura fuit Ionas.

Hi ſunt miraculoſi fructus & effectus atrocis paſſionis; quorum precium S. Hier. reconciliationem explicat in Jon. *Conſideremus ante Paſſionem Chriſti, errores mundi, & diverſorum dogmatum fluctus contrarios, & totam naviculam* (id eſt totum humanum genus) *periclitantem*; *& poſt Paſſionem ejus tranquillitatem fidei, & orbis: pacem & ſecura omnia, & converſionem ad Deum, & videbimus quomodo poſt præcipitationem Ionæ, ſteterit mare à fervore ſuo.* Alludit S. Hieron. ad v. 15. & 16. c. 1. Jonæ. *Et tulerunt Ionam* (cum fureret tempeſtas maris) *& miſerunt in mare, & ſtetit mare à fervore ſuo.* Quamprimum Jonas fuit ſubmerſus, facta eſt tranquillitas magna; addit S. Hier. *quia invenerat, quem timebat.* antea, *mare ibat, & intumeſcebat ſuper eos*, poſtquam accepit Jonam, detumuit: omnia alia media evadendi tempeſtatem labores nautarum, eorum vota & ſuſpiria, fuerunt varia: ejecerunt onera! fruſtra! Jonas debuit mitti in mare. hoc remedium fuit efficax. Terribilior longe fuit tempeſtas excitata contra humanum genus ob peccatum Adami; ut navicula evaderet naufragium damnationis æternæ; neceſſe fuit cœleſtem Jeſum Chriſtum Dei filium projici in mare paſſionis; hunc quæſivit D. Juſtitia, quia ille ſolus iram Numinis placare potuit: poſtquam illum invenit, poſtquam ſubmerſum vidit in ſanguine ſuo, mortuum in cruce ſtetit mare à fervore ſuo, ceſſavit ira, quievit vindicta; facta eſt tranquillitas & pax magna. Sed ſicut cetus, immanis bellua tertio die mundo Jonam reſtituit vivum, ità & mors Chriſtum Dominum poſt qui Reſurrectionem glorioſus venit ad diſcipulos, & pacem illis apprecatur, *Pax vobis.* Agnovit in Jona & ceto figuram mortis & reſurrectionem Chriſti, Euſ. Emiſſ. Puto quod hic eſt Dominus Noſter Jeſus Chriſtus, quem ſæva mors, in explebilis bellua in eſcam ſuam rapuit, & ad prædam ſuam captiva contremuit; contremuit inquam, nam etſi noverat crucifixum, tamen quem non meminerat reum, non poterat retinere. Sed magnam cibi iſtius dignitatem

præfocata agnovit. Præcepit g. Dominus beſtiæ, præcepit morti, præcepit abyſſis & inf. ut mundo reſtituat Salvatorem. Evomuit! hoc debemus accipere, quod ex imis viſceribus mortis, victrix vita remeavit; Reſurrexit Chriſtus, & ſtetit mare à fervore ſuo.

§. 4. *Pacem fecit Chriſtus D. quia per ſuam mortem pro nobis ſatiſfecit. Et ideo amandus eſt.*

Pax vobis, ait Chriſtus D. quaſi diceret; Ego jam pro peccatis totius mundi ſatisfeci meo patri, non eſt, quod timeatis, fuit pater meus à vobis alienus; fuiſtis inimici, ſed ego &c. Hæc una fuit ex cauſis, cur factus eſt homo. S. Athan. *Corpus, quod mori poſſet, aſſumpſit, ut pro omnibus ad plenam ſatisfactionem ſufficeret, & ſic mortem in omnibus,* (item peccata noſtra) *quaſi ſtipulam igni conſumeret.* Ut proinde, bene dixerit S. Auguſtinus, *Amate pacem; cum dicimus, amate pacem, hoc dicimus, amate Chriſtum; Quare? quia de Chriſto ait Apoſtolus, ipſe eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum.* S. Hier. ſuper verba Iſaiæ c. 53. *Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus.* ſic ait. *Diſciplina &c. quia quod nos pro noſtris debebamus ſceleribus ſuſtinere, ille pro nobis paſſus eſt.* Hugo Card. *Ille diſciplinatus vel punitus; tu propitiatus.* ad Hebr. 7. *Pacificans per ſanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cælis ſunt.* Poſtquam S Bernardus dixit Chriſtum D. dixiſſe cum ſponſo. *Aſcendam in palmam,* (id eſt) *in crucem, & apprehendam fructus ejus* (id eſt) *ſaluberrimos Paſſionis & crucis meæ effectus obtinebo.* Item. *Aſcendit Dominus Palmam, quia illud crucis lignum portendit triumphum.* Per crucem, ſopivit bellum, vicit hoſtes confirmavit pacem, reconciliavit nos Deo. poſt hunc diſcurſum ſubdit S. Bernardus, tr. de paſſ. *Tu quoque, O anima, aſcendere debes in palmam, hoc eſt, in crucem, per cruciformem ſponſi imitationem, & te totam illi affigere, atque inſeparabiliter cohærere; amare debemus pacem, ſive Chriſtum D. Sicque apprehendes fructus ejus, id eſt, copioſe particeps eris meritorum ac virtutum Paſſionis & mortis ejus:* fruemur fructibus dulciſſimæ pacis, quam fecit. *Pax vobis:* hoc nobis precatur Chriſtus Dominus.

Eph. 2. 14. Heb. 7. v. 22. Cant. 7. v. 8

§. 5. *Fecit an-*

Modum reconciliationis, & conſtitutæ pacis proponit S. Jo-

Sanct. Joannes. *Dilexit nos & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, intellige bene, O homo,* (ait S. Laur. Juſtin. opuſc. de cont. mundi cap. 7.) *non dedit pro te aurum, non gemmas, non prædia, non mundum, non cælum, ſed proprium cruorem in crucis moriendo patibulo.* viciſſim cum Magdalena illum debemus diligere multum, ut dimittantur nobis peccata multa, ut & nobis dicat, *Pax vobis!* S. Cyprianus l. de paſſ. *Iam ſanguis tuus Domine, non quærit ultionem; ſanguis tuus lavat crimina, peccata condonat; tu olim ultionum Dominus, modo miſereris, & parcis his qui offenderunt, ſanas contritos corde, & alligas vulneratos.* immenſam hanc caritatem in hod. Eu. expertus fuit S. Th. (fac p. applicationem.) *Et quid mirabilius* (S. Bonav. ſtim. d. am. p. 1. c. 1.) *quàm quod mors vivificet, vulnera ſanent, ſanguis album faciat, & mundet intima, nimius dolor, nimium dulcorem inducat.* applica hæc iterum S. Thomæ. Omnia hæc in ſe continet dulciſſima vocula pàcis, qua Chriſtus D. nos hodie ſuaviſſime alloquitur, pax vobis. Illis eſt itaque hæc pax, quibus per paſch. confeſſionem & pœnitentiam condonata ſunt peccata. Illis eſt hæc pax, quorúm vulnera ſanata ſunt, à Vuln. Chriſti. Illis pax, quos mors Chriſti, & ejuſdem reſurrectio vivificavit. Illis pax, quorum triſtitia ob Filii Dei paſſionem, ob ejuſdem Reſurrectionem commutata eſt in dulcorem & lætitiam. Hanc pacem, hos aureæ hujus pacis fructus, hoc paſchali tempore, & ego Auditoribus meis animitus precor. *Pax vobis.*

tem pacem, ſive ſatisfecit pro nobis ſanguine ſuo.

Apoc. 1. v. 15.

§. 6.

Fructus Paſſionis Chriſti eſt rem ſſio peccati, in qua conſiſtit pax inter Deum & animam.

Iſaias ait. *Meditatus eſt in ſpiritu ſuo duro, per diem æſtus. Idcirco ſuper hoc, dimittetur iniquitas domui Iacob, & iſte omnis fructus, ut auferatur peccatum ejus.* Dion. Carthuſianus locum hunc ſatis obſcurum, pulcerrimè exponit & ait, *Populus Iudaicus ſive ſynagoga habuit ſpiritum durum, cum nil aliud cogitavit & deſideravit tormenta, dolores & atrocem mortem contra ſuum Meſſiam,* locuti ſunt in ſpiritu duro, cũ dixerunt, quid facis expedit. Spiritum durum qui nullo medio, à Pilato excogitato, inclinari potuit ad miſericordiam, ne petant mortem hominis innocentis. Spiritum durum! qui copioſiſſima effuſione

Iſ. 27. v. 8.

ſione ſanguinis in flag. & coronatione emolliri non potuit, ſed ſitivit ſanguinem crucis. Spiritum durum habuit pop. Judaicus, quo enim majora à Deo accepit beneficia, & major illius fuit ingratitudo. Paucis verbis omnia comprehendit Dion. Carthuſ. in S. Joannem. *Populus Iudæorum meditatus eſt contra Chriſtum in ſpiritu duro & obſtinato, qui dixit, Tolle, tolle, crucifige eum. Per diem æſtus, id eſt tempore Paſſionis Chriſti.* Sed quomodo illud tempus vocatur calidum, quo noɛti ad ignem cum miniſtris acceſſit S. Petrus, ut ſe calefacerent? Sic eſt, frigidum tempus fuit congelatis cordibus Judæorum, ſed Chriſto D. nox illa & dies Paraſceves fuit tempus calidiſſimum, quia dulciſſimum ejus cor ardebat inſtar fornacis, plenæ flammis amoris, ex quo etiam mortuus fuit in cruce. *Idcirco* verò, pergit Dion Carthuſ. *ſuper hoc dimittetur iniquitas domui Iacob, id eſt, filiis Iſrael, qui manus ſacrilegas injecerunt in Filium Dei; ignoſcetur, ſi pœnitere voluerint, ſuper hoc, id eſt, merito Chriſti.* Tandem notandæ ſunt illæ voculæ Iſaiæ; *Omnis*

Iſaia 27. v. 9. *fructus*. q. d. innumerabiles ſunt fructus mortis & Reſurrectionis Chriſti, ſed tanti facienda eſt remiſſio peccati & pax atque reconciliatio noſtra cum Deo, ut dicenda ſit omnis fructus, ſine qua remiſſione, & ſine qua paſſione, nulli alii fructus crucis nobis proderunt. Hoc fine affixus eſt cruci, fudit ſang. mortuus eſt, ut peccata dimitteret. hoc fine inſtituit SS. Sacramenta, ut continuo, ſi iram Dei peccatis noſtris contra nos rurſum provocemus, ſint media reconciliandæ pacis; ut continuo rurſum lavemur, & mundemur in ſanguine ſuo.

§. 7.

Ingens pulcritudo hujus pacis, ſive remiſſionis peccatorum.

Ob pulcritudinem, quam hæc pax & reconciliatio facta per mortem & ſanguinem crucis efficit in animabus noſtris, exclamat ſponſus. *Quam pulcra es amica mea, quàm pulcra es!* exclamat Rupertus Abbas. *O pulcritudo admirabilis, quam ſic admiratur & collaudat, pulcerrimus! auctor ipſe pulcritudinis.* &

Cant. 4. 1. cur bis repetit, *quam pulcra es, quam pulcra!* reſpondet Dion. Carthuſ. *Commendat ſponſam, dicendo quaſi cum admiratione, & ingeminatione, ad inſinuandam magnitudinem rei, &c. Itaque*

pulcra

Digitized by Google

pulcra eſt in naturalibus, tanquam ad ſuper beatiſſimæ Trinitatis imaginem & ſimilitudinem condita: pulcrior facta per bapt. gratiarumque munera; *Pulcerrima per ſanctitatem, & emundationem ab omni macula peccati in ſanguine ejus.* Gratulor ex corde omnibus, qui hoc paſchali tempore per ſeriam confeſſionem participes facti ſunt, pulcerrimæ pacis & reconciliationis, quam Chriſtus D. ſua morte compoſuit & reconciliavit, pax vobis; Puto hodiernam Dominicam ideo vocari in Albis, ut Chriſtiani recordentur ſtolæ candidæ & pulcerrimæ veſtis qua per paſchalia ſacramentà nos induit & ornavit, agnus paſchalis, ſive Chriſtus D. glorioſe à mortuis reſurgens.

Dixit olim Chriſtus D. S. Catharinæ Senenſi, filia, oſten- §.8.
dam tibi rem pulcerrimam totius mundi; nimirum animam *Chriſtus D.*
quæ ornata eſt gratia, lota in precioſiſſimo agni. Quando S. *oſtendit S.*
Virgo vidit illam pulcritudinem, animam juſti veluti quod- *Catharinæ*
dam cœlum, pulcriorem ſole, veluti quoddam ſpeculum di- *S. rem*
vinitatis exclamavit; *O quam bene effuſus eſt ſanguis Chriſti; O* *omnium*
Paſſionem fructuoſam; O fructum dignum morte Filii Dei, & con- *pulcerrimam, animam juſti.*
feſſario ſuo Reymundo dixit; *O Pater mi; ſi vidiſſes animæ meæ pulcritudinem; non dubito, quin pro illius ſalute, libenter centies mortem oppeteres.* O Animæ ſanctæ! ſponſæ Chriſti reſurgentis, dicite rogo, unde tanta veſtra pulcritudo? quis tantis ſplendoribus vos irradiavit, quis ornavit inæſtimabilibus gemmis?
ſatisfacit meis quæſt. S. Paul. dicens. *Chriſtus dilexit Eccleſiam,* Eph. 5. v. 25
& tradidit ſemetipſum pro ea, ut mundaret ſibi ſponſam, non habentem maculam, neq; rugam. S. Bern. ſer. 28. in Cant. *Specioſus forma præ filiis hominum illuminãdis, obſcuratur in paſſ. turpatur in cruce, pallet in morte, ex toto non fuit ei ſpecies neq; decor. ut ſibi ſpecio-* Zach 3. v. 1.
ſam atq; decorã acquireret ſponſam eccleſiam ſine macula & ſine ruga S. Greg Naz. or. 1. in S. L. *Pauper factus eſt Chriſtus ut nos illius paupertate diteſcamus. Servi formam accepit ut nos libertatem recipiamus. deſcendit, ut evehamur, contemptus eſt, ut nos gloria afficiat, mortuus eſt, ut ſervet, reſurrexit à mortuis ut ſit reſurrectio noſtra; vicit, ut nos fruamur pulcerrima pace.*

Figuram ſe vidiſſe ait Zacharias. *Et oſtendit mihi Dominus* §.9.
 Ieſum *Pulcritudo*

hæc anima ſive hujus Pacis, aſcribenda Chriſto, cum magna gratiarum actione.

Apoc.19.v.13.

Ieſum Sacerdotem magnum &c. & Ieſus erat indutus veſtibus ſordidis. Ad literam ſermo eſt de Jeſu filio Joſedech Pontificis, de quo vide interpretes. Allegoriæ, Chriſtus Salvator indutus fuit veſte ſordida, tum cum hum. natura in ſe ſuſcepit iniquitates noſtras. Fuit indutus veſte ſordida, cum tempore paſſionis vidimus illum leproſum &c. à planta pedis &c S.Joannes ait. *Et veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine,* vel ut ait S.Bernardinus, *carne cruentata proprio ſanguine:* quod ſeptem vicibus contigit, in circumc.&c. Sed bene monet S. Auguſtinus ſer.22. de verbis Apoſtoli. *Factus eſt deformis Chriſtus, qui ſpecioſus erat; & deformitas Chriſti te format; ille enim ſi deformis eſſe noluiſſet, tu formam, quam perdidiſti non recepiſſes. Pendebat ergo in cruce deformis, ſed deformitas illius noſtra pulcritudo erat.* In Reſurrectione depoſitis veſtibus ſordidis, apparuit in ſplendoribus in veſtitu deaurato immenſæ gloriæ. Finit S.Auguſtinus hunc diſcurſum cum ingenti gratiarum actione, & ait, O Salvator glorioſiſſime, agimus tibi gratias, quod per tuam deformitatem in cruce, in tua Reſurrectione animas noſtras effeceris pulcras. Agimus tibi gratias, quod nos laveris in ſanguine tuo. Agimus tibi gratias, quod ornaris nos ſtola candida. Agimus tibi gratias, tanquam Victori glorioſiſſimo, quod viceris noſtros hoſtes; Agimus tibi gratias pro illa pace & reconciliatione, quæ inter Deum & nos facta eſt, in precioſo tuo ſanguine. Laus, honor gloria ſit tibi in ſæcula ſæculorum. Amen.

CON-

CONCIO XXIII.

DOMINICA II. POST PASCHA.

Ego ſum Paſtor bonus.

Joan. 10. ℣. 11.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXplicat unicam proprietatem boni Paſtoris: quod non quærat ruinam errabundæ oviculæ; neque Chriſtus D. mortem velit peccatoris, ſed ut redeat, & vivat.

§. 1. *Sacra Scriptura Chriſto Salvatori noſtro, varia tribuit elogia; ipſe ſe vocat Paſtorem.*

§. 2. *Bonus paſtor, non deſtruit errabundam oviculam; neque bonus Ieſus peccatorem.*

§. 3. *Experta hoc fuit Ninive.*

§. 4. *Experiuntur indies peccatores.*

§. 5. *Ingrato populo, dum adoravit vitulam, nihilominus pepercit bonitas Dei.*

§. 6. *Sic bonitas Ieſu parcit peccatoribus.*

§. 7. *Ideo ejus caritas ab Apoſtolo vocatur benigna; quare ſic vocetur?*

§. 8. *Amor hujus boni Paſtoris, inſtar ignis non poteſt extingui.*

§. 9. *Imo exardeſcit in aquis.*

§. 10. *Quare ſponſa, vocet ſponſum, botrum balſami.*

§. 11. *Quare florem campi.*

TAm varii, tam inſignes, tam excellentes ſunt favores, & gratiæ, & beneficia, in nos collata à Chriſto Salvatore noſtro, ut ipſe propterea (teſte S. Auguſtino ſer. 109. de temp.) *Multis nominibus appelletur. Verbum, Agnus,*

§. 1. Sacra Scriptura Chriſto Salvatori noſtro, varia tri-

buit elogia. *Agnus, Aquila, ſons, Via, Ignis, Magiſter, Medicus, Theſaurus, Sa-*
Ipſe ſe vocat paſtorem. *pientia, Veritas, Vita. Verbum,* per quod nobis loquitur pater,
agnus immolatus pro nobis in ara crucis. Aquila, quæ nos
Ioan.1.v.14.& v.29 portat in alis ſuis. Fons, ex quo bibimus aquas ſalutis. Magi-
Exod.19.v.4. ſter, qui nos docet. Medicus, qui nos ſanat. Theſaurus, qui
nos facit divites. Sapientia quæ nos inſtruit. Via quæ nos du-
Ierem.2.v.13 cit ad cœlum. Vita, quæ vitam nobis dabit æt. *Neque enim hæc*
Ioan.4.14. (ait S. Ambr. l.1. de fide ad Gratianum,) *nuda ſunt nomina, ſed*
Ioan.5.v.6 *operatricis virtutis indicia.* In hod. Eu. de his omnibus elogiis
Ierem.4.v.4. tacet Chriſtus, Salvator noſter, dicere potuiſſet poſt glorio-
Matt.18.v.19. ſam reſurr. Ego agnus, ante triduum immolatus, ſed hodie
Leo! Ego in reſurrectione mea aquila &c. Sed alio nomine
Marc.12.v.14. ſe compellat, *ego ſum Paſtor bonus.* Quomodo ipſe paſtor? Cum
Luc.19.v.39. S. Chryſoſt. perpendit, quod latro in cruce Chriſtum vocave-
rit Regem, *Memento mei Domine, cum veneris in regnum tuum.*
Ioan.13.v.14. Quærit, *Dic mihi*-latro-*regnum commemoras? quid enim regni*
Luc.4.v.13. *vides? Clavi & crux eſt, quod inſpicis.* Reſpondet S. Chryſoſt. in
Matt.19.v.21. perſona latronis. *Et ideo eum regem nomino, quia crucifixũ video,*
Imperator. enim eſt, pro omnibus mori, & regis optimi pro commu-
Luc.18.v.22. *ni utilitate, nunquam recuſare ſupplicium.* Chriſtus D. ſe vocat
1.Cor.1.v.21. paſtorem & quid videmus paſtoris, hoc quia poſuit animam
ſuam pro ovibus ſuis &c. Utinam hac concione unicam ſo-
Ioan.5.v.6 lam proprietatem hujus boni paſtoris explicare poſſim, Quæ-
Luc.23.v.42. nam illa ſit, ſtatim audietis.

§.2. Paſtor, ſi bonus eſt, ſi gregem ſuum amat, oviculam etiam
Bonus Paſtor non deſtruit errabundam oviculam, neque bonus Ieſus peccatorem. unicam, etiamſi à via aberraverit, etſi declinarit ad aliena pa-
ſcua, etſi longius à paſtore ſuo diſceſſerit, bonus inquam pa-
ſtor, talem oviculam, cum illam reperit, non deſtruit, non oc-
cidit, non excoriat, non projicit lupis aut beſtiis; ſed ſuaviter
alloquitur, blande ſuſcipit, imo humeris impoſitam ad gre-
gem reportat, ſi opus ſit, etiam in brachiis ſuis. Major eſt amor
boni paſtoris, quàm ſit error oviculæ. Pulcerrima, ſuaviſſima,
divina proprietas paſtoris optimi Chriſti Salvatoris: non quia
homo aliquoties peccavit, quia abiit poſt veſtigia hircorum
&c. illum ſtatim deſtruit, & occidit &c. Sed ſi velit, ſi vo-
cem

vocem ejus rurſus audiat, ſi revertatur, blande illam alloquitur, ſuaviter excipit, paterne & amoroſe amplectitur, imò fovet in ſinu ſuo, qui ſunt quinque SS. Vulnera glorioſiſſimi Paſtoris. Longe major eſt ejus bonitas & amor, quam ſit malitia peccatoris.

§. 3. *Experta hoc fuit Ninive.* *Iona 1. v. 2.*

Ingrata Deo urbs fuit Ninive! *Malitia ejus aſcendit coram eo.* Anne ideo bonus Deus ſtatim contra talem urbem torſit fulmina? Nunquid iterum miſit diluvium? nonne rupit catarractas cœli; An fortaſſis ſtatim miſit peſtem, quæ intra medium diem tollerit 70000. civium? An miſit exercitus, qui ferro flammaque urbem vaſtarent? An clauſit viſcera terræ, ne provenirent fructus, ut fame perirent? An terræ hiatus aperuit, ut vivi abſorberentur? Omnibus his plagis Deus impiam urbem potuit caſtigare, & ſtatim, & cum ſumma Juſtitia; Verum O infinitam Optimi Dei bonitatem! O miſericordiam Seraphinorum admiratione dignam! in admirationem ſimilem raptus exclamavit S. Baſilius orat. 12. *Ninive peccatis naturæ terminos ſupergreſſa eſt; non tamen divinæ clementiæ metas exuperabat.* Major Dei fuit bonitas, quàm Ninivitarum. Pœnæ tempus prolongavit, Jonam miſit qui prædicaret illis pœnitentiam, & ſalva manſit Ninive.

§. 4. *Experiuntur indies peccatores.*

Non deſunt hodie Ninivitæ! vivunt in terris peccatores quorum malitia aſcendit in cœlum; graviſſima illorum ſcelera coram tremendo Judice CHRISTO JESU clamant vindictam. Nunquid ideo ſtatim torquet fulmina? an ignes de cœlo? an ſolvit cataractas cœli, &c. Omnibus his modis poteſt caſtigare impios. Sed needum eſt judex! eſt adhuc paſtor, & bonus paſtor. Plurimi peccatores ſunt, quorum ſcelera terminos naturæ ſunt ſupergreſſa: non tamen divinæ ejus clementiæ metas exſuperarunt. Major eſt ejus bonitas & miſericordia, quàm ſit illorum malitia. Paſtor eſt, amat adhuc oviculas, needum deſtruit: expectat ut redeant, offert humeros ut reportet, offert brachia & ſinum, ut foveat.

§.5. *Ingrato populo, dum adorat vitulum, tamen pepercit bonitas Dei.* Exod. 32. v. 7.

Eo proceſſit ingratitudo & malitia populi, ut fecerint ſibi vitulum conflatilem, & adoraverint illum, atque immolaverint ei hoſtias. Gravibus verbis impium factum Deus proponit Moyſi, in monte, in quo converſabatur cum Domino, *Vade, deſcende*, ait Dominus, *peccavit populus tuus, &c.* Et quid videtur tibi Moyſes? *Dimitte ergo me, ut iraſcatur furor meus contra eos, & deleam ejus.* Cum ſtupore conſidero hunc modum loquendi; *Dimitte me.* Tam gravi eſt affectus injuria! populus ingratus non vult illum agnoſcere Deum: adorant vitulum; gravia alia committunt ſcelera, ſaltant, tripudiant. Ignibus, flamma, fumo, fulminibus, tonitruis, quibus furit mons Sinai, momento poteſt omnes deſtruere, & dejicere in tartara; ſed ut oſtendat ſe non poſſe, petit quaſi licentiam à Moyſe. Cauſam advertit S. Cyrillus Jeroſol. Catech. 2. *Etiamſi univerſus populus peccet, non ſuperabit divinam benignitatem; Vitulum populus, fabricaverat, ſed non deſtitit Dominus Deus à benignitate. Negaverunt Deum homines, ſed Deus ſe ipſum non negavit. Dicunt illi, hi ſunt Dii Iſrael, Et tamen pro more ſuo Deus ſervabat illos.*

§ 6. *Sic bonitas Ieſu parcit peccatoribus.*

O ingratas oviculas, ingratos mortales; quoties, adorant vitulos; idola; hic aurum & Plutonem. hic honores & Junonem! hic roſas, delicias & Venerem! hic ſiliquas porcorum, cepas, allia, Bachum; hic fortunam. Quid mirum, ſi D. Nemeſis dicat juſto Judici, Vade, deſcende, vide tuas oviculas; O qualia committunt ſcelera: & ſic eſt, offenſus eſt ſeverus Judex; ignibus, flammis &c. quibus cinctus eſt thronus ejus poteſt illos punire. Irata elementa ſunt ſatellites ejus, armati in vindictam. Sed Paſtor eſt! bonus eſt! amat oviculas; Etſi peccent, non ſtatim ſuperant divinam benignitatem optimi Jeſu. Adorant mortales vitulos: ſed cum deſiſtit Dominus à ſua benignitate. Negant Chriſtum homines; ipſe non negat ſe eſſe Jeſum. Paſtor eſt, pro more ſuo ſervat oviculas.

§.7. *Ideo ejus caritas ab*

Hæc eſt infinita illa caritas boni paſtoris, quam Doctor gentium vocat benignam, *Charitas benigna eſt.* Inquirunt interpre-

terpretes cauſam hujus elogii, hujus voculæ, *Benigna eſt.* S. Baſilius de reg. brev. reſp. 214. ait. *Qua de cauſa, Deus parcens peccatoribus, dicitur benignus, quia ſolum propter ſuam bonitatem abſque aliquo illorum merito peccata condonat, & gratiam largitur.* Ecce cauſam, ob quam in hod. Evang. ſe nominat bonum & benignum Paſtorem. hanc gratiam exhibet errabundæ oviculæ, ſive peccatori. Abſque illius merito, ſolum, ſolum propter ſuam bonitatem, parcit, condonat culpam, gratiam largitur. Caritas hujus paſtoris benigna eſt; Jeſus eſt bonus paſtor, etiam erga ingratas oviculas. S. Thomas lect. 2. ſuper. cit. locum S. Pauli ait: *Benignitas dicitur, quaſi bona igneitas: ut ſcilicet, ſicut ignis, liquefaciendo effluere facit; ita caritas hoc facit.* Amor Jeſu ignis eſt, ſed bonus ignis. Mundus in maligno poſitus eſt. 2. Joannis c 5. in maligno) in malo igne. Malus ignis erit, quo Chriſtus judex in die Judicii invadet impios. Malus ignis eſt ignis inferni, in quo æternum ardebunt, Alius ignis ardet in ardentiſſimo pectore optimi & benigniſſimi paſtoris. Bona eſt ipſius igneitas, qua graviſſimorum peccatorum culpas comburit; quà duriſſima impiorum corda liquefacit, ut diffluant in lacrymas.

Apoſtolo vocatur benigna. Quare ſic vocetur.

1. Cor. 13. v. 4.

§ 8. Præcipuam aliquam proprietatem hujus ignis inſinuat ſponſa, dum Cant. 8. ait de ſponſo. *Lampades ejus, lampades ignis atque flam. aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem; nec flumina obruent illam.* Alia lectio habet, *ſcintillæ ejus ſcintillæ ignis.* Symmachus. *Impetus ejus, impetus ignis.* Septuaginta. *Alæ ejus, alæ ignis*; alii ex textu hebraico. *Flammæ ejus flammæ Dei.* Amor ſcilicet Dei habet flammas, habet ſcintillas, habet alas, eſt impetuoſus & flagrantiſſimus ignis. Multi effectus hujus ignis commendatione digni ſunt. Schola Seraphica P. Vincentii enumerat innumeros. Hunc commendat ſponſa, quod aquæ non poſſint illum extinguere. Paraphaſis Chaldaica. *Quamvis congregentur omnes populi, (& peccatores) qui comparati ſunt aquis, quæ ſunt multæ, non poſſunt extinguere miſerationes ejus.* Major eſt benignitas boni paſtoris, quàm ſit malitia & ingratitudo oviculæ. In die illa tremenda

Amor hujus boni paſtoris inſtar ignis non poteſt extingui.

Cant. 8. v. 7.

menda erit Judex, tum bachabitur ignis iræ ejus, in impios. Hodie eſt paſtor bonus. habet ignes, habet ſcintillas, habet alas &c. ſed benigniſſimi amoris.

§.9. *Imo exardeſcit in aquis.* Liber Sapientiæ nobis proponit mirabilē proprietatē illius ignis, qui de cœlo pluit ſuper Ægyptum ob pertinaciam Pharaonis. *Quod enim mirabile erat*, ait S. textus, *in aqua quæ omnia extinguit, plus ignis valebat, & in aqua ſupra virtutem ignis exardeſcebat undique.* Lyranus. *Ille ignis fortius comburebat, quam ſi eſſet ſolus.* Hæc eſt proprietas ignitiſſimi amoris, quo bonus paſtor Chriſtus D. proſequitur errabundas ſuas oviculas. Sive illius caritatis, qua bonus Jeſus amplectitur etiam peccatores. Emittit cor impii rivos, flumina, maria, aquas graviſſimorum ſcelerum; ingrati erga illum ſunt mortales. Evola piis cogitationibus in montem Calvariæ, ecce pendet in cruce. ſub cruce ſtant Principes, Phariſæi, milites, carnifices, torquent, rident, blaſphemant, an fortaſſis extinxerunt flammas caritatis. Inter has aquas exarſit magis. ait enim, *Pater*, (O exceſſum amoris! hac vocula utitur ut mitiget iram Patris.) *Dimitte.* O abyſſum pietatis; *Illis.* illis N.N. O viſcera miſericordiæ; *non enim ſciunt quid faciunt.* excuſat illos titulo ignorantiæ. O vehementiam amoris; Idem ignis, ardens in aqua eſt & hodie. Tales flammæ ardent in corde boni noſtri paſtoris. non extinguitur accenditur & exardeſcit magis.

Sap.16.v.17.

Luc.23.v.34.

§.10. *Quare ſponſa vocet ſponſum Botrum Balſami.* Sponſa admirata magnitudinem amoris in ſponſo, ſolicita eſt de titulis, quibus illam exprimat. Theodoretus. *Quo nomine ſponſum appellet hæſitans ſponſa, huc illuc ſeſe vertit, atque illi undique collectas appellationes imponit.* Tandem ad explicandum amorem ſponſi ait, *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* O Sacramenta; O myſteria; O ſenſus horum verborum! & quis ſenſum vel mentem ſponſæ nobis explicabit. Quorum cogitationes provolant, haud dubie cogitant ſponſam comparare ſponſum cum pulcerrima uva; nec male! præſertim tempore Paſſionis ſub torculari crucis, vel in inſtitutione ſanctiſ. Sacr. Euchariſtiæ. Meas cogitationes modo

Cant.1.v.13.

alio

alio avocat lectio Pagnini, qui pro botro hanc voculam ponit, *Botrus Copher.)* *balſami*; quia *Engaddi* (teſte Joſepho,) *balſamum generat, quod precioſiſſimum eſt, & nuſquam alibi naſcitur.* S.Bern.ſer.44.in Cant. Ferunt in Engaddi arbuſculas balſami creſcere, quæ in modum vinearum ab indigenis excoluntur, & inde fortaſſis vineas appellavit. Proprietas hujus arbuſculæ eſt, cum læditur, cum cultro ſcinditur, balſamum ſtillat precioſiſſimum. O bone Paſtor! permitte mihi ut ramuſculis hujus arboris ornem paſtoralem tuum baculum. Permitte ut dicam, bonus paſtor eſt botrus balſami eſt Jeſus; cum à peccatoribus læditur, offenditur, ejus SS. Vulnera ſtillãt balſamum gratiæ, cum offenditur totus bonus eſt, & benignus. Fatetur ſe hoc expertum S. Aug. cum ait in ſolil. c.28. *Quoties me jam abſorbebat, ille draco, & tu Domine ab ore ejus extraxiſti me* (videtur mihi loqui S. Auguſt. de ſe, veluti ovicula, de Chriſto veluti paſtore, de diabolo veluti dracone, vel lupo.) *Quoties ego peccavi, & ipſe paratus fuit deglutire me, ſed tu Dom. Deus meus defendiſti me* (repete priorem metaphoram.) *Cum contra te inique agebã, cum tua mandata frangebam, ſtabat ipſe paratus, ut me raperet ad infernum, ſed tu prohibebas. Ego te offendebam, tu me defendebas. Ego te non timebã, & tu me cuſtodiebas. A te recedebã, & me inimico meo exhibebã, tu ipſum, ne me exciperet, deterrebas.* Ex his perpẽdite, an Chriſtus D. ſit botrus balſami, an non cum ſcinditur, fluat balſamo, an ſit bonus paſtor, an non ſit miſericors & benignus erga err. oviculam 24. ultimas horas Chriſti Salv. tantum percurrite. Judas, Phariſæi, ah! quomodo ſciderunt hanc arbuſculam (poteſt fieri p. deſcriptio) ipſe toto illo tempore fluxit balſamo; & ſanguineo &c. in inſtitutione Euch. in paſſione ad col. inter ſpinas, in cruce &c. botrus fuit balſami.

Suaviter S. Amb. l.2. de Sp.S. c.5. ſuper illa verba, *Ego flos campi. Flos odorem ſuũ ſervat ſucciſus, & contritus accumulat, nec avulſus amittit. Ita & D. Ieſus in illo patibulo crucis, nec contritus emarcuit, nec avulſus evanuit, ſed illa lanceæ punctione ſucciſus, ſacro ſpecioſior fuſi cruoris colore vernavit, mori ipſe neſciens, & mortuis* §. II. *Quare florem campi. Cant. 2. v. 1*

 ater-

menda erit Judex, tum bachabitur ignis iræ ejus, in impios. Hodie eſt paſtor bonus. habet ignes, habet ſcintillas, habet alas &c. ſed benigniſſimi amoris.

§.9. *Imo exardeſcit in aquis.* Liber Sapientiæ nobis proponit mirabilē proprietatē illius ignis, qui de cœlo pluit ſuper Ægyptum ob pertinaciam Pharaonis. *Quod enim mirabile erat*, ait S. textus, *in aqua quæ omnia extinguit, plus ignis valebat, & in aqua ſupra virtutem ignis exardeſcebat undique.* Lyranus. *Ille ignis fortius comburebat, quam ſi eſſet ſolus.* Hæc eſt proprietas ignitiſſimi amoris, quo bonus paſtor Chriſtus D. proſequitur errabundas ſuas oviculas. Sive illius caritatis, qua bonus Jeſus amplectitur etiam peccatores. Emittit cor impii rivos, flumina, maria, aquas graviſſimorum ſcelerum; ingrati erga illum ſunt mortales. Evola piis cogitationibus in montem Calvariæ, ecce pendet in cruce. ſub cruce ſtant Principes, Phariſæi, milites, carnifices, torquent, rident, blaſphemant, an fortaſſis extinxerunt flammas caritatis. Inter has aquas exarſit magis. ait enim, *Pater*, (O exceſſum amoris! hac vocula utitur ut mitiget iram Patris.) *Dimitte.* O abyſſum pietatis; *Illis.* illis N.N. O viſcera miſericordiæ; *non enim ſciunt quid faciunt.* excuſat illos titulo ignorantiæ. O vehementiam amoris; Idem ignis, ardens in aqua eſt & hodie. Tales flammæ ardent in corde boni noſtri paſtoris. non extinguitur accenditur & exardeſcit magis.

Sap.16.v. 17.

Luc.23.v. 34.

§.10. *Quare ſponſa vocet ſponſum Botrum Balſami.* Sponſa admirata magnitudinem amoris in ſponſo, ſolicita eſt de titulis, quibus illam exprimat. Theodoretus. *Quo nomine ſponſum appellet haſitans ſponſa, huc illuc ſeſe vertit, atque illi undique collectas appellationes imponit.* Tandem ad explicandum amorem ſponſi ait, *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* O Sacramenta; O myſteria; O ſenſus horum verborum! & quis ſenſum vel mentem ſponſæ nobis explicabit. Quorum cogitationes provolant, haud dubie cogitant ſponſam comparare ſponſum cum pulcerrima uva; nec male! præſertim tempore Paſſionis ſub torculari crucis, vel in inſtitutione ſanctiſ. Sacr. Euchariſtiæ. Meas cogitationes modo

Cant.1.v. 13.

alio

alio avocat lectio Pagnini, qui pro botro hanc voculam ponit, *Botrus Copher.) balſami*; quia *Engaddi (*teſte Joſepho,*) balſamum generat, quod precioſiſſimum eſt, & nuſquam alibi naſcitur.* S.Bern.ſer.44.in Cant. Ferunt in Engaddi arbuſculas balſami creſcere, quæ in modum vinearum ab indigenis excoluntur, & inde fortaſſis vineas appellavit. Proprietas hujus arbuſculæ eſt, cum læditur, cum cultro ſcinditur, balſamum ſtillat precioſiſſimum. O bone Paſtor! permitte mihi ut ramuſculis hujus arboris ornem paſtoralem tuum baculum. Permitte ut dicam, bonus paſtor eſt botrus balſami eſt Jeſus; cum à peccatoribus læditur, offenditur, ejus SS. Vulnera ſtillāt balſamum gratiæ, cum offenditur totus bonus eſt, & benignus. Fatetur ſe hoc expertum S.Aug. cum ait in ſolil. c.28. *Quoties me jam abſorbebat, ille draco, & tu Domine ab ore ejus extraxiſti me* (videtur mihi loqui S.Auguſt. de ſe, veluti ovicula, de Chriſto veluti paſtore, de diabolo veluti dracone, vel lupo.) *Quoties ego peccavi, & ipſe paratus fuit deglutire me, ſed tu Dom. Deus meus defendiſti me* (repete priorem metaphoram.) *Cum contra te inique agebā, cum tua mandata frangebam, ſtabat ipſe paratus, ut me raperet ad infernum, ſed tu prohibebas. Ego te offendebam, tu me defendebas. Ego te non timebā, & tu me cuſtodiebas. A te recedebā, & me inimico meo exhibebā, tu ipſum, ne me exciperet, deterrebas.* Ex his perpēdite, an Chriſtus D. ſit botrus balſami, an non cum ſcinditur, fluat balſamo, an ſit bonus paſtor, an non ſit miſericors & benignus erga err. oviculam 24. ultimas horas Chriſti Salv. tantum percurrite. Judas, Phariſæi, ah! quomodo ſciderunt hanc arbuſculam (poteſt fieri p. deſcriptio) ipſe toto illo tempore fluxit balſamo; & ſanguineo &c. in inſtitutione Euch. in paſſione ad col. inter ſpinas, in cruce &c. botrus fuit balſami.

Suaviter S.Amb.l.2.de Sp.S.c.5.ſuper illa verba, *Ego flos campi. Flos odorem ſuū ſervat ſucciſus, & contritus accumulat, nec avulſus amittit. Ita & D. Ieſus in illo patibulo crucis, nec contritus emarcuit, nec avulſus evanuit, ſed illa lanceæ punctione ſucciſus, ſacro ſpecioſior fuſi cruoris colore vernavit, mori ipſe neſciens, & mortuis* §. II. *Quare florem campi.* Cant. 2. v. 1

Digitized by Google

æternæ vitæ munus exhalans. Finio cum Tertull. l. de pœn c.8. *Inauditum miſericordiæ genus eſt, quod cum ſummo Dominus jure, miſericordiam, & veniam negare poſſet, non modo non neget, ſed ipſe etiam, & velit, & roget, & minetur, niſi ad eum revertaris. Tanto ſalutis noſtræ amore tenetur; Tam Pater nemo; tam pius nemo*; addo ego. Tam Paſtor nemo &c.

CONCIO XXIV.

DOMINICA III. POST PASCHA.

Modicum, & jam non videbitis me.

Joan. 16. ℣. 17.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoſperitas, honores, divitiæ, voluptates, omnia bona hujus mundi, durant modicum.

§.1. *Senſus hujus voculæ, modicum.*
§.2. *Honores hujus mundi, ſunt modicum, ſive, ſomnium.*
§.3. *Proſecutio.*
§.4. *Quare Saul fuerit unctus Rex Iſrael in Galgala. Varii Reges, agnoverunt hujus mundi vanitatem.*
§.5. *Proſecutio.*
§.6. *Favor fortunæ proſperæ durat modicum; exemplum habemus in Cyro.*
§.7. *Similiter divitiæ & voluptates, non diu permanent.*
§.8. *Sed, ad modicum, ex cap. 24. Iobi.*
§.9. *Omnia fugiunt cū tempore.*

§.1. *Senſus hujus voculæ, modicum.*

SEnſum horum verborum ad literam clare, ut ſolet, explicat Alcuinus. *Modicum* &c. q. d. Chriſtus D. Modicum tempus eſt futurum; quo non videbitis me, id eſt, illud

illud triduum, quo in ſepulcro quieſcam; & iterum eſt modicum futurum tempus, quo videbitis me, id eſt, illi quadraginta dies, in quibus eis ſæpius poſt paſſionem ſuam, uſque ad tempus aſcenſionis ſuæ apparuit. In aſcenſione verò, etiam corporaliter abiit ad patrem ſuum, ex hoc mundo; & deinceps Apoſtoli illum non viderunt. Itaque diſcipuli ſuum Magiſtrum modicum viderunt, & modicum non viderunt. In ſenſu myſtico, plerique SS. Patres, ſacræ ſcripturæ interpretes, & concionatores ſuper hodiernum Evangelium, & præcipuam voculam, quæ ſæpius in illius contextu repetitur, *Modicum*, diſcurrunt, de rerum terrenarum vanitate, brevitate, inconſtantia, mutabilitate, & exitu vel fine plane infelici. In communi, variis concionibus, oſtendo, infallibilem maximæ hujus veritatem. Modo in particulari conabor evincere. 1. Honores. 2. Proſperam fortunam. 3. Divitias & voluptates, conſequenter omnia in hoc mundo, durare modicum, & plerumque vitam filiorum hujus ſæculi, terminari improviſo & infeliciſſime.

§. 2. Honores hujus mundi modicum, ſive ſomnium. Iob. 20. v. 7. 8.

In particulari, Honores hujus mundi modicum ſunt, ſive ſomnium: hac vocula uſi ſunt plurimi SS. PP. ſupra verba Jobi. *Qui cum viderant, dicent, ubi es? velut ſomnium avolans, non invenietur, tranſiet ſicut viſio nocturna.* S. Greg. M. hic. *Recte ſomnio comparatur, quia ab eo omnis honor & gloria, quaſi dum tenetur amittitur; ſæpe namque in nocturna viſione, nonnulli pauperes ſe factos divites admirantur, deferri ſibi honores aſpiciunt, divitiarum moles, obſequentium multitudinem, pulcritudinem veſtium, abundantiam ciborum adeſſe conſiderant. gaudent ſe evaſiſſe penuriam, quam cum gemitu tolerabant, ſed repente cum evigilant inveniunt, quàm falſum fuerat, quo gaudebant, eoſque evigilaſſe pœnitet, quia vigilantes inopia vera tenet.* Falſa felicitas fuit modicum. Poſtquam S. Chryſoſtomus hom. de Eutropio, qui ex Conſule Romano factus fuit homo miſerrimus, exclamaſſet, *Vanitas vanitatum & omnia vanitas* in hoc mundo; uſus fuit citata quæſtione Jobi, ubi es? Ubi faſces, ubi ſplendores & inſignia conſulatus? ubi applauſus? ubi choreæ? ubi

ſione ſanguinis in flag. & coronatione emolliri non potuit, ſed ſitivit ſanguinem crucis. Spiritum durum habuit pop. Judaicus, quo enim majora à Deo accepit beneficia, & major illius fuit ingratitudo. Paucis verbis omnia comprehendit Dion. Carthuſ. in S.Joannem. *Populus Iudæorum meditatus eſt contra Chriſtum in ſpiritu duro & obſtinato, qui dixit, Tolle, tolle, crucifige eum. Per diem æſtus, id eſt tempore Paſſionis Chriſti.* Sed quomodo illud tempus vocatur calidum, quo nocti ad ignem cum miniſtris acceſſit S.Petrus, ut ſe calefacerent? Sic eſt, frigidum tempus fuit congelatis cordibus Judæorum, ſed Chriſto D. nox illa & dies Paraſceves fuit tempus calidiſſimum, quia dulciſſimum ejus cor ardebat inſtar fornacis, plenæ flammis amoris, ex quo etiam mortuus fuit in cruce. *Idcirco* verò, pergit Dion Carthuſ. *ſuper hoc dimittetur iniquitas domui Iacob, id eſt, filiis Iſrael, qui manus ſacrilegas injecerunt in Filium Dei; ignoſcetur, ſi pœnitere voluerint, ſuper hoc, id eſt, merito Chriſti.* Tandem notandæ ſunt illæ voculæ Iſaiæ; *Omnis*
Iſaiæ 27.v.9. *fructus.* q. d. innumerabiles ſunt fructus mortis & Reſurrectionis Chriſti, ſed tanti facienda eſt remiſſio peccati & pax atque reconciliatio noſtra cum Deo, ut dicenda ſit omnis fructus, ſine qua remiſſione, & ſine qua paſſione, nulli alii fructus crucis nobis proderunt. Hoc fine affixus eſt cruci, fudit ſang. mortuus eſt, ut peccata dimitteret. hoc fine inſtituit SS. Sacramenta, ut continuo, ſi iram Dei peccatis noſtris contra nos rurſum provocemus, ſint media reconciliandæ pacis; ut continuo rurſum lavemur, & mundemur in ſanguine ſuo.

§.7. *Ingens pulcritudo hujus pacis, ſive remiſſionis peccatorum.* Ob pulcritudinem, quam hæc pax & reconciliatio facta per mortem & ſanguinem crucis efficit in animabus noſtris, exclamat ſponſus. *Quam pulcra es amica mea, quàm pulcra es!* exclamat Rupertus Abbas. *O pulcritudo admirabilis, quam ſic admiratur & collaudat, pulcerrimus! auctor ipſe pulcritudinis.* &
Cant.4.1. cur bis repetit, *quam pulcra es, quam pulcra!* reſpondet Dion. Carthuſ. *Commendat ſponſam, dicendo quaſi cum admiratione, & ingeminatione, ad inſinuandam magnitudinem rei, &c. Itaque*

pulcra

pulcra eſt in naturalibus, tanquam ad ſuper beatiſſimæ Trinitatis imaginem & ſimilitudinem condita: pulcrior facta per bapt. gratiarumque munera; Pulcerrima per ſanctitatem, & emundationem ab omni macula peccati in ſanguine ejus. Gratulor ex corde omnibus, qui hoc paſchali tempore per ſeriam confeſſionem participes f[illegible]cti ſunt, pulcerrimæ pacis & reconciliationis, quam Chriſtus D. ſua morte compoſuit & reconciliavit, pax vobis; Puto hodiernam Dominicam ideo vocari in Albis, ut Chriſtiani recordentur ſtolæ candidæ & pulcerrimæ veſtis qua per paſchalia ſacramentà nos induit & ornavit, agnus paſchalis, ſive Chriſtus D. glorioſe à mortuis reſurgens.

Dixit olim Chriſtus D. S. Catharinæ Senenſi, filia, oſtendam tibi rem pulcerrimam totius mundi; nimirum animam quæ ornata eſt gratia, lota in precioſiſſimo agni. Quando S. Virgo vidit illam pulcritudinem, animam juſti veluti quoddam cœlum, pulcriorem ſole, veluti quoddam ſpeculum divinitatis exclamavit; *O quam bene effuſus eſt ſanguis Chriſti; O Paſſionem fructuoſam; O fructum dignum morte Filii Dei*, & confeſſario ſuo Reymundo dixit; *O Pater mi; ſi vidiſſes animæ meæ pulcritudinem; non dubito, quin pro illius ſalute, libenter centies mortem oppeteres.* O Animæ ſanctæ! ſponſæ Chriſti reſurgentis, dicite rogo, unde tanta veſtra pulcritudo? quis tantis ſplendoribus vos irradiavit, quis ornavit inæſtimabilibus gemmis? ſatisfacit meis quæſt. S. Paul. dicens. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea, ut mundaret ſibi ſponſam, non habentem maculam, neq; rugam.* S. Bern. ſer. 28. in Cant. *Specioſus forma præ filiis hominum illuminãdis, obſcuratur in paſſ turpatur in cruce, pallet in morte, ex toto non fuit ei ſpecies neq; decor. ut ſibi ſpecioſam atq; decorã acquireret ſponſam eccleſiam ſine macula & ſine ruga* S. Greg Naz. or. 1. in S. L. *Pauper factus eſt Chriſtus ut nos illius paupertate diteſcamus. Servi formam accepit ut nos libertatem recipiamus. deſcendit, ut evehamur, contemptus eſt, ut nos gloria afficiat, mortuus eſt, ut ſervet, reſurrexit à mortuis ut ſit reſurrectio noſtra; vicit, ut nos fruamur pulcerrima pace.*

§. 8. Chriſtus D. oſtendit S. Catharinæ S. rem omnium pulcerrimam, animam juſti.

Eph. 5. v. 25

Zach 3. v. 1.

Figuram ſe vidiſſe ait Zacharias. *Et oſtendit mihi Dominus*

§. 9. Pulcritudo

hæc anima ſive hujus Pacis, aſcribenda Chriſto, cum magna gratiarum actione.

Ieſum Sacerdotem magnum &c. & Ieſus erat indutus veſtibus ſordidis. Ad literam ſermo eſt de Jeſu filio Joſedech Pontificis, de quo vide interpretes. Allegoriæ, Chriſtus Salvator indutus fuit veſte ſordida, tum cum hum. natura in ſe ſuſcepit iniquitates noſtras. Fuit indutus veſte ſordida, cum tempore paſſionis vidimus illum leproſum &c. à planta pedis &c. S. Joannes ait. *Et veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine,* (*Apoc. 19. v. 13.*) vel ut ait S. Bernardinus, *carne cruentata proprio ſanguine:* quod ſeptem vicibus contigit, in circumc &c. Sed bene monet S. Auguſtinus ſer. 22. de verbis Apoſtoli. *Factus eſt deformis Chriſtus, qui ſpecioſus erat; & deformitas Chriſti te format; ille enim ſi deformis eſſe noluiſſet, tu formam, quam perdidiſti non recepiſſes. Pendebat ergo in cruce deformis, ſed deformitas illius noſtra pulcritudo erat.* In Reſurrectione depoſitis veſtibus ſordidis, apparuit in ſplendoribus in veſtitu deaurato immenſæ gloriæ. Finit S. Auguſtinus hunc diſcurſum cum ingenti gratiarum actione, & ait, O Salvator glorioſiſſime, agimus tibi gratias, quod per tuam deformitatem in cruce, in tua Reſurrectione animas noſtras effeceris pulcras. Agimus tibi gratias, quod nos laveris in ſanguine tuo. Agimus tibi gratias, quod ornaris nos ſtola candida. Agimus tibi gratias, tanquam Victori glorioſiſſimo, quod viceris noſtros hoſtes; Agimus tibi gratias pro illa pace & reconciliatione, quæ inter Deum & nos facta eſt, in precioſo tuo ſanguine. Laus, honor gloria ſit tibi in ſæcula ſæculorum. Amen.

CON-

CONCIO XXIII.

DOMINICA II. POST PASCHA.

Ego ſum Paſtor bonus.

Joan. 10. ℣. 11.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXplicat unicam proprietatem boni Paſtoris: quod non quærat ruinam errabundæ oviculæ; neque Chriſtus D. mortem velit peccatoris, ſed ut redeat, & vivat.

§. 1. *Sacra Scriptura Chriſto Salvatori noſtro, varia tribuit elogia; ipſe ſe vocat Paſtorem.*

§. 2. *Bonus paſtor, non deſtruit errabundam oviculam; neque bonus Ieſus peccatorem.*

§. 3. *Experta hoc fuit Ninive.*

§. 4. *Experiuntur indies peccatores.*

§. 5. *Ingrato populo, dum adoravit vitulam, nihilominus pepercit bonitas Dei.*

§. 6. *Sic bonitas Ieſu parcit peccatoribus.*

§. 7. *Ideo ejus caritas ab Apoſtolo vocatur benigna; quare ſic vocetur?*

§. 8. *Amor hujus boni Paſtoris, inſtar ignis non poteſt extingui.*

§. 9. *Imo exardeſcit in aquis.*

§. 10. *Quare ſponſa, vocet ſponſum, botrum balſami.*

§. 11. *Quare florem campi.*

TAm varii, tam inſignes, tam excellentes ſunt favores, & gratiæ, & beneficia, in nos collata à Chriſto Salvatore noſtro, ut ipſe propterea (teſte S. Auguſtino ſer. 109. de temp.) *Multis nominibus appelletur. Verbum,*

§. 1. Sacra Scriptura Chriſto Salvatori noſtro, varia tri-

buit elogia. Ipſe ſe vocat paſtorem.

Ioan.1. v. 14. & v.29 Exod. 19. v. 4. Ierem.2. v. 13 Ioan.4. 14. Ioan.5. v.6 Ierem. 4. v.4. Matt.18. v. 19. Marc.12. v. 14. Luc.19. v. 39. Ioan.13. v. 14. Luc.4. v. 13. Matt. 19. v. 21. Luc.18. v. 22. 1. Cor.1. v. 21. Ioan. 5. v. 6 Luc.23. v. 42.

Agnus, Aquila, ſons, Via, Ignis, Magiſter, Medicus, Theſaurus, Sapientia, Veritas, Vita. Verbum, per quod nobis loquitur pater, agnus immolatus pro nobis in ara crucis. Aquila, quæ nos portat in alis ſuis. Fons, ex quo bibimus aquas ſalutis. Magiſter, qui nos docet. Medicus, qui nos ſanat. Theſaurus, qui nos facit divites. Sapientia quæ nos inſtruit. Via quæ nos ducit ad cœlum. Vita, quæ vitam nobis dabit æt. *Neque enim hæc* (ait S. Ambr. l.1. de fide ad Gratianum,) *nuda ſunt nomina, ſed operatricis virtutis indicia.* In hod. Eu. de his omnibus elogiis tacet Chriſtus, Salvator noſter, dicere potuiſſet poſt glorioſam reſurr. Ego agnus, ante triduum immolatus, ſed hodie Leo! Ego in reſurrectione mea aquila &c. Sed alio nomine ſe compellat, *ego ſum Paſtor bonus.* Quomodo ipſe paſtor? Cum S. Chryſoſt. perpendit, quod latro in cruce Chriſtum vocaverit Regem, *Memento mei Domine, cum veneris in regnum tuum.* Quærit, *Dic mihi*-latro-*regnum commemoras? quid enim regni vides? Clavi & crux eſt, quod inſpicis.* Reſpondet S. Chryſoſt. in perſona latronis. *Et ideo eum regem nomino, quia crucifixũ video, Imperator. enim eſt, pro omnibus mori, & regis optimi pro communi utilitate, nunquam recuſare ſupplicium.* Chriſtus D. ſe vocat paſtorem, & quid videmus paſtoris, hoc quia poſuit animam ſuam pro ovibus ſuis &c. Utinam hac concione unicam ſolam proprietatem hujus boni paſtoris explicare poſſim; Quænam illa ſit, ſtatim audietis.

§.2.

Bonus Paſtor non deſtruit errabundam oviculam, neque bonus Ieſus peccatorem.

Paſtor, ſi bonus eſt, ſi gregem ſuum amat, oviculam etiam unicam, etiamſi à via aberraverit, etſi declinarit ad aliena paſcua, etſi longius à paſtore ſuo diſceſſerit, bonus inquam paſtor, talem oviculam, cum illam reperit, non deſtruit, non occidit, non excoriat, non projicit lupis aut beſtiis; ſed ſuaviter alloquitur, blande ſuſcipit, imo humeris impoſitam ad gregem reportat, ſi opus ſit, etiam in brachiis ſuis. Major eſt amor boni paſtoris, quàm ſit error oviculæ. Pulcerrima, ſuaviſſima, divina proprietas paſtoris optimi Chriſti Salvatoris: non quia homo aliquoties peccavit, quia abiit poſt veſtigia hircorum &c. illum ſtatim deſtruit, & occidit &c. Sed ſi velit, ſi vocem

vocem ejus rurſus audiat, ſi revertatur, blande illam alloquitur, ſuaviter excipit, paterne & amoroſe amplectitur, imò fovet in ſinu ſuo, qui ſunt quinque SS. Vulnera glorioſiſſimi Paſtoris. Longe major eſt ejus bonitas & amor, quam ſit malitia peccatoris.

Ingrata Deo urbs fuit Ninive! *Malitia ejus aſcendit co-* §.3.
ram eo. Anne ideo bonus Deus ſtatim contra talem urbem *Experta*
torſit fulmina? Nunquid iterum miſit diluvium? nonne *hoc fuit*
Ninive.
rupit catarractas cœli; An fortaſſis ſtatim miſit peſtem, quæ *Iona 1.v.2.*
intra medium diem tollerit 70000. civium? An miſit exercitus, qui ferro flammaque urbem vaſtarent? An clauſit viſcera terræ, ne provenirent fructus, ut fame perirent? An terræ hiatus aperuit, ut vivi abſorberentur? Omnibus his plagis Deus impiam urbem potuit caſtigare, & ſtatim, & cum ſumma Juſtitia; Verum O infinitam Optimi Dei bonitatem! O miſericordiam Seraphinorum admiratione dignam! in admirationem ſimilem raptus exclamavit S. Baſilius orat. 12. *Ninive peccatis naturæ terminos ſupergreſſa eſt; non tamen divinæ clementia metas exuperabat.* Major Dei fuit bonitas, quàm Ninivitarum. Pœnæ tempus prolongavit, Jonam miſit qui prædicaret illis pœnitentiam, & ſalva manſit Ninive.

Non deſunt hodie Ninivitæ! vivunt in terris peccato- §.4.
res quorum malitia aſcendit in cœlum; graviſſima illorum *Experiuntur indies*
ſcelera coram tremendo Judice CHRISTO JESU cla- *peccatores.*
mant vindictam. Nunquid ideo ſtatim torquet fulmina? an ignes de cœlo? an ſolvit cataractas cœli, &c. Omnibus his modis poteſt caſtigare impios. Sed necdum eſt judex! eſt adhuc paſtor, & bonus paſtor. Plurimi peccatores ſunt, quorum ſcelera terminos naturæ ſunt ſupergreſſa: non tamen divinæ ejus clementiæ metas exſuperarunt. Major eſt ejus bonitas & miſericordia, quàm ſit illorum malitia. Paſtor eſt, amat adhuc oviculas, necdum deſtruit; expectat ut redeant, offert humeros ut reportet, offert brachia & ſinum, ut foveat.

§. 5. *Ingrato populo, dum adorat vitulum, tamen pepercit bonitas Dei.* Exod. 32. v. 7.

Eo proceſſit ingratitudo & malitia populi, ut fecerint ſibi vitulum conflatilem, & adoraverint illum, atque immolaverint ei hoſtias. Gravibus verbis impium factum Deus proponit Moyſi, in monte, in quo converſabatur cum Domino, *Vade, deſcende*, ait Dominus, *peccavit populus tuus, &c.* Et quid videtur tibi Moyſes? *Dimitte ergo me, ut iraſcatur furor meus contra eos, & deleam ejus.* Cum ſtupore conſidero hunc modum loquendi; *Dimitte me.* Tam gravi eſt affectus injuria! populus ingratus non vult illum agnoſcere Deum; adorant vitulum; gravia alia committunt ſcelera, ſaltant, tripudiant. Ignibus, flamma, fumo, fulminibus, tonitruis, quibus furit mons Sinai, momento poteſt omnes deſtruere, & dejicere in tartara; ſed ut oſtendat ſe non poſſe, petit quaſi licentiam à Moyſe. Cauſam advertit S. Cyrillus Jeroſol. Catech. 2. *Etiamſi univerſus populus peccet, non ſuperabit divinam benignitatem; Vitulum populus, fabricaverat, ſed non deſtitit Dominus Deus à benignitate. Negaverunt Deum homines, ſed Deus ſe ipſum non negavit. Dicunt illi, hi ſunt Dii Iſrael, Et tamen pro more ſuo Deus ſervabat illos.*

§ 6. *Sic bonitas Ieſu parcit peccatoribus,*

O ingratas oviculas, ingratos mortales; quoties, adorant vitulos; idola; hic aurum & Plutonem. hic honores & Junonem! hic roſas, delicias & Venerem! hic ſiliquas porcorum, cepas, allia, Bachum; hic fortunam. Quid mirum, ſi D. Nemeſis dicat juſto Judici, Vade, deſcende, vide tuas oviculas; O qualia committunt ſcelera: & ſic eſt, offenſus eſt ſeverus Judex; ignibus, flammis &c. quibus cinctus eſt thronus ejus poteſt illos punire. Irata elementa ſunt ſatellites ejus, armati in vindictam. Sed Paſtor eſt! bonus eſt! amat oviculas; Etſi peccent, non ſtatim ſuperant divinam benignitatem optimi Jeſu. Adorant mortales vitulos; ſed cum deſiſtit Dominus à ſua benignitate. Negant Chriſtum homines; ipſe non negat ſe eſſe Jeſum. Paſtor eſt, pro more ſuo ſervat oviculas.

§. 7. *Ideo ejus caritas ab*

Hæc eſt infinita illa caritas boni paſtoris, quam Doctor gentium vocat benignam, *Charitas benigna eſt.* Inquirunt interpre-

terpretes cauſam hujus elogii, hujus voculæ, *Benigna eſt*. S. Baſilius de reg. brev. reſp. 214. ait. *Qua de cauſa, Deus parcens peccatoribus, dicitur benignus, quia ſolum propter ſuam bonitatem abſque aliquo illorum merito peccata condonat, & gratiam largitur.* Ecce cauſam, ob quam in hod. Evang. ſe nominat bonum & benignum Paſtorem. hanc gratiam exhibet errabundæ oviculæ, ſive peccatori. Abſque illius merito, ſolum, ſolum propter ſuam bonitatem, parcit, condonat culpam, gratiam largitur. Caritas hujus paſtoris benigna eſt; Jeſus eſt bonus paſtor, etiam erga ingratas oviculas. S. Thomas lect. 2. ſuper. cit. locum S. Pauli ait: *Benignitas dicitur, quaſi bona igneitas: ut ſcilicet, ſicut ignis, liquefaciendo effluere facit; ita caritas hoc facit.* Amor Jeſu ignis eſt, ſed bonus ignis. Mundus in maligno poſitus eſt. 2. Joannis c 5. in maligno) in malo igne. Malus ignis erit, quo Chriſtus judex in die Judicii invadet impios. Malus ignis eſt ignis inferni, in quo æternum ardebunt, Alius ignis ardet in ardentiſſimo pectore optimi & benigniſſimi paſtoris. Bona eſt ipſius igneitas, qua graviſſimorum peccatorum culpas comburit; quà duriſſima impiorum corda liquefacit, ut diffluant in lacrymas.

Ap[o]ſtolo vocatur benigna. Quare ſic vocetur.

1. Cor. 13. v. 4.

§ 8.

Præcipuam aliquam proprietatem hujus ignis inſinuat ſponſa, dum Cant. 8. ait de ſponſo. *Lampades ejus, lampades ignis atque flam. aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem; nec flumina obruent illam.* Alia lectio habet, *ſcintillæ ejus ſcintillæ ignis.* Symmachus. *Impetus ejus, impetus ignis.* Septuaginta. *Alæ ejus, alæ ignis*; alii ex textu hebraico. *Flammæ ejus flammæ Dei.* Amor ſcilicet Dei habet flammas, habet ſcintillas, habet alas, eſt impetuoſus & flagrantiſſimus ignis. Multi effectus hujus ignis commendatione digni ſunt. Schola Seraphica P. Vincentii enumerat innumeros. Hunc commendat ſponſa, quod aquæ non poſſint illum extinguere. Paraphaſis Chaldaica. *Quamvis congregentur omnes populi, (& peccatores) qui comparati ſunt aquis, quæ ſunt multæ, non poſſunt extinguere miſerationes ejus.* Major eſt benignitas boni paſtoris, quàm ſit malitia & ingratitudo oviculæ. In die illa tremenda

Amor hujus boni paſtoris inſtar ignis non poteſt extingui.

Cant. 8. v. 7.

menda erit Judex, tum bachabitur ignis iræ ejus, in impios. Hodie eſt paſtor bonus. habet ignes, habet ſcintillas, habet alas &c. ſed benigniſſimi amoris.

§. 9. *Imo exardeſcit in aquis.* Liber Sapientiæ nobis proponit mirabilẽ proprietatẽ illius ignis, qui de cœlo pluit ſuper Ægyptum ob pertinaciam Pharaonis. *Quod enim mirabile erat*, ait S. textus, *in aqua quæ omnia extinguit, plus ignis valebat, & in aqua ſupra virtutem ignis exardeſcebat undique.* Lyranus. *Ille ignis fortius comburebat, quam ſi eſſet ſolus.* Hæc eſt proprietas ignitiſſimi amoris, quo bonus paſtor Chriſtus D. proſequitur errabundas ſuas oviculas. Sive illius caritatis, qua bonus Jeſus amplectitur etiam peccatores. Emittit cor impii rivos, flumina, maria, aquas graviſſimorum ſcelerum; ingrati erga illum ſunt mortales. Evola piis cogitationibus in montem Calvariæ, ecce pendet in cruce. ſub cruce ſtant Principes, Phariſæi, milites, carnifices, torquent, rident, blaſphemant, an fortaſſis extinxerunt flammas caritatis. Inter has aquas exarſit magis. ait enim, *Pater*, (O exceſſum amoris ! hac vocula utitur ut mitiget iram Patris.) *Dimitte.* O abyſſum pietatis; *Illis.* illis N. N. O viſcera miſericordiæ; *non enim ſciunt quid faciunt.* excuſat illos titulo ignorantiæ. O vehementiam amoris; Idem ignis, ardens in aqua eſt & hodie. Tales flammæ ardent in corde boni noſtri paſtoris. non extinguitur accenditur & exardeſcit magis.

Sap. 16. v. 17.

Luc. 23. v. 34.

§. 10. *Quare ſponſa vocet ſponſum Botrum Balſami.* Sponſa admirata magnitudinem amoris in ſponſo, ſolicita eſt de titulis, quibus illam exprimat. Theodoretus. *Quo nomine ſponſum appellet hæſitans ſponſa, huc illuc ſeſe vertit, atque illi undique collectas appellationes imponit.* Tandem ad explicandum amorem ſponſi ait, *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* O Sacramenta; O myſteria; O ſenſus horum verborum! & quis ſenſum vel mentem ſponſæ nobis explicabit. Quorum cogitationes provolant, haud dubie cogitant ſponſam comparare ſponſum cum pulcerrima uva; nec male! præſertim tempore Paſſionis ſub torculari crucis, vel in inſtitutione ſanctiſ. Sacr. Euchariſtiæ. Meas cogitationes modo alio

Cant. I. v. 13.

alio avocat lectio Pagnini, qui pro botro hanc voculam ponit, *Botrus Copher.) balſami*; quia *Engaddi* (teſte Joſepho,) *balſamum generat, quod precioſiſſimum eſt, & nuſquam alibi naſcitur.* S.Bern.ſer.44.in Cant. Ferunt in Engaddi arbuſculas balſami creſcere, quæ in modum vinearum ab indigenis excoluntur, & inde fortaſſis vineas appellavit. Proprietas hujus arbuſculæ eſt, cum læditur, cum cultro ſcinditur, balſamum ſtillat precioſiſſimum. O bone Paſtor! permitte mihi ut ramuſculis hujus arboris ornem paſtoralem tuum baculum. Permitte ut dicam, bonus paſtor eſt botrus balſami eſt Jeſus; cum à peccatoribus læditur, offenditur, ejus SS. Vulnera ſtillāt balſamum gratiæ, cum offenditur totus bonus eſt, & benignus. Fatetur ſe hoc expertum S. Aug. cum ait in ſolil. c.28. *Quoties me jam abſorbebat, ille draco, & tu Domine ab ore ejus extraxiſti me* (videtur mihi loqui S. Auguſt. de ſe, veluti ovicula, de Chriſto veluti paſtore, de diabolo veluti dracone, vel lupo.) *Quoties ego peccavi, & ipſe paratus fuit deglutire me, ſed tu Dom. Deus meus defendiſti me* (repete priorem metaphoram.) *Cum contra te inique agebā, cum tua mandata frangebam, ſtabat ipſe paratus, ut me raperet ad infernum, ſed tu prohibebas. Ego te offendebam, tu me defendebas. Ego te non timebā, & tu me cuſtodiebas. A te recedebā, & me inimico meo exhibebā, tu ipſum, ne me exciperet, deterrebas.* Ex his perpēdite, an Chriſtus D. ſit botrus balſami, an non cum ſcinditur, fluat balſamo, an ſit bonus paſtor, an non ſit miſericors & benignus erga err. oviculam 24. ultimas horas Chriſti Salv. tantum percurrite. Judas, Phariſæi, ah! quomodo ſciderunt hanc arbuſculam (poteſt fieri p. deſcriptio) ipſe toto illo tempore fluxit balſamo; & ſanguineo &c. in inſtitutione Euch. in paſſione ad col. inter ſpinas, in cruce &c. botrus fuit balſami.

Suaviter S. Amb. l.2. de Sp.S. c.5. ſuper illa verba, *Ego flos campi. Flos odorem ſuū ſervat ſucciſus, & contritus accumulat, nec avulſus amittit. Ita & D. Ieſus in illo patibulo crucis, nec contritus emarcuit, nec avulſus evanuit, ſed illa lanceæ punctione ſucciſus, ſacro ſpecioſior fuſi cruoris colore vernavit, mori ipſe neſciens, & mortuis* §. II. *Quare florem campi. Cant. 2. v. 1*

illud triduum, quo in ſepulcro quieſcam; & iterum eſt modicum futurum tempus, quo videbitis me, id eſt, illi quadraginta dies, in quibus eis ſæpius poſt paſſionem ſuam, uſque ad tempus aſcenſionis ſuæ apparuit. In aſcenſione verò, etiam corporaliter abiit ad patrem ſuum, ex hoc mundo; & deinceps Apoſtoli illum non viderunt. Itaque diſcipuli ſuum Magiſtrum modicum viderunt, & modicum non viderunt. In ſenſu myſtico, plerique SS. Patres, ſacræ ſcripturæ interpretes, & concionatores ſuper hodiernum Evangelium, & præcipuam voculam, quæ ſæpius in illius contextu repetitur, *Modicum*, diſcurrunt, de rerum terrenarum vanitate, brevitate, inconſtantia, mutabilitate, & exitu vel fine plane infelici. In communi, variis concionibus, oſtendo, infallibilem maximæ hujus veritatem. Modo in particulari conabor evincere. 1. Honores. 2. Proſperam fortunam. 3. Divitias & voluptates, conſequenter omnia in hoc mundo, durare modicum, & plerumque vitam filiorum hujus ſæculi, terminari improviſo & infeliciſſime.

In particulari, Honores hujus mundi modicum ſunt, ſive ſomnium: hac vocula uſi ſunt plurimi SS. PP. ſupra verba Jobi. *Qui cum viderant, dicent, ubi es? velut ſomnium avolans, non invenietur, tranſiet ſicut viſio nocturna.* S. Greg. M. hic. *Recte ſomnio comparatur, quia ab eo omnis honor & gloria, quaſi dum tenetur amittitur; ſæpe namque in nocturna viſione; nonnulli pauperes ſe factos divites admirantur, deferri ſibi honores aſpiciunt, divitiarum moles, obſequentium multitudinem, pulcritudinem veſtium, abundantiam ciborum adeſſe conſiderant. gaudent ſe evaſiſſe penuriam, quam cum gemitu tolerabant, ſed repente cum evigilant inveniunt, quàm falſum fuerat, quo gaudebant, eoſque evigilaſſe pœnitet, quia vigilantes inopia vera tenet.* Falſa felicitas fuit modicum. Poſtquam S. Chryſoſtomus hom. de Eutropio, qui ex Conſule Romano factus fuit homo miſerrimus, exclamaſſet, *Vanitas vanitatum & omnia vanitas* in hoc mundo; uſus fuit citata quæſtione Jobi, ubi es? Ubi faſces, ubi ſplendores & inſignia conſulatus? ubi applauſus? ubi choreæ? ubi

§. 2. Honores hujus mundi modicum, ſive ſomnium. Iob. 20. v. 7. 8.

convivia? ubi purpura? ubi lecti eburnei? ubi coronæ? ubi paraſiti? ubi acclamationes circenſium theatrorum? ubi hæc omnia? tandem reſpondet; *Omnia illa nihil niſi ſomnium nocturnum fuerunt, apparenti die evaneſcens; flores fuerunt verni, verè exacto emarcuerunt omnia; umbra erant, & præterierunt: fumus erant & ſoluta ſunt; bullæ erant, & diſruptæ ſunt, araneæ erant & laceratæ ſunt.*

§. 3. *Proſecutio.* *Gen. 40. v. 9.*

Confirmatur hæc metaphora ſomnii à Pincerna Pharaonis, de quo ait ſacer textus. *Narravit* Joſepho *ſomnium ſuum.* S. Ambr. l. de S. Joſeph c. 6. Nam *omnis potentia ſæculi, ſomnium non veritas eſt. Per ſomnium vidit reddi ſibi principatum ſuum,* (princeps pincernarum) *ita ſunt hujuſmodi homines, qui in hoc ſæculo delectantur ſecundis rebus.* Ita, ſi civitati celeberrimæ in ſcriptura, ſi inquam urbi Tyro proponatur hæc quæſtio, *Ubi es?* reſpondebit è ſuis cineribus, ex mente Leonis Caſtri, Reſpondebit Tyrus Inſula, quæ olim erat fortitudo maris, ſomnia erant illa, quæ de nobis cogitabamus, & quæ de potentia, de honore, de gloria, de multitudine civium ſomniabamus; non videtis, me non eſſe amplius. Modicum, ſomnium, umbra fuit mea felicitas! S. Idelbertus cap. 26. *Bona vaga, bona pennata, ſunt hæc omnia; Eorum eſt, nunquam eſſe diutius; eorum ſtatus, nemini ſtatum præfigere certiorem.*

§. 4. *Quare Saul fuerit unctus Rex Iſrael in Galgala? Varii Reges, agnoverunt mundi hujus vanitatem.* 1. Reg. 11. v. 14. *Iſ. 45. v. 1.*

Cum magno myſterio dixit Samuel ad pop. *Eamus in Galgala, & coronemus Saulem Regem; Et perrexit populus in Galgala, & fecerunt ibi Regem Saul, coram Domino, in Galgala.* addit Lyranus, in gloſſa, *in loco ſolenni.* Significatio hujus voculæ, Galgalæ, explicabit nobis cauſam, cur primi Regis Iſraelitarum electio fieri debuerit hoc loco. Galgala, idē eſt, quod *Rota* vel *Revolutio* vel *Mutatio, Vertigo, turbatio, inconſtantia, mutabilitas,* ut vel ex hac vocula intelligamus, dignitatem etiam Regiam, verbo omnes honores hujus mundi, eſſe rotas: in præcipuis Imperiis continuæ ſunt revolutiones, mutationes, turbationes, rebelliones. *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut ſubjiciam ante faciem ejus gentes, &*

dorſa

Digitized by Google

dorſa Regum vertam. Omnium Regum hujus terræ perſonam induit Salomon, Regum quondam feliciſſimus, fortunatiſſimus quoad bona hujus mundi, & ait Eccl. *Ego Eccleſiaſtes fui Rex Iſrael in Ieruſalem.* Quis loquitur? Salomon! & quomodo loquitur de præterito, qui actu Rex erat? è ſepulcro, è regia tumba ſic loqui potuit; quare dum vivit, dum imperat, dum ſplendet in purpura ait, *Fui Rex!* Modus hic loquendi Rabinis quibuſdam dedit cauſam, ut putarint Regem Salomonem ante mortem renuntiaſſe regiæ dignitati, & aliquamdiu ſeceſſiſſe ad locum ſolitarium ad agendam pœnitentiam. Priori ſæculo cum immortali laude & totius Europæ admiratione id fecit Cæſarum Auſtriacorum feliciſſimus Carolus V. Sed Hugo de S. Victore hom. 5. in Eccleſ. advertit verum ſenſum, quod Salomon pertæſus vanitatis exprimere voluerit *Modicum*, ſive celerem, tranſitum honorum hujus mundi, ideoque dixerit: *Fui! jam non ſum! idipſum jam nihil eſſe agnoſco, quod ſum.* Regia mea dignitas, fuit; propero ego ad ſepulcrum. Purpura, fuit; brevi erit cinis. (Hoc modo fieri poterit pulcra inductio.) Reges hujus mundi coronantur in Galgala! imponuntur throno! thronus rota eſt. In regnis præcipuis continuæ ſunt revolutiones &c. Modicum. Rex Sueciæ Guſtavus Adolphus, dum videret ſe honorari veluti Deum, dixiſſe fertur: *Quid putat populus? me eſſe Deum? O quam decipitur? Omnes ſumus mortales! animus meus ferreus eſt, ſed vita mea Vitrum.* Tantos honores habeo pro ſiniſtro omine, timeo divinam punitionem. Poſt modicum cecidit in prælio ad Lipſiam.

Eccl. 1. v. 12.

Eccleſ. 1. v. 12.

Oſeæ. 10. *Tranſire fecit Samaria Regem ſuum, quaſi ſpumam ſuper faciem maris.* In Eccleſiaſtico ſe explicat Salomon. *Omnis potentatus brevis vita &c. Rex hodie eſt, cras morietur.* q.d. ait Hugo Card. *Non eſt gloriandum de potentia, quia cito tranſit.* hoc eſt, quod ſignificat vocula, *Modicum*; rem quæ cito tranſit, Regem, qui cras morietur. Elegantiſſime ille Poeta:

§ 5. Proſecutio. Eccleſ. 10. v. 11.

Digitized by Google

Eſſe, fuiſſe, fore, tria florida ſine flore;
Nam ſimul omne perit, quod fuit eſt & erit.
Quod fuit eſt & erit, perit articulo brevis homo,
Ergo quid prodeſt, eſſe, fuiſſe, fore.

Damno ſuo id expertus fuit Fabius Marius, de quo ait Trebellius, una die factus eſt Imperator; alia die juſſus eſt imperare, tertia die interemptus eſt. Omnis potentatus brevis vita, Rex hodie eſt, cras morietur.

§. 6. *Favor Fortunæ proſperæ, durat modicum. Exemplum habemus in Cyro.*

2. Favor fortunæ proſperæ modicum durat. Hoc ſimili hanc maximam declarat S. Petrus Damianus. Quis eſt, erga quem, fortuna ſe, modo de adverſis in proſpera, modo de proſperis in adverſa, *ſcenica varietate ſe non convertat.* Itaque, ait S. Greg. Naz. or. 27. *Aulici, Proceres, ac ſublimibus thronis, & dignitatibus inſignes, ne ob potentiam animos magnopere efferatis, nec de mortalibus rebus tanquam de immortalibus cogitetis.* Dii eſtis, & filii excelſi, (albæ fortunæ filii) vos autem ſicut homines moriemini, & ſicut unus de principibus cadetis. forte poſt modicum. Fortunatiſſimus fuit Alex. M. Deus aliquis in terris; quia ſedit in rota, cecidit, mortuus eſt. (hoc modo fiat p. inductio.) Filius fortunæ fuit Cyrus, cujus ſupra feci mentionem, Xenophon l. 1. cit. *Cyro ſubjugavit Syros, Aſſyrios, Arabas, Cappadoces, Phryges, Caros, Babylonios; Potitus eſt Bactrianis & Indis, & Cilicibus &c. & aliis plurimis gentibus, quarum nec nomina quis dixerit.* Inſuper dominatus eſt Aſiaticis, Græcis, Cypriis. Herodoto teſte; Quamcunque gentem invaſit, illa evadere non potuit. Eidem regi per Iſaiam dixit Dominus. *Dabo tibi theſauros abſconditos:* impleta fuit promiſſio, quando enim Cyrus vaſtavit Babyloniam, fodit in latere Euphratis, & invenit ibi ſexcentas & octuaginta hydrias æneas, plenas auro optimo & lapidibus pretioſis, & margaritis, & gemmis. O modicum; O rotam fortunæ, mutabilem, inſtabilem; O revolutionem celerem! In prælio contra Reginam Tamini vincitur, occiditur, occiſo caput amputatur, quod juſſu Reginæ, cum in vaſe pleno humano ſanguine nataret, ipſa dixit, *ſatia te ſanguine quam ſitiſti,*

Iſ. 45. v. 3.

cujus

Digitized by Google

cujus inſatiabilis ſemper extitiſti, Sed ubi Cyrus? fuit! cito verſa fuit illius fortuna, veluti rota. Cum præſes Feſtus ſedens in regio tribunali ex S. Antonina M. interrogaret, quare rideret, reſpondit; *Dicam equidem, provideo iſtud tuum ſolium, evertendum, ideoque inanem tuam gloriam riſi.* Sic eſt: evertuntur quotidie plurimæ ſpes filiorum hujus mundi. *Hoc communiter experiuntur* (ait Oleaſter in c. 42. Geneſis.) *Servi Principum, quibus evenire ſolet, ut propter facilem cauſam in carcerem detrudantur, & una hora perdant, quod tota ſua vita meruerunt. Varius Regum animus, qui pro re minima hominem ſumme evehunt, & pro nihilo deprimunt.* Modicum plane tempus eſt, quo proſpera fortuna ſtabilis perſiſtit. Eſter. Aman feſtinavit ire in domum ſuam, narravitque uxori, quantus eſſet apud Aſſverum; O modicum; ſequenti die pependit in patibulo. *Eſther 6. v. 13.*

3. Divitiæ ſunt modicum, ſicut & voluptates hujus ſæculi. A Cornelio Tacito & aliis hiſtoricis laudatur Tiberius Imperator quod noluerit vocari Dominus, quod non permiſerit erigi ſibi ſtatuas &c. addunt, Dictitare ſolitum, cuncta mortalia incerta: quantoque plus aliquis adeptus foret, tanto magis expoſitum eſſe ludibrio. *Alta arbor fortius agitatur* (S. Iſidorus) *& rami ejus citius confringuntur: excelſa turres graviore lapſu procumbunt, & altiſſimi montes crebris fulminibus feriuntur.* ſuper verba illa pſ. 72. *Dejeciſti eos, dum allevarentur*, pulcre ait S. Greg l. 1. ep. 5. *Allevatio ergo ipſa, ruina eſt.* S. Thomas l. 3. contra gentes c. 30. *In conſecutionem divitiarum, maximum locum habet fortuna.* Bene ille dixit avariſſimo diviti: Omnes divitias & totius orbis opes etſi domi haberes; tamen plus hoc, à me circumſcripto loculo non poſſidebis. S. Joannes Chryſoſt. in hom. ad Eutropiam. An non aſſiduè dicebam tibi, fugitivas eſſe divitias, tu verò credere nolebas. Ecce experientia docet, quod non ſolum fugitivæ, ſed homicidæ etiam ſunt.

§. 7. Similiter divitiæ & voluptates non diu permanent.

Pſ. 72. v. 18.

De brevitate voluptatum ago alibi pluribus. De utriſque de divitibus & voluptuoſis bene dixit Job. *Ad modicum eleva-*

§. 8. Sed, ad modicum ex c. 24. Iobi.

Iob.24.24. *elevati ſunt, & non ſubſiſtent; humiliabuntur ſicut omnia, & auferentur, & ſicut ſummitates ſpicarum conterentur.* Gaudet ſuperbus de ſua, quam ſibi imaginatur, excellentia. ad modicum. Gaudet dives in aureis ſuis nummis, ad modicum. homo carnalis gaudet in ſuis deliciis, ad modicum. Dum vivunt id nolunt agnoſcere, cum dormierint, ex inferno dicent ex cap.5. Sap. Talia dixerunt, qui erant in inferno: *Erravimus à via veritatis: quid nobis profuit ſuperbia? aut divitiarum jactantia, quid contulit nobis? tranſierunt omnia illa tanquam umbra, & in malignitate noſtra conſumpti ſumus.* heu irritas, ſeras & vanas querelas. Viri ſapientes, dum tempus eſt, rerum omnium in hoc mundo vanitatem & brevitatem agnoſcunt.

Sap.5.v.6.

§.9. Omnia fugiunt cum tempore.

Ideo magnus ille Philoſophus & Poeta Franciſcus Petrarcha p. dixit. *Nihilo firmior eſt illa* (ſcilicet pulcritudo corporis &c.) *quam tempus: cum eo veniens, cum eodem fugit; Siſte ſi potes tempus; poterit forſan & forma conſiſtere. Expecta pauliſper non erit.* Judicaſne felicem, illum, qui poſſidet tot agros, &c. Expecta pauliſper non erit (fiat hoc modo pulcra inductio) & S. Aug. tr.7. in Joannem. *Lætitia ſæculi vanitas eſt: cum magna expectatione ſperatur, ut veniat, & non poteſt teneri, cum venerit. Iſte dies, qui lætus eſt, cras utique non erit. Tranſeunt omnia: avolant omnia! & ſicut fumus vaneſcunt. Væ qui amant talia; Væ qui opulenti eſtis in Sion, & confiditis in monte Samariæ* (Amos 6. v.2.) &c. vide cit. locum &c. & adde. poſt Modicum, eritis pauperes, miſeri &c. æternum infelices. S. Joannes Chryſoſt. h.1. in gen. *Quantæ igitur fuerit dementiæ, nutantia cum immobilibus commutare, temporalia cum his, quæ in ſæculum duratura ſunt; perpetuo manentia cum his, quæ in futuro ſæculo felicitatem ſummam afferent.* S. Antoninus 1. p. tit.4. &c.

Amos 6. v. 2.

Et ideo relinquendus eſt mundus. S. Leobardus Anacho. *Eia igitur rumpe moras, & ſuaviſſimum Chriſti jugum tota mente complectere.*

CON-

Digitized by Google

CONCIO XXV.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

Vado ad eum qui me miſit.

Joan. 16. v. 15.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit hanc quæſtionem, an cœlum vili precio ſit venale; ſive, an facile, vel difficile ſit, obtinere regnum cœlorum.

§. 1. *Exponitur varius ſenſus hujus voculæ, vado.*

§. 2. *Omnes deſiderant eſſe beati vario tamen modo.*

§. 3. *Quare Chriſtus D. ad verba illa Petri, Domine bonum eſt nos hic eſſe, nihil reſponderit.*

§. 4. *Quam viam tenuerit S. Paulus ad obtinendam gloriam.*

§. 5. *Verba ita Chriſti D. Qui vult venire poſt me, &c. omnibus ſunt dicta.*

§. 6. *Cælum obtinere, non eſt facile, ſed difficile: aliquibus impoſſibile.*

§. 7. *Confirmatur ex doctrina Chriſti.*

§. 8. *Alterum monitum Chriſti D. ad animam fidelem.*

§. 9. *Occurritur illi objectioni; Chriſtum pro nobis meritum eſſe regnum cælorum.*

§. 10. *Proſecutio.*

ELegans eſt diſcurſus Cardinalis Hugonis ſuper unicam hanc voculam, *Vado*, ait enim. *Vado ad Patrem.* 1. quaſi de triumpho acturus gratias. Secundo, vado ad Patrem, meos amicos illi recommendaturus, & petitiones veſtras delaturus, & cauſam veſtram defenſurus. Ero

§. 1. Exponitur varius ſenſus hujus voculæ, vado.

veſter Advocatus neque lingua mea tantum loquetur, ſed quinque S S. Vulnera, quæ in illum finem mecum portabo, & in glor. meo corpore æternum retinebo. 3. Vado ad Patrem, vobis locum, in pulcerrimis illis manſionibus præparaturus. 4. Vado, mentes veſtras ad ſuperna elevaturus. 5 Vado, ad Patrem, ab illo impetraturus vobis Spiritum S. 6. Vado, meos & crucis meæ inimicos accuſaturus apud patrem, niſi pœnituerint. 7. Vado, quaſi de victoria mercedem accepturus. Scilicet mercedem, quam tot laboribus, imo morte crucis promeritus ſum. 8. Vado ad Patrem, ſive in cœlum ad immenſam & æternam gloriam. Iterum tantæ gloriæ mentionem facit Chriſtus D. non ſine cauſa. Triſtitiam,

Ioan. 16. v. 6. 20.

lacrymas, perſecutiones, mortem prædixerat ſuis Apoſtolis; *nihil* autem *eorum*, (S. Chryſoſtomus) *quæ ſunt gravia, grave aliquid exiſtimat, qui cœleſtia recogitat.* S. Ambr. in gen. *Spes*

Gen. 28. v. 13.

præmii ſolatium eſt laboris. Scalæ, quam vidit Jacob in ſomno, figuræ ſacroſ. Crucis, innixus fuit Dominus, (S. Hier. ep. ad Jul.) *Vt laſſo manum porrigeret, ut aſcendentes ſuo ad laborem provocaret aſpectu.* S. Aug. in ſolil. c. 39. *Si vis ſuſtinere laborem, attende mercedem: nam & operarius in via deficeret, niſi attenderet, quid accepturus eſſet.* Guarricus Ab. *Si nimis arcta tibi videtur via, proſpice finem quo te ducit.* De Chriſto D. ait S. Paulus. *Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem,* & S. Chryſoſt. de S.

Hiob. 11. v. 21.

Paulo, *coronam ſibi propoſuit* D. Paulus *inviſibilem, & certamen leve ſimul fecit atque ſæculum.* Talia dicta hoc nundinarum tempore mihi cauſam dederunt, ut ſtatuerim hanc quæſt. hac concione tractare. An cœlum vili precio ſit venale; ſive an facile vel difficile ſit obtinere regnum cœlorum.

§ 2. *Omnes deſiderant eſſe beati; diverſo tamen modo.*

Ingenito à natura nobis appetitu, ferimur in beatitudinem; plerique ſperamus cœlum, pleriq; deſideramus ut cum Chriſto D. in gloria æternum ſimus felices & beati. Sed duplicem in hoc adverto hominum differentiam. Aliquibus facillimum videtur, ſalvari; putant ſe quaſi certos de cœleſti beatitudine; non quidem ob propria, ſed infinita Chriſti D. merita. Si hi tales ſint, qui ſervant mandata Dei, qui ſobrie, juſte,

Digitized by Google

juſte, pie vivunt &c. illos non reprehendo; cum enim jugum Domini ſuave ſit etiam facile eſt ſalvari. Alii vero ſunt plane timidi, ſoliciti, pleni terrore, ob clariſſima verba Chriſti D. quibus ait, arctam eſſe viam, quæ ducit ad cœlum; & illa Matthæi. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Varie SS. Patres hæc verba exponunt. S. Thomas ait, *Qui regnum cælorum ſive beatitudinem vult obtinere, aſſurgat ad ſpiritualia, & conetur multum.* id eſt, multo labore eſt opus, ut quis ſalvetur. S. Baſilius ſer. 1. de abdic. ſæc. *Violentiam appellavit aſſiduam, & acrem corporis in laboribus fatigationem, omnia abnegando, vigilando, jejunando, taciturnitatem ſervando.* S. Hieronymus. *Grandis eſt enim violentia, in terra nos eſſe generatos & cælorum ſedem quærere, & poſſidere per virtutem qua non tenuimus per naturam.* Titelmannus, *vim ſibi inferre debet, qui per pænitentiam abſtrahere ſe debet ab omnibus carnis deſideriis, & virtuti inſolita operam dare;* itaque timeo, *illos decipi,* qui mundo & ſenſualitati ſuæ vivunt, & tamen, ob merita Chriſti, de ſua ſalute non dubitant. Matt. 11. v. 12.

In monte Thabor Chriſtus D. in ſua transfiguratione tribus Apoſtolis, Petro, Joanni & Jacobo ſpectandum ſe præbuit in immenſa gloria: & S. Petrus ſtatim exclamat, *Domine bonum eſt nos hic eſſe.* S. Petrus quaſi putavit ſe eſſe jam in cœlo. Advertit S. Leo ſer. de transf. Chriſtum D. nec verbulum reſpondiſſe Petro; *Vt intelligeremus, inter tentationes hujus vitæ, prius nobis tolerantiam poſtulandam eſſe, quàm gloriam.* S. Remigius ſuper hunc locum ait, *Erravit Petrus qui oblitus fuit, ſe & ſocios ſuos eſſe mortales; & abſque guſtu mortis voluit ſubire æternam felicitatem.* Non ſic Petre! prius ad carceres, prius ad catenas, prius crucem aſcendes; in cruce vives, in cruce morieris, ſic rapies regnum cœlorum. Eſt hodie S. Petrus in gloria, cum ſuo Salvatore, ſed hanc gloriam, non tam facile obtinuit, Violentia fuit opus.

§. 3. *Quare Chriſtus D. ad verba illa Petri, Domine bonum eſt &c. nihil reſponderit.* Matt. 17. v. 4.

Socius Petri in carcere, in laboribus, in morte fuit S. Paulus; & hodie eſt in gloria. de via verò, qua ad illam pervenit, ait. *Sequor autem, ſi quo modo comprehendam, in quo & compreben-*

§. 4. *Quam viam tenuerit S. Paulus ad ob-*

Digitized by Google

tinendam gloriam. Philip. 3. v.12.

prehenſus ſum à Chriſto Ieſu. Quem ſecutus eſt? Jeſum ad quem deſideravit pervenire; ad Jeſum. In hunc quoque nos credimus, ſperamus; diligimus, cum hoc aliquando deſideramus vivere in gloria. Sed quam viam tenuit S. Paulus? putavitne ſatis eſſe Magiſtrum ſuum docuiſſe viam: putavitne ſatis eſſe, Chriſtum D. fuiſſe humilem, pauperem, &c. putavitne ſatis eſſe, ipſum fuiſſe mortuum in cruce? Minimè! ait enim, ſequor, quo modo poſſum, quantum poſſum per divinam gratiam & quidē in via, quam Chriſtus D. tenuit, ideo Hugo Cardinalis ait S. Paulum voluiſſe dicere, *ſequor Dominum in ſcala crucis.* Gloſſa ait. *Sequor non paſſibus corporis, ſed mentis affectibus, & vitæ moribus.* Clarius paulò poſt ſe ipſum explicat. *Fratres ego non arbitror me comprehendiſſe* (id eſt, non ſum certus de mea ſalute.) *Vnum autem* (habeo quaſi præ oculis) *ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu.* ſum in vigiliis, in laboribus, in fame, ſiti, perſequor, ſequor Jeſum meum, ad deſtinatum bravium. hæc eſt via ad gloriam. Romæ expectant me carceres, catenæ &c. perſequor, ſic ſequor Jeſum, ad deſtinatum bravium. Fortaſſis pro Chriſto, moriendum mihi erit &c. perſequar &c. ut ante. Auditores mei; itane & vos pergitis ad cœlum? ne decipiamini, ne putetis tam facile eſſe obtinere cœlum. Vadit Chriſtus D. ad patrem; ibimus ut ſpero aliquando & nos, ſed opus eſt, ut prius ploremus, ut mundus nos perſequatur, ut teneamus viam S. Crucis. S. Hieron. ep. ad Euſtochium, *Quis ſanctorum ſine certamine coronatus eſt.* S. Chryſoſt. hom. 66. *Tu neq; Paulo melior es, neq; Petro: ſi vis eadem cum illis aſſequi, quid contrariam ambulas viam? Quid Petro & Paulo ſublimius? Neronianum gladium cruentarunt.*

§. 5.

Verba illa Chriſti, qui vult venire poſt me &c. omnibus ſunt dicta. Matt. 16. v.24.

Chriſtus D. ipſemet ait, *Si quis vult venire poſt me,* clarus videtur ſenſus, videtur velle dicere, ſi quis gloriæ meæ in cœlo deſiderat fieri particeps; *abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuā, & ſequatur me.* Domine; de quo loqueris? quis eſt ille quis? quinam illi, qui crucem debent poſt te ferre. An juvenes? horrent plerique ſpinas, libentius vident roſas. An ſenes? crucem

amplius

Digitized by Google

amplius ferre non poſſunt. An Virgines & Matronæ? videntur nimis delicatæ. An divites, Nobiles, Principes? neque hi valde amant crucem. An Lutherani & Calviniſtæ? hi putant ſatis eſſe te pependiſſe in cruce: per roſas putant ſe ire ad gloriam. Non nominabo plures, memor verborum S. Joannis Chryſ. hom. 56. in Matth. *Hæc univerſo terrarum orbi proponit. Si quis vult ſive vir, ſive mulier, ſive Princeps &c.* ſive Catholicus, ſive Acatholicus, &c. quiſquis vult Chriſtum ſequi ad gloriam, *hanc viam ingrediatur.* Itaque non eſt tam facile obtinere regnum cœlorum. Vivere hic in divitiis, in gloria hujus ſæculi, ſecundum leges ſenſualitatis, (licet credas in Chriſtum &c.) & tamen ſperare cœlum, eſt periculoſum.

Acrius loquitur S. Bernardus de inter. domo cap. 45. & S. Hier. ep. 34. ad Jul. *Difficile, imo impoſſibile eſt, ut præſentibus quis fruatur bonis, & futuris: Vt hic ventrem, & ibi mentem impleat: ut de divitiis transeat ad delicias: ut in terra & in cœlo glorioſus appareat.* Satisfacere in omnibus inordinatis appetitibus ſenſuũ nihil negare cordi & oculis; & illis oculis deinde cernere Deum! difficile, imo impoſſibile eſt. Ventrem ſuum habere pro Deo, in crapulis & ebrietatibus, & deinde æternum ſatiari in cœna & nuptiis agni! difficile, imo impoſſibile eſt, eſſe avarum, tenacem, crudelem erga pauperes, viduas & pupillos, & tamen conſequi divinam miſericordiam; Difficile, imo impoſſibile eſt. Vivere in terris, ut vivunt beſtiæ, & tamen in cœlis velle vivere cum angelis; difficile imo impoſſibile eſt (hoc modo fieri poteſt p. inductio.) §. 6. *Cœlum obtinere, non eſt facile, ſed difficile aliquibus impoſſibile.*

Nemo offendatur tam acri modo loquendi SS. Patrum: didicerunt illum ex ore æternæ veritatis & cœleſtis Magiſtri, qui falſum dicere non poteſt, *Ieſus autem dixit* (cum juramento) *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum. Et iterum dico vobis, facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in regnum cœlorum. Auditis autem his diſcipuli mirabantur valde, dicentes; Quis ergo poterit ſalvus eſſe?* Rogo vos, per ſalutẽ veſtram, dilectiſſimi vicini ex urbibus Acathol. quid cogitatis, cũ à veſtris concionator. auditis, quã facile ſit venire ad cœlũ &c. ſi horũ verbor. Chriſti velitis eſſe §. 7. *Confirmatur ex doctrina Chriſti.* *Matt. 19. v. 23.*

Digitized by Google

Itane? pati neceſſe eſt? ergo, non tam facile eſt obtinere cœlum. S. Hier. *Filius Dei ſuſtinuit ignominiam crucis, & tu putas beatos, qui felicitate iſtius ſæculi, & deliciis perfruuntur?* Sine cruce, ſine pœnitentia, ſine operibus bonis, nunquam talibus cœlum patebit. E contra; *Non eſt ullum certius ſignum divinæ electionis* (ait Bloſius) *quàm ut quis adverſa humiliter, ac reſignato animo propter Deum toleret.* ut multum laboret &c. Patientia, laboribus, vigiliis, orationibus, jejuniis &c. emitur cœlum.

Nolo modo multa opponere illis, qui ſuam opinionem, qua putant ſe facile poſſe fieri ſalvos fundant in infinitis meritis Chriſti, quibus dicunt illum promeritum nobis eſſe cœlum: tantum rogo, ut legant ep. S. Pauli ad Titum. *Ieſus Chriſtus dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio.* quæ verba licet clara ſint, ſic explicat Cajetanus; *Etſi Chriſtus redemit, ac mundavit ſibi populum* (in ſanguine ſuo) *ea tamen lege illum redemit, ac mundavit, ut ſe ipſum quoque populus ſervet, ac promoveat, ut ſit æmulator bonorum operum, non vacet ocio, non tepeſcat, ſed velut æmulando incumbat bonis operibus.* Vult Apoſtolus, ut hæc loquamur, &c. Romano-Catholici prædicatores id faciunt, dicite Vicini, veſtri Miniſtri obediunt verbis Apoſtoli &c. §. 9. *Occurritur illi objectioni, Chriſtum D. nobis eſſe meritum cœlum. Tit. 2. 14.*

In hoc convenimus: & nos Rom. Catholici dicimus cum S. Aug. in med. c. 14. *Deſperare deberemus propter plurima peccata noſtra; ſed deſperare jam non audemus, quia cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filii ejus* Apoſtolus dicit. *Omnis namque ſpes & totius fidei certitudo nobis eſt, in precioſo ſanguine ejus.* Dicimus cum eodem S. Aug. in Marc. c. 23. *Clavi & lancea clamant mihi, quod verè reconciliati ſumus Chriſto ſi eum amaverimus.* Longinus aperuit nobis latus Chriſti, & intramus, & requieſcimus ſecuri. Iterum, inter brachia Salvatoris & vivere volumus, & mori cupimus! Ibi ſecuri decantabimus cum pſalmiſta. *Exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti* Pſ. 29. v. 1. §. 10. *Profeſſio. Rom. 5. v. 10.*

me, nec

me nec delectaſti inimicos meos ſuper me. Gaudemus cum S.Paulo, quod in cœlis ſit nobis propoſita corona gloriæ Talia loquimur, talia exhortamur. Sed addimus cum S.Paulo, non ſufficere tales affectus. Opera præterea requiruntur. *Oportet nos eſſe ſanctos &c.* & hæc omnia in cauſa ſunt, cur ſanctiſ. Patres doceant, non eſſe tam facile obtinere cœlum, &c. Chriſtum D. debemus ſequi. Gloria cœleſtis eſt corona Juſtitiæ, &c.

CONCIO XXVI.

DOMINICA V. POST PASCHA.

Petite & accipietis.

Joan.16 ℣.24.

SYNOPSIS CONCIONIS.

DEſtinatas ab æterno à Deo gratias, nobis ad ſalutem neceſſarias & utiles, debemus obtinere per orationem. Miſcentur varia de aurea praxi orandi.

§. 1. *Omnes effectus diſponit Deus; ſed cum dependenti à cauſis, & cum ordine ad illas.*

§.2. *Deus mundo non dedit Filium ſuum, niſi poſtquam antiqui Patres ardenter illius adventum petierunt: neque nos ſine precibus neceſſarias gratias obtinebimus.*

§.3. *Idem beneficium Incarnationis ſua oratione impetravit B. Virgo Maria.*

§. 4. *Chriſtus D. ſuo exemplo nos docuit, ut oremus: præſertim in tribulatione.*

§.5. *Martha & Magdalena obtinuerunt ſuſcitationem Lazari per orationem.*

§. 6. *Urget Auditores ad ferventem Orationem.*

§.7. *Ne-*

Digitized by Google

§. 7. *Neceſſitas orationis oſtenditur ſimili.* | §. 8. *Et aliquibus dictis SS. Patrum.*

QUisquis neceſſarias à Deo gratias vult impetrare, oret. Cauſam Theologicam aſſignavit S. Thomas 2. 2. q. 83. art. 2. *Divina Providentia non tantum diſponit effectus, ut hac & hæc fiant, v.g. in re ſpirituali, ut impius convertatur ad pœn. ut homo adultus per ſacram. pœnitentiæ juſtificetur, ut fiat ſalvus; ſed diſponit quoque cauſas, à quibus illi effectus, dependent, v.g. ut homo etiam velit, ut adhibeat media &c.* Diſponit bonus & providentiſſimus Deus quendã ordinem, quo vult omnia fieri in tempore. *Non ut* homines *per ſuos actus* ait Angelicus Doctor, *divinam diſpoſitionem immutent, ſed ut per ſuos actus, impleant quoſdam effectus ſecundum Ordinem à Deo diſpoſitum.* Decrevit Deus in ordine naturę, hominẽ vivere 10. 20. vel 30. annis, cum conditione, ſi comedat & bibat. Decrevit Deus hunc ægrum reſtitui ſanitati; cum hac conditione, ſi ſumat medicinam. Decrevit, agros proferre triticum; vineas, uvas; arbores, fructus; cum hac conditione ſi agri, ſi vineæ, ſi arbores colantur. Decrevit, in ordine gratiæ, nos liberare ab omni malo, concedere nobis gratias, conferre beneficia, cum hac conditione, ut impetremus per orationem. *Non tamen* (pergit S. Th.) *propter hoc oramus, ut diſpoſitionem immutemus, ſed ut impetremus, quod Deus diſpoſuit, & ſciamus per orationes ſanctorum eſſe implendum,* quod Deus in ordine gratiæ ab æt. decrevit. Deſtinatas ab æt. nobis gratias, & decreta beneficia mereri debemus per noſtram orationem, quod hac concione latius oſtendam. Miſcebo ſubinde aliqua de aurea praxi, qua debemus orare.

§. 1. Omnes effectus diſponit Deus ſed cum dependentia à cauſis, & cum ordine ad illas.

Incipiamus à beneficio omnium maximo & præcipuo inter omnia, quæ Deus homini exhibuit. Ab æterno decrevit hominem lapſum redimere per Filium ſuum unigenitum; illo modo quo ſcitis; In tempore, Adamo, dein Patriarchis, & populo per Prophetas, per figuras, per oracula, promiſit, ſe miſſurum mundi Salvatorem. Sed in effectu non miſit, antequam multis ſæculis Patriarchæ & Prophetæ arden-

§. 2. Deus mundo non dedit filium ſuum, niſi poſtquam ardenter illius adventum petierunt. Neque nos ſine illis

Digitized by Google

neceſſarias gratias impetrabimus. *Iſ. 45. v. 8.* *Iſ. 64. v. 1.* *Pſ. 11. v. 6.*

ardentiſſimis precibus id petiiſſent. *Rorate &c. Utinam diſrumperes cælos, & deſcenderes, &c.* & tandem ait Dominus pſal. 11. *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam.* Hugo Card. ſic explicat, *exurgam à cælo, & in Filio apparebo.* addit, *Et in hoc tangit cauſam quaſi meritoriam, ſcilicet deſideria & ſuſpiria juſtorum de adventu Chriſti in carne.* Non quidem de condigno, ſed de congruò, dicunt Theologi. Emphaſis quoque latet in particula *Nunc.* id eſt, nunc, cum cum tanto affectu mihi ſupplicant, nunc, quia agnoſcunt ſuam miſeriam &c. Nunc, cum tam ardenter orant, & ſuſpirant, Nunc dabo & mittam illis Filium meum. Miramur ſubinde non ſtatim exaudiri noſtras preces; ego non miror. Sæpe aliqua petimus, quæ ſi impetraremus magis nobis nocerent, quam prodeſſent. Sæpe & plerumque oramus nimis tepide. Subinde deeſt filialis fiducia erga patrem cœleſtem. Sæpe in cauſa ſunt noſtra peccata, quibus nos gratiæ reddimus incapaces. Non raro fit, ut non petamus in nomine Chriſti, ſive per infinita ejus merita. Hodie incipite petere utilia, & exurget Dominus, nunc exaudiet. Utilia, non opes, non terrena &c. ſed gratiam, virtutes & æt. beatitudinem petite. Petite ut ſanctificetur nomen Domini &c. ſic perge per petitiones Or. D. & hæc petite ardenter, ferventer, cum filiali fiducia; Nunc exurget Dominus, & apparebit vobis ejus auxilium. Omnia hæc petite, in nomine Chriſti &c. Eſtiſne ſodales congr. agoniæ, cum his circumſtantiis, N.N.N. petite ſanctam mortem; Nunc exurget Dominus, propter gemitus veſtros, propter ſuſpiria & preces veſtras, exaudiet vos. Omnia hæc decrevit nobis dare, cum Filio ſuo, cum hac conditione, ſi Oremus Filius Dei non venit in mundum, niſi propter orationes juſtorum: neque nobis ille adveniens proderit niſi oremus.

§. 3. Ideo beneficium incarnationis ſua oratione im-

Archangelus Gabriel à Deo ad B.V. admiſſus, ait, *Ecce concipies in utero, & paries Filium.* Certum eſt id non contigiſſe, niſi poſtquam virgo, reſpondit, *Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum tuum.* Quoties audimus virgineam hanc voculam,

culam, cogitamus, illam fuiſſe expreſſivam actus internæ voluntatis, qua Virgo Angelo, & Spiritui S. præbuit aſſenſum, ut fieret mater. Sed aliud ſimul myſterium ad rem præſentem advertit S. Bernardus hom. 4. ſupra miſſus eſt. *Ecce ancilla &c. Fiat, deſiderii eſt ſignum; & per hoc quod dicit, fiat, intelligenda eſt, exprimere affectum deſiderantis; & nihil obſtat intelligi, fiat, eſſe verbum orantis.* ſic actualem incarnationem, vel myſterii hujus executionem B. V. obtinuit per orationem. Sive Spir. S. Virginem non obumbravit, antequam ardenter oraſſet: probabile eſt B. V. toto tempore quo vixit in terris, quotidie adventum Meſſiæ ardentiſſimè petiiſſe. *Rorate* &c. cum exarſit ejus oratio, quando intellexit ex Archang. adeſſe horam, ut veniret. In actuali oratione obumbravit illum Spir. S. & facta eſt Mater Domini. Similis ſenſus latet in illis verbis ſponſæ. *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Ita, his verbis ſponſa conſenſit in oſculum ſponſi, ut virgo in incarnationem; ſed ſimul ſponſa expreſſit ingens ſuum deſiderium, quod habebat, ut oſculum acciperet à ſponſa: eodem verbo oſculetur, ardenter à ſponſo petiit oſculum; ſponſus petiit Cor. Aperi mihi &c. ipſe petit, rogat, urget oſculum; & B. V. à Filio Dei ut fieret homo in ſuo utero. S. Bern. dat rationem. *Vult autem à ſe requiri Deus etiam, quod pollicetur. Et ideo forte multa, quæ dare diſpoſuit, prius pollicetur, ut ex promiſſione devotio excitetur. Sicque quod gratis daturus erat, devota oratio promereatur. Et hoc*, concludit mellifluus Doctor, *utique prudens virgo intellexit, quando prævenienti ſe muneri, gratuitæ promiſſionis, junxit meritum ſuæ orationis; fiat, inquiens mihi ſecundum verbum tuum.* S. Th. *Vt ſcilicet homines poſtulando mereantur accipere, quod eis Dominus omnipotens ante ſæcula diſpoſuit donare.* Dion. *ut cum oraverimus eorum honorum, quos ipſe nobis ab æt. tribuere conſtituit, oratione intercedente idonei efficiamur.* In hod. Evangelio, quam liberalis promiſſiones ſuaviſſimo ſuo ore profert Chriſtus D. *dabitur vobis, aperietur vobis, invenietis.* Sed cauſam advertite; his promiſſis vult excitare noſtram devotionem; vult nos excitare, ut cum B. Virgine, cum omnibus

petravit B. Virgo Maria.

Luc. 1. v. 31.

Cant. 1. v. 1.

Digitized by Google

ſanctis ardenter oremus! Et præſertim cum ſumus in aliqua tribulatione. Fortaſſis Deus ab æt. decrevit aliquas urbes punire peſte; à nobis avertere, ſi oremus. hoc modo fiat p. ind.

§. 4. *Chriſtus D. ſuo exemplo nos docuit, ut oremus; præſertim in tribulatione.* *Pſ. 68. v. 1.*

Habemus in hoc exemplum Chriſti Salvatoris noſtri. Probabile eſt, quod tempore paſſionis, & præcipue pendens in cruce oraverit ideoque inter alia cum Davide dixerit, *ſalvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ uſque ad animam meam, &c. Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.* hæc eſt, litera: Myſtice tempeſtas crudelis mare quoddam, fuit ejus paſſio, &c. Dulciſſime Jeſu! amantiſſime Salvator, quid feciſti inter hos fluctus? reſpondit; *Laboravi clamans* id eſt, ardentiſſimè oravi; corde, ſuſpiriis, gemitibus, ore, labiis, tanta contentione, *ut raveæ factæ ſint fauces meæ*; non tantum ob vehementiſſimam ſitim, ex tantis laboribus, ex tot doloribus, ex tam copioſa ſanguinis effuſione, ortam, ſed ob illam contentionem qua oravi. Orationi, addidi lacrymas, non ordinarias tantum, ſed ſanguineas, *ut defecerint oculi mei.* donec mors illos plane clauſit. Sic oravit, in agonia montis Oliveti. ſic oravit ad columnã; &c. ſic oravit in agonia crucis! S. Thomas movet hic aliquot difficultates. Oratio eſt aſcenſio mentis in Deum, mens ſive intellectus Chriſti, nunquid ſemper eſſentialiter fuit unitus divinitati; quomodo Chriſtus D. potuit orare. Anima Chriſti, nunquid fuit beatiſſima, ob eandem unionem? quare oravit Chriſtus D. nunquid fuit Deus, qui omnia poteſt? quid fuit opus orare. Rationem excellentiſſimam attulit S. Thomas, & reſponſum, informationi noſtræ utiliſſimum. *Orabat Chriſtus D. non propter ſe, ſed propter noſtram utilitatem. Oravit, ut daret nobis exemplum, ut in tribulatione curramus ad Dominum.* S. Aug. tr. in Joannem. *Sic ſe exhibuit Chriſtus Patri precatorem, ut meminiſſet ſe noſtrum eſſe Doctorem.* S. Laur. Juſtin. placuit hæc reſponſio de triumph. Chriſti ag. c. 6. *Ut ſuo nos exemplo, in amaritudine poſitos, ad orationem, tanquam ad ſingulare præſidium invitaret.* Placuit hæc cauſa Iſaiæ Abbati orat. 13. *Ieſus oravit dicens, pater ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix &c. quod nobis eſt documento, ut cum mens vult in crucem conſcendere* (cum pati debemus; cum in tribulatione

qua-

Digitized by Google

quacunq; divino auxilio confortari volumus) *multum incumbat orationi, & lacrymis, ſupplexque ſe proſternat in conſpectu Dei, ut roboretur & cuſtodiatur.* Quiſquis itaque in aliqua tempeſtate, in quacunque tribulatione Dei auxilium, liberationem à quocunque malo, ſecundum ſanctiſſimam ejus voluntatem &c. Oret. Deſideramus, ut avertatur à patria noſtra peſtis? Oremus. ut firma in Rom. Imperio, maneat pax, incumbamus orationi. Ut conſerventur fructus terræ. multum oremus, ſupplices nos proſternamus in conſpectu Dei, ut roboremur. ut cuſtodiamur.

Orationem in tribulatione, & modum tum orandi, pulcre nos docuerunt Martha & Magdalena. Infirmitas amantiſſimi fratris Lazari, valde illos contriſtavit; erant in afflictiſſimo ſtatu, flebant, plorabant; *Miſerunt ergo ad Ieſum, dicentes, Domine, ecce, quem amas infirmatur.* Gloſſa dicit, *Miſerunt ad Ieſum* (nuntium per quem illi ſuam petitionem propoſuerunt,) *ut ſe à dolore liberarent, & fratrem ab ægritudine.* in graviſſima tribulatione, in afflictione cordis, hoc illis occurrit remedii & ſolatii; confugere ad Jeſum, & orare; & modo perfectiſſimo, quem in ſe continent illa verba, *quem amas infirmatur.* S. Aug. *Amanti tantummodo nuntiandum fuit*, q.d. *ſufficit, ut noverit Ieſus, non enim amat, & deſerit.* Advertitis fidem ſororum, qua firmiſſime crediderunt, Jeſum poſſe curare. Advertitis illarum fiduciam, qua de Chriſti auxilio non dubitarunt. Advertitis opinionem, quam habuerunt de infinito Chriſti amore quod, quia ſuos amat, illos non deſerat. Advertitis, illas hoc putaſſe, neceſſe tantum eſſe, ut ipſæ orent, ut currant ad Chriſtum; ut ipſæ illi proponant, neceſſitatē, quam jam ante ſciebat. Neque putandum eſt, quod nuntios tantum miſerint ad Chriſtum, intus in corde clamabant, ah Jeſu veni! libera fratrem noſtrum ab infirmitate. his ſuſpiriis, addiderunt gemitus & lacrymas non compaſſionis tantum erga fratrem ægrū, ſed deſiderii. Oratione, ſuſpiriis, lacrymis tandem permoverunt benigniſſimum cor Jeſu, ut tandem ſuccurrerit, ut Lazarum etiam jam mortuum ad vitam ſuſcitet! Statuerat hoc facere ab æterno; excitare Lazarum, ſed in tempore, in

§. 5. Martha & Magdalena ſuſcitationem Lazari, obtinuerunt per orationem. Ioan. 11. v. 3

effectu non fecit, niſi poſtquam Martha & Magdalena perfectiſſima oratione id obtinuerunt. Fugerunt ad Jeſum orarunt, & exauditæ ſunt &c. Eccleſiaſticus nobis proponit perfectum modum orandi. *Fili in tua infirmitate ne deſpicias te ipſum*; Gloſſa, ſcilicet, *negligendo quærere remedium.* Neque enim nobis in afflictione prohibitum eſt, ne quæramus aliquod ſolatium vel auxilium. *Sed* pergit Eccleſiaſticus. *Ora Dominum*, Hugo Card. *Corde, Ore, & Opere.* *Et ipſe curabit te.* Gloſſa. *Unguento ſuæ gratiæ.* Non igne, non ferro, non amaris radicibus; prout ſæpe Medici curant corpora. Si oraveris, Deus ſanabit vulnera animæ, unguento, id eſt, ſuaviſſime! Ut autem oratio tua ſit efficax, hæc quoque tibi ſunt præſtanda. *Averte te à delicto, & munda cor tuum.* Hugo Card. *Quia Deus neminem curat, niſi propoſitum non peccandi habeat.* Addit præterea. *Munda cor tuum, confeſſione & lacrymarum effuſione.* Deinde, *Dirige manus tuas ad bona opera.* Denique addit hæc verba. *Da ſuavitatem & memoriam ſimilaginis, & impingua oblationem.* Gloſſa & Hugo Card. monent textum alludere, ad ſacrificium (Levit. c. 2.) albi panis, cum incenſo thymiamatis. Deinde ajunt, *Da ſuavitatem & memoriam ſimilaginis; id eſt, in memoriam Dominicæ Paſſionis, offer Panem, & Vinum ſacratiſſimum* (in ſacramento Euchariſtiæ) *in odorem ſuavitatis.*

Eccleſ. 38. v. 9.

Lev. 2. v. 4.

§. 6. *Urget auditores ad ferventem orationem.*

Anima fidelis! diſce ab his ſanctis ſororibus, quod in tribulatione confugere debeas ad Jeſum, diſce quod debeas orare, diſce modum, quo id faciendum eſt. Cum tibi malè eſt, abjice te ad pedes alicujus crucifixi, vel coram Vener. Sacramento vel in conſpectu tui Salvatoris, ubicunque ſis. Ubique audit tuos gemitus. His utere verbis. *Ecce quem amas, infirmatur.* Dulciſſime Jeſu, Dominus meus & Deus meus; ecce; ego, quem amas, pro quo factus es homo; infirmor. Ecce, quem amas, pro quo in laboribus fuiſti à juventute tua; hoc patior! perſequuntur me inimici mei, juva me. Sic perge fili, geme, plora, quia Jeſus te amat, non deſeret te. Perge, dic, mi Jeſu ecce, quem amas; pro quo tanta paſſus es, pro quo

Digitized by Google

quo ſang. ſudaſti &c. pro quo mortuus es in cruce; infirmor. timeo mortem, timeo infernum! Peccavi. ſic perge fili, propone tantum Chriſto D. tuas neceſſitates; Inſta, urge, repete millies hæc verba, ecce &c. quia ſic te amavit, & quia amat; non deſeret te. Et nos auditores, timemus nova bella; Oremus ut oportet; amat nos, non deſeret nos. Timemus peſtem? Oremus! fugiamus ad Jeſum amat nos non deſeret nos. Sodales mei, in congregatione agoniæ! timemus agonem ultimum, timemus aſſultus dæmonis, timemus laniènam conſcientiæ, terrent nos commiſſa ſcelera; timemus morbos, anguſtias. Mittamus ad Jeſum noſtros nuntios, mittamus ad illum noſtras preces & orationes; Oremus. quia amat, non deſeret nos, exaudiet noſtras preces.

Et ſcire oportet Chriſtum D. vehementer delectari, hoc modo ſibi proponi noſtras petitiones per ferventem orationem. Sponſus ad ſponſam ait. *Quæ habitas in hortis, amici auſcultant, fac me audire vocem tuam.* Sponſus libenter audivit vocem ſponſæ. Et Chriſtus D. libenter audit, cum noſtræ voces ſonant in auribus ſuis quia ſcit orationem nobis eſſe neceſſariam. Horti ideo facit mentionem; ex mente S. Chryſoſt. hom. de orando Deum. *Oratione omnes homines non minus opus habemus, quam arbores aquarum humore; neque enim valent illæ fructus producere, niſi bibant humorem radicibus; neque nos precioſis pietatis fructibus poterimus eſſe gravidi, niſi precibus irrigemur.* Amamus hoc majali tempore hortos, in illis &c. Piis, horti ſunt SS. Vul. p. locus. Ambulare nobis in illis licet, jucundari &c. Sed Chriſtus optat audire voces orantis ſponſæ. p.

§. 7. Neceſſitas orationis oſtenditur aliquo ſimili.

Cant. 8 13.

Plurimis aliis dictis SS. Patres neceſſitatem orationis confirmant! Hugo Card. in c. 6. S. Matth. *Oratio, cor ſerenat, capaciuſque efficit, ad recipiendum divina munera.* Apud S. Joannem Chriſtus D. variis verbis ſuis Apoſtolis & diſcipulis promiſit ſpiritum ſanctum. Sed hic non deſcendit, niſi poſtquam omnes ſimul fuerunt, *perſeverantes unanimiter in oratione.* Sicque quod gratis daturus erat, devota oratio promeretur.

§. 8. Et aliquibus dictis SS. Patrum.

Digitized by Google

retur. S. Gregorius l. 1. dial. c. 8. *Ipſa quoque cæleſtis regni prædeſtinatio, ita eſt ab omnipotenti Deo diſpoſita, ut ad illam Electi ex labore* (hoc oſtendi ante octiduum) *& oratione perveniant. Quatenus ſcilicet poſtulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante ſæcula donare diſpoſuerat.* Finio Concionem verbis S. Antonii quæ alicui peccatori dixit, *Non miſerebitur tui Deus, niſi pro te ipſo fueris ſolicitus, & popoſceris à Deo.* Ex his fiat Epilogus.

CONCIO XXVII.

DOMINICA VI. POST PASCHA.

Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, ſpiritum veritatis.

Joan. 15 ℣. 25.

SYNOPSIS CONCIONIS.

ORatio, eſt optima præparatio & diſpoſitio ad adventum Spiritus Sancti ſive, medium, gratiam illius obtinendi.

§. 1. *Explicantur hæ voculæ; Paracletus, & ſpiritus Veritatis.*

§. 2. *Converſio impii incipere ſolet ab oratione. Patet in Iona.*

§. 3. *Item in converſione S. Pauli.*

§. 4. *Oratio ſe convertentis ad pænitentiam, tangit cor Ieſu.*

§. 5. *Per metaphoras oſtenditur, quam ſit utilis oratio illi, qui ſe vult convertere.*

§. 6. *Idem oſtenditur ex cap. 16. Actuum Apoſtolorum.*

§. 7. *Gravis cauſa, ut peccator oret.*

§. 8. *Franciſcus Dandalus, Legatus*

gatus Venetus, mirabili ſtrategemate placavit Clementem V.
§.9. *Simile S Bernardi.*
§.10. *In tentatione diaboli ad deſperationem, oret peccator.*
§.11. *Ut quis vincat tentationes diaboli, oret.*
§.12. *Importunæ preces, extorquent, quod petunt.*

§.1. *Explicantur hæ vocula. Paracletus & ſpiritus veritatis.*

DIdimus l. de Sp.S. eleganter explicat voculam *Paracletus*, quem Chriſtus D. in hod. Ev. nobis iterum promittit. *Spiritum autem ſanctum venientem, conſolatorem dicit, ab operatione ei nomen imponens; quia non ſolum eos quos ſe dignos eſſe reperit, ab omni perturbatione reddit alienos; verum incredibile quoddam gaudium eis tribuit. Sempiterna quippe lætitia in eorum corde verſatur, quorum Sp.S. habitator eſt.* Itaque operatio ſpirit.S. ut nos conſoletur, ut gaudio impleat corda noſtra. Paracletus eſt. Vocat Chriſtus D. eundem Paracletum, *ſpiritum veritatis,* quod dicit (Hugo Card.) *ut ſit fiducia prædicationis.* q.d. Chriſtus D. mei Apoſtoli, poſt meam aſcenſionem ibitis in mundum univerſum, ut meum Evangelium prædicetis univerſæ creaturæ, ut hoc faciatis intrepide, ut non erubeſcatis prædicare nomen meum coram Regibus & gentibus terræ; prius mittam vobis à Patre ſpiritum veritatis, qui nō tantum veritatem vos prius docebit, qui non tantum cœleſtē communicabit ſapientiam; ſed fortitudinem quoque ut animoſi eandem alios doceatis: S.Cyrillus. *& ideo Chriſtus D. prius ſummum omnium periculorum illis prædixit. non ut formidine ad ignaviam diſcipulorum reduceret animos, ſed ut maximus mortis pavor (quoniam præſciretur) contemptus, fortiores ad ſubeunda pericula redderet.* Operationes Sp.S. ſunt, docere veritatem, & fortes reddere ad illam prædicandam. Sed de his & ſimilibus operationibus plura audietis poſt octiduum. Hodierna die concionatores agere ſolent, de neceſſaria præparat. pro adventu tanti hoſpitis. Dixi ante octiduum, in communi, orationem eſſe medium neceſſarium ad obtinendas omnes gratias neceſſarias. Modo in particulari oſtendam; ante adventum Sp.S. in nobis præcedere debere orationem, præſertim alicui peccatori, qui in Pentecoſte ſe vult convertere ad D. Deum ſuum.

§.2. *Converſio impii, incipere ſolet ab oratione. Patet in Iona. Ion. 2. v. 15. & cap. 8 v. 8.*

Qui converti vult ad Dominum; qui de ſeria cogitat pœnitentia, de ſeria confeſſione, ſi fortaſſis paſchali tempore neglecta eſſet, ut feſto Pentecoſtes fiat particeps gratiæ deſcendentis Spirit. S. incipiat orare: oratione indiget miſerabilis peccatoris ſtatus. Dicunt interpretes Prophetam Jonam, dum ſubito ſe vidit præcipitari in mare, devorari ſe à ceto, dum advertit ſe eſſe in viſceribus piſcis, agnoviſſe ſuum errorem & peccatum: quod Deo fuiſſet inobediens, rebellis & contumax; addunt illum ſtatim contrito corde & cum lacrymis culpam ſuam fuiſſe deteſtatum; & ait Lyranus. *Oravit Ionas ad Dominum Deum ſuum.* Certa proba, infallibile ſignum, indicium & argumentum ſeriæ converſionis, fuit humilis, devota, fervens & affectuoſa oratio. *Oſtenditur ipſius Ionæ pœnitentia ex ipſius oratione.* Da, oſtende mihi peccatorem, qui hac ſept. ante pentecoſtem ferventer orabit; cujus cor plenum ſit accenſis deſideriis, veni S. Spiritus; credam ſtatim, illum jam vel converſum, vel convertendum. Oratio extorquet à Sp. S. omnes gratias ad converſionem, ad veram præparationem pro adventu Sp. S. neceſſarias.

§.3. *Item in converſione S. Pauli. Act. 9. v. 13.*

Jeſus Nazarenus Saulum ſe perſequentem tremenda de cœlo voce, dejecerat ex equo; & apparens Ananiæ alicui ex diſcipulis ſuis, imperat, ut eat & quærat Saulum, qui ait, *Domine audivi à multis de viro hoc, quãta mala fecerit ſanctis tuis in Ieruſalem, & hic habet poteſtatem à principibus Sacerdotum, alligandi omnes qui invocant nomen tuum.* Quibus Ananiæ verbis, paucula hæc Chriſtus D. repoſuit, *Ecce enim orat.* q. d. Saulus non eſt amplius qui fuit, Saul non eſt amplius peccator, Saul ſerio ad ſe me convertit, totus mutatus eſt, eſt meus amicus, vult facere quod ego volo: agnoſcit, quia fuerit perſecutus, & de perſecutione ſua intime dolet; nam *ecce orat.* Tu itaque, (ait S. Chryſoſt. hom. 20. in acta) *ne timeas*! Orat! itaque mutatus eſt. Orat! itaque converſus eſt &c. Orat! itaque jam habet veram fidem, ſpem & caritatem. O ſi ego hodie terribili aliquo tonitru, vel fulmine: Impie, fulmen hoc fortaſſis improviſa mors hodie, vel cras torquebit in caput tuum.

Impie

Impie terribile fulmen, terribiles voces fortaſſis brevi in te vibrabit dextera irati Judicis; Impie, fulmen eſt, æternitas, in qua fortaſſis æternum ardebis; Impie! quid agis, Jeſum perſequeris. O ſi ego inquam hodie tali fulmine de equo ſuæ malitiæ aliquem peccatorem dejicere poſſem. Sed non timeat! Saulo profuit, dejectum fuiſſe. Sed, mi peccator, fac quod ille fecit, fac quod Jonas fecit; Ora! implora gratiam Sp.S. dic millies, veni S. Spiritus; erit ſtatim in corde tuo bonus Jeſus; ipſe te illuminabit, ut agnoſcas culpas. Ora, movebit tuam voluntatem, ut ſperes, ut ames, Deum. Ora, dabit auxilium, ut facias ſeriam confeſſionem. Ora! muteris in virum alterum. Ora, dabit tibi Salvator tuus, cor novum & mundum, lavabit illud in ſanguine ſuo. Ora, ſic ſuper te, & in te deſcendet Sp.S.

Cauſam pulcerrimam affert Rupertus Abbas. *Vbicunque concluſus homo, ſive hominis ſpiritus, ubicunque fuerit coanguſtatus, ſive inferni, ſive terræ vectibus, ſi apud ſe habet verbum fidei, dum orat, non poteſt neſciri, quia imo ipſo verbo fidei*, (ſive oratione) *viſcera Dei, cor Patris altiſſimi fortiter tangit.* Vix Jonas in ventre ceti inceperat ardenti oratione invocare D. auxilium, & pro illo præſtito Deo agit gratias, dum ait, *exaudivit* me Dominus. Statim tetigit cor altiſſimi. idem fecit Saul, *Domine quid me vis* facere. ſtatim tetigit cor Jeſu & illas voces, Ego ſum Jeſus &c.p. O miſer peccator, erro, corrigo me, O felix peccator; puto te enim jam eſſe in illo ſtatu, ut cogites, per ſeriam pœn. te diſponere ad adventum Spirit. S. Magnæ gratiæ ad hoc ſunt neceſſariæ; ut Spir. S. intellectum tuum illuminet, Ora, tanges cor Jeſu, mittet tibi ſpiritum veritatis. Ut moveat duram tuam voluntatem. Ora, tanges cor Jeſu &c. (hoc modo fieri poterit p. affectus.) Calor & ignis ferventis orationis, penetrat nubes, aſcendit in cœlum, neque tantum ibi in conſpectu ſacroſ. Trinitatis ſuaviſſimum accendit incenſum; ſed penetrat ipſum cor Salvatoris ſedentis ad dexteram patris, ut ſtatim liquefiat & diffluat in modulos miſericordiæ. Exaudiuntur illico tales preces.

§.4. *Oratio ſe convertentis ad pœnitentiam tangit cor Ieſu.*

Ion. 2. v. 3.

Act. 9. v. 6.

Digitized by Google

§. 5. *Per metaphoras oſtenditur, quam utilis ſit oratio peccatori, qui ſe vult convertere.*

Sed feci paulò ante mentionem ventris ceti, profundi inferni, vectium terræ; quid ſi peccator aliquis propterea gemat & dicet: ah me! in quam profundis jaceo tenebris? in qua caligine! heu me, infixus ſum in limo profundi! veni in altitudine maris? ſupergravatæ ſunt ſuper me iniquitates meæ velut catenæ ferreæ; veluti ingens pondus & jugum. Et quomodo in his tenebris, in hoc carcere &c. ad me veniet ſpirit. S. Itane amice mi! ex corde loqueris, ſerione expetis ut ſuper te deſcendat Spir. S. Noli timere tenebras; Ora. ſub oratione illuminaberis. Hæres in lecto? Ora. Oratio vinculum eſt, funis eſt, quo divina gratia te extrahet. Es oneratus catenis? Ora, oratio malleus eſt, qui illas conteret. Times peccatorum maculas, ne illæ impediant introitum mundiſſimi ſpiritus? Ora! oratio ignis eſt qui illas exuret. Aqua eſt, ſpongia eſt quæ illas eluet. affixus adhuc es creaturis, mundana placent ſolatia, quæ horret Spir. S. Ora, oratio magna vi abſtrahet à mundo tuos affectus; ſic cor tuum mundum, cor tuum vacuum à creaturis, ingredietur ſpiritus ſanctus.

§. 6. *Idem oſtenditur ex c. 16. actuum. Act. 16. v. 25.*

Probabo hæc omnia ex S. literis, S. Paulus & Silas conjecti fuerunt in carcerem pro Chriſto. *Media autem nocte Paulus & Silas orantes laudabant Deum, ſubito vero terræ motus factus eſt magnus, ita ut moverentur fundamenta carceris. Et ſtatim aperta ſunt omnia oſtia, & univerſorum vincula ſoluta ſunt.* Mirabiles operationes orationis. Orant; terra movetur! Orant, nutant fundamenta carceris. Orant captivi, diſſiliunt vincula &c. Quæ cum conſideraſſet S. Chryſoſtomus hom. 36. in acta, ait. *Cogita illam noctem, nervos, hymnos: & hæc ſtudeamus etiam nos facere, & aperiemus nobis non carcerem, ſed cælum: Si oraverimus, & cælum aperire poterimus.* Fateor, O miſer peccator. Sic eſt; Jacuiſti ab aliquò tempore in vinculis & carcere? Carcer fuit tua luxuria, carcer tuum odium, &c. Hinc cogitas, ut libereris, Ora; ut fundamenta tui cordis moveantur ad ſeriam pœnitentiam, Ora. ut diſſiliant catenæ? Ora. ut aperiantur

tur

Digitized by Google

tur portæ cordis tui ut ingrediatur ſpiritus ſanctus, Ora. Viſne aperire cœlum? Ora. Cogitas prius aperire portas miſericordiæ? portas ſacroſ. Vulnerum &c. Ora. Si oraverimus, & cœlum aperire poterimus, & detrahere ſpiritum ſanctum. S. Chryſoſtomus citatus addit paucula verba ad hominem Chriſtianum; Ora, *& ſufficit, nihil amplius peto*. Aureum dictum S Franc. Xav. Sic & ego hodie ſentio, orate ut oportet per hanc octavam, ut veniat ad vos ſpiritus ſanctus & ſufficit, ſatis eſt, nihil amplius peto.

Verba illa Jonæ. *Clamavi de tribulatione mea ad Dominum*, ſic explicat S. Hieron. *Ex eo tempore, quo præcipitatus in mare vidit cetum, & tantam corporis molem, & immanes rictus aperto ſe ore ſorbere, Domini recordatus fuit, & clamavit.* O miſer peccator; immanior longe beſtia eſt diabolus, qui tibi inſidiatur! O ſi videres mare igneum, in quod mors te vult præcipitare? Per ſalutem tuam! recordare Domini, clama & ora. O ſi videres igneos oculos, ſi dentes (poteſt fieri elegans deſcriptio) ſed recordare Domini, clama & ora, &c. *De ventre inferi* ait Jonas; *De profundis* ait David quod clamaverint ad Dominum, de quo ait Sanct. Gregorius in pſal. 6. pœnit. *Attendat unuſquiſque in quo profundo jaceat, & quàm longe à Deo perverſe agens effectus ſit*, (his diebus, quàm longe ſit à ſpiritu ſancto.) *Clamavit Ionas ad Deum de ventre ceti, de altitudine maris, de profundo inobedientiæ, & ad aures DEI oratio illius pervenit; qui eum eruit à fluctibus, & abſolvit à culpa. Clamet & peccator, quem à DEO recedentem cupiditatum tempeſtas contrivit, quem malignus hoſtis abſorbuit, quem præſentis ſæculi fluctus involvit; agnoſcat ſe eſſe in profundo, ut ad DEVM* (ad Spiritum ſanctum.) *Sua perveniat oratio.* (Poteſt ex his fieri pulcerrima digreſſio & applicatio ad peccatores &c.)

§. 7. *Gravis cauſa, ut peccator oret.* *Ioan. 2. v. 3.* *Pſ. 110. v. 1.*

Raram hiſtoriam, quam merito hodie mundus obſtupeſcit, refert Baptiſta Ignatius l. 3. c. 3. & l. 6. c. 2. Clemens V.

§. 8. *Franciſcus Dandalus*

Digitized by Google

Venetus Legatus mirabili ſtrategemate placavit Clementem V. Venetis ob captam Ferrariam, ſummopere illis indignatus, ſæcularibus & ſpiritualibus armis acriter illos fuit perſecutus. Senſere tandem Veneti, quid eſſet Romanam ſedem ſibi habere contrariam: itaque omnibus modis conati fuerunt placare iratum Pontificis animum, per ſuos, per alios Reges &c. fruſtra. Tandem ipſorum Legatus Franciſcus Dandalus hoc fecit; humilitate, oratione conatus fuit ſanctiſ. Patris animum expugnare. Itaque cum Pontifex cænaret, reptando inſtar beſtiæ, oneratus catena ferrea ingreſſus fuit aulam, & ponens ſe ſub menſa, dixit: Chriſtus miſericors exaudivit preces Cananææ, dum ſe vocavit canem ad menſam, Domine, ſanctiſ. Papa, ecce me canem, &c. placare meis precibus. *Qua res Pontificis animum* (ait hiſtoria) *novitate ſic perculit, ut cum dejectum illum tam deformi habitu proſpexiſſet, non potuerit non illum, abjecta prius catena ſtantem ad ſe revocare, Venetoq́; omni nomini veniam tribuere.* Inſigne prorſus hoc fuit ſtrategema; utinam hodie illo uteremur. Ita, offendimus Regem Regum, iratus eſt, minatur &c. ſed hoc faciamus; humiliemus, nos &c. Oremus. Animus Chriſti D. ſtatim immutabitur &c. recipiet nos in gratiam &c. & ſic ad nos mittet

Eccleſ. 35. v. 21. Sp. S. juxta Eccleſiaſt. *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit & donec propinquet, non conſolabitur: & non diſcedet, donec altiſſimus aſpiciat; & Dominus non elongabit ſe, ſed judicabit juſtos.* *Pſ. 33. v. 7.* *Iſte pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum, & de omnibus tribulationibus ejus ſalvabit eum.* Pulcra emphaſis latet, in *iſte pauper &c.*. S Aug. *Inops clamat, & Dominus exaudit eum.*

§. 9. *Simile S. Bernardi.* S. Bern. ſer. 4. de adventu, declarat ſimili. *Mendici cum eleemoſynam petunt, non precioſas veſtes oſtendunt, ſed ſeminuda membra, & ulcera, ſi habuerint, ut citius ad miſericordiam videntis animus inclinetur.* Hoc faciamus per hoc octiduum, in humili oratione cœleſti medico oſtendamus noſtra vulnera &c. hoc vulnus odii &c. Oremus, & ſtatim Chriſti D. animus ad miſericordiam inclinabitur, curabit vulnera noſtra, & infundet oleum precioſum, quod eſt gratia Sp. S.

§. 10. *Intentatio.* Cum peccator vult concipere ſpem, oret, hoc fecit David cum

Digitized by Google

ne diaboli ad deſperationem, ores peccator. *Pſ.41. v.7.*

vid cum dixit; *Ad me ipſum anima mea turbata eſt* (ob meum adulteriū &c.) *propterea memor ero tui.* S. Bern. ſer. 4. de quadr. ſic explicat. *Cum ad me ipſum turbata fuerit anima mea, memor ſum multitudinis miſericordia tua* (Oro) *& reſpiro in eo.* Timor, ventus eſt urens, qui cor conſtringit, oratio, ſpes eſt placidus Zephyrus, qui diſſolvit & dilatat. Timor, eſt quædam ſiccitas, oratio, ros. Timor, frigus quoddam &c. Oratio calor. Timor deſperatio, atra nubes, quæ cor obſcurat, oratio Sol, qui tenebras diſſipat, & animum ſerenat. Timor eſt quædam durities cordis, oratio ſuave oleum, quod illud mollificat. Timor, cor reddit quaſi ferreum; Oratio ignis eſt, qui illud accendit &c. O ſancte Spiritus? qui ſi meorum auditorum corda talis ventus conſtringat; Veni, excita in illis Medium Orationis (hoc modo fac p. implorationem gratiæ ſpiritus ſancti.)

§.11. *Vt vincat alias tent. diaboli ores.* *Pſ. 37. v. 9.*

In converſione, vel dum peccator aliquis ſe vult convertere, juſtam cauſam habet, cur timeat dæmones. hi obſiſtunt, vigilant, inſidiantur &c. Sed oret, & ſit ſine metu. Cum David exprimere voluit ſe ferventur oraſſe, ait. *Rugiebam à gemitu cordis mei, Domine ante te omne deſiderium meum.* Involvunt hæc verba metaphoram de leone, cujus proprium eſt rugire; de quo ait S. Cyrillus Alexandrinus, quod quando in ſylva famelicus rugit, avolent aves, fugiant beſtiæ, omnia animalia timore perterrita ſe abſcondant. *Ita ſolo clamore leonis ſuperantur & capiuntur.* Itaque David bene ferventem orationem comparavit rugitui leonis, nam ut S. Chryſoſtomus ait hom. 53. in acta. *Non enim leonis rugitus beſtias ſic fugat, ut jam oratio dæmones; ſi loquatur ſolum orans, devolant.* addit, videlicet ut intelligas, quod omnis precatio ingenium etiam malum facile ad miſericordiam & clementiam pertrahit. -- Quid igitur conjectandum de Domino Deo. p.

§.12. *Importunæ preces extorquent.*

Hoc demum addo, ut agnoſcamus quantum valeat & poſſit oratio. Poſtquam S. Chryſoſtomus l. 2. de orando Deum,

quod potunt. Deum, narravit viduam aliquam iniquo Judici fuiſſe tam moleſtam, ut Judex dixerit; *Etſi DEUM non timeo, nec hominem revereor, tamen quia moleſta eſt mihi hæc vidua, vindicabo illam.*

FINIS

PARTIS PRIMÆ ALVEI QUARTI.

ALVEI

Digitized by Google

ALVEI QUARTI,

SIVE

CONCIONUM,

IN

Dominicas à Pentecoſte uſque ad Adventum

PARS II.

Digitized by Google

CONCIO XXVIII.

FESTO PENTECOSTES.

Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.

Joan. 14 ℣. 26.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QUid ſit Spiritus Sanctus, & quos effectus in nobis operetur, per gratiam & caritatem.

§. 1. Infinitus amor SS. Trinitatis erga genus humanum, & præcipua beneficia.

§. 2. Spiritus S. eſt tertia perſona in myſterio ſanctiſſimæ Trinitatis.

§. 3. Dicitur perſona, ſpiritus, ob ſpirationem & emanationem, qua à Patre & Filio procedit.

§. 4. Trinitas perſonarum oſtenditur in ſymbolo ignis.

§. 5. Nobis communicatur Spiritus S. per gratiam, caritatem & ſanctitatem.

§. 6. Varia elogia, ſive varii effectus & operationes, quas Spiritus S. in nobis operatur.

§. 7. Peculiaris operatio ſpiritus ſancti eſt, ut hominum corda accendat igne divini amoris.

§. 8. Ignis ſpiritus ſancti Apoſtolos fecit animoſos.

§. 9. Et fortes, atque imperterritos.

§. 10. Vitra convertit in adamantes.

§. 11. Idem ignis ſpiritus ſanctus conſumit peccata, & innovat hominem.

Sphæra

SPhæra elementi ignis, quanta eſt; omnis ignis qui ſub ſole ardet in terris; omnes illæ flammæ, quæ quaſi immortali materia nutriuntur in viſceribus æthriæ, ignei globi, quos evomere ſolet Veſuvius; accenſi & ardentes fluvii, qui ex aliorum ardentium montium accenſis venis ſolent erumpere; verbo omnis ignis, quem ſub ſole excogitare poſſumus, guttula eſt, punctum eſt, granum eſt, ſcintilla eſt, reſpectu iſtius æterni, immortalis, ineffabilis, ignis, & amoris qui ab æterno arſit in corde ſacroſ. Trinitatis, erga genus humanum. Ex amore quævis ex SS. tribus perſonis peculiare & eximium quoddam beneficium homini voluit exhibere, modo admirabili atque perfectiſſimo. Creatio, enim attribuitur omnipotentiæ patris; Redemptio ſapientiæ Filii, ſanctificatio Eccleſiæ, Bonitati ſpirit. S. Per creationem homo accepit ſuum eſſe, & dominium ſupra omnes creaturas. Per Redemptionem liberati ſumus ex dæmonis ſervitute, & reatu culpæ. Per ſanctificationem facti ſumus Filii Dei, participes gratiæ, & cœleſtium donorum. Creatio incepit in initio mundi. Redemptio contigit in plenitudine temporis gratiæ; ſanctificatio hodierno feſto Pentecoſtes, quo, ſpiritus ſanctus deſcendit viſibilis ſupra Apoſtolos & Eccleſiam, cum tanta donorum cœleſtium, & gratiæ abundantia, ut ſacer textus dicat. *Replevit totam domum ubi erant ſedentes*; cum tanta lætitia & exultatione, cum tanto jubilo, inter terræ motum, inter fulgura & tonitrua, inter igneas linguas, ut Apoſtoli illis accenſi, & rapti in ſuavem admirationem exclamarint, *Magnalia Dei.* ob deſcenſum ſcilicet ſpiritus ſancti. In cujus honorem hac Concione meis Audit. hanc maximam proponam. Illos effectus quos ſpiritus ſanctus operatus eſt in Apoſtolis, velit operari in nobis, modo diſpoſiti ſimus, ut tantum hoſpitem digne recipiamus.

§. 1. Infinitus amor SS. Trinitatis erga genus humanum, & præcipua beneficia.

Act. 2. v. 1.

v. 11.

Maxima mea, quam proponam, ſupponit, ut ſciamus, quid ſit ſpiritus ſanctus & quinam ſint admirabiles illi effectus, quos operatus eſt feſto Pentecoſtes in Apoſtolis, quando viſibilis ſuper illos de cœlis deſcendit. Quo ad quivis primum

§. 2. Spiritus S. eſt tertia perſona in myſterio SS. Trinitatis.

Digitized by Google

primum fidelis & Chriſtianus dicere debet cum Concilio Nizeno, *Credo in ſpiritum ſanctum Dominum, vivificantem.* Hoc eſt ſacratiſſimum ipſius nomen Dominus eſt, Deus eſt, hic eximius titulus, *vivificans,* hæc ejus eſſentia; ut ſit tertia perſona SS. Trinitatis, de qua Divinus Philoſophus, Plato loquens dixit, *unum invenio, quod cuncta operetur, & aliud per quod cuncta efficiuntur, Tertium autem non potui invenire.* Dicere videtur voluiſſe Plato, intelligit vel apprehendit meus intellectus; hoc concludit ex variis diſcurſibus Deum eſſe unum in eſſentia, ſed trinum in perſonis; nam fuit Deus, qui, *Gen.1.v.1.* *in principio creavit cælum & terram*; (hunc nos vocamus patrem.) Fuit deinde & eſt idea, ſecundum quam omnia creata ſunt, & creantur; hanc ideam vocamus verbum patris ſive Filium per quem facta ſunt omnia. Agnoſco etiam, ait Plato, debere eſſe tertium, ſed illud non invenio; illius nomen videtur mihi eſſe ineffabile; ad illius agnitionem meus intellectus ſe elevare non poteſt. Bene dixit, vir ſapientiſſimus naturali lumine intellectus hoc myſterium in ſua perfectione, præſertim quoad tertiam perſonam eſt incomprehenſibile. Sed! Fides nos docet, & illuminat, ut credamus, ut quivis dicat, *Credo in Spiritum S.* Credimus Deum unum, credimus Trinum eſſe in perſonis; credimus primam eſſe Patrem; Alteram, Filium; Tertiam, ſpiritum S. *Et hæc eſt fides Catholica,* ait S. Athanaſ. *Vt unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur, ſcilicet Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum.*

§.2.

Dicitur Tertia Perſona ſpiritus, ob ſpirationem & emanationem, qua à Patre, & Filio procedit.

Et hæc tertia perſona SS. Trinitatis, Sp.S. dicitur, non tantum quia ſpiritualis eſt ejus natura, & ſanctiſſima; nam hæc duo attributa, & Patri & Filio conveniunt; Pater eſt Spiritus, Filius eſt Spiritus; Seraphini juxta Prophetam Iſaiam omnibus tribus perſonis accinuerunt, *ſanctus, ſanctus, ſanctus,* ſed Spiritus S. ita appellatur, ob proprietatem peculiarem, quæ illi ſoli tribuitur, & conſiſtit in origine ſive emanatione, *Iſ.6.v.8.* quâ à Patre & Filio procedit. Prima perſona dicitur pater, quia producit & generat Filium; ſecunda filius, quia generatur

tur à patre. Tertia dicitur ſpiritus, quia à patre & filio ſpiratur, per mutuum amorem; & ita (teſte S. Hieron.) *ſpiritus ſanctus eſt amor, quem habet Pater in Filium, & filius in patrem.* Qui amor quia eſt ſubſtantialis (nam juxta axioma Theologicum *quidquid eſt in Deo, eſt ſubſtantia & quidquid in Deo eſt, Deus eſt.*) & connaturalis Deo, ſequitur ut in natura, in eſſentia, diviniſque perfectionibus, per omnia ſit æqualis patri & filio; ſive ut S. Athan. loquitur, *qualis Pater, talis filius, talis ſpiritus ſanctus; & Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus S.* ſed tamen unus Deus quo ſenſu S. Cyprianus dixit l. 14. theſ. 1. 3. *ſpiritus S. eſt SS. Trinitatis complementum* noſtro modo concipiendi; quia, in re, ab æterno nihil fuit in Deo, quod potuit perfici vel compleri.

S. Greg. aliique SS. PP. varias afferunt rationes, ob quas putant Spirit. S. hodierna die deſcendiſſe viſibilem in forma ignis, *apparuerunt diſpartitæ linguæ, tanquam ignis.* hæc eſt ſingularis, ut ſcilicet oſtenderet ſe eſſe verum Deum, patri & filio, coæternum, coæqualem, conſubſtantialem. Nam ſicuti in hoc elemento tria inveniuntur, ardor, ſplendor, calor, & ardor vel ignis generat ſplendorem, & ſplendor unitus cum igne, tanquam unum principium quaſi ſpirant calorem: ita ut hæc tria diverſa ſint, ardor, ſplendor, calor; in una tamen ſubſtantia ignis; ita in diviniſſimo myſt. Sacroſ. Trinitatis dici poteſt. Quod *ſit ignis Pater*, (S. Auguſt. Ser. 190. de temp.) *ſplendor Filius, calor ſpiritus ſanctus.* Nam Pater, perfectiſſima illa cognitione & adæquata, qua comprehendit ſuum eſſe, cum omnibus perfectionibus, generat Filium veluti *ſplendorem gloriæ ſuæ.* Pater verò & Filius tanquam unicum principium per mutuum amorem ſpirant ſubſtantialem calorem, ſive amorem, qui eſt tertia perſona, ſive ſpiritus ſanctus. §. 4. *Trinitas Perſonarum oſtenditur in ſymbolo ignis. Act. 2. v. 3.*

De hoc præterea credimus, quod licet non amplius de cœlis viſibilis deſcendat, vel in ſpecie ignis, qualis hodie deſcendit ſuper Apoſtolos, vel in forma columbæ qualis apparuit ſupra caput Chriſti cũ baptizaretur in Jordane, vel inſtar §. 5. *Nobis communicatur Spiritus S. per grati-*

Digitized by Google

am. caritatem & ſanctitatem. aureæ nubes, qualis Salvatorem noſtrum circumdedit in monte Thabor, vel alia quacunq; viſibili imagine, tamen non ambigimus (ait S. Aug. l. 15. de Trinit.) *quia idem ſpiritus, qui datus eſt in die Pentecoſtes Apoſtolis, ipſe datur hominibus. O quantum beneficium! Deus dat Deum.* nimirum per gratiam, & caritatem qua Deum diligimus, de qua S. Bern. ait ſer. de car. *Eſt lux, anima à Deo infuſa, mirabiliter animam decorans, beneficans, habens comitem ſpiritum ſanctum*, qui, quos Deo facit gratos, ſimul ſanctificat; & ſic (teſte S. Auguſt. Hom. 9. de Pent.) *Beneficia, quæ Salvator noſter inchoavit, peculiari virtute ſpiritus ſanctus perfecit, quod ille redemit, iſte ſanctificat.* Proinde, quemadmodum ſuperius S. Cyprianus ſpiritum ſanctum quoad intrinſecam ejus emanationem vocavit Complementum ſacroſ. Trinitatis; eodem modo hoc ei elogium tribuere oportet, quoad extrinſecus effectus; nam beneficia præcipua, quæ reliquæ perſonæ inchoarunt, ſpiritus ſanctus complevit, quod Pater creavit, ipſe vivificavit, quod Filius redemit, ipſe ſanctificavit.

§. 6. Varia elogia ſive varii effectus & operationes Spiritus S. in homine.

Hinc illa elogia ſpiritus ſancti. *Ipſe eſt* (S. Chryſoſt. ſer. de ſpiritum.) *Spiritualium oculorum noſtrorum Sol, interni noſtri hominis Lucifer; lucifer in pectoris cœlo; ipſe opulentia filiorum Dei, ipſe æternorum bonorum theſaurus.* Card. Toletus. *Quia perfectionem ſanctitatis operatur, & illuſtrat omnia.* Iterum S. Chryſoſt. *Quoniam ſuper terram nox eſt; ut in eam noctem non incidamus, tradidit nobis Chriſtus lampadem illuſtrem, incenſam, ſpiritus ſancti gratiam in cordibus noſtris:* ideo ſuſpiramus, *Veni ſancte ſpiritus emitte cœlitus lucis tuæ radium, veni lumen cordium, O lux beatiſſima, reple cordis intima tuorum fidelium.* Pari ratione dicere poſſumus; Quoniam ſuper terram inopia eſt, egeſtas & paupertas; ut fiamus divites, tradidit nobis Chriſtus D. ſpiritum ſanctum, qui eſt Pater pauperum, dator munerum. Iterum, quoniam ſuper terram mera eſt triſtitia, luctus & gemitus in hac lacrymarum valle; tradidit nobis Chriſtus D. ſpiritum ſanctum qui eſt conſolator optimus, dulcis hoſpes animarum noſtrarum; fons omnis lætitiæ; mare cœle-

Digitized by Google

cœleſtium deliciarum. Quoniam vita hominis ſuper terram labor eſt,tradidit nobis Chriſtus D.ſpiritum ſanctum qui in labore eſt requies & refrigerium, in æſtu temperies, in fletu ſolatium: Quoniam ſuper terram acre eſt frigus; Chriſtus D. tradidit ſpiritum ſanctum qui ignis eſt qui frigida corda fovet & accendit:cum arida ſunt ob æſtum paſſionum & concupiſcentiæ, ventus eſt, qui refrigerat; aqua eſt, quæ rigat: cum ſordida ſunt,fons eſt,in quo lavantur: cum ſaucia ſunt, medicina eſt, qua ſanantur; Denique,quoniam ſuper terram variæ ſunt viæ, quæ ducunt ad perditionem, Chriſtus D. tradidit nobis ſpiritum ſanctum veluti igneam columnam, quæ ſua luce nos dirigat in terram promiſſionis.

Hoc præcipuè advertendum eſt,quos ſpiritus illuminavit, quos per communicatam gratiam divites fecit, quos conſolatur, quos fovet, quos refrigerat, quos ſanat, quos lavat;illorum denique corda; *In amorem Dei concremat.* Ipſe in ſacroſ. Trinitate,amor eſt;quoad intra Pater & Filius ſe amant amore infinito; ad extra, illo fine ſuam gratiam & charismata nobis communicat, ut & nos Deum amemus. Quem effectum ſic deſcribit S.Greg. in Ezech. *Ignis in terram mittitur, cum per ardorem Sancti Spiritus afflata terrena mens à carnalibus ſuis deſideriis crematur, ſpiritualique amore ſuccenditur.* Alludit S. Gregorius ad illa verba Chriſti, Lucæ. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur.* Cum guſtu legi his diebus hiſtoriam qua recentior aliquis concionator hæc verba eleganter explicat. Principiſſæ alicui in Ruſſiâ rebellavit quædam urbs,quam cum videret ſe armis,& vi non poſſe expugnare, converſa ad dolum & fraudes,hoc ſtrategemate de hoſtili urbe crudelem ſumpſit vindictam; obtulit illi omnem libertatem, hâc conditione, ut quævis familia ad ſe mitteret certum numerum columbarum ; & miſſæ ſunt quamplurimæ;ipſa vero paratos incendiarios pyrobolos alligavit columbarum alis; cum quibus ſubito revolantes in urbem ad ſua columbaria; mox pluribus partibus tecta ædium accenderunt,ſic intra paucas horas tota urbs conflagravit.ſimile

§.7. Peculiaris operatio ſpir.S. eſt, ut hominum corda, accendat igne divini amoris.

Luc. 12. v. 49.

mile ſtratagema invenit infinitus amor Chriſti Salvatoris no-
Num.16.9. ſtri erga humanum genus. *Rebellaverunt quidem mortales ad-
verſus Deum; Rebelles fuerunt lumini.* Job. *Induraverunt faciem
Ier. 5. v. 3. ſuam ſupra petram, & noluerunt reverti.* Deſcendit Filius Dei de cœlis, factus eſt homo, paſſus eſt, mortuus eſt; ſed quia neque ſuo ſanguine dura corda & rebellem mundum emollire potuit, hodie de cœlis, mittit igneam columbam, SpiritumS. qui ſuis ignibus primum accendit Apoſtolos; ipſi veluti converſi in igneas quoque aves, ex cœnaculo montis Sionis evolarunt in totum mundum ſpargentes ubique flammas divini amoris.

§.8. *Ignis Spir. S. Apoſtolos fecit animoſos.*

Lucius Marius, generoſiſſimus miles, cum ardenti oratione ſocios in prælium & pugnam inflammaret; mirabile viſu! caput ejus luci diſſimis flammulis coruſcũ, ab exercitu viſum fuit! quo lætiſſimo omine animati tam generoſe pugnarunt, ut præter captivos, triginta ſeptem millia hoſtium in campo ceciderint; Tantum Lucii milites animavit & accendit modicus ignis! Quantæ virtutis putamus fuiſſe flammas, quibus Spir.S. Apoſtolorum pectora & linguas inflammavit? Habet quod timeat, Lucifer; ex his flammis colligimus actum eſſe de ejus in homines imperio; habent, cur timeant idololatria & ſuperſtitio, Chriſtus D. ſupremus belli dux, ſuos milites hodierna die, illis ignibus Sp.S. accendit, ut nullum de victoria ſuperſit dubium.

§.9. *Et fortes atque imperterriti.*

Sedit ſuper eos Spir.S. & (S.Chryſoſt. hom.74. in Joannem) *qui prius timebant ac formidabant; poſt ſpiritus acceptionem, in medio proſilierunt, per ferrum, ignes, beſtias, pelagus, ad omnem calamitatem ſe intrepidi expoſuerunt. Et illiterati, & idiotæ audenter diſputabant, ita ut Auditores in admirationem adducerent; Ex luteis, ferreos, & veluti cæleſtes effectos nulli humano effectui eſſe ſubjectos* Sacer textus ait. *Infirmi accincti ſunt robore.* S. Greg. hic. *Appellatione enim roboris ſpiritus ſanctus oſtenditur, quem ubi electi accipiunt, contra omnia adverſa hujus ſæculi fortes fiunt.* Eleganter S.Chryſoſt. hom.34. in Matth. *Reges & Principes, duodecim homines, vinculis, flagellis, carceribus quibuſcunque*

Digitized by Google

cunque poterant, terruerunt, ut ſilerent, nec potuerunt ora eorum obſtruere; ſed, veluti nemo ſolares radios vincere poteſt, ſic nullus linguas eorum potuit compeſcere; quoniam non homines, ſed ſpiritus ſancti virtus loquebatur. Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris omnis virtus eorum. S. Baſilius in hunc pſ. *ſpiritu S. firmata eſt omnis virtus cæleſtis. Hoc eſt firmitatem, ſoliditatem, ac confirmationem in ſanctitate, & in omni virtute, ex ſpiritus ſancti auxilio habent.* *Pſ. 32. v. 6.*

S. Damianus refert l. 4. ep. 17. inſignem artificem reperiſſe modum quo mediante igne vitrum effecit ſolidum, ut ferrum. Obtulit tale vitrum Tiberio Cæſari qui ratus vile donum pro Cæſarea Majeſtate, alliſit ſolo; cum vidit non frangi, cauſamq; intellexit, juſſit hunc artificem è medio tolli. Nō inhæreo an bene an male fecerit Imperator; certum eſt hunc eſſe unum ex effectibus ignis, quo Sp. S. ſuos electos facit fortiſſimos, ut nulla, adverſitate confringi poſſint. Vitra erant fragilia SS. Apoſtoli: expertus fuit S. Petrus; expertus S. Th. Hodierna die per ignem & ardorem ſpiritus ſancti indurati ſunt in adamantes &c. *§. 10. Vitra convertit in adamantes.*

De hoc eodem igne ait S. Aug. quod non tantum accendat, non ſolum roboret, & fortitudinem tribuat, ſed *ſit edax; Conſumit enim veterem vitā divinus amor, & innovat hominem.* ideo David dixit, *Emitte ſpiritum tuum &c.* Cum enim Dominus ſuo nos rore reſperſerit, & ſiccitatem pectoris noſtri, ſuis pluviis irrigaverit, germinabimus, imo florebimus S. Aug. tr. 19. in S. Joh. *Ipſo veniente reſurgit anima à morte ſua, ad vitam ſuam.* S. Damia. l. 6. ep. 5. *Tunc torporem negligentiæ deſerunt homines, cum flamma Sancti Spiritus ac divini amoris accenduntur; quia tunc incaleſcente ſole, victoria de hoſtibus ſumitur*, juxta illud. *Cras erit vobis ſalus, cum incaluerit Sol.* Talia de vobis ſpero Auditores, Excutite veterem hominem &c. Si tamen incaluerit in vobis Sol. Ardebitis divino amore, ſi tamen &c. Eritis fortes &c. ſi tamen &c. ardebitis &c. Si tamen. (hoc modo fiat brevis repetitio totius concionis.) Puto quod probarim, quod probare intendi: *§. 11. Idem ignis Sp. S. conſumit peccata, & innovat hominem. Pſal. 103. v. 30. 1. Reg. 9. v. 16.*

adhuc hodie ſpiritus ſanctus in electis operatur nobiliſſimos effectus, cui proinde cum Patre & Filio, ſit idem honor, eadem gloria, eadem benedictio in ſæcula ſæculorum. Amen.

CONCIO XXIX.

FESTO SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

Euntes ergo, docete omnes gentes; baptizantes eos, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.

Matt. 28. v. 19.

SYNOPSIS CONCIONIS.

DOcet aureas aliquas praxes, colendi & venerandi Myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis.

§. 1. *Optat ſibi auctor Seraphicas aliquas ſcintillas, quibus inter Auditores excitet amorem & deſiderium cultus, erga ſanctiſſ. Trinitatem.*

§. 2. *Myſterium hoc, potius ſimplici fide debemus credere, quàm ut nos fatigemus, per ſenſibiles ſpecies illud cognoſcere.*

§. 3. *Aurea praxis & facilis, colendi ſacroſ. Trinitatem, conſiſtit in piis cogitationibus, de tanto myſterio.*

§. 4. *Proſecutio.*

§. 5. *Hæ cogitationes in nobis generant vivam memoriam, præſentis nobis ſacroſ. Trinitatis.*

§. 6. *Nihil peius eſt, quàm oblivisci Deum & ſacroſ. Trinitatem.*

§. 7. *Cultores ſacroſ. Trinitatis, debent imitari Thronos, Cherubinos & Seraphinos.*

§. 8. *Seraphini aſſiduè laudant ſacroſ.*

ſacroſ. Trinitatem; in quo illos imitantur ardentes ejus myſterii cultores.

§. 9. *Saltem aliquoties de die; cum S. Auguſt. & aliis ſanctis.*

UTinam hodierno feſto, de cœlo in cor meum, & linguam deciderent aliqui radii, vel ſcintillulæ, illius ignis, quo arſerunt Seraphini, quos Iſaias vidit ſtantes ante thronum Dei, & audivit canentes, *ſanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus.* Seraphicos radios opto; non quod Seraphica etiam luce illuminatus deſiderem rimari & ſcrutari incomprehenſibile myſterium ſacroſ. Trinitatis; memor enim ſum dicti S. Bern. l. de conſid. c. 8. *ſcrutari hæc* (hæc Deum eſſe unum in eſſentia, & trinum in perſonis. Hæc! à Patre generari Filium, ab utroque procedere ſpiritū ſanct. ut tamen Pater non ſit prior Filio &c.) hæc inquam *ſcrutari, temeritas eſt: credere pietas eſt.* Cum S. Chryſoſt. *gratias ago Deo,* gaudeo, exulto, *quod Deum incomprehenſibilem habeamus.* Gratias ago Deo, quod credam altiſſimum myſt. ſacroſ. Trinitatis; gaudeo, quod baptizatus ſim in nomine Patris & Filii & Spiritus S. Fides hæc nobis debet ſufficere, clara illius cognitio & intuitio in alteram vitam reſervatur. Scintillas itaque Seraphicos opto, ut illis in animis meorum auditorum excitem ardentem quendam amorem, & deſiderium peculiaris cultus erga tantum myſterium. Cum Abraham tres pulcerrimos juvenes vidit, & tamen unum tantum adoravit; ait textus id contigiſſe; *In convalle Mambra & fervore diei.* Gloſſa. *Per hoc deſignatur, quod revelationes divinæ fiunt illis, qui ſunt in humilitatis convalle; & in fervore diei;*) qui ardenter diligunt Deum. *Tanto enim magis cognoſcitur Deus, quanto magis diligitur.* His duobus ſuppoſitis, quod humiliter credamus SS. Trinitatem, quod ardenter illam amemus, facillimas, aliquas praxes vobis proponam, quibus colitur, ſanctiſſ. Trinitas, cui ſit honor & gloria in ſæcula.

§. 1. Optat author Seraphicas aliquas ſcintillas, quibus excitet amorem & deſiderium cultus erga SS. Trinitatem. Iſ. 6. v. 3. Gen. 18. v. 1

Princeps Philoſophorum Ariſtoteles bene advertit: quod licet anima hominis ſit ſubſtantia ſpiritualis, tamen, quia eſt im-

§. 2. Myſterium SS. Trini-

natù potius ſimplici fide debemus credere, quam ut nos fatigemus, per ſenſibiles ſpecies illud cognoſcere.

immerſa & alligata corpori, à quo veluti inſtrumento in operando dependet, res ſpirituales non poſſit intelligere, quales ſunt in ſe; ſed intellectus, per vim imaginativam, & illarum rerum ſpecies, quas percipiunt ſenſus, dat illis eſſe quoddam corporeum, quod facilius intelligimus. Sic angelum nobis proponimus, Juvenem formoſum, generoſum, agilem, radiantem inſtar alicujus ſolis. Angelos damnatos depingit noſtra phantaſia, veluti monſtra, horrenda viſu! veluti dracones cum igneis oculis, è naribus evomentes ignem. Sic rudiores putant, Deum veluti aliquem Regem, ſole veſtitum, ſedere in aureo vel cryſtallino throno, circumdatum choris angelorum. Imò altius aſſurgit intellectus, dum proponendo ſibi patrem, veluti venerandum ſenem, Filium, tanquam formoſum virum, ſpiritum ſanctum inſtar columbæ vel belliſſimi juvenis, etiam Trinitatem perſonarum in Unitate Divinitatis rimari & ſcrutari conatur. Tales imagines, ſanctis cogitationibus, veluti oculis, intueri ſolemus, ſacroſ. Trinitatem dum cum Seraphinis clamamus, *ſanctus, ſanctus, ſanctus*, vel cum Eccleſia dicimus, *Gloria Patri & Filio & Spiritui S.* Vel *Benedicamus Patrem & Filium cum S. Spiritu, laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula*; Has & ſimiles imaginationes corporeas de myſterio ſacroſ. Trin. ſancti Patres non reprehendunt; monent tamen, ut ſciamus & meminerimus (Glorioſiſſimo Chriſti D. corpore excepto) non eſſe patrem talem ſenem, vel ſpiritum ſanctum, talem columbam. Sunt ſubſtantia ſpiritualis, incorporea, inviſibilis, à nullo ſenſu perceptibilis; hoc ego ſuadere ſoleo meis auditoribus, ut ſimilibus phantaſiis & imaginationibus de perſonis ſacroſ. Trinitatis, caput, cum periculo deceptionum & illuſionum non fatigent; Hoc laudo; ut ſimplici actu fidei, de altiſſimo hoc myſterio, Dei Unius & Trini, per ſanctas cogitationes frequentiſſimè ſint memores; quæ memoria de ſacroſancta Trinit. quæ cogitationes eo magis Deo placent; quo teneriores miſcentur affectus & deſideria colendi ſacroſ. Trinitatem.

Sugge-

§. 3. Aurea praxis & facilis, colendi SS. Tr. conſiſtit in piis cogitationibus de tanto myſterio.

Suggerit v.g. nobis ſubinde ſpir. ſanct. (quo frequentius, eo melius) cogitationem, per quam abhorremus ab omni eo quod Deo diſplicet, perquam deteſtamur omne peccatum, per quam ſtatuimus in honorem SS. Tr. potius mori, quàm illam offendere: in particulari, Odio, libidine &c. His cogitationibus colimus SS. Trinitatem. Oriuntur ſubinde in nobis pii motus, ut terrena omnia in honorem SS. Trin. contemnamus, ut nos exuamus inordinato amore creaturarum; ut bonis caducis præferamus æterna. His affectibus oblectamus SS. Tr. Mane præſertim angeli noſtri cuſtodes nobis ſuggerunt pia deſideria, ut nos totos corpore & animo Deo offeramus, patri memoriam, Filio intellectum, Sp. S. voluntatem; ut in omnibus cogitationibus, verbis & operibus intendamus unicam & majorem Dei gloriam: & quis ex nobis eſt, qui hac praxi non facillimè quotidie, imo ſingulis horis poſſit colere SS. Trin. Hanc auream praxin in ſe continet notiſſimus ille verſiculus, Gloria Patri &c. Neminem ex omnibus eſſe puto, qui non quotidie oret & recitet Orationem Dominicam, à Chriſto D. nobis præſcriptam; Occaſione tertiæ petitionis, ſentimus non raro, & cum magno ſolatio, ſanctas cogitationes, quibus totis medullis deſideramus, & volumus, quod Deus vult. præſertim cum nobis male eſt, hinc illa ſuſpiria, *pater, æterne fiat voluntas*; Fili, *fiat voluntas tua.* Spir. S. *fiat voluntas tua.* SS. Tr. *fiat voluntas.* Hæc ſuſpiria, hæ oratiunculæ jaculatoriæ, ſunt illud ſuaviſſimum incenſum, quod ex aureis angelorum thuribulis, exhalat coram Throno ſacroſanctæ Trinitatis.

§. 4. Proſecutio.

Longe ſublimiores adhuc ſunt illæ cogitationes, & affectus, quibus Deo pure propter ſe, & ſuam beatitudinem gloriamq; gratulamur, quibus deſideramus uni Deo placere, quibus, anhelamus Deum amare ex toto corde. Taceo illas cogitationes ſacroſanctas, de Dei beneficiis, de debita gratitudine, de agendis Deo gratiis, de myſteriis vitæ Salvatoris noſtri &c. quas ſpirit. ſanct. cuique ſuggerere ſolet; præſertim dum mane & veſperi debitas perſolvimus preces, vel

cum die certo tempore oramus pſalmos, litanias, vel alias preces. Potiſſimum vero coram ſanct. Sacramento in auditione miſſæ: multò adhuc magis cum ſacroſ. frequentamus ſacramenta; His inquam cogitationibus, quivis facillime, & quotidie, & ſingulis horis, ubique, omnibus locis, etiam ſub aliis negotiis & occupationibus, poteſt colere ſanctiſ. Trinitatem.

§. 5.

Hæ cogitationes in nobis generant, vivam memoriam, nobis præſentiæ SS. Trinitatis.

Tob. 4. v. 6.

Hæ cogitationes, nobis imprimunt vivam quandam fidem de præſentia Dei & ſacroſ. Trinitatis; à cujus memoria, velut fonte plurima in nos defluunt bona. Primo loco Tobias filio ſuo hoc præſcripſit monitum. *Omnibus autem diebus vitæ tuæ, in mente habeto Deum: & cave ne aliquando peccato conſentias, & prætermittas præcepta Domini Dei noſtri* q. d. fili ſi in mente habeas Deum, non facile aſſenties peccato. Mihi certum eſt, ſi dum diabolus vel caro, vel mundus nos ſollicitat ad peccatum; imo in flagranti occaſione, ſi in mente haberemus infinitum amorem patris, quo nos diligit; ſi amorem Filii, ex quo pro nobis tanta fecit & paſſus eſt, ſi beneficia ſpiritus ſancti, non tam facile peccaremus. Gentilis Philoſophus Seneca agnovit cum in ep. 10. ad Lucilium ſcripſit. *Accipe utilem & ſalutarem clauſulam, quam te affigere in animo volo. Aliquis vir bonus eligendus eſt, ac ſemper ante oculos habendus, ut ſic tanquam illo ſpectante vivamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus. Magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis aſſiſtat.* Cicero l. 3. de legibus. *Homines exiſtimare oportet, Deos omnia cernere, & Deorum omnia eſſe plena, & ita fore omnes meliores, ſi Deo teſte & ſpectatore ſe agere omnia cenſerent.* Sic gentiles locuti ſunt; Chriſtiane, Deus, ut revera per eſſentiam & potentiam nobis intime eſt præſens, ita nobis ante oculos habendus eſt, ut cogitemus, illum omnia, quæ facimus videre; Deo omnia plena ſunt. Verſemur, vivamus, loquamur, operemur, legamus, ſcribamus, oremus, comedamus &c. quaſi ante oculos ſacroſ. Trinitatis; tolletur infallibiliter magna pars peccatorum; certò certius erimus meliores. Dicemus cum Suſanna. *Melius eſt* pati, ſe mor-

mortificare, injicere frenum concupiſcentiis &c. *quam pec-* Dan.13.23.
care in conſpectu Domini. Dicamus cum Joſepho: *Quomodo* Gen.39.v.
poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum. alia lectio 9.
habet, *coram Deo.* q. d. adulteræ; *Quid putas? etiamſi fecerimus, ut res clam ſit omnibus, oculum tamen illum, qui dormitare nequit, latere non poterimus, quem ſolum timere oportet.* Probate Aud. ſi ab hoc die deſideratis fieri meliores, ſi minuere numerum peccatorum; ab hac die incipite colere ſacroſ. Trinitatem, hoc modo, ut frequentiſſime de illa cogitetis, laudando, amando &c. ab hac die hanc clauſulam animis veſtris affigite, quod ubique verſemini in oculis ſacroſ. Trinitatis; non tam facile peccabitis, ſed vivetis ſanctè: Cultus verò præcipuus tanti myſterii in vita ſancta & immuni à peccato mortali conſiſtit.

Econtra bene monet S. Ephrem. t.2. c.20. *Nihil peius,* §.6.
graviuſque eſt, quàm ipſius Dei oblivionem capere: continua enim Nihil peius
Dei recordatione turpes animæ paſſiones recedunt. Vbi vero me- eſt, quàm oblivisci
moria Dei abeſt, ibi tenebræ cum fœtore dominantur, omniſque res Deum, &
improba exercetur. Pſalmiſta ait. *Non eſt Deus in conſpectu ejus* SS. Trinitatem.
inquinatæ ſunt viæ (intentiones, cogitationes) *ejus in omni* Pſ.10.v.5.
tempore. Jerem. *Deſolatione deſolata eſt omnis terra.* LXX. Ierem.12.
diſſipatione diſſipata eſt terra. Orig. *exterminatione extermina-* v.11.
ta eſt. Quibus verbis queritur Jeremias, in terra inter homines, diſſipatas quaſi eſſe & exterminatas omnes virtutes, eſſe vero abominationem deſolationis, ſive graviſſimorum ſcelerum, idolatriæ, adulteriorum &c. addit autem cauſam, quia nullus eſt, qui recogitet corde. S. Hier. legit, *quia nullus eſt qui recogitet Deum*; proinde plerumque illi, qui non tam ordinario tempore anni, ſed etiam principalioribus feſtis, v. g. hodie. de ſacroſ. Trinitate, nihil cogitant, &c. illi inquam plerumque vitam vivunt impiam. Filius prodigus *peregre profectus fuit in regionem longinquam*; deſeruit patrem, ſine patre, dilapidavit bona ſua, ſine patre ſpoliatus eſt ſubſtantia ſua, ſine patre exuit pudorem & caſtitatem; ſine patre ad eam redactus fuit egeſtatem, ut ſiliquas porcorum comederit:

hoc

hoc in ſenſu myſtico nobis accidit ſine Deo, ſi illius obliviſcamur.

§.7.
Cultores SS. Trinitatis, debent imitari Thronos, Cherubinos, & Seraphinos.

Verum non cupio ego, ut hod. feſto concio mea ſit invectiva, ſed affectuoſa Exhortatio ad cultum ſacroſ. Trinitatis: qui cultus, inter omnes devotiones eſt nobiliſſimus & utiliſſimus. Experiemur, ſi in hac devotione imitemur, tres angelorum choros, primos, & excellentiſſimos, Thronos, Cherubinos & Seraphinos. Thronus ſacroſ. Trinitatis erit noſtra memoria, ſi quotidie & frequenter cum magna ſubmiſſione ſimus memores profundiſſimi hujus myſterii; Vocula *Cherub*, ſignificat cognitionem; ad hanc nos deducit lumen fidei, in qua ſi ſimus excellentes, Cherubinos imitamur. Deſidero præcipuè, ut in conſpectu ſacroſ. Trinitatis ſitis Seraphini. Vocula hæc hebraica, *Seraphin* ſignificat, cœleſtes illos ſpiritus, illos præcipuos ſatellites circa thronum Dei, prout vidit Iſaias eſſe, puriſſimos, Vigiles, Excitatos, agiles, efficaces, ardentes, ſplendentes. Hæ ſunt nobiliſſimæ proprietates, naturæ tam eminentis, quales eſt Seraphinorum. Advertite ex illis, quales vos debeatis eſſe cultores ſacroſ. Triados. Puri, immaculati ab omni peccato &c. (ecce campum pro latiſſima materia.)

Isa.6.v.3.
Apoc.4.v.8

§.8.
Seraphini aſſidue laudant SS. Trinitatem in quo illos imitantur, ardentes ejus myſterii cultores.

Eorundem ſpirituum occupatio pretioſiſſima, teſte Iſaia cit. loc. eſt, inceſſabili voce, accinere ſacroſ. Trinitati, *ſanctus, ſanctus, ſanctus.* Quam cœleſtem muſicam, imitatur Eccleſia in terris, celeberrimo illo verſiculo *Gloria, Patri, & Filio, & Spiritui S.* & quidem poſt omnes pſalmos; *Qua repetitione* (S. Aug.) *indefeſſa aſſiduitas notatur, ac ſi dixiſſet (Iſaias) nullum angelicæ melodiæ finem eſſe in canendis Dei laudibus; ſicut inexhauſtam earum materiam nobis ſuppeditat ejus ſanctitas.* Procopius ait, *Seraphini ſanctas laudes, non ſemel tantum, ſed ſæpe, imo etiam infinitis vicibus iterant.* Proinde, ait S. Ephrem tractatu de beatitudine. *Beatus eſt qui factus eſt ſicut Seraphim & Cherubim, & in divino ac ſpirituali officio* (p. in cultu ſacroſ.) *nunquam eſt ſegnis, ſed aſſidue glorificat Deum. Beatus qui in cella ſua in Domino tanquam angelus cœleſtis caſtas retinet*

cogita-

cogitationes (p. hic deſideria, ah utinam &c. p.) *ſuoque ore collaudat eum qui &c. -beatus qui ſemper ſpiritali gaudio plenus eſt, nec in portando ſuavi jugo Domini pigreſcit, coronabitur in gloria, &c.*

Si hæc aſſiduitas quibuſdam videatur nimia, faciant ſaltem quod olim fecere Judæi, ut refert Galatinus ex Rabinis. Saltem bis de die, ſole Oriente & occumbente elevantes oculos in cœlum ter clamabant, *ſanctus, ſanctus, ſanctus*: Hoc ſaltem à vobis exigo auditores, ut de die, bis vel ter, dicatis cum Seraphinis *ſanctus, ſanctus, ſanctus*. Vel cum S. Auguſtino lib. Medit. c. 33. *O ſacroſ. Trinitas: ad te ſuſpiro die ac nocte, tibi inhio, tibi intendo, ad te pervenire deſidero*. Vel cum S. Joannicio 4. *Nov. ſpes mea Deus Pater, aſylum Chriſtus, ſcutum ſpiritus ſanctus eſt*. Vel cum Seraphico S. Franciſco, *O quàm glorioſum & magnum eſt, habere in cælis Patrem! O quam ſanctum, pulcrum & amabile Paraclitum habere ſponſum! O quàm ſanctum & quam delectabile, beneplacitum, humile, pacificum, dulce & amabile, & ſuper omnia deſiderabile, habere talem fratrem, qui poſuit animam ſuam pro ovibus ſuis*. Suaviſſimi hi ſenſus ſunt fontes, ex quibus promanant accenſa deſideria poſſibili nobis modo, laudandi SS. Trinitatem.

§. 9. Saltem aliquoties de die; cum S. Auguſt. & aliis ſanctis

Ioan. 10. v. 11.

CONCIO XXX.

DOMINICA I. POST SS. TRINITATEM.

Epulabatur quotidie ſplendide.
Luc. 16. v. 19.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QUo ſenſu ſanctiſſima Euchariſtia, vocetur Epulum, ſive ferculum puritatis; ut de ſumente angelicum illum panem dici poſſit, epulatur ſplendide.

§. 1. *SS. Euchariſtia, vocatur Epulum.*
§. 2. *Cur dicatur Epulum vel ferculum Puritatis.*
§. 3. *Pulcer ſenſus verborum S. Pauli, Paſcha noſtrum immolatus Chriſtus eſt: itaque epulemur, &c.*
§. 4. *In ſumentibus SS. Euchariſtiam requiritur magna puritas, quam ſolus ſanguis Chriſti poteſt efficere.*
§. 5. *Varia figura ex V. Teſtamento.*
§. 6. *Cur in ſacrificio miſſæ vino miſceatur aqua; cum inſigni loco ex Canticis.*
§. 7. *Cur anima communicantis dicatur fons? Euchariſtia puteus?*
§. 8. *Sanguis Chriſti in Euchariſtia, animas noſtras facit puras & pulcras.*
§. 9. *Sine puritate animæ nihil in illa operatur Euchariſtia.*
§. 10. *Alia ratio ob quam ex latere Chriſti, cum ſanguine effluxit aqua.*
§. 11. *Vnio inter animam, & Chriſtum D. in hoc epulo fieri non poteſt, niſi illa munda ſit.*
§. 12. *Chriſtus Crucifixus balſamum.*

§. 1. *Euchariſtia vocatur epulum.*

IN meis concionibus, hod. Dominica infra oct. corp. Chriſti licet ejus Evangelium ſit pulcerrima, vel hiſtoria, vel parabola, ab ipſo Chriſto D. propoſita, nihil tamen agere ſoleo, vel de graviſſimis peccatis, quæ miſero epuloni fuerunt cauſa æternæ damnationis, vel ejus ſepulcro, in quo ſepultus eſt, de inferno; vel de gehennalibus flammis; ſed potius de efficaci remedio, quo illas extinguere poſſimus; ne nos aliquando in illis ardeamus. Medium efficaciſſimum nobis dedit Chriſtus S. noſter, dum inſtituit ſanctiſ. ſacramentum Euchariſtiæ. Hanc ego hod. Dom. in meis concionibus, occaſione verbi ex Evangelio *Epulabatur*, vocare ſoleo Epulum Euchariſticum, inſtructum & apparatum nobiliſſimis ferculis; quibus qui veſcuntur, de illis verè dici poteſt epulantur ſplendide. Unico melleo bolo comedere quaſi Maſſam omnium chariſmatum; & unico hauſtu bibere integrum fontem omnium gratiarum, an non hoc eſt, epulari ſplendide? Hunc bolum vel cibum, hunc hauſtum in una concio-

Luc. 16. v. 19.

Digitized by Google

concione hodiernæ Dominicæ, vocavi ferculum gratiæ. Cum in eodem cibo manducemus ipſum Deum, cujus viſio aliquando nos faciet beatos, ut ſimul nobis in hoc mundo ſit pignus futuræ gloriæ, in alia concione oſtendi Euchariſtiam eſſe ferculum ſpei juxta antiphonam Eccleſiæ, *O ſacrum convivium! in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis ejus, mens impletur gratia, & futuræ gloria nobis pignus datur.* Hac concione menſæ cœleſti coram vobis imponam Euchariſtiam, veluti ferculum puritatis. tum quia ſacroſ. hoc ſacramentum ſe ſumentes, puros & mundos facit; tum quia magna munditie & puritate ad illud ſumendum accedere debemus.

Ex duplici fonte vel capite Euchariſtia à SS. Patribus, ut ſtatim inſinuavi, vocatur ſacramentum vel ferculum puritatis; tum quia mundos facit, à quibus ſumitur; tum quia magna puritate illud ſumere debemus. Hujus membri poſterioris figuram p. habemus in verbis S. Pauli, quibus ait de hebræis, *Omnes in mari baptizati ſunt*; in mari ſcilicet rubro, antequam in deſerto paſcerentur cœleſti manna & pane angelorum. Idem nobis accidit; ut enim digne ſumere poſſimus Euchariſticum manna, prius ſacrato Chriſti ſanguine debemus intingi, & aquis non maris rubri, ſed ſanguinis Chriſti lavari; de qua figura elegantiſſime ait Rupertus l. 6. de divin. off. c. 32. *Qua hora patefacto lancea militis latere Chriſti ſanguis & aqua prorupit, ibi pariter totam Eccleſiam, quæ jam erat, vel ab initio mundi fuerat, lavit Chriſtus à peccatis ejus in ſanguine ſuo, ut exhiberet ſibi ſponſam glorioſam, non habentem maculam aut rugam:* ut talem deinde duceret in cellaria ſua, & inebriaret vino caritatis, ut talem, puram & immaculatam inter lilia, paſceret favo & melle ſuo, ut tali porrigeret pomum & fructus non mortis, ſed vitæ; & hæc omnia, in inſtitutione ſanctiſſ. Euchariſtiæ; ſed ut dixi, poſtquam illam laviſſet in ſanguine ſuo. Non niſi mundis ferculum hoc puritatis proponitur.

§. 2. Cur dicatur epulum puritatis.

1. Cor. 10. v. 2.

Cum magno myſterio, (quod tamen plurimi, qui tem-

§. 3. Pulcer ſex-

ſus verborum S. Pauli, Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus itaque epulemur.
1. Cor. 5. v. 7

pore paſchali illius faciunt mentionem hactenus non adverterunt) ait S. Paulus. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, itaque epulemur.* prius facit mentionem mortis agni, prius meminit ſanguinis Chriſti, effuſi in cruce, prius altaris, in quo agnus immaculatus, immolatus fuit, prius vult Apoſtolus ut hic agnus tollat peccata noſtra, tum nos invitat ad Euchariſtiam, *itaque epulemur* q.d. Jam in ſanguine agni loti eſtis; epulemur ergo id eſt, ait S. Anſ. *epulis corporis & ſang. ejus reficiamur quandoquidem ſtolæ noſtræ in ſanguine lotæ ſunt, tempus eſt comedendi manna, & eſus agni Euchariſtici non eſt ulterius differendus.*

§. 4.
In ſumentibus SS. Euchariſtiam, requiritur ſumma puritas, quam ſolus ſanguis Chriſti poteſt efficere.
Apoc. 7. v. 15.

S. Joannes refert ſe vidiſſe ingentem hominum multitudinem, qui in eodem ſanguine agni fuerant loti, & addit, *ideo ſunt ante thronum Dei.* & quis eſt ille thronus, ad quem qui vult accedere, prius debet lavari ſanguine, & non quocunque ſanguine, alicujus vituli v.g. vel hirci; ſed cruore filii Dei, & effuſo in cruce. Non ignoro multos per hunc thronum intelligere cœleſtem gloriam, in quam nihil intrabit coinquinatum. Relinquamus hodie ſanctis hunc thronum cui aſtant ſine fine dicentes, *ſanctus, ſanctus, ſanctus* In terris, ait Petrus Cellenſis, (de panibus c. 13.) regium hunc thronum eſſe ſanctiſ. Euchar. & infert hanc cauſam; *Transeundum igitur mare rubrum, ut comedas panem mundum,* (ut cibo hoc angelico epuleris ſplendidè) *hoc enim oſtenſum eſt in apocalypſi ab angelo Ioanni, cum dicit, hi ſunt qui laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine agni, ideo ſunt ante thronum Dei.* q.d. hi ſolum digni ſunt, & capaces, qui Euchar. ſumant, qui accedant ad hunc thronum auguſtiſſimum ad ſanctiſſ. Hoſtiam, ubi Humanitas Filii Dei, realiter exiſtens, ab ipſis Cherubinis & Seraphinis adoratur. Mundi, immaculati, cœleſtes ſunt hi ſpiritus, ſolum quia laudare debent ſedentem in throno, quam mundi! quam immaculati; quam cœleſtes ſint, neceſſe eſt, qui ad hunc thronum invitantur, ut ſedentis in eo carnem & corpus manducent, & bibant ejus ſanguinem ſumma munditiës, inenarrabilis puritas, quam ſolus ſanguis Chriſti efficere poteſt, requiritur à ſumentibus Euchariſtiam.

Ex S.

Digitized by Google

Ex S. literis conſtat, quod lotionibus & lavacris uti debuerint, qui Deo in templo Salomonis voluerunt offerre victimas. Mare æneum, ornatum pulcerrimis ſpeculis, ad hunc finem erexit Salomon in laterè atrii. longe æquius eſt, ut illi qui auguſtiſſimum miſſæ ſacrificium, Deo offerre, vel corpus & ſang. Chriſti ſumere volunt, ut illi prius laventur in mari æneo ſanct. ſacram. pœnitentiæ, & in ſang. Chriſti. *Lavamini, mundi eſtote* (dixit ille) qui *fertis vaſa Domini*; quanto magis lavari, & mundi eſſe debent, qui menſam Euchariſticā accedant, non tantum ut pereāt, ſed comedant ipſum Dominum, ejus carnem & corpus, & bibant ejus ſanguinem: poſtquam Tertullian. l. de bapt. c. 16. quæſivit quare aperto Chriſti latere in cruce, cum ſanguine exiverit aqua, ſubtiliter reſpondet, *ut qui ſanguinem crederent, aqua lavarentur, & qui aqua ſe laviſſent, etiam ſanguinem potarent*. O ineffabilem amorem Jeſu; ex amore infinito non tantum in cruce pro nobis ſanguinem effundere voluit in precium; ſed in Euchariſtia voluit eundem eſſe potum noſtrum, in augmentum gratiæ &c. ſed in cruce cum ſanguine effudit aquam, ut ante potum ſanguinis prius in illa lavemur, & abluamur, ut eundem ſumamus digne. Ferculum puritatis eſt angelicus hic cibus.

§. 5. Varia figura ex V. T.

Iſa. 1. v. 16.

Quanta mundities in nobis requiratur, dum cœleſti huic menſæ accumbere volumus, Sancta Romana Eccleſia nobis oſtendere voluit, dum ſtatuit ut antequā ſacerdos conſecret vinum, & illud convertat in ſang. Chriſti, infundat aliquot guttulas aquæ, quæ quotidie (ſi ſa. riſtani ſint diligentes) ex fonte recenter hauritur, ut ſit pura & munda. Putavi hactenus cum multis, præcipuam cauſam eſſe, ut in tremendo hoc ſacrificio memores ſimus illi' aquæ quæ ex aperto latere Chriſti cum ſanguine effluxit. & bene! Putavi, illa mixtione modicæ aquæ cum vino repræſentari nobis admirabilem illam unionem, quæ in ſumtione Euchar. fit inter nos & Chriſtū Salv. bene & pie. Putavi hactenus per paucas guttulas aquæ nobis poni ob oculos noſtrā vilitatem: in copia vini reſpectu aquæ illius, cujus ſang. bibimus immenſitatē, præclarè!

§. 6. Cur in ſacrificio miſſæ, vino miſceatur aqua, cum inſigni loco ex Cant.

Didici his diebus, Eccleſiam hoc fieri præcepiſſe, ut modica ſed pura, munda & viva aqua memores nos reddat puritatis, quæ ad ſumptionem Euchariſtiæ in nobis requiritur; quomodo hoc præſtat aqua? advertetis ex ſubtiliſſimis quibuſdam verbis ſponſi dum ait. *Fons hortorum puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de libano.* Nyſſenus per fontem intelligit animam juſti. Puteum Rich. à S. Vict. ait eſſe Auguſtiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum puteum profundum & admirandum, qui divinis & viventibus ſcatet aquis, qui infinitis gratiarum rivulis, ut alias oſtendi exundat, ſed *de libano fluxerunt aquæ iſtæ* (inquit) *id eſt, de CHRISTO quando ſpiritus ſanctus tanquam torrens diſcipulis influxit, & ſuavi eos ubertate donorum inebriavit. Et quando Chriſto in cæna benedicente panem ſacramentum Euchariſtiæ cæpit &c.* ſic hæc verba intelligo; de libano, de corde Chriſti, fluxerunt aquæ iſtæ, cum inſtituit ſanctiſſimam Euchariſtiam. Sed quid inde, quod anima ſit fons, quod Chriſtus in Euchariſtia puteus? & quid eſt myſterii, quod anima communicans vocatur fons, Chriſtus verò, qui ſumitur puteus. Ex modo literali loquendi, quem ſponſus obſervat, minus videtur eſſe fons, quàm puteus, ut ſenſus ſit in candidiſſimo monte libano, varii oriuntur cryſtallini & pulcerrimi fonticuli, atque ſcaturigines, quæ paulatim per diverſos rivulos & canales congregantur in uno puteo magno, ex quo deinde magno impetu de libano præcipitantur illæ aquæ in ſubjectas valles.

Cant. 4. v. 15.

§. 7. *Cur anima communicantis dicatur fons; Euchariſtia puteus.*

Jam cauſam advertite, cur communicantis animus vocetur fons, Euchariſtia puteus aquarum viventium; nimirum, quia ille, qui ſumendo Euchariſtiam, quaſi vult immergi puteo gratiarum, & miſceri cum aquis viventibus cum carne & ſanguine Chriſti, qui quaſi vult uniri & copulari cum aqua vitæ, cum Chriſto; ſicut in calice cum vino miſcentur & uniuntur, paucæ guttæ aquæ, fons debet eſſe, ſcaturigo debet eſſe, ſed viva, limpida, pura, cryſtallina. Talis fons, talis aqua ſuaviter delabitur in puteum Euchariſticum. in hoc, talis fons, talis aqua, talis anima pura ut cryſtallus; viva, ut aqua vivens,

Digitized by Google

vivens, pura ut aqua aliqua in ipſa ſcaturigine, ex vivo ſaxo, miſcetur cum ſanguine Chriſti. Si pura non eſt, ſi eſt lutoſa, & arenoſa, ſi eſt verminoſa, nunquam unietur cum aquis putei aquarum viventium. Clare. Animus ſumentis Euchariſtiam, non debet eſſe maculatus ſordibus peccati, ſed purus. Si talis ſit, & optato curſu in Euchariſticum puteum ſe immerſerit per actualem ejus ſuſceptionem; in aquas illas divinas ſub ſpeciebus latentes, miſcebitur, immutabitur, transformabitur, & mundabitur adhuc magis; & hæc eſt altera cauſa, ob quam initio ſacroſ. Euchariſtiam vocavi, ferculum puritatis. Cum magna puritate debet ſumi, & ſic nos purificat magis.

Quod per jucundam quæſtionem declarat Zacharias. *Quid bonum ejus, & quid pulcrum ejus? niſi frumentum Electorum.* Reſpondet illi Paſchaſius l. de corp. & ſang. Dom. c. 2. *Pulcrum ejus eſt corpus, ex quo jam ſpecioſa per lavacrum* (per ſacramentum bapt. & pœnitentiæ) *amplius pulcreſcit, ut candore lilii, & rubore ſanguinis in hoc myſterio decoretur.* lilii candor, hoc eſt, caro & ſanctiſ. Humanitas Chriſti, & purpura roſæ ejuſdem ſanguis, mirum quantum venuſtent animas noſtras, ut communicare nihil aliud ſit, quàm ornare faciẽ ſuam pulcerrimis coloribus gratiæ & virtutum. Similitudo hæc rem apte explicabit. Cum fœminæ faciem ſtibio aut alio venuſto colore volunt pingere, ut frons præ ſe ferat candorem lilii, genæ verò purpuram roſarum aut coralli, prius eandem abluunt munda & frigida aqua, ut ſic applicati colores fortius hæreant; his mediis venuſtæ fœminæ venuſtatem reddere venuſtiorem laborant. Et quid pulcrum in anima alicujus juſti? quo modo hæc reddi poteſt formoſior? hoc fiat poſtquam lota eſt ſalutaribus aquis bapt. poſtquam lota eſt, viva & frigida aqua lacrymarum contritionis, ſumatur caro & ſanguis Chriſti. Sic jam ſpecioſa, pulcreſcit magis, candore lilii, per carnem Chriſti. pulcreſcit magis, purpura roſæ, per precioſum ejus ſanguinem. Per frumentum electorum generatur amor virginitatis, caſtitatis. Amor caſtus eſt fœcundæ

§. 8. *Sanguis Chriſti in Euchariſtia, animas noſtras facit puras & pulcras.* *Zach. 9. v. 17.*

cundæ

cunda Mater aliarum virtutum, quæ ſunt bonum & pulcrum animarum noſtrarum.

§ 9. *Sine puritate animæ, nihil in illa operatur Euchariſtia.* Certe ſine augmento puritatis cibus Euchariſticus ſuos effectus operari non poteſt, ait v.g. S. Auguſtinus l. de catech. rud. *Ama amorem illius, qui amore tui deſcendit in ſubſtantiam panis, & ibi amorem ſuum, amori tuo copulavit, humiliando ſe, ſublimando te: conjungendo lumen ſuæ æternitatis, limo tuæ mortalitatis.* ut hoc fiat, plane neceſſe eſt, ut hic limus, ut noſtra caro, ut corpora & animæ noſtræ ſint mundiſſimæ. dum enim quaſi penetrantur à puriſſimis radiis puriſſimi ſolis, & ipſæ irradiantur, fiuntque pulcerrimæ. Radii Euchariſtici ſunt bonum & pulcrum animarum noſtrarum, à frumento Electorum, à ferculo puritatis.

§. 10. *Alia ratio, ob quam ex latere Chriſti, cum ſanguine fluxit aqua.* S. Baſilius ait *Qui vult veram dilectionem prægustare; Chriſtum diſcat ſuaviter amare, quia Chriſtus amor eſt.* ubique ſed præcipue in Euchariſtia. Sed dulcis & ſuavis hic amor, conjungi non poteſt, cum amore carnali. nemo in ſuſceptione Euchariſtiæ guſtabit quam ſuavis ſit amor Chriſti, niſi ſit caſtus & purus. Ipſa origo & ſcaturigo prima ſanctiſſimi ſacram. Euchariſtiæ, nobis oſtendit; quod cibus ſit, qui & ipſe mundus & purus eſt, & mundos & puros requirit comeſtores, & tales facit. S. Paſchaſius inter varias rationes, propter quas aperto Chriſti latere in cruce effluxit aqua cum ſanguine, & hanc habet. Aqua ſignificat Eccleſiam quæ omnes populos complectitur, de quibus dicitur, *aquæ multæ, populi multi.* ut autem hi populi, & præcipue fideles participare poſſunt, & uniri ſanguini filii Dei, qui eſt in calice, neceſſarium fuit illos prius lavari; non quacunque aqua, ſed illa quæ ſcaturiit ex fonte puriſſimo, qualis fons eſt ipſum latus & cor puriſſimi Jeſu. In hoc fonte, in his aquis ablui & lavari debemus, antequam in communione miſceamur cum precioſo ſanguine filii Dei. Si aliquis ſacerdos vino conſecrando, & tranſſubſtantiando in ſanguinem Chriſti, infunderet aliquas guttas ex aliqua cloaca, quid diceretis; etſi hoc fiat cum puro vino? quid dicendum eſt de illis, qui iniquitatem bibunt ut

aquam

Digitized by Google

aquam & fœtidam ex ciſternis Ægypti, & tamen per communionem uniri volunt cum ſanguine Chriſti. Ferculum puritatis eſt SS. Euchariſtia puro & mundo corde ſumi debet, ut ab illo lilio, ab illa roſa pulcreſcamus adhuc magis.

§. 11. *Vnio inter animam & Chriſtum D. per hoc epulum fieri non poteſt, niſi illa munda ſit.*

Nyſſenus in c. 5. Cant. ait. *hic amoris ſummi & perfecti eſt ſtatus; quando amans plane vivit in amato* & ad hunc finem Chriſtus D. Euchar. inſtituit, ut non tantum per gratiam & amorem, ſed per admirabilem unionem in nobis vivat, ſic & permaneat, ut ipſe ait, *In me manet, & ego in eo.* hæc eſt intentio Chriſti, ut digne communicans dicere poſſit cum S. Paulo, *vivo jam non ego, vivit vero in me Chriſtus.* Cum Mater Darii Epheſtioni regium exhibuiſſet honorem putans illum eſſe Alexandrum, & propter hunc errorem, adveniente Alexandro, erubeſceret, ille dixit: *Non erraſti Mater, nam & hic Alexander eſt.* Ea fit unio in participatione Euchariſtiæ, ut dici poſſit, hic transformatus eſt in Chriſtum, eſt ſuo modo alter Chriſtus. Sed cogitate, an talis non debeat eſſe mundus, purus & immaculatus ab omni macula peccati in quo Chriſtus vult vivere & manere. Sumptio S. Euchariſtiæ mundos exigit, & per ipſam ſumptionem mundiores facit.

Ioan. 6. v. 57. *Galat. 2. v. 20.*

§. 12. *Chriſtus Crucifixus balſamum.*

De gratia Euchariſtica dici poteſt illud S. Ambr. *In ligno compunctus eſt lancea, & ex eo exivit ſanguis & aqua, omni unguento ſuavior, accepta Deo hoſtia, per totum mundum odorem ſanctificationis* (& puritatis in corde puro) *effundens, quaſi balſamum ex arbore,* gratia hæc ſanctificans & purificans, ſimul eſt fœcundans, ut anima formoſa corpore & ſanguine Chriſti, ut parturiat omnia opera bona. S. Drogo Ep. Hoſt. obſervavit ſcripturam dicere de Lia, quod deſierit parere, nihil tale dicens de formoſa Rachel, & cauſam addit: *Rachel juxta Bethleem ſubter ſilicem crucis ſuperpoſita eſt; nimirum ſedet ad pedes Ieſu ut de domo panis ſemper fœcunda pariat.* Si ſit Dominica congregationis poteris facere p. Epilogum de ſodalibus agoniæ.

cunda Mater aliarum virtutum, quæ ſunt bonum & pulcrum animarum noſtrarum.

§ 9. *Sine puritate animæ, nihil in illa operatur Euchariſtia.* Certe ſine augmento puritatis cibus Euchariſticus ſuos effectus operari non poteſt, ait v.g. S. Auguſtinus l. de catech. rud. *Ama amorem illius, qui amore tui deſcendit in ſubſtantiam panis, & ibi amorem ſuum, amori tuo copulavit, humiliando ſe, ſublimando te: conjungendo lumen ſuæ æternitatis, limo tuæ mortalitatis*, ut hoc fiat, plane neceſſe eſt, ut hic limus, ut noſtra caro, ut corpora & animæ noſtræ ſint mundiſſimæ, dum enim quaſi penetrantur à puriſſimis radiis puriſſimi ſolis, & ipſæ irradiantur, fiuntque pulcerrimæ. Radii Euchariſtici ſunt bonum & pulcrum animarum noſtrarum, à frumento Electorum, à ferculo puritatis.

§. 10. *Alia ratio, ob quam ex latere Chriſti, cum ſanguine fluxit aqua.* S. Baſilius ait *Qui vult veram dilectionem prægustare; Chriſtum diſcat ſuaviter amare, quia Chriſtus amor eſt.* ubique ſed præcipue in Euchariſtia. Sed dulcis & ſuavis hic amor, conjungi non poteſt, cum amore carnali. nemo in ſuſceptione Euchariſtiæ guſtabit quam ſuavis ſit amor Chriſti, niſi ſit caſtus & purus. Ipſa origo & ſcaturigo prima ſanctiſſimi ſacram. Euchariſtiæ, nobis oſtendit; quod cibus ſit, qui & ipſe mundus & purus eſt, & mundos & puros requirit comeſtores, & tales facit. S. Paſchaſius inter varias rationes, propter quas aperto Chriſti latere in cruce effluxit aqua cum ſanguine, & hanc habet. Aqua ſignificat Eccleſiam quæ omnes populos complectitur, de quibus dicitur, *aquæ multæ, populi multi.* ut autem hi populi, & præcipue fideles participare poſſunt, & uniri ſanguini filii Dei, qui eſt in calice, neceſſarium fuit illos prius lavari; non quacunque aqua, ſed illa quæ ſcaturiit ex fonte puriſſimo, qualis fons eſt ipſum latus & cor puriſſimi Jeſu. In hoc fonte, in his aquis ablui & lavari debemus, antequam in communione miſceamur cum precioſo ſanguine filii Dei. Si aliquis ſacerdos vino conſecrando, & tranſſubſtantiando in ſanguinem Chriſti, infunderet aliquas guttas ex aliqua cloaca, quid diceretis; etſi hoc fiat cum puro vino? quid dicendum eſt de illis, qui iniquitatem bibunt ut aquam

Digitized by Google

aquam & fœtidam ex ciſternis Ægypti, & tamen per communionem uniri volunt cum ſanguine Chriſti. Ferculum puritatis eſt SS. Euchariſtia puro & mundo corde ſumi debet, ut ab illo lilio, ab illa roſa pulcreſcamus adhuc magis.

§. 11. Vnio inter animam & Chriſtum D. per hoc epulum fieri non poteſt, niſi illa munda ſit.

Nyſſenus in c. 5. Cant. ait. *hic amoris ſummi & perfecti eſt ſtatus; quando amans plane vivit in amato* & ad hunc finem Chriſtus D. Euchar. inſtituit, ut non tantum per gratiam & amorem, ſed per admirabilem unionem in nobis vivat, ſic & permaneat, ut ipſe ait, *In me manet, & ego in eo.* hæc eſt intentio Chriſti, ut digne communicans dicere poſſit cum S. Paulo, *vivo jam non ego, vivit vero in me Chriſtus.* Cum Mater Darii Epheſtioni regium exhibuiſſet honorem putans illum eſſe Alexandrum, & propter hunc errorem, adveniente Alexandro, erubeſceret, ille dixit: *Non errasti Mater, nam & hic Alexander eſt.* Ea fit unio in participatione Euchariſtiæ, ut dici poſſit, hic transformatus eſt in Chriſtum, eſt ſuo modo alter Chriſtus. Sed cogitate, an talis non debeat eſſe mundus, purus & immaculatus ab omni macula peccati in quo Chriſtus vult vivere & manere. Sumptio S. Euchariſtiæ mundos exigit, & per ipſam ſumptionem mundiores facit.

Ioan. 6. v. 57. Galat. 2. v. 20.

§. 12. Chriſtus Crucifixus balſamum.

De gratia Euchariſtica dici poteſt illud S. Ambr. *In ligno compunctus eſt lancea, & ex eo exivit ſanguis & aqua, omni unguento ſuavior, accepta Deo hoſtia, per totum mundum odorem ſanctificationis* (& puritatis in corde puro) *effundens, quaſi balſamum ex arbore,* gratia hæc ſanctificans & purificans, ſimul eſt fœcundans, ut anima formoſa corpore & ſanguine Chriſti, ut parturiat omnia opera bona. S. Drogo Ep. Hoſt. obſervavit ſcripturam dicere de Lia, quod deſierit parere, nihil tale dicens de formoſa Rachel, & cauſam addit: *Rachel juxta Bethleem ſubter ſilicem crucis ſuperpoſita eſt; nimirum ſedet ad pedes Ieſu ut de domo panis ſemper fæcunda pariat.* Si ſit Dominica congregationis poteris facere p. Epilogum de ſodalibus agoniæ.

CONCIO XXXI.

DOMINICA II. POST SS. TRINITATEM.

Homo quidam fecit cœnam magnam.

Luc. 14. ℣. 16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit varias analogias, inter convivium Regis Aſſveri in nuptiis cum Eſthere, & Cœnam Euchariſticam; illud ab Aſſvero; hæc à Chriſto Domino fuit inſtituta, pro conjunctione, id eſt, ad procurandam unionem, illamque ſuavem, & dulcem, inter Chriſtum & animam.

§. 1. *Convivium Regis Aſſveri in nuptiis cum Eſthere, fuit figura SS. Euchariſtiæ.*

§. 2. *Proſecutio.*

§. 3. *Aſſverus præparavit convivium, pro conjunctione cum Eſther; Chriſtus D. pro conjunctione cum Eccleſia, inſtituit Euchariſtiam.*

§. 4. *Hanc conjunctionem procuravit Chriſtus D. tribus efficacibus mediis. 1. Oratione.*

§. 5. *2. Ardenti exhortatione ad Apoſtolos.*

§. 6. *3. Inſtitutione SS. Euchariſtiæ.*

§. 7. *Cur in cruce ex latere Chriſti, cum ſanguine effluxerit aqua.*

§. 8. *Proſecutio.*

§. 9. *Cur in morbis & in agone debeamus eſſe ſolliciti de viatico.*

§. 10. *Cur Chriſtus D. Euchariſtiam inſtituerit ſub ſpeciebus panis.*

§. 11. *SS. Euchariſtia eſt nobis precium Redemptionis, & poculum.*

§. 12. *SS. Euchariſtia eſt vinum lacteum, quale hoſpitibus in convivio Aſſveri fuit propinatum.*

§. 13. *Vn-*

§.13. *Vnde tanta SS. Euchariſtiæ dulcedo.* | §.14. *Chriſtus D. in Euchariſtia nos paſcit liliis.*

INter circumſtantias grandis & magnifici illius convivii, quod Rex Aſſverus fecit Principibus ſuis, ſacer textus in lib. Eſther, hujus quoque meminit, quod tum illud inſtituerit, cùm repudiata Vaſthi, Eſtherem accepit in conjugem & Reginam. Quod Chriſto Domino pulcre applicat Hugo de S. Victore l.9. Alleg. cap.1. *Igitur iſta eſt veritas, quod quando Rex noſter Chriſtus fidelibus ſuis magnum convivium fecit; & utique fuit, quando ſe ipſum in Sacracramento Altaris edendum dedit: tunc uxor ſua ſynagoga venire renuit--ideo deponenda & relinquenda condemnatur; & alia ſubſtituenda, ſcilicet, Eccleſia, de gentibus loco illius judicatur.* Umbra fuit convivium Aſſveri, in quo reprobatur Vaſthi, Eſther aſſumitur. Veritas autem eſt, quod Chriſtus D. relicta ſynagoga, adultera, aliam ſibi aſſumpſerit ſponſam; Convivium verò illud voluit Aſſverus eſſe grande, ut novæ Reginæ *oſtenderet divitias gloriæ regni ſui; ac magnitudinem atque jactantiam potentiæ ſuæ.* Pari ratione Chriſtus D. fecit magnificum Euchariſtiæ convivium, ut in illo ſuæ Eſtheri ſive eccleſiæ oſtendat gloriæ & potentiæ ſuæ magnitudinem. Eo ipſo quod credimus Chriſtum in euchariſtia nobis dare corpus & ſanguinem ſuum, in cibum & potum, neceſſum eſt nos credere, hoc eſſe opus infinitæ ejus omnipotentiæ. Præterea neceſſe eſt, (D.Dion. Areop. apud Turrian. tr.2. de euch.cap.17.) *ut qui in horum myſteriorum participatione, magnificentiam eorum, & divinam amplitudinem ſanctè contemplantur, ſi divinæ beneficentiæ celſiſſima dona, grata memoria laudibus, concelebrent, & agnoſcant, quod Rex noſter Chriſtus D. nobis fecerit cœnam magnam; in qua nobis oſtendit* (D.Germ. Conſt.) *eximias divitias bonitatis & clementiæ ſuæ.*

§.1. Convivium Regis Aſſveri in nuptiis cum Eſthere, fuit figura cœnæ Euchariſticæ.

Eſth.1.v.4.

Aliam adhuc addit cauſam ſacer textus, ob quam regium hoc convivium fuit inſtitutum, quia *Adamavit eam Rex plus, quàm omnes mulieres, habuitque gratiam & miſericordiam*

§.2. Proſecutio.

coram eo-& poſuit diadema regni, in capite ejus, fecitque eam regnare in loco Vaſthi. Et juſſit convivium præparari &c. Pari ratione (ſunt verba Concilii Tridentini ſeſſ.13. cap.2.) *Salvator noſter diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem, ſacramentum hoc inſtituit, in quo divitias divini ſui erga homines amoris effudit.* Iterum ait citatum caput Eſtheris. *Iuſſit convivium præparari permagnificum--pro conjunctione & nuptiis Eſther.* Magnificentiorem longe cœnam inſtituit Rex noſter Chriſtus, ut ſponſam ſibi deſponſatam, perfectiſſimo modo uniret, inſtituendo ſcilicet, ſacramentum corporis & ſanguinis ſui. Puto vos ex exordio meo ſatis advertere, quod cum plurimis ſanctis Patribus per Evang. magnam cœnam, intelligam hodie ſanctiſ. Euchariſtiam; cum in illa potentia tam magna, divitiæ tam magnæ, amor tam magnus &c. exhibeantur, merito illam cœnam magnam appellare poſſumus. Sentietis mecum adhuc magis, cum alias cœnæ hujus circumſtantias, vobis propoſuero, quod jam jam facio.

§.2. *Aſſverus præparavit convivium pro conjunctione cum Eſther, Chriſtus D. pro conjunctione cum Eccleſia inſtituit Euchariſtiam.*

In paulo ante citatis verbis; *Iuſſit convivium præparari pro conjunctione, & nuptiis Eſther*, latet una ex præcipuis cauſis, ob quas Chriſtus D. diſceſſurus ex hoc mundo, in exordio ſuæ paſſionis inſtituerit SS. Euchariſtiam. Quo titulo, illam exoptatiſſimam diem mortis ſuæ, pro ſuæ, pro ſuæ ſponſa, pro genere humano cõpellarit, ſcimus ex Cant. ubi ſponſa ait, *Egredimini filiæ Sion, videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum Mater ſua, in die deſponſationis ſuæ.* Piiſſimi interpretes ſuper Cantica, per hoc diadema, intelligunt Spineam coronam; ſed quid ſpinis, cum nuptiis? roſæ, lilia, & amœni flores ſolẽt coronare ſponſas & ſponſos? acute reſpondet Theo-

Cant.3.11. doret. *Per ſpinas ſuſcepit diadema caritatis.* i.e. per ſpinas, oſtendere voluit, quantum nos amaret, pro quibus *ſponte ignominiam pertulit, atq; ultro ad mortis cruciatus acceſſit.* & ob amoris ardorem, *dum deſponſationis ſuæ illam diẽ vocavit, & diem lætitiæ cordis ejus. Tunc enim nuptiarũ conjunctio facta eſt.* Verum hanc conjunctionem, hanc deſponſationem, has nuptias noluit fieri, ſine grandi convivio, ideoque poſt cœnam inquit, *Hoc eſt*

Matt. 26. v. 27.

corpus

corpus meum. Hic eſt calix ſanguinis mei; quibus verbis inſtituit SS. Euchariſtiam, ut tam exoptatis nuptiis, ut die tantæ caritatis, & tantæ lætitiæ, non deeſſet permagnificum convivium.

Marc. 14. v. 23. Luc. 22. v. 19.

§. 4. *Hanc conjunctionem procuravit Chriſtus D. tribus efficacibus mediis. 1. Oratione.*

Hanc conjunctionem & deſponſationem, explicant illa verba Chriſti, ſive ardens ejus deſiderium Joan. 17. cap. ut *credituri omnes unum ſint, ſicut tu, Pater, in me, & ego in te ut & ipſi in nobis unum ſint.* Hoc fuit deſiderium Chriſti, ſed attendite ulterius, quæ media adhibuerit, ut deſiderio illi, de perfectiſſima unione inter ſponſum & ſponſam, inter Chriſtum & nos, fieret ſatis. Primum medium fuit ardentiſſima oratio ad cœleſtem Patrem; nam, *ſublevatis oculis in cœlum dixit, Pater venit hora, clarifica Filium tuum; manifeſtavi nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi. Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, ſed pro his quos dediſti mihi, quia tui ſunt Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, ut ſint unum, ſicut nos.. -Sanctifica eos, Pater, ut ſint ſanctificati-* repetit, bis, ter, quater, *ut omnes unum ſint ſicut tu Pater in me, & ego in te, & ipſi in nobis unum ſint.--Pater, quos dediſti mihi, volo ut ubi ego ſum, & illi ſint mecum. Pater juſte,-ego notum faciam, ut dilectio, qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis.* An non ardentiſſima hæc fuit oratio, qua Chriſtus Salvator noſter, à Patre cœleſti, veluti ingentem gratiam petiit, ſanctam unionem, conjunctionem, deſponſationem, nuptias, inter ſe & nos.

Ioan. 17. v. 1. uſque ad ult.

§. 5. *2. Ardenti exhortatione ad Apoſtolos.*

Orationi ad Patrem, addidit ferventiſſimam exhortationem ad Apoſtolos, & omnes credituros, circa hanc dilectionem & unionem. Dum ait S. Joannis 15. *Ego ſum vitis vera, vos palmites--manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes, non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos, niſi in me manſeritis. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, -ſi quis in me non manſerit, mittetur foras, ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & mittent in ignem, & ardet. Si manſeritis in me,-- fructum plurimum afferetis. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos, manete in dilectione*

Ioan. 15. v. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

 mea,

mea, hæc locutus ſum vobis, ut gaudium meum in vobis ſit, & gaudium veſtrum impleatur. Mihi non occurrunt verba, quibus Chriſtus D. clarius, affectuoſius, & ardentius potuerit nos adhortari, ut conemur, per dilectionem & caritatem eſſe unum cum illo; ut, quandoq. ſemel in die Paſſionis, per ſanguinem ſuum nobis fuit deſponſatus, & conjunctus, maneamus in ejus dilectione.

§.6. *3. Inſtitutione SS. Euchariſtia.*

Verum, cum merito quis quærere potuiſſet, Magiſter, quomodo fieri poterit, ut qui adeo ſunt diſſiti, & ſeparati inter ſe, & multo magis inter ſe, & te, & patrem tuum, ut Deus & creatura ita poſſint conjungi, & inter ſe uniri, tertium excogitavit medium, procurandi illam unionem, ſcilicet, inſtituendo cœnam magnam, ſive permagnificum, & regium Convivium ſacroſanctæ Euchariſtiæ prout advertit D. Cyrillus Alexandr. l.11. in Joan. cap.26. *Vt igitur inter Deum, & nos, ſingulos uniret, quamvis corpore & anima diſtemus modum tamen adinvenit, conſilio Patris, & ſapientiæ ſuæ congruentem: ſuo enim corpore, credentes, per communionem myſticam benedicens, & ſecum, & inter nos, unum nos corpus effecit. Nam ſi omnes unum panem manducamus, unum omnes corpus efficimur: dividi enim atque ſejungi Chriſtus non patitur.*

§.7. *Cur in cruce ex latere Chriſti, cum ſanguine fluxerit aqua. Ioan.19. v. 35.*

Agit hoc Chriſti D. erga nos infinitus amor, ut quibus per cibum corporis, & potum ſanguinis ſui, ſe immiſcuit, & adunavit, nolit unquam disjungi, & ſeparari. Aperto Chriſti latere in cruce *continuo exivit ſanguis & aqua.* Sentio cum illis SS. Patribus, qui putant in hoc ſanguine exeunte è Chriſti latere & corde, oſtendi epulum euchariſticum, ſed mox occurrit hoc dubium, cur ſanguis repræſentans hoc ſanctiſſimum ſacramentum, ex eodem latere, & corde, ſecum adduxerit aquam, in qua, frequentiſſime in ſacris literis ſolent ſignificari gentes & populi; cui dubio illi interpretes ſatisfaciunt, qui dicunt, myſterium hujus unionis inter ſanguinem & aquam, ponere nobis ob oculos illam unionem, quam Chriſtus quærit in SS. Euchariſtia inter ſe & nos. Quo ſpectans eccleſia, in conficiendo ſanguinis divini calice, vino aquam

aquam admiſcet, qua cæremonia docemur, Chriſtum D. in ſumptione ſui ſanguinis ita nos, qui aqua ſumus, velle adunari, ut cum illo non ſimus disjuncti, ſed conjuncti. D. Cyprianus ep.63. *Quando in calice, vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur; & credentium plebs ei in quem credidit copulatur & conjungitur. Quæ copulatio aquæ, & vini ſic miſcetur, in calice Domini, ut commixtio illa non poſſit ab invicem ſeparari; Vnde plebem in Eccleſia conſtitutam, fideliter & firmiter in eo, quod credidit, perſeverantem, nulla res ſeparare poterit à Chriſto.* Paravit quidem Dominus cænam, ſive convivium hoc euchariſtiæ, pro nuptiis, pro conjunctione, pro deſponſatione, ut mediante illo, quantum eſt ex ſe homines ſibi inſeparabiliter adjunjungat.

Necdum abſolvi inchoatum diſcurſum ſuper cit. verſ. 35. c.19. S. Joan. *Continuo, exivit ſanguis & aqua.* Ait enim Paſchaſius lib. de corp. & ſang. Domini cap. 11. *In Apocalypſi angelus aquas populos interpretatur. Et ideo rectè proviſum eſt; quia ſimul cum ſanguine fluxit, ut hoc in myſterio veri ſanguinis admiſceatur, quatenus & nos in illo ſimus, ut per hoc ſalutis ſacramentum, divinis obtutibus, illico uniti, myſtice offeramur.* Eo ſiquidem ſpectat cibus euchariſticus, ut homines per illum ſemper inveniantur uniti Chriſto, & ſic grati ſint in oculis Dei. Huc pertinet quod ait Salomon. *Sapientia ædificavit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, immolavit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam.* Idem enim Paſchaſius ait ſup. c. 21. *Invenimus in Salomone, quod ſapientia miſcuerit vinum ſuum, quod ſane vinum eſt illud, quod refunditur ad altare.* (pulcre refunditur, quod fit, quoties Sacerdos in altari conſecrat calicem ſanguinis Chriſti; ſanguis ille ſemel realiter effuſus in monte Calvariæ, in altari S. Crucis, myſtice in domo ſapientiæ, in Eccleſia quotidie, millies refunditur.) *Ideo fit ut ſanguis Chriſti, inde pro noſtris exhauriendis quotidie peccatis, rurſus in precium ſumatur redemptionis:* (ecce unum nobiliſſimum finem inſtitutæ Euchariſtiæ: ecce, & alterum) *ut interior homo noſter, per hoc plenius innovetur, & conjungatur*

5. 8. *Proſecutio.*

Prov. 9. v. 1. 2.

tur Chriſto; non modo moribus & vita, verum etiam, & unitate naturæ per corpus, ut hinc inde in illius forma inveniamur. Habemus, ab infinito Chriſti erga nos amore, ut admirabili, ſed veriſſimo modo illi uniamur.

§. 9. *Cur in morbu & in agone, de viatico debeamus eſſe ſolliciti.* *Exod. 12. v. 9.*

Addit hic Algerus l. 1. de ſacram. c. 22. pulcerrimam ſententiam, quæ nos monet, ut dum moriendum nobis eſt, de cœleſti hoc cibo, veluti viatico ſimus ſolliciti. *Comedamus agnum cum lactucis agreſtibus id eſt amara compunctione plenis* (per ſacramentum pœnitentiæ,) *eſt enim phaſe, id eſt, tranſitus Domini; quo ex hoc mundo tranſivit ad Patrem. Cum enim corpus Chriſti ſuſceperimus & corpus ejus facti fuerimus* (propone hæc verba cum magna emphaſi) *tranſibit ipſe in nobis ad Patrem; tranſibimus & nos in illo; ut cum illo, in tanti tranſitus labore, unum facti, unum ſemper ſimus, in perventionis gaudio.* Qui felicem tranſitum de mundo ad Patrem, ſive, ſanctam mortem ſperat, hoc debet curare, ut frequenter, præcipuè in hora mortis, per SS. Sacramentum Euchariſtiæ, comedat corpus, & bibat ſanguinem Chriſti, ut unum facti cum illo perveniamus ad Patrem.

§. 10. *Cur Chriſtus D. SS. Euchariſtiam inſtituerit ſub ſpeciebus panis.* *Ioan. 6. v. 59.*

Idem myſterium unionis, inter Chriſtum & hominem, mediante Euchariſtia, quam Chriſti ſanguis, mixtus aquæ nobis repræſentat, etiam oſtendit panis, de quo ipſe Chriſtus D. ait. *Hic eſt panis, qui de cælo deſcendit.* Et cur ſub ſpecie panis de cœlo venientis proponitur diviniſſimus cibus, niſi ut nobis arctiſſimam unionem intimet; D. Hilarius Arelat. hom. 5. de Paſcha. *Sicut ergo ſeparari grana, ab illius confecti panis adunatione non poſſunt, & ſicut aqua ad propriam redire ſubſtantiam vino permixta jam non poteſt; ſic & fideles redempti ſanguine Chriſti, & Paſſione ſe agnoſcunt; ita debent quaſi inſeparabilia membra capiti ſuo, fidei conſervatione, & ardentiſſima religione ſociari; ut ab eo non voluntate, non neceſſitate ſejungi, non ulla terrenæ ſpei ambitione, non denique ipſa poſſint morte divelli.* Totus, quantus eſt panis ille cœleſtis, unitatem halat, ut non ſeparemur à Chriſto, ut membra à capite ſuo.

§. 11. *SS. Eucha-*

Hactenus dicta, de cauſis primariis, ob quas Chriſtus D. SS. Eu-

SS. Euchariſtiam inſtituit, paucis verbis comprehendit D. *riſtia eſt*
Leo ſer. 11. de paſſ. *Fudit ſanguinẽ juſtum, qui reconciliando mun-* *nobis pre-* *cium Re-*
do precium eſſet, & poculum. Clarius Paſchaſius lib. de corp. & *demptionis,*
ſang. Domini c. 10. *hoc pane, hoc poculo hinc lætificamur ſpiritua-* *& Pocu-*
li lætitia ad gaudium: hinc verò redimimur de morte ad vitam; *lum.*
& precio ſalutis noſtræ ſaginamnr. id eſt, cibo Euchariſtico,
quo ſpiritualiter nutrimur ad vitam, quo Chriſto unimur, ſi-
mul ſalutis noſtræ precium recipimus. S. Joannes ait. *Continuo* *Ioan. 19. v.*
exivit ſanguis & aqua, Paſch. ſupra c. 11. *Quod tunc de carne flu-* *35.*
xit, hoc nunc credentes in calice bibunt. Caro quidem datur in ci-
bum, ſanguis & aqua vero in potum. Julius Firmicus. *Chriſti im-*
mortalem ſanguinem bibimus noſtro ſanguini, Chriſti ſanguis ad-
junctus eſt, ut quod ſimul de latere manavit, hoc totum noſter homo,
his duobus renovatus bibat, ut ſi quam maculam poſt fontem traxit
habeat in hoc undam veniæ, qua diluatur; & precium ſuæ redem-
ptionis, quo unuſquiſque redemptus de die in diem rurſus renove-
tur; hanc ablutionem, veniam, redemptionem, refectionem,
innovationem, ſequitur neceſſario, unio, conjunctio, deſpon-
ſatio cum Chriſto.

Non ſine ineffabili dulcedine; quæ enim liber Eſther *§. 12.*
commendat in convivio Aſſveri, eadem reperies in cœna Eu- *SS. Eucha-* *riſtia eſt*
chariſtica, ait textus cit. datum fuiſſe hoſpitibus - *Vinum quoq;* *vinum la-*
quod magnificentia regia dignum erat, ubi LXX. legunt, *Vinum* *cteum, qua-* *le hoſpiti-*
multum & ſuave, quod ipſe Rex bibebat. Quod vinum ſuave putat *bus fuit*
Serrarius q. 14. fuiſſe vinum Chalibonium, hebraice dictũ *Che-* *propoſitum*
leb, id eſt, lacteum: ea enim erat ſuavitate, quæ lactis dulce- *in convi-* *vio Aſſve-*
dinem, & pinguedinem referret. Et ita Aſſverus exhibuit *ri.*
convivium, in quo vina lactis induerunt dulcedinem. Sed co-
gitemus, multò ſuavius convivium à Chriſto D. inſtitutum eſ-
ſe in horto ſuæ Eccleſiæ, in quo potus propinatur dulciſſi-
mus; Ad quem Iſaias omnes invitat, *Omnes ſitientes, venite* *Iſ. 55. v. 1.*
ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite & co-
medite. Venite, emite abſque argento, & abſque ulla commuta-
tione, vinum & lac. Ad aquas invitat, & ecce ſtatim offert vi-
num, & lac: nimirum vinum adeo ſuave, ut lactis referat pu-
ritatem & ſuavitatem. Et unde aquæ, ſubito commutatæ

Digitized by Google

fuerunt in lacteum vinum? niſi à corpore & ſanguine Chriſti, ſive Euchariſtica menſa, quæ inter nos & Chriſtum ſuaviſſimam generat unionem.

§. 13. *Vnde tanta SS. Euchariſtiæ dulcedo.* *Gen. 2. v. 10.* Rupertus rem explicat hoc ſimili in Gen. dicitur, *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradiſum, qui inde dividitur in quatuor capita.* Originem hujus fluvii putant interpretes fuiſſe mare, de quo certum eſt, quod fuerit ſalſum & amarum, unde ergo aquæ iſtius fluvii factæ ſunt dulces? Reſpondet cit. Auctor, l. 2. c. 29. *In hoc miram terræ paradiſiacæ commendare intendit dulcedinem: quia videlicet aquarum natura ſalſa eſt, nec potui habilis, ſicut mare in ſemetipſo oſtendit. Aſcendens autem de abyſſo in illam quaſi terræ mammam, id eſt, Paradiſi fontem, quodam modo lacteam aſſumit dulcedinem.* Idem plane de Euchariſtico cibo & potu dicendum eſt. Ex fonte paradiſi, ex pectore & corde Chriſti, ab ejus carne & ſanguine ineffabilem trahunt dulcedinem & ſuavitatem; dum regia mamilla lactamur, dum comedimus carnem Chriſti, & bibimus ſanguinem ejus. Cyrillus Alexandr. in c. 6. Iſ. *Deliciæ* nobis *Chriſtus, panis vivus; nutrit enim nos carne propria, &c.* S. Paulus ait; *Deſpondi enim vos uni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto.* *2. Cor. 11. v. 2.* Paſch. l. de corp. & ſang. Domini cap. 21. *Iure omnis Eccleſia Chriſti Virgo nominatur; quia iſto repleta vino, nullum præter Chriſtum amare novit, nullum eſurire alium, nullumq; ſitire, quoniam ſummum ejus bonum Chriſtus eſt, & ſumma pulcritudo:* per quam, ſumentes Euchariſtiam, illi redduntur ſimillimi.

§. 14. *Chriſtus D. in Euchariſtia nos paſcit liliis.* *Cant. 6. v. 2.* Quod ſponſa innuere voluit. 6. Cant. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui paſcitur inter lilia,* Græce legitur, *meus eſt cognatus meus, & ipſius ego ſum, qui paſcit inter lilia.* Dicitur dilectus noſter Filius Dei, & paſci ipſe, & paſcere gregem ſuum, ut ipſe comedat lilia, & ſimul ſuis lilia comedenda offerat; D. Nycænus hom. 15. in Cant. *Itaque propterea gregem ſuam in prata liliorum ducit, qui paſcit in liliis, ut ſplendor Domini Dei noſtri nobis contingat; nam quod alitur, omnino ad ejus ſpeciem comparatur, quo veſcitur.* Veſcimur Chriſto, neceſſe itaque

Digitized by Google

itaque eſt, ut ad ipſius ſpeciem comparemur, reddamurque illi quam ſimillimi. Deſponſatio, conjunctio, unio cum Chriſto per cibum Euchariſticum hunc quoque ſimilitudinem neceſſario ſecum trahunt. Paſcimur liliis, ut ſimus lilia. Paſchaſius lib. cit. cap. 1. *Caro verbi fit eſca in hoc myſterio ut nos per eam transformemur in Chriſto.*

Si hanc concionem velis dilatare, vide pulcra dicta SS. Patrum in Viridario P. Buſæi.

CONCIO XXXII.

DOMINICA III. POST SS. TRINITATEM.

Murmuraverunt Phariſæi & ſcribæ, dicentes: quia hic peccatores recipit.

Luc. 15. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

ITerum agit de immenſa & infinita Dei, & Chriſti D. miſericordia, erga peccatores.

§. 1. *Quare Deus Opt. Max. non creaverit hominem impeccabilem.*

§. 2. *Colloquium Dei cum Iona, quam juſte pepercerit Ninivitis.*

§. 3. *Infinita Dei miſericordia in hoc maximè elucet, quod parcat impiis.*

§. 4. *Colloquium Chriſti cum Phariſæis, ut illis oſtendat, quod bene faciat, quærendo peccatores.*

§. 5. *Prophetæ Vet. Teſtamenti, ſæpius petiverunt vindictam ſuper peccatores.*

§. 6. *Proſecutio.*

§. 7. *Nihilominus pœnitentibus pepercit Dominus.*

§. 8. *Digreſſio ad tempus præſens,*

ſens, quo DEVS *punit peſte.*

§. 9. *Pia digreſſio ad primum verbum à Chriſto in cruce prolatum.*

§. 10. *Quare peccatores adhæſerint Chriſto D. dum viveret in terris.*

§. 11. *Converſio peccatoris cur cauſet gaudium.*

§. I. *Quare Deus O. M. non creavit hominem impeccabilem.*

CUrioſa quæſtio eſt, quare Deus hominem, quem ex infinita caritate ex nihilo produxit, quem creavit ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ut erga eum apponeret cor ſuum, &c. quare non creaverit impeccabilem. Artifex tam artificioſus omniſcius, omnipotens, bonus, quare vas tam nobile, quale eſt homo, non ita formavit, ut maculari, ut frangi non poſſet. *quare vas fecit, non adamantinum, ſed ad omnem tactum fictile atque fragile.* S. Auguſtinus. Quod potuerit facere, dubium non eſt; fuit tale vas, Beata Virgo, fuerunt talia vaſa Apoſtoli, poſtquam repleti fuerunt in Pentecoſte Spiritu Sancto; rimari, quare univerſaliter non fecerit, ſed potius permiſerit, ſtatim primum hominem labi in peccatum, cum tota poſteritate, temerarium eſt. A Deo quærere non licet, quare ſic vel ſic rem fecerit. S. Aug. *Ratio factorum, eſt Dei voluntas ipſius facientis.* Si tamen cum reverentia & debita ſubmiſſione de quæſtione hac diſcurrere velimus, puto bene reſpondiſſe S. Hieron. Deum non creaſſe hominem impeccabilem; ſed permiſiſſe ut actu laberetur in peccatum; ut miſero, miſerabili miſericordiam ſuam exhibere potuiſſet: ut Filio Dei præberetur occaſio demonſtrandi, quantum amaret, non tantum homines, ſed etiam homines peccatores; Lapſus Adami fuit occaſio, quod filius Dei factus ſit homo &c. Inter reliquas cauſas, ob quas nobiſcum in terris fuit converſatus, hæc fuit, ut ſuaviter ageret cum peccatoribus, ut illos reciperet: id quod Phariſæis & ſcribis valde diſplicuit; contra quod murmurarunt. Sed quam bene in hoc fecerit Chriſtus Dominus, quam juſtas habuerit cauſas, & quam immenſa ſit ejus caritas, bonitas & miſericordia erga peccatores, hac concione fuſius oſten-

Digitized by Google

oſtendam; illo fine ut & nos appropinquemus Jeſu, fiamuſque participes tantæ caritatis & ſuaviſſimæ familiaritatis.

Poſtquam Jonas in civitate Ninive prædicaſſet pœnitentiam; nec fruſtra; crediderunt enim Ninivitæ, & cum rege ſuo converſi ſunt ad Deum, averſi ab iniquitate ſua jejunantes, orantes tanto dolore, tam amaris lacrymis; ut Deus viderit opera eorum, & miſertus ſit illorum, & ſuper malitiam, quam locutus fuerat ut faceret eis, & non fecerit; tum inquam, *afflictus eſt Ionas afflictione magna, & iratus eſt; ut dixerit Domine, propterea fugi, ideo nolui ire in Ninive, ut illis minarer, adhuc 40. dies &c. Scio enim quia tu Deus clemens & miſericors es, patiens & multæ miſerationis, & ignoſcens ſuper malitia. Et nunc Domine tolle quaſò animam meam à me, quia melior eſt mihi mors quam vita.* Et egreſſus de civitate, ſedit contra Orientem civitatis, & fecit ſibi umbraculum ibi, & ſedebat ſubter illud in umbra, donec videret quid accideret civitati; an forte adhuc Deus ſuper illam pluiturus eſſet ignes de cœlo; an abſorbenda foret urbs impia hiatu terræ. Ut Deus oſtenderet Jonæ, quam immerito iraſceretur, præparavit hederam, quæ ornavit erectum umbraculum, ut lætatus fuerit Jonas ſuper hèdera, lætitia magna. Sed ſequenti ſtatim nocte etiam Deus præparavit vermem, quæ in aurora percuſſit hederam & exaruit: cumque Jonas ureretur à Sole, ut iterum peteret mori, dixit illi Dominus, *Putaſne, bene iraſceris tu ſuper hedera*, & dixit *bene iraſcor ego uſque ad mortem* q. d. nunquid bene doleo, tam ſubito exciſam hederam tam amœnam &c. & reſp. Dominus: *Tu doles ſuper hederam, in qua non laboraſti, neque feciſti ut creſceret, quæ ſub una nocte nata eſt, & ſub una nocte periit, & ego non parcam Ninive civitati magnæ, in qua ſunt plus quam centum viginti millium, qui neſciunt, quid ſit inter dexteram & ſiniſtram ſuam.*

§. 2. Colloquium Dei cum Iona; quam juſte pepercerit Ninivitis.

Iona 4. v. 1. 2.

v. 9.

v. 10.

Hoc colloquium Dei cum Jona, tanta dulcedine plena cum conſideravit S. Thom. de Villa Nova ſerm. 4. poſt

vicordia in hoc maxime elucet, quod parcat impiis.

Dom. 1. Q. ait: *Iacet Propheta nimio de venia Dei, furore indignabundus: adſtat Deus deſuper placans illum, & leni cum ſermone demulcens.* & deinde verba illa Jonæ, bene iraſcor ego, ſic excuſat: *Non ſunt hæc utique inſolentiæ verba, ſed profundiſſima & admiranda myſteria, non enim potuit aliter exceſſus ille amoris, & benignitatis Dei in ſuos ſanctos; & nimia familiaritas amicitiæ, & gratiæ, congruentius, niſi hujuſmodi exceſſibus propalari* (nimirum parcendo Ninive, & iraſcenti Jonæ tam familiariter proponendo cauſas, ob quas pepercerit.) *Non melius nobis illa inenarrabilis benevolentia Dei in ſuos, declaratur.*

§. 4. *Colloquium Chriſti cum Phariſæis, ut intelligant, quod bene faciat quærendo peccatores. Luc. 15. v. 2.*

In hod. Euang murmurant, indignantur, iraſcuntur Phariſæi; quod Chriſtus D. recipiat peccatores & manducet cum illis; meo judicio Chriſtus D. illis dicere potuit, putatiſne, bene iraſcimini ſuper hoc? Quid? dicunt; bene iraſcimur uſque ad mortem nimio furore indignantur de venia Chriſti. ſed alloquitur illos piiſſimus Salvator, conatur illos placare, & leni ſermone demulcere, ait enim. Quis ex vobis eſt qui ſi ex 100. ovibus unicam perdat, illam non quærat? bene facitis; ſed quid iraſcimini, quod ego quæram animã peccatoris. Doletis ſuper perditam ovem, quam non creaſtis; & quæ eſt beſtia. Et ego non recipiam peccatores, quorum animas creavi, & quas ſanguine meo volo redimere. Dicite, putatiſne? bene iraſcimini, &c. Si unicam drachmam perditam reperiatis, gaudetis; quid eſt drachmà, reſpectu animæ; proinde gaudium eſt mihi, gaudium patri meo, gaudium angelis in cœlo, cum vel unicus peccator ad me ſe convertit. Sinite venire ad me omnes. O profunda & admiranda myſteria. Exceſſus amoris, & benignitatis Chriſti D. erga homines; Nimia familiaritas amicitiæ ejus; immenſæ illius gratiæ, non poſſunt luculentius propalari, niſi quod peccatores recipiat, & cum illis familiariter agat; inenarrabilis ejus benevolentia, congruentius non demonſtratur. Quid intereſt an hedera à verme arroſa an exareſcat, an pereat, an projiciatur in ignem? Si anima immortalis, hominis quam Deus creavit, quam Chriſtus D. ſuo ſanguine redemit, rodatur à verme peccati

peccati mortalis; ſi ſecuris ad radicem ponatur, ſi arbor mala exſcindatur & in ignem mittatur, hoc ſentit Chriſtus D. Gaudet, cum unicus peccator convertitur, ut non pereat, ſed vivat! ſic ejus bonitas declaratur.

Sed videntur in hod. Eu. Phariſæi inde excuſari poſſe, quod ſæpe viri ſancti & zeloſi, potius optarint & à Deo petierint vindictam, erga impios, quàm veniam & miſericordiam. S. Hier. in explicatione cap. 26. Iſ. advertit colloquium inter ipſum & Deum, fere ſimile illi quod fuit inter Jonã & Deum. Deus ait, Iſaia; quam mihi diſplicet idololatria populi mei, nihilominus *Miſereamur impio*. Sic Deus loquitur, Iſaias v. quærit, *Et ubi eſt juſtitia tua*? q. d. tanta ſcelera non punies? potius, *Domine exaltetur manus tua* (addit S. Hier.) *ad percutiendum*. v. 15. addit cauſam ob quam petat vindictam, *Indulſiſti genti Domine, indulſiſti genti, nunquid glorificatus es*? q. d. Domine, quoties pop. jam indulſiſti? & quæ inde utilitas? nulla. ſuntne converſi à viis peſſimis? Non. Quod & quanta exhibuiſti beneficia? non eſt numerus gratiarum &c. quas receperunt à liberaliſſima manu tua; ſed ubi gratitudo. *Propterea Domine*, ait S. Hieron. *percute eos ut in anguſtia te requirant*. S. Thomas. ſic Iſaias, *inducit Deum, ad juſtitiæ opus per experimentum inutilitatis miſericordiæ, tum quantum ad remiſſionem pœnarum, tum quantum ad multiplicationem bonorum, tum quantum ad utilitatem vindicatricis juſtitiæ*.

§. 5. Prophetæ V. T. ſæpe petiverunt vindictam ſuper impios.

Iſ. 26. v, 10.

Idem fere fuit zelus, & eadem indignatio Abacuc, contra peccatores, cum dixit. *Mundi ſunt oculi tui, ne videant malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris. Quare reſpicis ſuper iniqua agentes.* hæc eadem videntur Phariſæi voluiſſe dicere ad Chriſtum Dominum in hod. Evang. q. d. Chriſto, ex tua doctrina colligimus, mundos eſſe oculos tuos &c. quare ergo permiſiſti publicam peccatricem Magd. tibi oſculari pedes &c. quid tibi cum Samaritana? quid tibi cum publicanis &c. Quare reſpicis? quare recipis &c. addit Abacuc cit. loco. *Et taces devorante impio juſtiorem ſe.* Neſcio, an non ex juſto zelo, contra impios & ego hodie dicere poſſim.

§. 6. Proſecutio. Hab. 1. v. 13.

v. 14.

ſim. O mi Deus! quomodo in mundo jacet juſtitia, & quænam contra illam committuntur ſcelera, &c.& taces? quam horrēdas quotidie audimus blaſphemias, maled.&c.&c.(poteſt fieri acris invectiva contra gravia ſcelera) & taces,& non punis? nunquid ſic vileſcunt miſericordiæ tuæ? Tanto zelo talia protulit Abacuc, ut S. Greg. Naz. or.1. Apol. dixerit; *Acriori oratione utitur, atque adverſus Deum ipſum ſtomachatur ac benignum Dominum veluti clamoribus inſequitur.*

§.7. *Nihilominus pœnitentibus pepercit Dominus.* 3.Reg. 17. v.1.

Sed, nolite timere impii! ſi de pœnitentia cogitatis, ſolatur vos S.Chryſoſt.qui cum egiſſet de ſimili zelo & indignatione Eliæ contra impium populum, dicentis, *Vivit Dominus Deus Iſrael, in cujus conſpectu ſto, ſi erit annis his ros, & pluvia, niſi juxta oris mei verba.* Super hæc verba S. Chryſoſt.ait, Dominum Eliæ propoſuiſſe hanc quæſt. *Quid ergo ſi pœnitentes illi, mihi blandiantur? Si à delictis reſipiſcentes videam? Si lacrymantes ſpectem? ſtatimne dare debeo pluviam.* q.d. Elia tu talia minaris; famen, peſtem: faciam deſiderio tuo, & juſtitiæ meæ ſatis, ſi pergant in viis ſuis malis. Sed ſi pœnitendo mihi blandiuntur &c. certus ſis, exaudiam illos,memor, miſericordiam meam magis propalari non poſſe, quam ſi recipiam peccatores.

§.8. *Digreſſio ad tempus præſens, quo Deus punit peſte &c.*

O quam me ſolatur hoc tempore, hæc Dei noſtri bonitas, & piiſſimi Jeſu noſtri clementia! videtur inſolitis his caloribus iratus Deus nobis intentare flagellum famis. Anglia, Hollandia, Rhenus inferior, nominatiſſimæ urbes, Colonia, Moguntia, videntur clamare; O Vicini! O Bambergenſes cavete! fortaſſis virgæ, quibus juſtus D.nos caſtigat, & vobis paratæ ſunt! non irati Prophetæ, ſed ſcelera noſtra videntur uti ſermone acriori, videntur clamare, & Deum inſequi ut puniat; Juſtitiæ decretum videtur eſſe, *Vivit Dominus*; ſi ſit ros *vivit Dominus*, erit fames. *Vivit Dominus*, erit peſtilentia &c. Sed ſi volumus tempus adhuc eſt, ut omnia avertamus; ſi volumus poſſumus aperire cœlos, ut pluant, &c. hoc faciamus,

Pſ.26.v.7. mei Auditores. Pœnitentes blandiamur Jeſu noſtro; ſtatim nos ſuſcipiet. Reſipiſcamus à delictis! ſi Deus hoc videat &c.

pulcer

Digitized by Google

pulcer locus. Et ſic Dominus mirificat miſericordias ſuas. & juxta illud Paralip. *Immenſa & inveſtigabilis miſericordia promiſsionis tuæ ſuper malitiam hominum.* & illud S. Aug. ſ. de pœn. c. 5. *Deus ſemper preſto eſt ne corrumpatur, quod amavit,* modo nos velimus. (hæc verba pulcre applicari poſſunt Chriſto D.) Dion. Carth. auſus fuit dicere, *mallet etiam Chriſtus, animarum amator denuo crucifigi, quā ſinere, quempiam (quantum in ſe eſt) condemnari.* An non hoc eſt peccatores recipere? An non hæc eſt immenſa & inveſtigabilis bonitas Chriſti.

Revocat illa mihi in memoriam, primum ab ipſo in cruce prolatum verbum, *Pater dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciant.* O amorem ſine exemplo! O ſpeculum caritatis divinæ! O viſcera pietatis ineffabilis! O admirabilem miſericordiam! quam admiratus Arnol. Carnot. de 7. verbis agnum de cruce pendentem ſic alloquitur, *Quid eſt Domine, quod dicis? non accuſas? non quæris vindictam? Potius excuſas, & coniurationis illius ſpiſſamentum attenuas.* O mi Jeſu quid dicis? tota ſynagoga, omnes ſcribæ & Ph. Principes & populus, volunt, clamant, ut moriaris; tu petis ut vivant? adverto cauſam. peccatores libenter receperes; non vis ut pereant, quos amaſti. Salvator piiſſime! terra, montes, Sol, luna, ſtellæ, tenebræ, ſciſſuræ petrarum, omnis creatura armatur ut accuſet tuos crucifixores, ut vindictam ſumat; tu taces, non accuſas, non petis vindictam, ſed veniam. Ni fallor! audivit reſpondentem Jeſum meum; Amo illos, ego creavi, ego pro illis morior, &c. ah Pater, ne ſinas illos perire. Dicite Aud. ſi hoc non eſt peccatoris recipere. adhuc dubitatis? ecce, pendet in cruce expanſis brachiis, ut peccatores recipiat. Inclinato capite oſtēdit latus & cor, ut peccatori oſtendat refugium, in quo recipi poſſit. Sic de ſang. Chriſti (poteſt fieri pius affectus.) Ad rem plane dixit S. Chryſ. h. 40. in Mat. O malitia Jud. O pietatem Chriſti D. *quomodo per ſingulos gradus miſericordia D. malitia Iud. creſcebat? quomodo per ſingulos gradus Iud. malitia Dei miſericordia augebatur, & contra clementiam Dei, malignitas hom. certabat.* Vicit tamen illa &c.

§. 9. Pia digreſſio ad primum verbum à Chriſto D. in cruce prolatum. Luc. 23. v. 34.

§. 10. *Quare peccatores adhæſerint Chriſto D. dum viveret in terris.*

Sed quam facile meus me affectus rapit in montem Calvariæ ad Chriſtum Crucifixum dum ambularet in terris, dum diſcurreret per pagos & oppida, de loco in locum; erant appropinquantes publicani, & peccatores; *Non ſolum* (ait Dion. Carth.) *propter vitæ & doctrinæ eminentiam, miraculorumque abundantiam: ſed etiam quia Chriſtus valde caritativum dulcem, compaſſivum, & pium ſe eis exhibebat.* Theophylactus. *Et Dominus q. illud faciebat, cujus gratia incarnatus eſt: accedens ad publicanos & peccatores, tanquam medicus ad infirmos.* Experientia ut plurimum docet, Medicos cum infirmis agere, ſuaviter (poteſt hoc p. deſcribi) idem fecit Chriſtus D. &c.

1. Tim. 1. v. 15. Apoſtolus dicit. *Fidelus ſermo & omni acceptione dignus: Chriſtus Ieſus venit in mundū, peccatores ſalvos facere.* Joannis 4. ipſe ait,

Ioan. 4. v. 35. *meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, ut perficiam opus ejus.* Opus hoc fuit recipere peccatores. ut p. explicat S. Chryſoſt. hom. 33. *Hominum ſalutem hoc in loco cibum appellat Chriſtus, ut quanta ſalutis noſtræ cura & deſiderio teneatur oſtendat. Sicut enim nos cibum, ita Chriſtus hum. generis ſalutem deſiderat.* S. Cyr. Alex. l. 2. c. 105. Hinc diſcimus quanta ſit Chriſti erga homines caritas, quaſi enim cibum ſuum putat, perditorum hominum converſionem. Dion. Carthuſ. ad fontem Sichar Joannis 4. *Corporaliter ſitivit aquam, ſpiritualiter converſionem mulieris.*

§. 11. *Converſio peccatoris cur cauſet gaudium.*

De gaudio orto ex converſione peccatoris, & in cœlis, & in terris, multa proferunt SS. PP. S. Th. p. ait, *Dicitur Deus, vel Chriſtus D. plus gaudere de pœnitente, quàm de innocente, quia plerumque pœnitentes cautiores, humiliores, & ferventiores reſurgunt.* S. Paulo *Caſus* (S. Hier.) *fuit ſtimulus ad abundantius laborandum.* S. Auguſt. ſer. 66. de temp. Gaudium erit ſuper uno &c. *Si tamen confitens pœnitendo doleat, quæ fecit; nec iterum renovet, quæ egit.* O ſi hoc tempore talem nos quoque agamus pœnitentiam. cauſas habemus juſtiſſimas &c.

CON-

CONCIO XXXIII.

DOMINICA IV. POST SS. TRINITATEM.

Nolite judicare, & non judicabimini.

Luc. 6 ℣. 37.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AGit de temerario judicio. Quàm ſit vitium commune, & grave; non debere nos judicare, ob tres potiſſimum cauſas. 1. qui judicant, facile errant & decipiuntur. 2. Solius Dei eſt judicare. 3. Temere judicantes Deus graviter punit.

§. 1. *Breve exordium.*

§. 2. *Varii SS. Patrum ſenſus de his verbis, Nolite judicare.*

§. 3. *Quale judicium prohibeatur à Chriſto D.*

§. 4. *Vitium hoc judicii temerarii eſt communiſſimum. Plurimi in urbe ſunt ſimiles canibus venaticis.*

§. 5. *Et beſtiæ Danielis cap. 7.*

§. 6. *David vocat homines iniquos, doloſos, ſerpentes.*

§. 7. *Anatomia linguæ ſerpentinæ.*

§. 8. *Non debemus judicare. 1. Qui judicant, facile decipiuntur, quod probatur ex variis locis S. Script.*

§. 9. *Proſecutio.*

§. 10. *Digreſſio cum invectiva in variorum mores, quibus dant cauſam temerariis judiciis.*

§. 11. *2. Solius Dei eſt judicare.*

§. 12. *Quomodo debeamus nos gerere, cum putamus nos habere cauſam judicandi.*

§. 13. *3. Temere judicantibus Deus graviter minatur.*

§. 14. *Quænam ſint verba præcipitationis, quæ à Deo graviter puniuntur; præſertim in agone.*

Digitized by Google

§.1. *Breve exordium.*

De concionis hujus themate, ex hodierno Evangelio, *Nolite judicare*, bene ait S. Auguſtinus ſer. 202. de temp. *Sermo hic* (Chriſti Domini) *monet, ne qui propria debent inſpicere, & ſe ipſos judicare, inſpiciant aliena, & dijudicent alios.* Et rurſum. *Nihil aliud hoc loco nobis præcipi exiſtimo, niſi ut ea facta, quæ dubium eſt, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur.* Chriſtus D. ipſe, rem declarat ſimili; qui trabem habet in oculo, malè attendit ad oculos aliorum; quod faciunt, qui alios judicant; multi, defectus leves in aliis, facillime carpunt, & ſuos longe majores non agnoſcunt; quod vitium plerumque vocari ſolet, judicium temerarium. Poſtquam prima parte hujus concionis oſtendero, quàm ſit vitium commune & grave: in altera, adducam tres cauſas, ob quas non facile debemus judicare. Prima eſt. Facile erramus in noſtris judiciis. Altera, ſolius Dei eſt judicare; tertia; temere judicantibus, Deus graviter minatur.

§.2. *Varii SS. PP. ſenſus de his verbis, Nolite judicare.*

Nolite iudicare. Verba hæc à SS. Patribus, & S. Scripturæ expoſitoribus variè explicantur. S. Hilarius, S. Ambroſius, putant Chriſtum D. voluiſſe nos monere, ne ſcrutemur profunda judiciorum Dei. Deum ſapientiſſimum, omniſcium, optimum, omnium Judicem velle judicare, ſcelus eſt. Auctor operis imperf. ait, *Nolite iudicare* id eſt, non eſtote ſeveri in proximos, & injurias illatas nolite vindicare. Euthymius & Theophylactus ſentiunt, judicare, idem eſſe, quod condemnare, à quo debemus abſtinere, cum id ad ſolum Judicem Deum pertineat. Apud alios, verba hæc, Nolite judicare, hunc habent ſenſum, Nolite, curioſi eſſe indagatores in vitam proximi, hæc enim curioſa inquiſitio, eſt gradus & diſpoſitio ad temerarium judicium. Sed quærunt aliqui SS. Patres, quomodo poſſit prohiberi omne judicium, cum frequēter gravia aliquorum ſcelera ſint publica, & omnibus manifeſta: video v.g. ebrium, nunquid dicere, & judicare poſſum, hic bibit nimis multum vini. S. Petrus nunquid judicavit Ananiam & Saphiram? S. Paulus, nunquid ſententiam tulit in Corinthum? nunquid alios tradidit Satanæ? An non Chri-

Digitized by Google

Chriſtus D. ſuis Apoſtolis tradidit poteſtatem judicandi? an non dixit *ut judicemus judicium rectum.* *Ioan. 7.24.*

§. 5. Quid judicium prohibeatur à Chriſto Domino. 1. Tim. 5. v. 24. 1. Cor. 13. v. 5. Rom. 2. v. 1.

Reſpondet quæſtioni S. Hieronymus. 1. Magiſtratibus & Judicibus licitum eſſe judicare & condemnare; 2. Quando, *quorundam peccata manifeſta ſunt, præcedentia ad judicium*, ut loquitur S. Paulus, non peccamus judicando. Hoc prohibetur, ne judicium feramus in illis quæ bene & male interpretari poſſumus. nam charitas (juxta Apoſtolum) *non cogitat malum.* Hoc vetat Chriſtus D. ne cum ipſi fortaſſis majoribus peccatis ſimus obſtricti, curioſe aliorum facta, forte non mala, judicemus, & condemnemus. S. Paulus ait. *Propter quod, O homo, inexcuſabilis es, omnis qui judicas; in quo enim alterum judicas, te ipſum condemnas.* Talia judicia, & quæ intus in corde contra proximum foventur, & quæ foris, lingua coram aliis proferuntur, prohibet Chriſtus Dominus.

§. 4. Vitium hoc, Iudicii temerarii eſt communiſſimum. Plurimi in aliqua urbe reperiuntur, ſimiles canibus venaticis.

Verum, quid communius, quàm ut ita proximum noſtrum judicemus? Veriſſima ſunt hodie, quæ olim S. Auguſtinus hom. 5. in cap. 2. ad Romanos pronuntiavit. *Maxima pars generis humani, indiſcreto judicio ad reprehendendum prompta & parata eſſe probatur; cum tamen non velit ita ab aliis judicari; quomodo vult alios iudicare.* S. Chryſoſtomus auſus fuit dicere, *Non facile reperies quanquam expertem huius erroris, iudicant in colloquiis, in communibus cœtibus, in conſcientiæ calculo.* Sanctus Hieronymus ep. ad Colantiam. *Raro invenies, qui ita vitam ſuam irreprehenſibilem exhibere velit, ut non libenter reprehendat alienam.* Experientia docet, in urbe hac Bambergenſi pleraque dicta, veritati plane eſſe conſentanea. v. g. Supremi magiſtratus juſtiſſimas habent cauſas, ob quas talia ſtatuunt & ordinant; Conſiliarii & Judices cur talia ſuadeant, taleſque ferant ſententias; ſed in populo quæ judicia & murmura; *non facile reperies, &c.* De multis prælatis & primis in clero, de variis, & præcipuè quibuſdam ſanctiſſimis Ordinibus qualia judicia? de variis

mercatoribus, de civibus, de conjugatis, præcipue fœminis, de viduis, de virginibus, de ſervis & ancillis, præcipue ob veſtitum, quam varia, quam gravia feruntur judicia? *non facile reperies &c. Nam ſunt plerique ita conſtituti, ut* (loquor cum S. Bern. de triplici cuſtodia) *ſui obliti, aliorum facta curioſe inveſtigent.* ſimiles canibus venaticis, qui per campos, ſylvas, &c. undique diſcurrunt ut inveniant feram, quam dilanient. tales canes ſunt Bambergæ, currunt ad nuptias, convivia, alioſque cœtus, vagantur per fora, templa, imo ædes ingrediuntur, ut inveniant aliquam viduam, vel virginem &c. quam ſuis unguibus & dentibus dilanient. Placuit hæc metaph. Theophylacto, qui dans cauſam bonitatis Jeſu, quod ultro obviarit ſanato cæco, Joannis 9. ait: *Invenit eum Ieſus dedita opera, ad hoc veniens, ut illum conſolaretur, qui multum laboraverat, & coronatum ſuſcipiens à peſſimis canibus Iudæis, huc & illuc trahebatur.* pulcre applica hunc locum. (ago enim de judicio temerario, non tantum quatenus interius mente & judicio fertur, ſed quat. ſimul illud lingua pronuntiat, quo modo ordinarie tale judicium ſimul eſt detractio, vel contumelia, vel ſuſurratio &c.) Similes plane ſunt hi canes ranis Aegyptiacis, quæ ingreſſæ ſunt domum Pharaonis, & cubiculum lecti ejus, ſuper ſtratum ejus, & in domos ſervorum ejus, & in populum ejus, & in furnos ejus, & in reliquias ciborum ejus. omnia infeſtarunt, omnia fœdarunt, tales ranæ ſunt plurimæ Bambergæ ut judicent &c.

§.5. *Et beſtia Danielis cap.7.* Dan.7. deſcribitur beſtia terribilis & fortis nimis, dentes habens ferreos, & cornua decem, comedens & comminuens & reliqua pedibus ſuis conculcans. Quis per beſtiam hanc *Dan.7.v.7* deſcribatur, explicat pulchre Sapiens. *Terribilis eſt in civi- Eccleſ.9. v.25.* *tate ſua vir linguoſus.* Qualès ſunt illi, qui intus ſunt baſiliſci, pleni veneno ſuſpicionum & judiciorum; foris verò canes; ut per venenatos dentes terribilis illorum lingua, nemini parcens, peſtem interius coctam evomat, & dicta, factaque aliorum conſpurcet.

§.6. *David vo-* Pſalmus 42. eſt affectuoſa oratio Davidis, in qua ſic orat:

Iudica

Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam, de gente non ſancta; ab *cat, ini-*
homine iniquo & doloſo erue me. Eripe me Domine, ab homine *quos, dolo-* *ſos, ſerpen-*
malo, à viro iniquo eripe me. Sed, O David, quænam eſt iſta *tes.*
gens non ſancta? quinam illi iniqui? illi doloſi? illi mali? Expli- *Pſ. 42. v. 1.*
cat ſe ipſum Regius pſaltes paulò poſt. *Qui cogitaverunt* *Pſ. 9. v. 3.*
iniquitates in corde ſuo, tota die conſtituebant prælia; acuerunt linguam ſuam, ſicut ſerpentes, venenum aſpidum ſub labiis eorum. Dum aſpidum ſive ſerpentum facit mentionem; inſinuat, Judicium temerarium, præſertim ſi progrediatur ad calumniam vel detractionem, eſſe vitium diabolicum, quia ipſe primus in ſpecie & forma ſerpentis coram Adamo & Eva, Deum judicavit, contra illum murmurando, cur præcepit Dominus? q.d. non bene fecit! ecce judicium audax! hæc eſt cantilena virorum linguoſorum, cur hoc? (eſt locus pro pulcra inductione, loco & tempori accommoda, v. g. Cur illa vidua frequentat hoc templum? cur tam diu hæret in confeſſionali? Cur pendenda ſunt tot tributa &c.) Inſinuavit præterea David, quod diu poſt ipſum dixit Albertus M. tract. de virtutibus politicis, Quidam homines ſunt, ſed non humanam linguam habent, ſed potius ſerpentinam, ac veneno maledictionis plenam, de quo Pſalmiſta ait, *Venenum aſpidum inſanabile.*

Inſtituamus quæſo anatomiam hujus linguæ; fecit Pli- *§. 7.* *Anatomia*
nius cum dixit, *Triſulca, ſubtilis, atri coloris, & ſi extrahas, præ-* *linguæ ſer-*
longa eſt. Scilicet lingua ſerpentis. Triſulca eſt lingua mur- *pentinæ.*
muratoris vel detractoris; per venenata judicia, quæ cor cogitavit, dum profert, lædit ſe, lædit audientem, lædit, quem judicat. S. Bernhardus. *Vnus eſt detractor, & ſæpe unum tantum verbum profert, & tamen unum illud verbum, uno momento, multitudinis aures inficit, animas interficit, nec prius tamen aliorum animas necat, quàm ſuam jugulet.* Triſulca hæc lingua ſimul valde eſt ſubtilis, vel vibrans, vel penetrans, juxta illud Davidis.
lingua eorum gladius acutus. Eo acutior, quo doloſior, quan- *Pſ. 56. v. 5.*
do ſcilicet (S. Hier.) *venena non dat, niſi melle abſcondita.* (de quo alibi.) Talis lingua quoque eſt, prælonga; extenditur intra pau-

tra paucas horas per omnes urbis plateas; extenditur in cœlum; deſcendit in ſepulcra; ubique reperit aliqua, quæ judicet, quæ carpat, contra quæ murmuret. Job de talibus ſic fuit queſtus. *Hoſtis meus terribilibus oculis, intuitus eſt me.* Chald. *Oculis ſubulæ ſimilibus, intuitus eſt me.* (fiat elegans digreſſio, quales aliqui habeant oculos; hinc judicant.) Ego cum S.
Iob.16.v.10. Bernardo ſer.40. in Cant. cuivis ſuadeo; *Cave alienæ converſationis eſſe, aut curioſus explorator, aut temerarius Iudex; imo, etſi perperam actum quid deprehendas, nec ſic judices proximum;* id eſt ſuſpende judicium.

§.8. *Non debemus judicare, 1. quia facile decipimur: quod probatur variis locis ex S. Script. 2.Reg.10. v.4.5.*

Ob plurimas & graves cauſas. Una eſt. Qui judicant, facillime errant, & decipiuntur. Probo ex ſacris literis. miſit David aliquos ex ſuis ſervis ad Regem Ammonitarum, condolituros de obitu Patris. Proceres Regni cogitaverunt mala; judicarunt, illos eſſe exploratores, ut tales accuſarent apud Regem. Ideo Rex, tulit ſervos David, raſitque dimidiam partem barbæ eorum, & præſcidit veſtes eorum medias, & dimiſit eos. Qualis injuria? qualis ignominia? radix fuit erroneum judicium; errarunt Ammonitæ, decepti ſunt. Tales novaculæ ſunt hodie plurimorum linguæ; hunc cogitant eſſe avarum; hunc adulterum; imò ut tales traducunt raduntque illorum famam cum ſumma ignominia. Fundamentum verò, cui frequenter tales fabulæ nituntur, eſt erroneum judicium.

§.9. *Proſecutio. 1.Reg.1.v.13.*

Lib.1. Reg. Anna Mater Samuelis, *loquebatur in corde ſuo*, id eſt, ferventiſſime orabat, *& tantum labia illius movebantur, & vox penitus non audiebatur.* Videns hoc Heli æſtimavit illam temulentam, *uſquequo ebria eris? digere pauliſper vinum quo mades.* Sed erravit Heli, illi geſtus Annæ non fuerunt effectus vini, ſed devotionis. Phariſæus vidit Magdalenam jacentem ad pedes Chriſti &c. (pulcre deſcribe) mox & ipſam & Chriſtum judicavit, *Hic ſi eſſet Propheta, ſciret utique, quæ & qualis eſt mulier quæ tangit eum, quia peccatrix eſt.* proh! quot hodie ſunt tales Phariſæi? Cum Apoſtolus Paulus poſt naufragium exſcenderet in inſula Melita, vipera quædam adhæſit manu.

Digitized by Google

manui ejus, quod intuentes barbari, dixerunt; *Vtique homicida eſt homo hic, qui cum evaſerit de mari, ultio non ſinit eum vivere.* Similes illis barbaris fuerunt uxor & amici Job, palam judicantes Jobum ob ſua ſcelera puniri. Sed errarunt, Job & Paulus fuerunt viri juſti & ſancti. Vos cogitate an non hodie ſint multi, qui tali modo judicent, (eſt locus pro pulcra inductione.) Si quis Geneſis 39. verſu 13. Vidiſſet pallium Joſeph in manu adulteræ Aegyptiæ, quis non judicaſſet verum dicere mulierem, & Joſephum eſſe reum attentati adulterii. Minora hodie videmus in juvenibus; forte aliqui ad ædes aliquas diutius hærent, forte, &c. & ſtatim rapiuntur ad judicium, fertur ſententia eſſe impuros, &c. facile eſt errare, maximi ſi mulieribus garrulis velimus credere. Cum Juditha tam formoſa, tam compta, &c. vidua, urbe egreſſa venit ad caſtra Holofernis, non dubito quin aliqui judicarint, illam velle placere Holoferni, eſſe, &c. Sed errarunt! fuit ſanctiſſima & caſtiſſima matrona, intentio ejus fuit optima. Eadem falſa judicia feruntur hodie de multis viduis, dum incedunt paulò comptiores, dum viſunt ſuos amicos, dum frequenter viſitant templa, dicuntur eſſe ocioſæ, dicuntur quærere maritos. Danielis 13. verſu 37. Duo ſenes accuſant Suſannam de crimine graviſſimo, & fertur ſententia mortis, omnium judicium fuit illam eſſe ream. Sed fuit innocentiſſima. Quotidie repetitur hæc tragœdia. de quibuſdam matronis dicuntur gravia NN. ego puto eſſe falſa omnia; unde ergo rumor? mendaces ſenes, vetulæ, ſic judicarunt, ſic ſparſerunt, &c. Sed fit illis injuria.

Non tamen ego hæc dixerim, quod putem aliquas fœminas ſubinde non bibere plus vini, quam honeſtas matronas decet, aliquas non eſſe nimis liberas, aliquas non veſtiri ſupra ſtatum. Non ego dictis his volo excuſare omnes juve- §.10. *Digreſſo, cum invectiva, in*

variorum mores, qui dant cauſam temerariis judiciis. juvenes, ſcio eſſe &c. non omnes virgines, ſunt quædam nimis frequentes in plateis, in certis ædibus &c. ingrediuntur ædes Holofernis &c. Sed perinde eſt, Nolite vos judicare; facile eſt decipi. tutius eſt, ſupremo judici omnia relinquere. Vitalius optimus monachus ob graves cauſas ingreſſus fuit lupanar, ſicut S. Ambroſius, ut fugeret honores, Paſnutius ad Thaidem, ut illam converteret; hinc ſtatim in urbe varia judicia de Vitalio; ſed dum ejus cellam perſcrutantur, in ejus menſa invenerunt chartam in qua pulcerrimo charactere fuit ſcriptum, *Viri Alexandrini, nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat tempus.* Si ſunt publica ſcandala, ſi ſunt ædes &c. puniat magiſtratus &c. reliqui non judicent. dicat quivis cum Dorotheo: heu mihi, ille hodie deliquit, cras forte ego. forte ille pœnitebit, ego non &c. hoc ſecuriſſimum, & in agone erit peculiare ſolatium, non judicaſſe cum ſolatio ſæpe memini illius religioſi, qui rogatus cauſam ſingularis lætitiæ, quam in agone præferebat, reſpondit, ſolatur me ſententia Chriſti, nolite judicare &c. neminem ego unquam judicavi, itaque benevolum ſpero judicium.

§. 11. *2. Solius Dei eſt judicare. 1. Cor. 4. v. 5.* Alteram cauſam ob quam non debemus judicare invenio apud S. Paulum, *nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abſcondita tenebrarum.* explicat hunc locum S. Greg. 1. Moral. 8. *Nos ergo tanto minus debemus aliena corda audacter reprehendere, quanto ſcimus, quia viſu noſtro non poſſumus alienæ cogitationis tenebras illuſtrare.* hoc enim eſt ſolius Dei. ideo ait Apoſtolus, *tu quis es qui iudicas alienum ſervum.* *Rom. 14. 4. Iob. 13. v. 7. Iac. 4. v. 5.* quaſi diceret es ne Deus, qui ait, ſcrutabit Jeruſalem in lucernis, vel, eſtne filius Dei, cui ſoli data eſt poteſtas judicandi, & qui ſolus conſtitutus eſt judex vivorum & mortuorum. Job ait. *Pro Deo iudicare nitimini.* Jac. *Tu autem, quis es, qui iudicas proximum.*

§. 12. *Quomodo debeamus nos gerere, cum puta-* L. 19. mor. c. 23. pulcre nos inſtruit S. Greg. M. quomodo nos habere debeamus. Sacer textus dicit: *clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus eſt, & peccatũ eorum aggravatum eſt nimis*-nihilominus dixit Dominus-*deſcendam & videbo,* *utrum.*

Digitized by Google

utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non eſt ita, eleganter S. Greg. *Ipſe Deus hoc fecit, ut nos à præcipitata ſententia liberaret, cum omnia nuda & aperta ſint oculis eius: mala tamen Sodomæ noluit tantum audita iudicare, ut gravitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum antea præſumamus (iudicare) credere, quam probare &c. eſt pulcer locus.* Ideo viri ſancti valde timidi ſunt, ut iudicent. Job de ſe ait. *Cauſam quam neſciebam, diligentiſſime inveſtigabam.* S. Greg. M. cit. *Qua in re notandum video, ne ad proferendam ſententiam unquam, præcipites eſſe debeamus, ne temere indiſcuſſa iudicemus, ne qualibet audita nos moveant, & ne paſſim dicta ſine probatione credamus,* (eſt pulcerrimus locus contra ſparſos rumores &c.)

mus nos habere cauſam, judicandi.
Gen. 18. v. 10.
Iob 29. v. 16.

3. Nolite iudicare; nam Deus graviter punit temere iudicantes, loco omnium pœnarum ſit ſententia Chriſti; *Nolite iudicare, ut non iudicemini; in quo enim iudicio iudicaveritis, iudicabimini, & in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* terribilis eſt ſententia ſancti Chryſoſt. t. 5. l. 1. de comp. cordis? *nullum peccatum à nobis aliud fuiſſet admiſſum, pro hoc ſolo gehennæ nos tradi, ſatis abundeque ſufficeret, quippe qui in alienorum delictis, ſeveri & amariſſimi iudices reſidemus.* Duplex eſt membrum huius ſententiæ. primum innuit multos alioquin pios virtutibus deditos &c. tamen eſſe promptos ad iudicandum; & ob hoc peccatum multos damnari. Non tamen ſcrupuloſi putare debent, ſermonem eſſe de quavis cogitatione quæ nobis occurrit &c. ſed de &c. & maxime ſi degeneret in murmurationem, detractionem, ſuſurrationem &c. Alterum membrum monet, ne ſeveri ſimus iudices, ſi Chriſtum aliquando benevolum volumus habere iudicem.

§. 13.
3. Temere judicantibus Deus graviter minatur.
Luc. 6. v. 37. 38.

Claudo hoc punctum & concionem verbis S. Davidis. *Dilexiſti omnia verba præcipitationis, lingua doloſa propterea Deus deſtruet te in finem.* hæc ultima verba ſic explicat Hugo Card *Deſtruet te in finem, id eſt, finaliter te deſtruet, ut in gratia vitam non termines, nec à peccatis reſurgas.* Quod verſus confirmat, *Virum iniuſtum mala capient in interitu.* Chaldæus ſic legit. *Virum*

§. 14.
Quænam ſint verba præcipitationis.
Pſ. 51. 6. 7.
Pſ. 139. v. 12

rum pravum & malignum, venabitur angelus mortis, & detrudet in gehennam &c.

NB. Ex Panario P. Buſæi, tit. Judicium temerarium, poteris hanc concionem, multis amplificare.

CONCIO XXXIV.

DOMINICA V. POST SS. TRINITATEM.

Tota nocte laborantes nihil cepimus.
Luc. 5 ℣. 5.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit aliquas cauſas, ob quas multi auditores ex auditione verbi Dei nullum faciant fructum.

§. 1. *Concionatores, ſunt paſtores, agricolæ, venatores, & piſcatores.*

§. 2. *Plurimi ſine fructu audiunt verbum Dei.*

§. 3. *Quod facit diabolus globis fumi.*

§. 4. *Globi illi ſunt divitiæ, voluptates &c.*

§. 5. *Multi Auditores, audientes non intelligunt, videntes non vident.*

§. 6. *Pia querela concionatoris ad Chriſtum crucifixum, de exiguo fructu Auditorum.*

§. 7. *Auditio verbi Dei requirit cor, & attentionem.*

§. 8. *Qui ſine fructu audiunt verbum Dei, vel plane non audiunt, plerumque procraſtinant pœnitentiam.*

§. 9. *Auditio verbi Dei requirit bonam in auditoribus diſpoſitionem.*

§. 10. *Proſecutio.*

§. 1. Concionatores ſunt paſtores.

MUlta & varia nomina in S. literis habent concionatores, S. Petrus appellat eos paſtores, *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei*, ab ipſo Chriſto Domino conferun-

Digitized by Google

ferunturcum ſeminatoribus, *exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum.* Jeremiæ placuit illos dicere venatores. *mittam eis multos venatores & venabuntur eos.* In hod. Evangelio ſunt piſcatores; claris verbis ait Chriſtus Dominus ad S. Petrum, *Noli timere &c.* Itane? Domini mei Concionatores; eſtiſne paſtores? & ubi ſunt veſtræ oviculæ? cur multæ hærent in paludibus, cur aliæ ſuffocantur inter ſpinas, cur tot ſubmerguntur in aquis? qualis eſtis paſtores? non videtis tot dilaniari à lupis, tot dilacerari à leonibus. loquor clariſſime. Domini Concionatores, cur permittitis tot animas æternum damnari? Itane? eſtiſne ſeminatores? ubi meſſis? ubi fructus? unde tot zizania, tribuli. Clarius. unde in populo tot ſcelera. Eſtiſne Venatores, ubi præda? quas ergo animas eripuiſtis ex unguibus infernalis leonis? Eſtiſne piſcatores? ubi piſces? ſed boni. putridi, fœtidi ubique reperiuntur! Non video, quid multi, & fortaſſis ego reſpondere poſſimus aliud, quam quod dixit S. Petrus, *Tota nocte, &c.* De labore non eſt dubitandum. Laborioſam vitam agit piſcator, vel reficit retia & parat hamos, vel noctes dieſque ſub dio, etiam frigidiſſimo tempore verſatur in aquis &c. & concionator ſtudet totas ſeptimanas, legit, ſcribit &c. cum tempus eſt, loquitur, clamat, vociferatur. frequentiſſime ſine fructu. Videamus hac concione, quare rete verbi divini toties projiciatur ſine ulla captura piſcium, ſive, quare tam multi audiant verbum Dei ſine fructu.

agricolæ, venatores; & piſcatores.

1. Pet. 5. 2. Luc. 8. v. 5. Ier. 16. v. 16

§. 2. *Plurimi ſine fructu audiunt verbum Dei.*

Timeo ne Apoſtolicus concionator (de quo ſuppono, quod ipſe, vel ob negligentiam in præparatione, vel propria peccata, & mala exempla, vel ob vitam improbam vel nimiam in prædicãdo mollitiem, vel quamvis aliam ob cauſam ſit cauſa exigui profectus in auditoribus, ſi qui enim tales eſſent concionatores, ſciant ſe dignos peculiari & acri reprehenſione:) bonus inquam, & zeloſus concionator fortaſſis dicere poterit multis ex auditoribus ſuis illud Iſaiæ. *Audite audientes & nolite intelligere, & videte viſionem, & nolite cognoſcere.* Mirabilis eſt modus loquendi. LXX. ſic legunt, *Auditu audietis & non intelligetis, videntes videbitis &*

Iſ. 6. v. 10.

non videbitis. Sic ego hunc locum intelligo. Eſſe ſermonem de verbo Dei; & multi veniunt, ut hoc audiant, & habent auditum, & deſiderant illud audire, & tamen non intelligunt; Iter ad cœlum, ad ſalutem illis oſtenditur clariſſime, & verbis Chriſti; Anguſta eſt porta. digito illis monſtratur, & tamen non vident non redeunt ex concione domum, ut cogitent ſe velle ſervare mandata Dei, potius ſtatim rurſum peccant Fuerunt fortaſſis in concione, audiverunt à prædicatore omnibus ſtatutum eſſe mori, reddendam omnibus rationem &c. talia audierunt, ſed audita in auribus, non penetrarunt ad cor. nullus eſt motus. talis poſt concionem ita deberet vivere, ut eſſet paratus ad mortem, nihil horum! Alii veniunt ad concionem, in qua prædicator auditoribus tam pathetice deſcribit ignes inferni, ut poſſint quaſi oculis cernere; & habent oculos, tamen non vident. & hinc nullus motus, nulla morum converſio &c. hujus rei cauſas inquiro.

Hebr. 9. v. 27. Matt. 11. v. 36. Luc. 16. v. 2

§. 3. *Quod facit diabolus, globus fumi. Iob. 41, 11.*

D. Greg. ſuper illa verba. *De naribus ejus procedit fumus.* culpam confert in diabolum, hoſtem animarum his verbis. *Quaſi flatu narium caliginem emittit*, (videntur hæc verba legiſſe pictores, qui aliquos dæmones pingunt cum naribus, quaſi eſſent camini, ex quibus flammæ cum fumo erumpunt. O Deus bene! quales erunt in inferno: ſed elevate mentem audit. non de materiali fumo loqui videtur D. Greg. ſic enim pergit. *Quia in reproborum cordibus inſidiarum ſuarum aſpirationibus, ex amore vitæ temporalis æſtum congerit multiplicium cogitationum & velut fumi globos multiplicat, quia inaniſſimas præſentis vitæ curas in terrenorum hominum mente coram cerneret. Nihil pulcrius.*

§. 4. *Globi fumi. ſunt divitiæ, voluptates &c.*

Itaque illa in plerîſque mortalibus cupiditas auri & argenti, globus fumi eſt emiſſus ex naribus diaboli. Ille appetitus inordinatus voluptatum, verbo ut carni ſit bene. tot cogitationes quæ dies noctesſque huc diriguntur, tot deſideria, tot ſuſpiria collimantia ad ſenſualitatem ſunt globi fumi. Cogitationes illæ ambitioſæ, ſuperbæ, quibus plerique in mundo, coram oculis hominum voluerit eſſe magni. globi fumi ſunt

ſunt ex naribus diaboli. Nihil dicam de globis fumi, quos excitat vindicta; nihil de fumo invidiæ. verbo, omnis cogitatio vana fumus eſt. His globis inſidians diabolus dies nocteſq; conatur obſidere hominum oculos, aures, pectus, cor, intellectum & plurimi pleni hoc fumo, veniunt ad concionem. *Audite audientes &c.* repete ſuper verſum. Hi globi impediunt ne aures audiant de morte &c. impediunt oculos ne videant viſiones, quas ferventes concionatores ſolent oſtendere.

§.5. *Multi auditores, audientes non intelligunt videntes non vident &c.*

Inter viſiones quas ego frequenter ſoleo oſtendere præcipua eſt Jeſus crucifixus! adeſne avare, vidiſne Salvatoris tui paupertatem? ecce, aperi oculos, videſne clavos in ejus manibus, non aureos, ſed ferreos? Oculos habes, ſed non vides. De cujus naribus procedit fumus, ille globo fumi obſedit illos, obſedit aures, obſedit cor tuum. ut audiens non audias, ut videns non videas (hoc modo poteſt fieri apoſtrophe ad alios peccatores.) Et quid miramur multos audire conciones ſine fructu; pleni fumo illas accedunt. Eia venator, vibra ſpicula aurea; non feries cervum, inter te, & illum eſt chaos fumi. Eia piſcator, projice retia, aurea, ſerica, cilicina, aſpera, mollia, tales piſces non capies. Niſi veniat, qui fortior eſt Satana; niſi adſit Jeſus, Sol pulcerrimus, qui diſſipet illos fumos. In nomine Jeſu jacienda ſunt retia, in nomine Jeſu, vibranda ſunt ſpicula.

§.6. *Pia querela ad Chriſtum Crucifixum, de exiguo fructu auditorum.*

Cum hæc ſcribens, pios oculos conjicerem in viſionem cujus mentionem feci, id eſt, in iconem mei Crucifixi, qui ante me in pluteo meo jacere ſolet, peculiari inſtinctu pias Chriſto meo expoſui querelas. Sed quomodo mi Jeſu poſſibile eſt, ut innumeri mortales te quotidie videant, ut plurima audiant, & tamen te non agnoſcant, tamen te non ament? Mi Jeſu, miſerere talium, aperi oculos, aperi eorum aures; eia benigniſſime Salvator, ſanguineis tuis manibus tange illorum corda, ut tandem ſapiant; Dum inter pias has querelas oculos meos rurſum conjeci in meum librum, quem legebam, inciderunt mei oculi in verba Tertulliani, quibus no-

vam

Digitized by Google

vam & pulcram proponit cauſam, ob quam plurimi auditores illa quæ audiunt non intelligunt, nec vident quæ vident,
Iſ.6.v.10. &c. Verba illa Iſaiæ, *audite audientes, &c.* refert ad Judæos, qui revera Chriſtum viderunt, illum ipſum audiverunt prædicantem, viderunt ejus miracula, & tamen non agnoverunt, imo crucifixerunt; & ob hanc cauſam.

§.7. Auditio Verbi Dei requirit cor. & attentionem.

Hanc obtuſionem ſenſuum (ait Tertull.) *meruerunt, labiis diligentes Deum, non corde* (apud Judæos exterius in cæremoniis, in ſacrificiis erat aliqua ſpecies, quod verum colerent Deum, ſed cor eorum erat longe ab eo. Mirabilis, ſed formidabilis nobis ratio, qui nunc vivimus; ſpecie aliqua ſumus Chriſtiani; ita! imus ad templum, & in materia de qua loquimur accedimus conciones. corpore multi ſunt præſentes. Auditores mei, ubi ſunt corda veſtra? ubi cogitationes? ubi attentio? ubi intellectus. timeo, ne aliquorum cogitationes, imò oculi ſint in oculis hujus Virginis, imo hujus conjugatæ. Itane ſub concione cor tuum adulteratur? & quomodo audies, quæ dicuntur, de morte &c. Oculi tui ſunt pleni fumo & ſpeciebus rerum turpiſſimarum, quomodo agnoſcent Jeſum, etiam ſi in cruce illum tibi oſtendam. Phantaſia tua obruta, obducta, obfumata eſt mille vanitatibus, quomodo ego illi imprimam imagines & ſpecies 4. noviſſimorum. Non,
Deut. 28. v.28. non! hoc fecit! *Percutiet te Dominus amentia, cæcitate, ac furore, ut palpes in meridie, ſicut cæcus palpare ſolet in tenebris, & non diriget vias ſuas.* hoc prô dolor fit quotidie. Venit aliquis adoleſcens ad concionem fine non bono; interim concionator tonat, clamat &c. non propterea diriget vias ſuas. Cor eſt alibi &c. (locus pro induct.) Non tamen ideo deſperandum eſt concionatori. Eia venator es, vibra ſpicula, hunc cervum non feries, jam diabolus, jam venus, jam cupido illum læſit; tu feries alium. Si bonus Jeſus vult, in hujus nomine debent vibrari ſpicula. Perge Paſtor es, projice bolos melleos, ſaccareos; hanc, hanc oviculam non ideo reduces; Cor ineſcatum eſt melle voluptatum. Reduces aliam, ſi

Jeſus

Digitized by Google

Jeſus vult, in hujus &c. Sic de piſcatore &c. O mi Jeſu, & ego venator ſum; video cervum ſenem multorum annorum; ah mi Jeſu! paravi telum, licetne in nomine tuo! permitte ut intingam prius tuo ſanguini, permitte ut prius accendam in ardentiſſimo tuo corde; ah! heu! nil video, niſi fumum, cogor arcum dimittere, & piſcator ſum &c. hoc modo &c.

Doleo! ſed hoc me affligit adhuc magis, quod tales plerumque procraſtinent pœnitentiam, & non advertant ſibi moriendum, donec jam mori debent, in fumo, quo multis annis ambularunt, tandem etiam non poſſunt videre extinctionem lucernæ ſuæ, id eſt, vitæ ſuæ. De Heli inquit ſcript. *Quod oculi ejus caligaverant, nec poterat videre lucernam Dei, antequam extingueretur.* & hinc tam miſerabiliter obiit. *fractis enim cervicibus retrorſum cadens de ſella mortuus eſt.* c. 4. Retro cecidit, ne videret lapſum ſuum. S. Gregor. M. Hom. 9. in Ezech. Non videre cadere, eſt *ex hac vita repente decedere, & ad qua ſupplicia ducatur, ignorare.* Cavete Auditores attendite, quomodo, quo fructu audiatur verbum Dei. An illa quæ auditis, intelligatis. An quæ oſtenduntur videatis. Ne tandem, antequam advertatis, lucerna veſtra exſtinguatur.

§. 8. Qui ſine fructu audiunt verbum Dei, vel plane non audiunt; plerumque procraſtinant pœnitentiam. 1. Reg. 3. v. 2

Elegantiſſimo ſimili declarat Sanct. Chryſoſtomus unde fiat multos auditores audire verbum Dei cum fructu, alios contra &c. Verbum Dei, inquit, cibus eſt qui per prædicatores diſtribuitur in audientes, qui cibus ab audientibus acceptus, convertitur in ſubſtantiam ſecundum diſpoſitionem membrorum, & ſecundum quod illa inveniuntur diſpoſita. *Vnumquodque membrum ſuſcipit nutrimentum, & convertit ipſum in ſe, ſecundum ſuam naturam, & diſpoſitionē, ut, puta, quod ſuſcipit jecur, totum fit ſanguis; quod autem ſuſcipit fel, bilis fit totum; quod verò aſcendit in pulmonem, phlegma efficitur. Quod autem in mamillas, totum efficitur lac. Subdit deinde.* Sic *ſacerdotibus in Eccleſia loquentibus verbum omnes ſuſcipiunt, unusquisque autem convertit illud, ſecundum proprium cor, ita ut unum idipſum verbum*

§. 9. Auditio verbi Dei requirit bonam diſpoſitionem.

hom. 1. in perf. c. 12.

in cordibus quidem rectis procedat ad vitam. in cordibus autem perverſis ſuſcitet iracundiam, quaſi bilis. In aliis autem operatur dilectionem dulciſſimam q. lac &c. Nil melius. Vnum & idem eſt verbum, omnibus proponitur, omnibus prædicatur, omnibus ſuadetur. quid ergo in cauſa eſt, quod uni non proficit, imo obeſt? non alia, quàm cujuſque diſpoſitio. Convertitur enim ſecundum diſpoſitionem aliis in lac, aliis in fel.

§.10. **Profectio.** Clemens Alexandr. l. 2. ſtrom. in princ. hanc requirit diſpoſitionem. ut qui cum fructu vult audire conc. *Optima is ſit conſcientia.* Hanc Philo Jud. l. de decal. *Ad ſacras leges recipiendas animus purificatus requiritur, elutis maculis.* Sanctus Chryſoſtomus hom. 30. in acta. *Cum ſilentio omnes audiamus eÿciamus vincula animæ. Ingredere pictoris officinam, & videbis multum illic ſilentium, ergo & hic ſit, etenim hic regias pingimus imagines & nullam privati hominis; Stylus ergo eſt nobis lingua, artifex autem Spiritus S.* Optat præterea S. Chryſoſt. ut auditores poſt concionem omnia colligentes, ac recenti memoria tenentes, apud *ſemetipſos ruminent divinas doctrinas.* Debet enim ſermo noſter ait Cæſarius Arelat. Ep. in corde veſtro radices figere, ut in tempore retributionis poſſit æt. vitæ fructus feliciter exhibere.

CONCIO XXXV.

DOMINICA VI. POST SS. TRINITATEM.

Vade prius, reconciliari fratri tuo.

Matt. 5. v. 24.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Diligentibus inimicos ſuos, Deus promiſit magna præmia. Graves verò minatur pœnas illis, qui nolunt ignoſcere

§.1. *Gloſ.*

Digitized by Google

§.1. *Gloſſa circa mandatum, de diligendis inimicis.*
§.2. *Propoſitio.*
§.3. *Durum eſt, quod jubet Deus, ſed ingens promittit præmium.*
§.4. *Proſecutio ex S. Chryſoſtomo.*
§.5. *Præmia aliqua in particulari.*
§.6. *Condonatio injuriarum, excellens involvit motivum.*
§.7. *David oravit cum magna fiducia.*
§.8. *Cum pepercißet Sauli.*
§.9. *Proſecutio.*
§.10. *Apoſtrophe ad Auditores.*
§.11. *Deus averſatur homines, avidos ultionis.*
§.12. *Et acriter punit. Speculum fuit Ioab.*
§.13. *Cur David moriens juſſerit illum occidi.*
§.14. *Apoſtrophe ad Ioab.*
§.15. *Epilogus patheticus.*

IN bene ordinata rep. imo regnis & imperiis uſitatum eſt, ut piæ ſanctæque leges à legislatoribus ſtatutæ & ſancitæ, vel ab ipſis, vel à poſteris, certis gloſſis & aſteriſcis notentur, aut explicentur. Hoc in hod. Evangelio facit æternus legislator Chriſtus Salvator noſter. Præceptum ſuum novum, & præcipuum poſt primum, de diligendo proximo, non aliquo, ſed omni, etiam hoſte & adverſario pulcerrimis gloſſis dilucidat; quantum ſcilicet ad impletionem ſui præcepti illius exigatur; nimirum non ſatis eſſe ut aliquis opere proximum non occidat, ſed ne q. iraſcatur fratri ſuo; & ſi iraſcatur, ait eſſe reum judicio. Ne quis putet ſaltem licitum ſibi eſſe, verbis quærere vindictam & ſe ulciſci, addit aliam gloſſam. *Qui dixerit fratri ſuo, Raca, reus erit concilio.* Majorem adhuc pœnam; gehennam ignis minatur ille aſteriſcus, *qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Ultima gloſſa ſuadet, ut ſi quis fortaſſis jam poſuerit munus in altari, ſi tamen recordatus fuerit, quod habeat aliquid adverſum fratrem, ut relinquat, & vadat prius reconciliari fratri ſuo, tunc veniens offerat munus ſuum. Solent etiam ejuſmodi gloſſæ & explicationes legum, addere vel pœnas quæ latæ ſunt in tranſgreſſores, vel promiſſa præmia, legum obſervatoribus: idem fre-

§.1. Gloſſæ, circa mandatum, de diligendis inimicis.

Matt. 5. v. 22.

quenter fecit ChriſtusS.noſter,prout conſtat ex diverſis Evv.

§.2. *Propoſitio.* Memini me in variis concionibus agere de pluribus circumſtantiis perfectiſſimi hujus mandati, de venia danda etiam inimicis.v.g.Quanta ſit auctoritas legis latoris,quis præceperit; de præcepti hujus perfectione, ſanctit. juſtitia, quam eximius in ejus obſervatione fuerit ipſeChriſtusD.& ad illius imitationem viri ſancti; de pœnis in tranſgreſſores, & ſimilia. Hac concione ſimul agam, & de prœmio propoſito & promiſſo à Chriſto Domino illis, qui ignoſcunt, qui diligunt etiam inimicos; & pœna certiſſima, pro illis qui ignoſcere nolunt. Qui ignoſcunt miſericordiam Dei conſequentur,qui vero ignoſcere nolunt,qui vindictam ſemper ſpirant,graviſſime & quidem in omnem æternitatem punientur.

§.3. *Durum eſt, quod jubet, ſed ingens promittit præmium.* In præſenti materia placet mihi gloſſa S. Auguſtini ſuper præceptum de quo agimus, ſer. 254. de temp. *Dominus juſſit, dura juſſit, ſed magna promiſit.* & ſer.5. de S.Steph. *Grandis labor eſt inimicos diligere, pro perſecutoribus ſupplicare, nec nos negamus fratres, non parvus quidem labor eſt in hoc ſæculo, ſed grande erit præmium in futuro*, & ſer. 4. de eodem S. *Dominus noſter Ieſus Chriſtus jubet nobis aliquid, & promittit nobis aliquid. quod jubet* (durum eſt, ſed) hic eſt: quod promittit alibi *eſt*; *quod jubet, finitum, quia temporale eſt, quod promittit non finitur, quia æternum eſt.* Hinc advertat veſtra ſanctitas, quanta eſt ejus miſericordia erga nos, ut laborem hic poſuerit cum fine, mercedem in cœlo ſine fine.

§.4. *Proſecutio. ex S. Chryſoſtomo.* Placet mihi gloſſa S.Chryſoſt. hom.46.de diverſis. *Nulla virtus majori præmio compenſabitur, quam illa qua inimicos diligimus*; neque Chriſtus D. tantum promiſit regnum cœlorum, terræ poſſeſſionem, & ſimiles remunerationes, ſed ipſam cum Deo ſimilitudinem, ſed Dei filiationem, qua re nihil majus excogitari poteſt. Homilia de ſimultate hanc habet exhortationem. *Quod ſi arduum atq; operoſum negotium tibi videatur* (prout eſt) *cogita quod ob Deum talia pateris* (quod amori Chriſti hoc tribuas) *& plenam percipies conſolationem.* Animam tuam ſubterfugientem, reformidantem, erubeſcentem, pudefientem exacue, eique continuo occine,

quid

quid fugis? quid detrectas? non agitur de pecunia, non de rebus momentaneis, ſed de ſalute animæ. quid fugis,&c. Deus Chriſtus Jeſus iſta facienda præcepit, & ſi obſequaris ingentia promiſit præmia.

Homilia 71. ad pop. S.Chryſoſt. ſimiliter eſt ferventiſſima concio, in qua multis rationibus conatur perſuadere dilectionem inimicorum, tam diſerta & compta, ut fluat, quaſi quidam fluvius eloquentiæ, quod de dictione Lactantii dixit S.Hier. inter alia ait: *Non ſolum facti difficultatem cogites, cariſſime, imo gratias referre teneris, quod per beneficium inimico collatum, tanta poſſis obtinere quod apud Deum fores tibi fiducia reſerentur, ut peccatorum tibi fiat abſumptio*, (ut remittantur tibi peccata tua. Clarius loquitur S.Aug. in Enchir. c.33. cujus hæc eſt doctrina. Quod non poſſimus applicare mediũ efficacius poſt recepta SS. Sacram. nec opus aliud facere, quo Deum, noſtro modo loquendi, fortius aſtringamus, ut nobis remittat peccata præcipue pœnam, quam in nos peccantibus ignoſcendo. ſæpe audiviſtis, Trihorio in cruce Chriſtum Dom. ferventiſſime oraſſe. Sed cur initium fecit ardenti deprecatione pro inimicis, Pater &c. ideo quia divinus ſacerdos totius mundi peccata in ſe ſuſceperat ut eorũ obtineret indulgẽtiam ad altare crucis ſic oravit, ſciebat enim ad eorũ remiſſionem omnium maxime conducere, ignoſcere inimicis; Ratio Theologica eſt, quia hæc dilectio inimicorum, opus eſt perfectiſſimum, eo quod purè in Dei honorem dirigatur, ſolũ ideo quia ipſe jubet. Non ignoramus, in quantum Deus laudarit obedientiam Abrahæ, dum filium ſuum Deo voluit immolare in holocauſtum, unde Deus ait, *quia feciſti hanc rem, & nõ pepercisti unigenito tuo propter me, per memetipſum juravi &c.* Opus ſcilicet fuit pura intentione factum in Dei gloriam, & præſciſe quia hoc ei Deus imperaverat. In ſe enim hoc erat contra inclinationem Abrahæ, contra voluntatem propriam in ſui acerbiſſimum dolorem, ipſum patrem, cæde unici filii, & ejus ſanguine conſpergi. ideo unicus & ſolus Deus objectum fuit Abrahæ, quod etiam Deus pleno ore extollit, *non peperciſti unigenito tuo propter me.*

§. 5. *Præmia aliqua, in particulari.*

Gen. 22. 16.

§.6. *Condonatio injuriarum, excellens involvit motivum.*

Attendite opera veſtra auditores, nullum invenietis quod purius fiat propter Deum, quàm ignoſcere inimicis, benefacere his qui oderunt vos, ejus procurare commodum, qui tuo ſtudet incommodo, quia nihil aliud ad hæc vos movebit niſi ſolus Deus; non certe movebit veſtra voluptas, non naturæ inclinatio, non honor, non aliud commodum, ſed unica & pura Dei gloriæ, & voluntas Chriſti. Sed proinde etiam juro vobis aud. per Dei & Chriſti D. infallibiles promiſſiones; per nullum aliud opus tanta poteritis obtinere, ut ſcilicet apud Deum, & q. coram tribunali d. Juſtitiæ vobis referentur portæ fiduciæ, & ut omnium peccatorum veſtrorum fiat abſumptio; *Dimittite & dimittetur vobis.*

§.7. *David oravit cum magna fiducia.* *Pſ.56.v.1,2*

Legite ſi vultis pſ.56. Davidis, plenus eſt piiſſimis affectibus magnæ fiduciæ, & humillimæ deprecationis. ſic orditur pleno gutture; *Miſerere mei Deus, miſerere mei, quoniam in te confidit anima mea.* (vide Pſ.) & unde illa fiducia? qua tanto ſolatio implorat Dei miſericordiam; ex tempore, quo compoſitus eſt, cauſam intelligemus. Cum David propter inſidias Saulis, ſeceſſit in deſertum Engaddi, recepit ſe in ſpeluncam, aditu anguſtam, ſed profunditate latam, in cujus intimo receſſu latuit cum 600. militibus fugitivis; eandem ſpeluncam neceſſitatis cauſa coactus fuit ingredi Saul, qui inſtar Venatoris cum 3000. quærebat David. Cum Rex ſpeluncam ingrederetur, dixerunt ſocii Davidis, *Ecce dies de qua locutus eſt Dominus ad te, ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei ſicut placuerit in oculis tuis.* Solus eſt Saul, ſine armis, ſine ſatellitio, omnia favent faciendæ cædi. Capta eſt præda. Dic mihi, qui odium actu foves; quid ageres, ſi in tua poteſtate haberes inimicum, ſi ſcires odium illius in te eſſe graviſſimum, ſi ſcires quod te quærat ad mortem, non dubito ſtringeres gladium.

1. Reg. 24. v.5.

§ 8. *Quod pepercisset Sauli.* *v. 11.*

Certum eſt Davidi tales cogitationes occurriſſe, poſtea enim faſſus eſt, *cogitavi ut occiderem te.* Sed generoſus juvenis hos motus compreſſit, & gladio quem ad cædem ſtrinxerat, oram chamydis in ſilentio præſcidit; & propter hoc ſubito, cor

cor ſuum percuſſit David, quod hoc feciſſet. Neque putemus Davidem fuiſſe ſtupidum, nullum illi fuiſſe ſenſum; erat enim animi generoſi & indolis bellicoſæ, & ideo ſtrinxit gladium, ſed iræ ſtatim injecit frenum, neque proceſſit ulterius, ſed percuſſit cor ſuum; & velut equum ſubſilientem & ferocientem revocavit iram; & hoc, licet offerret ſe animo, injuſta Saulis perſecutio, nulla præcedente cauſa, licet in nulla re eum læſiſſet, ſed potius varia beneficia præſtitiſſet. licet illi occurreret; quoties Saul tentarit per ſe, per alios ſe interimere. licet prævideret futura, licet noſſet indomitum Saulis animum, & aliunde incredibilem levitatem, quidquid polliceretur, licet hæc omnia illi repræſentarent milites, licet à ſuis animaretur ad vindictam; nihil ex his Davidi perſuaſit vindictam, ſalvum & incolumen permiſit abire Saulem, imo, *confregit David & viros ſuos ſermonibus, & non permiſit eos ut inſurgerent in Saul.* dixitque *propitius mihi ſit Dominus, ac faciam hanc rem Domino meo, Chriſto Domini, ut mittam manum* v.7.
meam in eum, quia Chriſtus Domini eſt. Diutius hæreo in pulcerrima hiſtoria; hoc eſt breviſſimum compendium; David potuit nocere hoſti in ſpelunca, ſed non fecit.

§.9. *Proſecutio.*
Cum verò deinde David exivit è ſpelunca, putant SS. PP. eum ceciniſſe cit. pſalmum plenum fiducia, & quaſi certus de Dei miſericordia, de venia peccatorum de peculiari Dei cuſtodia, *Miſerere mei Deus, miſerere mei, quoniam in te confidit anima.* q.d. O mi Deus, ecce habui hoſtem in mani- *Pſ.56. v.8.*
bus, ſed abſtinui, miſerere mei: ecce potui me ulciſci, non feci, miſerere mei; jam in te confido. Ab hoc tempore, *in umbra alarum tuarum ſperabo, paratum jam cor meum, Deus, paratum cor meum, ut faciam voluntates Domini.*

§.10. *Apoſtrophe ad auditores.*
Sed agite, Audit. ſic eſt, offerunt ſe ſubinde occaſiones, ut poſſis te ulciſci, potes illi detrahere NN. ſiſte, ferocienti & ſubſilienti equo, injice frœnum; reprime motus, ignoſce. David nocere noluit corpori Saulis, quod regio oleo eſſet unctum, & ſacrum Deo; non oleo olivarum, ſed precioſo ſanguine fili Dei inunctus eſt hoſtis tuus; abſtine manum, parce,

& au-

& audacter dic, *miſerere mei Deus.* Ignoſce: & grande obtinebis præmium.

§.11. *Deus averſatur homines, avidos ultionis.* Inſinuavi antea hom.71. S.Chryſoſt. fuiſſe vehementiſſimam exhortationem ad dilectionem amicorum. Talis quoque fuit hom.27. in Geneſ. in qua de materia hac tanta verborum elegantia peroravit, ut ipſe in fine cõcionis faſſus fuerit, quod oculis perciperet fructum ſuæ dictionis, unde ſibi gratulatus fuit. *Gaudeo & lætor, quia video vos tanta voluptate, quæ dicimus, audire, & plauſu tanto excipere, promptoſque eſſe, & ad Dominici mandati adimpletionem paratos.* fructus hic fuit, eo perorante quidam ſurrexerunt in medium, dimittentes calumnias, remittentes veteres inimicitias, & in pacis oſcula ruentes. Unum autem ex præcipuis punctis, quibus permoti fuerunt, fuit hoc, quod diceret D. Chryſoſt. *Nihil omnium Deus ita odit, & averſatur, ut hominem, ultionis avidum, & in animo ſuo perpetuas adverſus proximum ſervantem inimicitias. tantum enim ejus peccati damnum eſt, ut miſericordiam Dei revocet, nec locum habere ſinat. ſic enim & Pater cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis;* & exclamat S.Hier. *Formidoloſa eſt hæc ſententia.* Econtra verò, nihil ita placet Deo, nihil omnium ita amat, ut hominem remittentem injurias. Tanta virtutis illius eſt utilitas, ut miſericordiam Dei infallibiliter obtineat; juxta

Matt.5.v.7 illud, *beati miſericordes quoniam ipſi miſericordiam conſequentur;* multò magis illi qui inimicis ignoſcunt, &c. Ingens hoc eſt præmium quod obſervatoribus hujus legis promiſſum eſt.

§.12. *Et acriter punit. Speculum fuit Ioab.* *3. Reg.2. v.7.* Avidos vindictæ Deus punit, & graviter punit. Mirabilem vobis narrabo hiſtoriam, ſed ex S. literis, Cum appropinquaſſent dies David, ut moreretur, vocavit ad ſe regni ſucceſſorem Salomonem, & inter puncta teſtamenti illi præcepit hoc; Fili mi, hoc tibi injungo, ut cum mortuus fuero, ſtatim auferas vitam Joab: licet fuerit dux mei exercitus, licet ſit conſobrinus tuus, filius meæ ſororis. Sit ille primus, ſic jubeo, in quem ſtringas gladium tuæ juſtitiæ; vide ne parcas, nec unum diem vitæ, illi poſt mortem meam, concede. O manſuetum David dum vivit. O crudelem poſt mortem!

Volun-

Digitized by Google

Voluntatem Patris fuit executus Salomon quo die David clauſit oculos, mandavit fortiſſimo Banaiæ, ut lecta militum manu aggrederetur Joab, eumque confoderet. Affertur hic nuntius ad aures Joab, quid ageret in tantis anguſtiis? confugit ad tabernaculum Dei, tanquam ad locum ſacrum. Quod cum nuntiatum fuit Salomoni, dixit iratus, nihil refert, vade *Et interfice eum & ſepeli, & amovebis ſanguinem innocentem.* Stat v. 29.
lata ſententia, ſanguis Joab effundi debet, juſſit Pater meus, cum moreretur. neque eſt, cur locus ſacer ei proſit. Ivit Banaias & interfecit Joabum. Res plane tragica; de qua dubium eſt, utrum magis miremur, vel Davidem hoc præcipientem, vel Salomonem hoc exequentem. Et cur manſuetiſſimus David, antequam moreretur adeo fuit offenſus ut in hora mortis, in hora qua tempus eſt ut quis ignoſcat inimicis, hora illa qua crudeliſſimi quique, non ſolum ignoſcunt, ſed veniam petunt, juberet Joabum occidi exercitus ducem! affinem! bene de rege meritum. Illum, qui regio juſſu occiderat Uriam exponendo certo periculo. Et fortaſſis propterea juſſit occidi.

§. 13. *Cur David moriens juſſerit occidi Ioabum.*

Aliam cauſam advertit ſubtiliſſimus Abulenſis: in cap. 23. Reg. q. 7. & q. 36. 37. nimirum ſævitiam qua Joab Abſolonem filium Davidis interemit. licet enim Abſolon eſſet rebellis, tamen cum David mitiſſimus parens contra illum miſit regium exercitum cum Joabo, in omnium principum conſeſſu, circumſtante toto exercitu præceperat David, omnium graviſſime læſus, *ſervate mihi puerum Abſolon,* Joab nihilominus valde exacerbatus in ingratum, quia antea illum patri reconciliaret, neglecto imperio Davidis, ut ſe ulciſceretur, pendentem è quercu, tribus lanceis miſerum confodit. Sic ſe ultus eſt miſerabili plane cæde, vindex, crudelis, immiſericors, inobediens mandato mitiſſimi parentis.

§. 14. *Apoſtrophe ad Ioab.*

O miſer Joab! illo ſanguine, qui ex Abſolonis pectore fluxit, illo ſanguine quo reſperſa fuit tua triplex lancea, illa calamus fuit; ſanguis Abſolonis fuit atramentum quo ſententia mortis in tuum caput ſcripta fuit. Mitiſſimus fuit David;

inſtruere tamen voluit filium Salomonem etiam moriens, in hora mortis, ſumendam eſſe vindictam de illo, qui in ſua cauſa, contra præceptum regis, vindex eſſe voluit. ſic talis moriatur; imo nec ſanctuarium illi profuit. & ſic contigit. Videor mihi videre, cum Banaias armata manu, ſtrictis gladiis innuit in templum, quomodo Joab fuerit amplexatus cornua altaris, madentis adhuc ſanguine victimarum, ſed in amplexu altaris ſine miſericordia confoſſus fuit.

§. 15. *Epilogus Patheticus.* Audi mi homo, quisquis foves odia, quisquis avidus es vindictæ &c. nunquid mitiſſimus David, Chriſtus Jeſus cum mori vellet in conſpectu & præſentia Apoſtolorum tibi dixit; *Ego dico vobis diligite inimicos veſtros, &c.* parcite &c. & tamen vis ulciſci? & nihil cogitas aliud, quam quomodo triplici lancea, tuis cog. tuis verbis, tuo opere transfodias cor tui inimici. Sic perge! ſed ille ſanguis contra te ſcribit ſententiam. Mandat Juſtitia ut & tu miſerrime moriaris. Cœleſtis Salomon erit executor, Chriſtus Judex! Et quod in miſerabili agone quæres refugium? ſanctiſſimam crucem? & tunc illa ſe ulciſcetur de te, quia ignoſcere noluiſti: in amplexu crucis morieris miſerabiliter. An precioſa Chriſti Vulnera? illa altaria miſericordiæ? non proderunt illis qui de inimicis ſe ulciſci voluerunt &c. (hoc modo fieri poteſt patheticus epilogus.) Quis vobis erit ſenſus auditores? gaudeo & lætor, quod &c. Sed non cupio ut coram ſurgatis, non ut &c. hoc oro; in corde ſtatim ignoſcite; pathetica repetitio dictorum.

NB. Ut ſupra de ſanguine Abſolonis, ſic hic. Sanguine Chriſti ex ſanctiſſ. Vuln. ſcripta eſt ſententia, morieris infeliciter, quia non vis ignoſcere. Sic de ſanguine fluente ex corde Chriſti, &c.

CON-

CONCIO XXXVI.

DOMINICA VII. POST SS. TRINITAT.

Miſereor ſuper turbam.

Marc. 8. ℣. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

COnatur aliquot argumentis, magni ponderis, perſuadere divitibus, ut non corde tantum pauperum miſereantur, ſed ipſo facto erga illos ſint liberales: ab hac liberalitate pendet ſalus illorum æterna.

§. 1. *Chriſtus D. ſua urbanitate homines poſt ſe traxit.*

§. 2. *Quo ſenſu dicatur in ſacris literis, redemptionem animæ divitis, eſſe divitias.*

§. 3. *Proſecutio.*

§. 4. *Deus magnificat ſuam miſericordiam ſuper divites liberales.*

§. 5. *Præſertim in die neceſſitatis.*

§. 6. *Eleemoſynæ ſunt medicina gravium peccatorum.*

§. 7. *Miſericordia divitibus præſtat ſecurum acceſſum ad Iudicem.*

§. 8. *Varia virtutis hujus elogia.*

FAmiliariter cum hominibus converſando Chriſtus Salvator noſter (utor verbis Angelici Doctoris) conveniens fuit, ut omnibus fiduciam daret ad ſe accedendi: adeo ut & publicani & peccatores libenter illi adeſſent: & ipſe etiam cum illis manducabat, *ut hac ſocietate* (S. Laur. Novarienſis) *quaſi arte eos converteret ad ſalutem* S. Bonav. *Erat curiatiſſimus)* totus urbanus. Præterea erat liberaliſſimus

§. 1. *Chriſtus D. ſua urbanitate homines poſt ſe traxit.*

mus, omnibus benefaciendo: & ſic, *plurimorum amore potitus fuit* (S. Athan.) ut plurimi relictis pagis & oppidis ipſum in ſolitudinem fuerint comitati: hæc multitudo populi Chriſto D. occaſionem præbuit, ut admirabili convivio, in quo paucis panibus & piſcibus in deſerto pavit aliquot millia hominum, divinam ſuam oſtenderet omnipotentiam, & ſimul tenerrimum ſuum amorem, erga plebem; quem expreſſit his verbis, *miſereor ſuper turbam*. Vel ut legit S. Aug. *Diligo ſeu amo turbam* Alii legunt. *Intimis viſceribus commoveor*. Verbis addidit opus ſeptem panes ita multiplicando, ut omnes præſentes fuerint ſaturati. Conabor hac concione aliquot magni ponderis argumentis perſuadere divitibus, ut non corde tantum pauperum miſereantur, ſed ipſo facto erga illos ſint liberales. Ab hac liberalitate pendet ſalus ipſorum æterna; ut mox audietis.

§. 2. Quo ſenſu dicatur in ſacris literis, Redemptionem animæ divitis, eſſe divitiis.

Verba Salomonis nobis proponunt difficilem ſententiam, ſed quæ eleemoſynarum excellentiam, & eximiam utilitatem ſummopere commendant atque extollunt. *Redemptio animæ viri divitiæ ſuæ.* Si de corpore eſſet ſermo, quod ſi v.g. dives aliquis morbo conflictetur, ſuis pecuniis poſſit emere neceſſarias medicinas, ut ſic ad tempus evadat naturalem
Proverb. 13. v. 8. corporis mortem, facile verborum illorum ſenſum intelligeremus; ſed hoc eſt difficile, quod diviti divitiæ prodeſſe poſ-
Matth. 19. v. 23. ſint ad ſalutem; ob verba illa Chriſti D. difficile eſt ut dives
Sophoniæ 1. v. 18. ſalvetur &c. Clare præterea loquitur Sophonias. *Argentum eorum & aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini.* Præterea de redemptione loqui poſſumus, vel quatenus illa Deum & præcipue Chriſtum Salvatorem noſtrum, vel quatenus nos qui redempti ſumus, reſpicit. De priori
Iſa. 52. v. 3. modo, ait Iſaias. hæc dicit Dominus. *Gratis venundati*
1. Pet. 1. v. 18. *eſtis, & ſine argento redimimini.* Sanct. Petrus ait. *Non corruptibilibus auro vel argento, redempti eſtis, ſed precioſo ſanguine Chriſti.* Et ut clare agnoſcamus ſoli Deo aſcriben-
Ioan 3. v. 16 dam eſſe generis hum. redemptionem; vocatur hæc Do-
Luc. 1. 7. 8. num gratuitum. *Sic Deus &c.* & miſericordia. *Per viſcera miſeri-*

miſericordia Dei noſtri. Pietas 1. ad Tim. c. 3. *Magnum pietatis ſacramentum.* Gratia. ad Tit. 2. verſ. 11. *Apparuit gratia Dei.* Benignitas. Cap. 3. v. 4. *apparuit benignitas & humanitas Salvatoris noſtri Dei.* Huic itaque dives aſſcribere debet ſi Redemptio proſit animæ ſuæ ſi illa ſalvetur &c. non divitiis &c. Si de redemptione ſit ſermo, quatenus reſpicit hominem. Notandum eſt, Redemptionem proprie nil aliud eſſe, quàm æqualem ſatisfactionem culpæ, ex rigore Juſtitiæ, ita ut ſatisfactio tanti ſit valoris & meriti, quantæ malitia eſt culpæ in quovis peccato letali, quo DEUS offenditur. Sanct. Thomas 3. p. quæſt. 1. artic. 2. ad 2. *Oportet ad condignam ſatisfactionem, ut actus ſatisfacientis habeat efficaciam infinitam*; & quomodo dives, plerumq; homo peccator ſuis divitiis illam præſtare poterit? eſt res impoſſibilis! & tamen Sp. S. ait, *Redemptio animæ viri, divitiæ ſuæ.*

Ut difficultati ſatisfaciamus, uti oportet verbis S. Pauli. *Adimpleo ea quæ deſunt Paſſionum Chriſti in carne mea, pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia.* Sed verba hæc æquè obſcura ſunt, ac priora. Nam quid defuit Paſſioni Chriſti? an pura creatura infinito illius valori, & efficaciæ aliquid poteſt addere? nunquid, *Copioſa apud ipſum redemptio*? Pſal. 129. v. 7. an non gratiam divinam S. Paulus ad Roman. 5. verſ. 20. vocat ſuperabundantem? Ita: *quantum ad ſufficientiam, non quantum ad efficaciam.* Efficaciſſima eſt Paſſio Chriſti, ſed illi cui applicatur, per ſacroſancta Sacramenta, præſertim, baptiſmatis & pœnitentiæ; deinde ut homo præventus donis ſupernaturalibus ſe diſponat, capacemque reddat divinæ gratiæ. Medicina habet illam virtutem, ut pellat morbos; ſi æger illa utatur. Sol poteſt illuminare cubiculum; ſi aperiantur feneſtræ; Ignis calefacit illos qui accedunt. Hoc dicere voluit S. Paulus; *Chriſtus D. pro me mortuus eſt.* p. &c. ſed adimpleo ea, quæ deſunt. (ut explicat S. Th. *addo menſuram meam.* ego quoq; facio quæ facienda ſunt.) Jam poterimus intellig. ſenſum horũ verbor. redemtio

§ 3. *Proſecutio. Col. 1. v. 24.*

 idest

idest; ſine dubio Chriſtus D. eſt redemptor omnium divitum, ſine illo nemo ſalvabitur. Neque tamen hoc ſufficit; ſed dives inſuper ſollicitus eſſe debet, ut cooperetur; & quaſi ſuppoſito, quod baptizatus ſit, ut caveat malum, & faciat bonum. Cum verò divites facile incidant in gravia peccata; cum plerumque illis difficile ſit, orare, jejunare, mortificare membra ſua &c. hoc illis ſupereſt remedii, ut quæ deſunt ex hac parte, adimpleant ſuis pecuniis. Modum illis præſcribit S. Hieron. *Argentum & aurum eorum in die mortis non poterit liberare; non quod negemus, aurum & argentum divites liberare à morte: Redemptio enim animæ viri, propriæ divitiæ. Sed quod eo tempore liberare non poſſunt, quando divitias neceſſitate dimittunt.* (p. locus.) Si v. tempeſtive illas diſtribuant inter pauperes, ſi, ſi &c. hoc modo fiet, ut primo loco redemptionem & ſalutem ſuam aſcribant ſanguini Chriſti deinde verò ſuis eleemoſynis, ſine quibus divites non facile ſalvantur. S. Petrus Dam. l. 8. ep. 10. *Neque enim te omnipotens Deus ad eleemoſynas provocat, tanquam deſit ſibi, unde pauperibus ſuis alimenta provideat; ſed idcirco potius illos inopes exhibet, ut tibi te redimendi materiam ſubminiſtret.*

§. 4. *Deus, magnificat ſuam miſericordiam ſuper viros miſericordes.*

Dives quidam Mercator Conſtantinopoli Matronæ pro eleemoſyna dedit quinque libras auri, ad redimendum maritum captivum. Ipſe deinde coram Imperatore graviter accuſatus, fuit conjectus in carcerem & morti adjudicatus: ſed Deo ita diſponente eadem domina ſuo benefactori Imperatorem reconciliavit, & à periculo mortis liberavit; Tum illi dixit: *Ecce & ego liberavi te è periculo. Vides clementiam Dei, quomodo per me, cui feciſti miſericordiam, apparuit tibi miſericors, quaſi dicens: hoc propter me feciſti, & ego magnificavi miſericordiam meam ſuper te.* hoc facite divites; date eleemoſynas pauperibus, ipſi vos liberabunt è periculo. Videtis clementiam Dei &c. fiat pulcra applicatio.

§. 5. *Præſertim in die neceſſitatis.*

Super verba illa Tobiæ. *Præmium bonum tibi theſaurizas in die neceſſitatis: quoniam eleemoſyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Super hæc inquam

Digitized by Google

quam verba ait inprimis Gloſſa, *In die neceſſitatis judicii, ubi nemo ſibi ſufficeret, ſi miſericordia deficeret.* Deinde, S. Joannes Chryſoſt. h.37. ad pop. *Si mors pecuniis redimi poſſet, morti proximus omnia ſua daret: Vide igitur quanta ſit miſericordia Dei! temporalem redimere pecuniis mortem, non conceſſit; ſed conceſſit mortem æternam ſic redimere.* nimirum eleemoſynis. Ipſa eſt ait Raphael, *quæ à morte liberat, quæ purgat peccata, & facit invenire miſericordiam, & vitam æternam.* S. Aug. l.50. in hom. 39. *Ante fores gehennæ ſtat miſericordia, & nullum miſericordem permittit in carcerem illum mitti.* Expertus fuit ille qui in agone exclamavit ad circumſtantes, *Videtis innumerabilem dæmonum turbam, quæ me undique circumvallat! meq; terribilibus oculis intueri, & impugnare non ceſſat!* tandem ait; *Ecce Deo gratias, ejecti ſunt; una mulier fugavit omnes & quidem illa veſte; quam aliquando pro eleemoſyna illi dedi. Sic igitur* (ait hiſtoria) *ille ſub bonæ ſpei ſecuritate defunctus eſt, & miſericordiæ fructus, quos vivus exhibuit, oblatos ſibi, dum moreretur invenit.*

Tob. 4. v. 10.

Tob. 12. v. 8

§. 6. Eleemoſynæ ſunt medicina gravium peccatorum.

Chriſtus D. acriter reprehendit Phariſæos his verbis, *Nunc vos Phariſæi, quod deforis eſt calicis mundatis: quod autem intus eſt veſtrum, plenum eſt rapina & iniquitate.* Ne tamen de obtinenda ſalute deſperent, ait ad illos v. 41. *Veruntamen quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* quæ verba ſic explicat V. Beda l.4. in Luc. *Quod tam multo ſcelere præoccupati eſtis, ſolum remedium reſtat, dare eleemoſynam.* Unde S. Aug. ſuper verba illa Chriſti D. *diſcedite à me &c. Eſurivi enim & non dediſtis mihi manducare &c.* pulcre ait, Chriſtum D. Judicem talia dicturum ad divites; in agone præſertim, & particulari judicio: *Si à peccatis veſtris averſi, & ad me converſi, illa omnia veſtra peccata, & crimina, eleemoſynis redemiſſetis, ipſæ eleemoſynæ modo liberarent vos, & à reatu tantorum criminum abſolverent.* Hiſtoriam plenam ſolatio referunt annales Ciſtercienſes, de quodam religioſo, peritiſſimo artis medicæ qua tamen non utebatur niſi in favorem pauperum; hos non tantum fovebat, non tantum media præſcribebat; ſed cum aliqui haberent verminoſa ulcera, ipſe illa lavabat,

Luc. 11. v. 39.

Matt. 25. v 41.

ſuis

ſuis manibus detergebat, alligabat, tanta cura, tanto affectu, *ut Chriſti Vulnera fovere putaretur.* Cum devenit ad extrema, circumſtantes in illo adverterunt ſigna peculiaris alicujus lætitiæ; ut Abbas ex obedientia illi præceperit, ediceret cauſam, tum læta voce reſpondit. *Piiſſimus Ieſus meus indigno peccatori apparere dignatus eſt, & ad me dixit. Ecce peccata tua deleta ſunt à facie mea; Veni ergo ſecurus, Veni, & vide, & deoſculare Vulnera mea, quæ tantum dilexiſti, & toties foviſti.* O Divites! neque veſtra ſcelera, deleri poterunt, niſi precioſo ſanguine, qui fluxit ex Vulneribus Chriſti! an ut hoc fiat deſideratis? videte ut prius ejus vulnera foveatis in pauperibus. Pauper eſt nudus. in illo veſter Salvator. Pauper famet; in illo Chriſtus D. aliquis pauper Lazarus eſt plenus ulceribus; illa fovete; date pauperibus eleemoſynas &c. Sic agite cum pauperibus, quaſi ageretis cum Jeſu pendente in cruce, &c. (eſt locus pro pulcro affectu) & ad erit vobis in agone.

§. 7. *Miſericordia divitibus præſtat ſecurum acceſſum ad judicem.*

Si divites aliquando ſine timore comparere deſiderent coram Chriſto Judice, oportet, ut ſint miſericordes. Tract. de laudibus Mariæ p. dixit, Arnoldus Carnotenſis. *Securum jam acceſſum habet homo ad Deum, ubi mediatorem cauſæ ſub Filium habet ante Patrem, & ante Filium Matrem.* Chriſtus nudato latere Patri oſtendit latus & vulnera; Maria Chriſto pectus & ubera: nec poteſt eſſe ullo modo repulſa, ubi concurrunt & orant omni lingua diſertius, hæc clementiæ monumenta & charitatis inſignia. Adverte cauſam, ob quam Maria tam grata & filio, quare impetrare omnia poſſit; dedit illi pectus & ubera, lactavit eſurientem Infantulum. Ut diſcant divites quid facere debeant, ut Deo ſint accepti, ut obtineant neceſſarias gratias ad ſalutem, nimirum ut egenti Chriſto in ſuis pauperibus tribuant eleemoſynas: pectus & cor divitum, ſit plenum lacte miſericordis; ſi aliquando tremendo Judici tale cor poſſint oſtēdere, ſecurum plane habebunt acceſſum; non trepidabunt, audient cum gaudio. *Venite benedicti &c.* S. Auguſt. cap. 24. in Marc. *Qualis apparueris Deo* (vel ſupremo Judici) *talis oportet ut tibi appareat Deus* (vel Judex)

Matt. 25. v. 34.

Judex) ſuavis, & mitis, & multæ miſericordiæ, ſuaves, mites, & miſericordes requirit. Si divites tales appareant coram Judice, ſi dicere poſſit, Domine, panem dedi eſurientibus, &c. Sine dubio ſuavem & mitem reperient Judicem.

Vellem divites ſubinde ponderare pulcerrimas excla- §. 8.
mationes S. Petri Dam. opuſc. 9. c. 8. in laudes Eleemoſy- *Varia vir-*
næ & miſericordiæ erga pauperes. *O virtus eleemoſyna! quæ* *tutis hujus*
velut fluentum fontis irrigui, & peccatorum inquinamenta, *elogia.*
detergis, & aſtuantium vitionem flammas extinguis. O felix eleemoſyna! quæ de gehennæ barathro tenebrarum filios extrahis, & adaptatos luci perpetuæ, regnis cæleſtibus introducis! tu de jacentibus ſub criminum ſqualore conſpicuos; tu de damnabilibus ſanctos facis. O miranda miſericordiæ virtus; quæ peccatorum omnium rubiginem purgat, frementium vitiorum incitamenta mortificat, & ſplendore cœleſtis gratiæ tenebroſas hominum mentes illuſtrat, & irradiat.

CONCIO XXXVII.

DOMINICA VIII. POST SS. TRINITAT.

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.

Matt. 7. ℣. 19.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRima parte oſtendit, reperiri in inferno omnia tormentorum genera, præſertim mortem ſive æternam agoniam. Altera pars brevter inſinuat duo efficacia media evadendi ignes inferni.

Digitized by Google

§.1. *In ſacris literis frequenter fit mentio ignis inferni.*
§.2. *Factum Plotinii Senatoris Athenienſis.*
§.3. *In inferno ſunt omnis generis tormenta.*
§.4. *Damnatorum Agonia æterna.*
§.5. *Tragica Hiſtoria.*
§.6. *Vtile eſt meminiſſe inferni.*
§.7. *Duo media evadendi infernum.*
§.8. *Chriſto Domino multi debent, quod non jam ardeant in inferno.*

§.1. *In ſacris literis frequenter fit mentio ignis inferni.*

HOc verſu ex hod. Eu. Chriſtus D. ſenſu literali loquitur de arida & infrugifera arbore, quæ ab hortulano exſcinditur & in ignem mittitur. Senſu verò myſtico de anima peccatrice, quæ in ſua ariditate ob defectum gratiæ, ſecuri mortis exciſa projicitur in infernum. Sed merito mirari quis poteſt, quod Chriſtus D. toties faciat mentionem ignis & pœnarum inferni. Apud S. Matt. ter. *Reus erit gehennæ ignis.* c.18. *mitti in ignem æternum.* c.25. *diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Ter quoque apud S. Marcum. *in ignem inextinguibilem. mitti in gehennam ignis-ignis non extinguitur.* Ejuſdem ignis mentionem facit apud S. Lucam & S. Johannem; & ſimul frigoris, ſtridoris dentium, tenebrarum exteriorum. Ut bene dixerit S. Auguſt. *quem non terreat iſta repetitio, & illius pœnæ comminatio tam vehemens, ore divino.* Taceo Prophetas, Iſaiam, Ezech. Jeremiam, Davidem & alios, per quos Deus impiis toties minatur ignem inferni; faciunt idem SS.PP. dum cor peccatoris expugnare contendunt, cuniculos quaſi ſubſtruunt, & ignis infernalis meditatione aſſultum faciunt. Ad converſionem & ſeriam pœnitentiam via peccatori ſtruitur à gratia, cum vivus deſcendit in infernum, ejuſque ignem meditatur. Notiſſima ſunt quæ referuntur de flammivomis montibus Aetna, Veſuvio, Vulcano, de quibus eleganter Tertull. l. de pœn. *Quid illum theſaurum ignis æterni æſtimamus, cum fumariola quædam ejus, tales flammarum ictus ſuſcitant, ut proximæ urbes aut nullæ extent, aut idem ſibi de die ſperent.* Vult natura, ut per flam-

Matt.5.v.22.23. cap.8.v.8. cap.25.v.41. Marc.9.v.42. Luc.16.v.24.

flammeorum montium ora, hiatus vel portas inſpiciamus infernum, videamuſque qualem ignem, quales pœnas, qualia tormenta Deus in illo ſuis hoſtibus præpararit. Cum materia hæc ad timorem Dei excitandum, & odium peccati, ſit utiliſſima, frequenter exemplo Chriſti de illa ſoleo agere. Idem faciam hac Concione.

§. 2. *Factum Plitonii, Senatoris Athenienſis.*

In ſapientiſſimo Thebanorum Senatu quæſtio aliquando propoſita fuit, quâ ratione enormia quædam crimina in plebe poſſent emendari. varii varie reſponderunt. Plitonius prudētiſſimus ſenator obtenta licentia diſceſſit ex concilio, mox rediit cum aliquot ſervis, qui rotam, virgas, ſecures, & ſimilia atrocitatis inſtrumenta ad pedes ſenatorum abiecerunt, quaſi dicere vellet: quid longa conſultatione opus eſt, imponite reos rotis, cædite virgis, percutite ſecuri, includite vinculis, & ſcelera hæc ex urbe noſtra brevi exterminabuntur. Si aliqui utiliſſimam quæſtionem mihi proponant, qua ratione movendi tandem obſtinati quidam peccatores, ſuperbi, invidi, luxurioſi &c. ut pœnitentiam agant; reſpondeo, me vivum deſcendiſſe in infernum, ubi vidi atrocia, inde redux aliqua narrabo tantum; ſi impii illorum terrore non moveantur, actum eſt.

§. 3. *In inferno ſunt omniũ generũ tormenta.*

O infelices arbores quæ ardent in inferno! O miſeros damnatos! in flammis ſunt ſepulti! ſunt in loco. ubi omnium tormentorum genera reperiuntur. S. Aug. l. 21. de civ. c. 11. ex Cicerone adducit octo genera ſuppliciorum, quibus rei in rep. Romanâ plectebantur. Damnum, Vincula, Verbera, talionem, ignominiam, exilium, ſervitutem, mortem. O miſeros damnatos, qui non uno vel altero ex his tormentis, ſed omnibus ſimul torquentur. Dei faciem non intuebuntur in æternum. gaudio, quod viſionem illam neceſſario comitatur, & in quo beatitudo conſiſtit, æternum privabuntur. quale damnum, S. Cyr. or. de exitu animæ. *O temporis illius tribulationem; O neceſſitatem; O tempeſtatem, à Deo diſſociari.* Vincula, quibus juſta Nemeſis miſeros allegavit ad igneos montes æternitatis, ignea ſunt & adamantinis ſeris concluſa,

quæ in omnem æternitatem non aperientur vel ſolventur. Verberum, quibus damnati puniuntur, meminit Salomon.

Prov. 19. v. 29. *Parata ſunt deriſoribus* (pulcer locus contra illos qui riſerunt Chriſtum Dominum & d. majeſtatem) *judicia, & mallei percutientes corporibus inſipientium.* Pœna talionis eſt, cum culpæ, reſpondet pœna. hæc erit in inferno, juxta illud Apoc.

Apocal. 18. v. 7. *quantum fuit in deliciis, tantum date in tormentis.* Ignominia

Luc. 23. v. 30. ob remorſum conſcientiæ, quæ dies noctéſque ſcelerum turpitudinem illis proponit, tanta eſt, ut dicant, *Montes cadite ſuper nos*, ſed fruſtra. Ignominiæ cauſam depingit Rentredus ſ. 20. in Iſ. dum ait. *Ad confeſſionem illorum qui ſe vitiis polluerunt, ipſa vitia eorum oculis ac memoriæ ingerentur* (*tum videbunt qualia in ſe ſunt, quam turpis luxuria*) *erit ergo in illa civitate damnata, ſicut pœna æterna, ita & peccatorum quæ fecerunt æterna memoria, & æterna ignominia.* Tegentur flammis, ſed non eorum ignominia. Damnatorum exilium pulcris verbis deſcribit S. Aug. in pſ. 80. *Perire à regno Dei, exulare à civitate Dei, carere tam magna multitudine dulcedinis Dei, quam abſcondit timentibus ſe, tam grandis eſt pœna; ut ei nulla poſſint tormenta quæ novimus comparari.* Servitutem quod attinet, illi qui potuiſſent eſſe filii Dei, & cohæredes Chriſti, æternum erunt ſervi dæmonum, cum quibus æt. ardebunt. S. Aug. in pſ. 80. *Si non times mitti quo, vides cum quo ſupplicium erit.* De damnatorum morte idem S. Aug. l. 7. de civ. cap. 12. *Illa vita* (quam damnati vivunt in inferno, in illis flammis, in illis pœnis) *mors potius æterna dicenda eſt, quam vita. Nulla quippe major & peior eſt mors, quam ubi mors non moritur.*

§. 4. Damnatorum agonia æterna.

Ultima hæc pœna vel vocula *mors*, miſerrimum damnati ſtatum alio ſenſu pulcerrime ponit ob oculos; ſignificat enim ſubinde ipſam agoniam ſive luctam cum morte.

Iob. 10. v. 21. Juxta illud Jobi. *Antequam vadam ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine.* litera originalis legit: *terram deliquii & agoniæ.* Cogitate vos coram videre miſerabilem conditionem hominis, terribiliter luctantis cum morte.

Jacet

Digitized by Google

Jacet in lecto, tanta pedum, membrorum, totiuſque ſæpe corporis tremore & colliſione, ut lectus contremiſcat. Oculi horribili aſtantium aſpectu ſe gyrant, donec fracti conquieſcant. Hæc lucta collidit inter ſe dentes, erigit capillos, contrahit labia; protrudit ex intimo pectore ſuſpiria ejulatus, & horriſonos clamores. Aſſultus contra cor, tam ſunt terribiles, ut palpitante pectore oculis quaſi cerni poſſint. Ex fronte capite, totoque corpore lethalis erumpit ſudor. Videtur ſubinde anima exitura perveniſſe ad linguam, ſed retrocedit, & repetitur bis, ter, terribilis illa lucta & agonia. Mori talis vellet, & non poteſt. Moritur tamen tandem, & miſeriæ hujus finis eſt. O miſeros damnatos; ſi in terra deliquii & agoniæ, æternum vivent, æternum morientur, quia æternum cum morte luctabuntur, & æternum mori non poterunt. Sic mihi imaginor. Jacet damnatus in flammis, inter pœnas, quæ tantæ ſunt, ut naturaliter millies mortem inferrent, & vellent libentiſſime infelicem animam expuere, vellent annihilari, verum ſupernaturali virtute, inter flammas vivunt, cum morte perpetua colluctantes. hinc terribilis agonia. id eſt, manus, pedes, omnia membra licet igneis & ferreis ligata ſint vinculis, horrendum colliduntur, gyrantur oculi, ſed inter flammas. Hiant fauces, anhelat pectus, erumpunt horribiles & blaſphemiæ voces, maledicta hora qua natus ſum, maledictus Deus &c. præ rabie corrodunt linguam & labia. Agonia & lucta maxima in ipſo corde, quod rodit vermis conſcientiæ, qui non quieſcit. Quid dicam de ſulphureo & piceo ſudore quo diffluit damnatus quid de ſtridore dentium, quid de fletu & ejulatu &c. quid de aſtantibus & quamdiu hæc omnia? Reſpondet S. Auguſtin. in Enchir. cap. 3. *Infeliciter in æterna morte, ſine moriendi poteſtate durabunt.* Quoties agoniam hanc animo volvo, occurrunt mihi verba Regis Davidis. *Nunquid in æternum projiciet Deus*, ſed quid *Pſ. 70. v. 8.*
hoc quæro; fides docet, in æt. ex hac agonia non fore redemptionem, & merito. Modo dum vivunt impii, ut moveantur

ad pœnitentiam, ob oculos illis poni ſolet Agonizans Jeſus in monte Oliveti, jacens humi, ſudans ſanguinem, dicens *triſtis eſt anima mea uſq; ad mortem.* Sed rident, nugantur, ſanguinem Jeſu polluunt; liberè dant cauſam, ut Jeſus pro illis fruſtra timuerit, tremuerit, ſang. ſudarit &c. Agonizabunt ergo, morientur & vivent, vivent & morientur inter flammas æternùm; Utraque hæc agonia me movet, ut amem congregationem Chriſti in cruce agonizantis. Me movet, ut malim millies mori, quàm peccare; me movet ut peccata commiſſa calidiſſimis cordis contriti lacrymis velim deflere, me movet, ut proponam millies ſuſpirare. O Jeſu per triſtiſſimam tuam in monte Oliveti, & in cruce agoniam, aſſiſte mihi agonizanti, &c.

Matth. 26. v. 38.

§. 5. *Tragica Hiſtoria.*

Agonizantem in inferno fœminam, ex optimis Auctoribus deſcribit P. Stengelius hiſtoria, quæ ſic habet. Eremicola in monaſterio quodam invenit ſanctiſſimam Virginem, ex quâ occaſione datâ quæſivit cauſam converſionis & tam rigidæ vitæ. elevans illa oculos, & ingemiſcens dixit. Diverſos habui parentes, patrem deditum virtuti, matrem vanitati. Illo mortuo, (dum ſepultus fuit, tam atrox exorta fuit tempeſtas, ut decretorius dies videretur imminere) ut verbo, multa & gravia matris ſcelera comprehendam, domus noſtra facta eſt lupanar. Sed & illa brevi mortua eſt, & terræ cum ingenti honore mandata. Dum utroque parente mortuo conſiderarem, cujuſnam veſtigiis inſiſterem (pulcer locus) rapta in extaſin, primum deducta fui in paradiſum ubi inter immenſa gaudia, inter ſanctorum choros meum quoque parentem agnovi, Non patitur tempus, ut modo in paradiſo hæream. Inde ad alium fui deducta locum de quo Job. *in terram miſeriæ & tenebrarum, ubi ſempiternus horror inhabitat.* vel, ut cum Salvatore noſtro loquar, *in tenebras exteriores,* & locum inferni. Veni tandem ad fornacem igneam, vel potius ſtagnum ebulliens flammis, ſulphure, pice. ad fornacem de quâ Iſ. *nutrimenta ejus ignis, flatus Domini ſicut torrens ſulphuris, ſuccendens eum,* de quâ Nahum. *indignatio ejus effuſa eſt ut*

Job. 10. v. 21.

Iſ. 30. v. 33. Nahum. 1. v. 6.

eſt ut ignis, de qua pſalmiſta: *Pones eos ut clibanum ignis.* In illo clibano vidi jacentem fœminam, ſed omnia ejus membra ignea, os, genæ, oculi, frons, totum corpus. ſed explicare non poſſum, quæ fuerit torvitas oris, quis hiatus faucium, quæ contorſio oculorum &c. p. locus. poſtquam tandem Deo volente agnovi eſſe meam matrem, his fere verbis me fuit allocuta: heu me filia! mater tua ſum, & de propriis operibus hæc patior! eheu! ecce, propter parvam libidinem quæ tormenta patior, quomodo crucior in hac flamma! apprehenderunt me univerſa immobilia mala. Sed hoc præcipuè affligit. Cum has flammas, has tenebras, hunc fumum (fac pulcram conglobationem) paſſa fuero tot millibus annorum, quot ſunt ſtellæ in cœlo &c. (p. locus) erit tormentorum principium, quia in longiſſima vivo æternitate fuerunt mihi olim hęc dicta, & decantata, ſed riſi &c. nunc experior, quid ſit ardere in inferno! Vade tu & aliter vive. His auditis ad me redii; ſed ſtatim valedixi mundo, ut hic Deo ſerviam, ne æternum ſim miſera. Quid cogitatis ad hæc, qui ob modicam voluptatem NN. in via Vanitatis ruitis ad infernum. *Pſal. 20. v. 10.*

Narrat S. Aug. in pſ. 127. ſe in materia de inferno in ferventi concione ad populum aliquando ſic peroraſſe. *Ite impii peccate quantum lubet. Ite voluptuoſi, coronate vos roſis, &c. Ite invidi, iracundi, quærite vindictam* (eſt locus pro p. induct.) *Sed unum moneo, faciem Dei non videbitis in æt. æternum ardebetis.* ad hanc vocem, veluti fulmen teſte S. Auguſt. commotus populus incepit gemere, plangere, flere, & miſericordiam Dei implorare. Eandem conditionem meis Auditoribus pono, ſi aliqui lethalis ſceleris ſunt rei; Ite &c. ſed, æternum ardebitis. Utile eſt hæc ſæpius animo volvere. S. Bern. ſ. ad cler. c. 4. *qui pavet, cavet; qui negligit, incidit.* S. Chryſ. hom. 31. in ep. ad Rom. *Non ſinet in gehennam incidere, gehennæ recordatio &c.* Claudam primam concionis partem verbis S. Greg. M. *Nolite* (O impii) *miſericordiæ tempora perdere.* Miſericordiæ tempus eſt, quo flere poſſumus &c. his modis inf. *§. 6. Utile eſt meminiſſe inferni.*

ignes

Digitized by Google

ignes evademus. S.Leo ſ.4. de collectis *ideo nuntiata eſt ſeveritas, ut quaratur miſericordia.*

§.7. *Duo media evadendi infernum.* Altera parte duo media evadendi infernum deducere volui, ſed inſinuo tantum. Primum eſt. Cane & angue peius fugite peccatum letale; hoc ſolum & unicum eſt & erit materia ignis infernalis in æternum. Lugeamus præterita, caveamus futura; 2. Amemus Jeſum; hic ſolus ab inferno liberare nos poteſt, & vult. (Si tempus patitur inſinua hiſtoriam de Carpo Epiſcopo; & fac p. apoſtrophen ad Chriſtum D. ut miſericordi & potenti manu ſua nos liberet & eruat à flammis inferni.)

§.8. *Chriſto D. debent multi, quod non jam ardeant in inferno.* Et quod in inferno multi necdum ardeant debent Chriſto Domino. Solatio eſt quod narrante Bloſio mon. ſpirit. cap.1. Salvator noſter dixit S.Gertrudi: *Vtiliſſimum foret homines ſcire, & in memoria ſemper habere, quod ego Virginis filius, pro ſalute eorum aſto ante Patrem: & quandocunque ipſi ex humana fragilitate delinquunt corde ſuo, offero pro eis Deo Patri cor meum immaculatum* (pulcer locus) *in emendationem, quando verò peccant opere, exhibeo manus meas perforatas: & ita ſtatim placo Patrem, ut illi pœnitentes facilem ſemper obtineant veniam peccatorum.* Ita eſt mi Jeſu, niſi ſæpiſſime pro me hoc feciſſes, jam dudum arderem in inferno. Sed inpoſterum ita vivam; ita te amabo, tam ardentibus deſideriis te ſolicitabo, ut &c. p. locus.

CON-

CONCIO XXXIIX.

DOMINICA IX. POST SS. TRINITATEM.

Redde rationem villicationis tuæ.
Luc. 16. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EX variis locis Sacræ Scripturæ, ſimilibus, hiſtoriis, aliiſque circumſtantiis, declaratur modus, quo in judicio particulari & univerſali, homini momento, manifeſta erunt omnia facta, dicta, imo cogitationes totius vitæ.

§. 1. *Dies utiles, legitimi, induciarum &c. dies ſeſſionum, judicii &c.*
§. 2. *Videtur difficile, ut homo in agone videat omnia, &c.*
§. 3. *De modo quo id fiet. Cor hominis erit vitrum, ſpeculum, aqua pellucida, quam illuminabit Sol Chriſtus.*
§. 4. *Currus igneus S. Franciſci.*
§. 5. *Facient id præcipue radii vultus judicis.*
§. 6. *Illuminabunt conſcientiam impii, radij ſanctiſſimæ Crucis.*
§. 7. *Simile de Opalo gemma.*
§. 8. *An judicium futurum ſit die, vel nocte.*
§. 9. *Dies Iudicii, quomodo erit dies & nox.*
§. 10. *Locus ex Pſ. 36. Etiam juſtitia radiabit inſtar ſolis.*
§. 11. *Aliud ſimile.*
§. 12. *Hiſtoria.*
§. 13. *Liber apertus.*
§. 14. *Affectuoſa Hiſtoria pro Epilogo.*

IUris conſulti, (l. 1. de diverſis & temporalibus præſcriptionibus) quoſdam dies vocant utiles, vel legitimos, vel dies dilationum & induciarum. his diebus erat *poteſtas experiundi juris*; plenaque licentia ſe, cauſamque ſuam coram judice §. 1. *Dies utiles, legitimi, induciarum &c. dies*

ignes evademus. S.Leo ſ.4. de collectis *ideo nuntiata eſt ſeveritas, ut quaratur miſericordia.*

§.7. *Duo media evadendi infernum.* Altera parte duo media evadendi infernum deducere volui, ſed inſinuo tantum. Primum eſt. Cane & angue peius fugite peccatum letale; hoc ſolum & unicum eſt & erit materia ignis infernalis in æternum. Lugeamus præterita, caveamus futura; 2. Amemus Jeſum; hic ſolus ab inferno liberare nos poteſt, & vult. (Si tempus patitur inſinua hiſtoriam de Carpo Epiſcopo; & fac p. apoſtrophen ad Chriſtum D. ut miſericordi & potenti manu ſua nos liberet & eruat à flammis inferni.)

§.8. *Chriſtus D. debent multi, quod non jam ardeant in inferno.* Et quod in inferno multi necdum ardeant debent Chriſto Domino. Solatio eſt quod narrante Bloſio mon. ſpirit. cap.1. Salvator noſter dixit S.Gertrudi: *Vtiliſſimum foret homines ſcire, & in memoria ſemper habere, quod ego Virginis filius, pro ſalute eorum aſto ante Patrem: & quandocunque ipſi ex humana fragilitate delinquunt corde ſuo, offero pro eis Deo Patri cor meum immaculatum* (pulcer locus) *in emendationem, quando verò peccant opere, exhibeo manus meas perforatas: & ita ſtatim placo Patrem, ut illi pœnitentes facilem ſemper obtineant veniam peccatorum.* Ita eſt mi Jeſu, niſi ſæpiſſime pro me hoc feciſſes, jam dudum arderem in inferno. Sed inpoſterum ita vivam; ita te amabo, tam ardentibus deſideriis te ſolicitabo, ut &c. p.

locus.

CON-

CONCIO XXXIIX.

DOMINICA IX. POST SS. TRINITATEM.

Redde rationem villicationis tuæ.
Luc. 16. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EX variis locis Sacræ Scripturæ, ſimilibus, hiſtoriis, aliiſque circumſtantiis, declaratur modus, quo in judicio particulari & univerſali, homini momento, manifeſta erunt omnia facta, dicta, imo cogitationes totius vitæ.

§. 1. *Dies utiles, legitimi, induciarum &c. dies ſeſſionum, judicii &c.*
§. 2. *Videtur difficile, ut homo in agone videat omnia, &c.*
§. 3. *De modo quo id fiet. Cor hominis erit vitrum, ſpeculum, aqua pellucida, quam illuminabit Sol Chriſtus.*
§. 4. *Currus igneus S. Franciſci.*
§. 5. *Facient id præcipue radii vultus judicis.*
§. 6. *Illuminabunt conſcientiam impii, radij ſanctiſſimæ Crucis.*
§. 7. *Simile de Opalo gemma.*
§. 8. *An judicium futurum ſit die, vel nocte.*
§. 9. *Dies Iudicii, quomodo erit dies & nox.*
§. 10. *Locus ex Pſ. 36. Etiam juſtitia radiabit inſtar ſolis.*
§. 11. *Aliud ſimile.*
§. 12. *Hiſtoria.*
§. 13. *Liber apertus.*
§. 14. *Affectuoſa Hiſtoria pro Epilogo.*

IUris conſulti, (l. 1. de diverſis & temporalibus præſcriptionibus) quoſdam dies vocant utiles, vel legitimos, vel dies dilationum & induciarum. his diebus erat *poteſtas experiundi juris*; plenaque licentia ſe, cauſamque ſuam coram judice §. 1. *Dies utiles, legitimi, induciarum &c. dies*

Digitized by Google

ſeſſionum judicii &c. judice defendendi. Alios vocant dies ſeſſionum, vel judicii, quibus judices ſententias dicunt. Nulla tunc amplius poteſtas agendi. Tales ſunt dies vitæ noſtræ; hac tamen differentia; omnes unico excepto ſunt dies utiles, legitimi, dilationum, induciarum, dies gratiæ & indulgentiæ, quibus, accuſati à dæmone, & à propria conſcientia in jus vocati coram ſupremo judice pro nobis reſpondere poſſumus. Unicus & ultimus erit dies judicii, quo hominum vindex & judex, ſententiam dicet vel vitæ, vel mortis. Obſervavit hoc eleganter S. Chryſologus ſer. 42. *Hæc eſt Chriſti magna, larga, ſola miſericordia, quæ judicium omne in diem reſervavit unum & homini totum tempus ad pænitentiæ deputavit inducias*, cum verò hic dies venerit, dicetur unicuique, quod paterfamilias dixit villico in hod. Evangelio, *redde rationem villicationis tuæ*, id eſt, de cogitationibus, verbis & factis, quibus tota vita Deum vel offendiſti, vel glorificaſti. Verum quis meminiſſe poterit cogitationum, vel verborum vel factorum, ab annis 30. vel 50. vel 70. Auditores mei, illa ultima hora vel momento, quo ſupremo Judici ſiſtemur, patebunt omnia. modum, quo id fiet, partim ex modo loquendi ſacræ ſcript. partim ex ſimilibus hac concione vobis oſtendam. ſpero, &c.

§. 1. Videtur difficile, ut homo in agone videat omnia &c. Qui 30. vel 60. vel 70. annos in hoc mundo vixit, & fortaſſis in graviſſimis peccatis, merito quærere poteſt; quomodo mihi occurrent tot cogitationes ſuperbæ, tot libidinoſæ &c. quibus ſæpiſſimè Deum offendi? quomodo recordari potero tot verborum, contumelioſorum, impurorum; qua ratione recordabor, tot imprecationum, tot blaſphemiarum, tot detractionum, &c. quibus animam meam maculavi? & qui fieri poterit, ut in memoriam revocem tot facta contra Dei legem. Duo Reſpondeo. 1. fiet certo. 2. in pœnam impiorum, in ſolat. juſtorum. exultabunt hi, cū videbunt omnes cog. N. N. quibus Deo placuerunt, &c. trement iſti, &c. Certum eſt ex S. Scr. Ezech. 7. *Immittam furorē meum in te, & non parcet oculus meus, nec miſerebor, ſed vias tuas ponam ſuper te, & abominationes tuæ in medio tui erunt.* Hinc ſecundum S. Baſ. *Ezech. 7. 9.*

in Pſ.

Digitized by Google

in Pſ.33. *Qui malefecerint, in probrum & confuſionem, reſurgent; in ſe ipſis turpitudinem, & formas eorum quæ peccarunt conſpicientes impreſſas. Erit certe confuſionis ejuſmodi impreſſio iſtis tanto plus horrori, quam vel ipſa tenebræ, aut ignis æternus, quod in ea æternū victuri ſunt peccatores, ſemper ob oculos verſantes veſtigia illa peccati in carne admiſſi, quaſi notæ cujuſpiam tincta, nec ulla aſpergine eluibiles* (p.locus nec ſanguine Chriſti, nec rore gratiæ in omnem ætern.) *in memoria animæ perpetuo duraturi.* p.l.Itaque modum quo id fiet de quo præcipue agendum ſcire poſſumus ex S.Scriptura.

S.Paulus ait. *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tri-* § 3.
bunal Chriſti. Græce φανερωθῆναι, id eſt, omnes ibi fient *lucidi* De modo,
& vitrei; illo die, in momento cor peccatoris, convertetur quo id fiet.
quaſi in vitrum, ſpeculum, vel cryſtallum, in quo homo intue- 2.Cor.5.v.10.
bitur clariſſime omnia totius vitæ cogitata, dicta, facta. con- Act 2.v.20
gruit huic modo loquendi illud Act. *Veniet dies Domini magnus & manifeſtus.* in græco, *clarus & illuſtris.* ſimili modo loquendi utitur S.Joannes, poſtquam vidiſſet judiciariam Chriſti Domini ſedem , mox addit: *& in* (vor dem Stul) *con-* Apoc. 4. 6.
ſpectu ſedis mare vitreum ſimile cryſtallo. latet pulcrum ſimile. In mari vel fluvio turbido latent, nec apparent piſces, ſaxa, arenulæ; verum obſervaſtisne aliquando, quomodo Sol, ſi ſuis radiis mare vel fluviū irradiet, illas undas adeo illuſtret, ut veluti in vitro vel cryſtallo ſtatim videantur piſces, ſaxa, imo arenulæ? nolo modo multis probare, mare eſſe ſymbolum cordis peccatoris; hoc unum dico; O turbidum mare! O tenebricoſum fluvium! in quo multis annis latent putidi piſces turpiſſimorum ſcelerum, ſaxa & arenæ innumerorum vitiorum. Sæpe fit, ut gravis peccator, dum in agone monetur ad confeſſionē, licet multis annis ſceleratiſſime vixerit, tamen dicere audeat, nihil accuſatione dignum ſibi occurrere. O turbidum mare! O turbidam conſcientiam! adeſt tandem momentum æternitatis! apparet Chriſtus Dominus in ſede poteſtatis, tanquam omnium judex! O cataſtrophen! ecce ante ſedem, cor peccatoris, quod tot annis turbi-

 dum

dum fuit, in momento vitreum, ſimile cryſtallo. Sedebit Chriſtus in ſua ſede inſtar ſolis, qui conſcientiam peccatoris clariſſimis radiis ita illuminabit, ut momento viſura ſit totius vitæ dicta & facta, & minimas cogitationes.

§. 4. *Igneus currus S. Franciſci.* Refert S. Bonaventura tempore S. Franciſci in quodam monaſterio noctu in ambitu apparuiſſe currum igneum, in illo lucidiſſimum globum, qui totius monaſterii conclavia adeo illuſtraverit, ut quivis religioſus viderit, quid alii fratres agerent, imò quid cogitarent neſcio cauſas ob quas Deus hæc permiſerit. Taliter mihi imaginor iridem, in qua aliquando in valle Joſaphat Chriſtus judex apparebit. veluti igneum currum, vel thronum; in illo non globum, ſed ipſum ſolem Juſtitiæ, qui divinis & omnia penetrantibus radiis, omnium corda & conſcientias ita illuminabit, ut ſint futura veluti ſpecula, vel vitra in quibus coram toto mundo, patebunt omnia. juxta illud *illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.* *1. Cor. 4. v. 5*

§. 5. *Facient præcipue radii vultus Iudicis.* Hanc illuminationem regius pſaltes aſcribit vultui Judicis. *poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo, ſæculum noſtrum* (id eſt, omnem vitam noſtram) *in illuminatione vultus tui.* Sic cogitemus: poſtquam terribilis tubæ ſonitu excitati, omnes mortui ſurrexerint, poſtquam ab Angelis ſeparati erunt boni à malis, ſteterintque hi ad ſiniſtram, illi ad dexteram, in iride inter auratas nubes apparebit filius hominis: cujus vultus radios & lucem ſparget, quæ momento deteget omnia. ex ſimili intelligite: tempore hyemis cloaca aliqua plena ſordibus, vel locus plenus ſpinis tegitur nivibus. hæ nives tegunt ſordes, ſpinas. Videtur locus mundiſſimus. Incaleſcente ad meridiem ſole liquefiunt, diffluuntque nives, & ecce ſpinas, ecce ſordes, ecce cloacam! talia ſunt corda peccatorum in hac vita, plena ſpinis, plena ſordibus, ſed tegit omnia nix hypocriſis. In momento judicii vultus judicis radiabit ut Sol, liquefaciet nives, &, ecce homo & opera ejus. pulcre Lorinus: egregium futuri judicii ſymbolum, quando Juſtitiæ Sol Chriſtus radiis præſentiæ atque ſententiæ ſuæ cuncta opera hominum *Pſ. 89. v. 8.*

num

Digitized by Google

num in apertum producet. Numer. 25. iratus Dominus ait ad Moſen. *Tolle cunctos principes populi, & ſuſpende eos contra ſolem in patibulis &c.* hoc fiet illa die. p. locus.

Hippolytus Martyr tract. de conſum. ſæc. illuminationem hanc cordium aſcribit radiis SS. Crucis, radiabit enim illa inter nubes, in manibus angelorũ juxta iridem judiciariæ ſedis inſtar ſolis, ſuper bonos & electos ut recreentur, ſuper malos & reprobos ut torqueantur & puniantur. O pœnam terribilẽ. O confuſionem cum ab hac luce SS. Crucis illorũ conſcientiæ coram toto mundo illuminabuntur. addo verba citati auctoris: Apparebit ſignum filii hominis cum multitudine exercitus angelorum, univerſam terram illuminans, ſuper claritate ſolis, adventum Domini annuntians. *§. 6. Illuminabunt conſcientiam impii etiam radii SS. Crucis.*

Opalus gemma refert varios colores diverſarum gemmarum, ignem carbunculi, aurum amethyſti, virorem Smaragdi, purpuram Jaſpidis. nobiliſſimus eſt partus naturæ, ars tamen imitatur, quæ commune vitrum ita præparat, ut opalo ſit ſimillimum; ſed adulterum partum probat lux ſolis, hæc illam irradians oſtendit tale vitrum non eſſe veram gemmam. tales adulterinos opalos habet hic mundus; videntur ardere igne caritatis, argento, puritatis &c. ſed decipiunt; vitrum ſunt; verus Sol Juſtitiæ, vel lux SS. Crucis illos momento irradiabunt, patebitque quales fuerint. *§. 7. Simile de Opalo gemma.*

Videntur hæc omnia contradicere reſponſioni ad quæſtionem quandam, qua quæri ſolet, an extremum judicium futurum ſit de die, vel de nocte. quorundã opinio eſt, fore de die; his favet S. Scr. quæ judicium toties vocat diem terribilem, diem calamitatis, diem iræ, diem Domini. alii ſentiunt judicem venturum media & intempeſta nocte, juxta illud *ſicut fur in nocte veniet*. & illud Matt. *media nocte clamor factus eſt*. favetque ratio: nocte terribilior eſt tempeſtas, nocte magis terrent tonitrua & fulmina, venti & turbines. incendia magis timemus de nocte quam die; ſimiliter ſpectra, aſſultus hoſtium &c. (eſt locus pro pulcris deſcriptionibus) tempeſtas erit judicium, & quia de nocte, ideo erit terribilior &c. ſic de reliquis. *§. 8. An judicium futurum ſit die vel nocte.* *1. Theſſ. 5. v. 2.* *Matt. 25. v. 6.*

 Hoc

§.9. *Dies judicii, quomodo erit, dies & nox.* *Zach. 14. v. 7.*

Hoc poſito quomodo lux erit, quomodo dies erit? difficultati Salvator noſter videtur ſatisfacere, dum miſerum ſine veſte nuptiali jubet projici in tenebras exteriores. foris nox erit &c. intus in corde impii, in conſcientia peccatoris lux erit, dies erit, meridies erit. juxta illud Zachariæ. *Et erit dies una, quæ nota eſt Domino, non dies, neque nox, & in tempore veſperi erit lux.* Scilicet illa quæ illuminabit conſcientias impiorum.

§.10. *Locus ex Pſ. 36. etiam juſtitia radiabit inſtar ſolis.* *Pſ. 36. v. 6.*

Hoc inſinuat regius pſaltes. *Educet quaſi lumen juſtitiam, & judicium tanquam meridiem*, ſi *educet* innuit juſtitiam aliquo tempore latuiſſe; ſic eſt, in hac vita Chriſtus Salvator erga peccatores tam eſt miſericors, ut non videatur juſtus. miſericordia ejus ſuper omnia opera ejus. O peccator nega ſi potes, dum ſæpius coram crucifixo ruis in genua, percutiens pectus, ingeminans contrito corde, Deus propitius eſto mihi peccatori; nunquid miſericordia ejus ſtat à dexteris, quæ obvia reduci ruit in amplexus, an non illa te admovet cordi & vulneribus Jeſu ut munderis. Juſtitia ſtat à ſiniſtris; licet percutere non poteſt. Sed cave, negligas tempus gratiæ; ne pœnitentiam differas ad horam judicii, tum enim juſtitiam educet à ſiniſtris ad dexteram; nullus tum miſericordiæ erit locus; judici juſtitia aſſiſtet. Sed inſtar lucis, inſtar ſolis; ejus gladius ideo fulgurabit luce & radiis, qui momento illuſtrabunt omnia.

§.11. *Aliud ſimiles.*

Alia ſimilia deducere non poſſum. Pictorum mos eſt, ut dum in templo pingunt altare, illud claudant cortinis, donec abſolutum ſit opus. Hominum vita nil aliud eſt quam pictura retro cortinas; cum verò mors illas tollet, dicetur, ecce homo & opera ejus.

§.12. *Hiſtoria Pulchra.*

Cortinas converto in larvas: referunt hiſtoriæ, Xiphilinus & Dio Caſſius in Nerone, juſſu Neronis Conſules & Senatores Romanos in publico foro egiſſe comœdos, ſed larvatos; hoc impetrarunt à Cæſare. in mediis ludis ſatellites irruerunt in actores, ſuſtuleruntque larvas; & populo patuit, quinam eſſent, Conſules, Senatores, quidem præ pudore & ob ni-

ob nimiam confuſionem corruerunt mortui. Talis tragœdia luditur quotidie in mundo. Agunt plurimi perſonam ſuperbi, ſed ſub larva humilitatis &c.(hoc modo fac pulcram inductionem) verum in agone,ante judicem Chriſtum,mors tollet larvas,& ecce ſuperbum,ecce adulterum &c. ait enim Deus per os Prophetæ. *Et viſitabo ſuper omnes qui induti ſunt veſte peregrina.* *Sophoniæ 1. v.8.*

S.Bern. lib. medit. c.2. & Origenes hom.14. in Jerem. utuntur ſimilitudine libri. ille ait: *Væ mihi miſero, cum venerit dies illa judicii, & aperti fuerint libri, in quibus omnes mei actus & cogitationes Deo præſente recitabuntur.* juxta illud Dan. *Judicium ſedit, & libri aperti ſunt.* Orig. ſic habet: *Nudabitur peccatoris conſcientia, & aperto corde videbuntur literæ peccatorum, quæ ſtylo ferreo in ungue adamantino ſcriptæ ſunt, atque univerſa ſpectantium multitudo leget in pectore meo* (veluti libro ex cryſtallo) *ſignatas imagines peccatorum.* Quæſo animæ piæ, ſi improviſa mors (O Jeſu per tuam mortem hoc averte) hoc momento nos ſiſteret judici, ſi hoc momento corda noſtra fierent ſpeculum, vel aqua pellucida &c. S.Chryſoſt. hom.48. ad pop. *Si noſtrum cujuſquam aliquod occultum crimen hoc ipſo die in medium delatum, huic modo conſeſſui innoteſceret* (p.) *nonne fieret ut ille interire, ac in terram ſibi potius dehiſcere, quàm tam multos peccati ſui teſtes habere mallet? Quid igitur nobis tum fiet miſeris cum omnia univerſo orbi palam facta in tam aperto, tamq; illuſtri theatro denudata hominum oculis ſubjicientur* p.l. (poteſt fieri brevis & pulcra conglobata repetitio omnium dictorum) quid faceremus? ego hoc faciam. *§.13. Liber apertus.* *Dan.7.10.*

Tyro ex ordine S.Franciſci, poſtquam anguſtiis plenus in agone exclamaſſet, *O ſi natus non eſſem! - ah! libram æquo examine ſuſpendite-* tandem lacrymabundus orat; *etiam in iſtam lancem, imponite tantillum de Paſſione, de cruore ac vulneribus Jeſu Chriſti.* Paulo poſt ſibi redditus, aſtantibus admiratione plenis dixit: *Vidi Dei judicium, & in eo omne verbum otioſum, ac minimum quoque defectum, ſevere examinari, operaque mea bona, erratis meis compoſita in multis deficere, ideo oravi, aliquid de* *§.14. Affectuoſa hiſtoria pro epilogo.*

Paſſio-

quæ in omnem æternitatem non aperientur vel ſolventur. Verberum, quibus damnati puniuntur, meminit Salomon.

Prov. 19. v. 29. *Parata ſunt deriſoribus* (pulcer locus contra illos qui riſerunt Chriſtum Dominum & d. majeſtatem) *judicia, & mallei percutientes corporibus inſipientium.* Pœna talionis eſt, cum culpæ, reſpondet pœna. hæc erit in inferno, juxta illud Apoc.

Apocal. 18. v. 7. *quantum fuit in deliciis, tantum date in tormentis.* Ignominia

Luc. 23. v. 30. ob remorſum conſcientiæ, quæ dies noctesque ſcelerum turpitudinem illis proponit, tanta eſt, ut dicant, *Montes cadite ſuper nos*, ſed fruſtra. Ignominiæ cauſam depingit Rentredus ſ. 20. in Iſ. dum ait. *Ad confeſſionem illorum qui ſe vitiis polluerunt, ipſa vitia eorum oculis ac memoriæ ingerentur* (*tum videbunt qualia in ſe ſunt, quam turpis luxuria*) *erit ergo in illa civitate damnata, ſicut pœna æterna, ita & peccatorum quæ fecerunt æterna memoria, & æterna ignominia.* Tegentur flammis, ſed non eorum ignominia. Damnatorum exilium pulcris verbis deſcribit S. Aug. in pſ. 80. *Perire à regno Dei, exulare à civitate Dei, carere tam magna multitudine dulcedinis Dei, quam abſcondit timentibus ſe, tam grandis eſt pœna; ut ei nulla poſſint tormenta quæ novimus comparari.* Servitutem quod attinet, illi qui potuiſſent eſſe filii Dei, & cohæredes Chriſti, æternum erunt ſervi dæmonum, cum quibus æt. ardebunt. S. Aug. in pſ. 80. *Si non times mitti quo, vides cum quo ſupplicium erit.* De damnatorum morte idem S. Aug. l. 7. de civ. cap. 12. *Illa vita* (quam damnati vivunt in inferno, in illis flammis, in illis pœnis) *mors potius æterna dicenda eſt, quam vita. Nulla quippe major & peior eſt mors, quam ubi mors non moritur.*

§. 4. Damnatorum agonia æterna.

Ultima hæc pœna vel vocula *mors*, miſerrimum damnati ſtatum alio ſenſu pulcerrime ponit ob oculos; ſignificat enim ſubinde ipſam agoniam ſive luctam cum morte.

Iob. 10. v. 21. Juxta illud Jobi. *Antequam vadam ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine.* litera originalis legit: *terram deliquii & agoniæ.* Cogitate vos coram videre miſerabilem conditionem hominis, terribiliter luctantis cum morte.

Jacet

Jacet in lecto, tanta pedum, membrorum, totiuſque ſæpe corporis tremore & colliſione, ut lectus contremiſcat. Oculi horribili aſtantium aſpectu ſe gyrant, donec fracti conquieſcant. Hæc lucta collidit inter ſe dentes, erigit capillos, contrahit labia; protrudit ex intimo pectore ſuſpiria ejulatus, & horriſonos clamores. Aſſultus contra cor, tam ſunt terribiles, ut palpitante pectore oculis quaſi cerni poſſint. Ex fronte capite, totoque corpore lethalis erumpit ſudor. Videtur ſubinde anima exitura perveniſſe ad linguam, ſed retrocedit, & repetitur bis, ter, terribilis illa lucta & agonia. Mori talis vellet, & non poteſt. Moritur tamen tandem, & miſeriæ hujus finis eſt. O miſeros damnatos; ſi in terra deliquii & agoniæ, æternum vivent, æternum morientur, quia æternum cum morte luctabuntur, & æternum mori non poterunt. Sic mihi imaginor. Jacet damnatus in flammis, inter pœnas, quæ tantæ ſunt, ut naturaliter millies mortem inferrent, & vellent libentiſſime infelicem animam expuere, vellent annihilari, verum ſupernaturali virtute, inter flammas vivunt, cum morte perpetua colluctantes. hinc terribilis agonia. id eſt, manus, pedes, omnia membra licet igneis & ferreis ligata ſint vinculis, horrendum colliduntur, gyrantur oculi, ſed inter flammas. Hiant fauces, anhelat pectus, erumpunt horribiles & blaſphemiæ voces, maledicta hora qua natus ſum, maledictus Deus &c. præ rabie corrodunt linguam & labia. Agonia & lucta maxima in ipſo corde, quod rodit vermis conſcientiæ, qui non quieſcit. Quid dicam de ſulphureo & piceo ſudore quo diffluit damnatus quid de ſtridore dentium, quid de fletu & ejulatu &c. quid de aſtantibus & quamdiu hæc omnia? Reſpondet S. Auguſtin. in Enchir. cap. 3. *Infeliciter in æterna morte, ſine moriendi poteſtate durabunt.* Quoties agoniam hanc animo volvo, occurrunt mihi verba Regis Davidis. *Nunquid in æternum projiciet Deus*, ſed quid hoc quæro; fides docet, in æt. ex hac agonia non fore redemptionem, & merito. Modo dum vivunt impii, ut moveantur Pſ. 70. v. 8.

Digitized by Google

ad pœnitentiam, ob oculos illis poni ſolet Agonizans Jeſus in monte Oliveti, jacens humi, ſudans ſanguinem, dicens *triſtis eſt anima mea uſq; ad mortem.* Sed rident, nugantur, ſanguinem Jeſu polluunt; liberè dant cauſam, ut Jeſus pro illis fruſtra timuerit, tremuerit, ſang. ſudarit &c. Agonizabunt ergo, morientur & vivent, vivent & morientur inter flammas æternùm; Utraque hæc agonia me movet, ut amem congregationem Chriſti in cruce agonizantis. Me movet, ut malim millies mori, quàm peccare; me movet ut peccata commiſſa calidiſſimis cordis contriti lacrymis velim deflere, me movet, ut proponam millies ſuſpirare. O Jeſu per triſtiſſimam tuam in monte Oliveti, & in cruce agoniam, aſſiſte mihi agonizanti, &c.

Matth. 26. v. 38.

§. 5. *Tragica Hiſtoria.*

Agonizantem in inferno fœminam, ex optimis Auctoribus deſcribit P. Stengelius hiſtoria, quæ ſic habet. Eremicola in monaſterio quodam invenit ſanctiſſimam Virginem, ex quâ occaſione datâ quæſivit cauſam converſionis & tam rigidæ vitæ. elevans illa oculos, & ingemiſcens dixit. Diverſos habui parentes, patrem deditum virtuti, matrem vanitati. Illo mortuo, (dum ſepultus fuit, tam atrox exorta fuit tempeſtas, ut decretorius dies videretur imminere) ut verbo, multa & gravia matris ſcelera comprehendam, domus noſtra facta eſt lupanar. Sed & illa brevi mortua eſt, & terræ cum ingenti honore mandata. Dum utroque parente mortuo conſiderarem, cujuſnam veſtigiis inſiſterem (pulcer locus) rapta in extaſin, primum deducta fui in paradiſum ubi inter immenſa gaudia, inter ſanctorum choros meum quoque parentem agnovi. Non patitur tempus, ut modo in paradiſo hæream. Inde ad alium fui deducta locum de quo Job. *in terram miſeriæ & tenebrarum, ubi ſempiternus horror inhabitat.* vel, ut cum Salvatore noſtro loquar, *in tenebras exteriores,* & locum inferni. Veni tandem ad fornacem igneam, vel potius ſtagnum ebulliens flammis, ſulphure, pice. ad fornacem de quâ Iſ. *nutrimenta ejus ignis, flatus Domini ſicut torrens ſulphuris, ſuccendens eum,* de quâ Nahum. *indignatio ejus effuſa eſt ut*

Iob. 10. v. 21.

Iſ. 30. v. 33.

Nahum. 1. v. 6.

eſt ut ignis, de qua pſalmiſta: *Pones eos ut clibanum ignis.* In illo clibano vidi jacentem fœminam, ſed omnia ejus membra ignea, os, genæ, oculi, frons, totum corpus. ſed explicare non poſſum, quæ fuerit torvitas oris, quis hiatus faucium, quæ contorſio oculorum &c. p. locus. poſtquam tandem Deo volente agnovi eſſe meam matrem, his fere verbis me fuit allocuta: heu me filia! mater tua ſum, & de propriis operibus hæc patior! eheu! ecce, propter parvam libidinem quæ tormenta patior, quomodo crucior in hac flamma! apprehenderunt me univerſa immobilia mala. Sed hoc præcipuè affligit. Cum has flammas, has tenebras, hunc fumum (fac pulcram conglobationem) paſſa fuero tot millibus annorum, quot ſunt ſtellæ in cœlo &c. (p. locus) erit tormentorum principium, quia in longiſſima vivo æternitate fuerunt mihi olim hęc dicta, & decantata, ſed riſi &c. nunc experior, quid ſit ardere in inferno! Vade tu & aliter vive. His auditis ad me redii; ſed ſtatim valedixi mundo, ut hic Deo ſerviam, ne æternum ſim miſera. Quid cogitatis ad hæc, qui ob modicam voluptatem NN. in via Vanitatis ruitis ad infernum. *Pſal. 20. v. 10.*

Narrat S. Aug. in pſ. 127. ſe in materia de inferno in ferventi concione ad populum aliquando ſic peroraſſe. *Ite impii peccate quantum lubet. Ite voluptuoſi, coronate vos roſis, &c. Ite invidi, iracundi, quærite vindictam* (eſt locus pro p. induct.) *Sed unum moneo, faciem Dei non videbitis in æt. æternum ardebetis.* ad hanc vocem, veluti fulmen teſte S. Auguſt. commotus populus incepit gemere, plangere, flere, & miſericordiam Dei implorare. Eandem conditionem meis Auditoribus pono, ſi aliqui lethalis ſceleris ſunt rei; Ite &c. ſed, æternum ardebitis. Utile eſt hæc ſæpius animo volvere. S. Bern. ſ. ad cler. c. 4. *qui pavet, cavet; qui negligit, incidit.* S. Chryſ. hom. 31. in ep. ad Rom. *Non ſinet in gehennam incidere, gehennæ recordatio &c.* Claudam primam concionis partem verbis S. Greg. M. *Nolite* (O impii) *miſericordiæ tempora perdere.* Miſericordiæ tempus eſt, quo flere poſſumus &c. his modis inf. *§. 6. Utile eſt meminiſſe inferni.*

ignes

Digitized by Google

ignes evademus. S.Leo ſ.4. de collectis *ideo nuntiata eſt ſeveritas, ut quaratur miſericordia.*

§.7. *Duo media evadendi infernum.* Altera parte duo media evadendi infernum deducere volui, ſed inſinuo tantum. Primum eſt. Cane & angue peius fugite peccatum letale; hoc ſolum & unicum eſt & erit materia ignis infernalis in æternum. Lugeamus præterita, caveamus futura; 2. Amemus Jeſum; hic ſolus ab inferno liberare nos poteſt, & vult. (Si tempus patitur inſinua hiſtoriam de Carpo Epiſcopo; & fac p. apoſtrophen ad Chriſtum D. ut miſericordi & potenti manu ſua nos liberet & eruat à flammis inferni.)

§.8. *Chriſtum D. debent multi, quod non jam ardeant in inferno.* Et quod in inferno multi necdum ardeant debent Chriſto Domino. Solatio eſt quod narrante Bloſio mon. ſpirit. cap.1. Salvator noſter dixit S.Gertrudi: *Vtiliſſimum foret homines ſcire, & in memoria ſemper habere, quod ego Virginis filius, pro ſalute eorum aſto ante Patrem: & quandocunque ipſi ex humana fragilitate delinquunt corde ſuo, offero pro eis Deo Patri cor meum immaculatum* (pulcer locus) *in emendationem, quando verò peccant opere, exhibeo manus meas perforatas: & ita ſtatim placo Patrem, ut illi pœnitentes facilem ſemper obtineant veniam peccatorum.* Ita eſt mi Jeſu, niſi ſæpiſſime pro me hoc feciſſes, jam dudum arderem in inferno. Sed inpoſterum ita vivam; ita te amabo, tam ardentibus deſideriis te ſolicitabo, ut &c. p. locus.

CON-

Digitized by Google

CONCIO XXXIIX.

DOMINICA IX. POST SS. TRINITATEM.

Redde rationem villicationis tuæ.
Luc. 16. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EX variis locis Sacræ Scripturæ, ſimilibus, hiſtoriis, aliiſque circumſtantiis, declaratur modus, quo in judicio particulari & univerſali, homini momento, manifeſta erunt omnia facta, dicta, imo cogitationes totius vitæ.

§. 1. *Dies utiles, legitimi, induciarum &c. dies ſeſſionum, judicii &c.*

§. 2. *Videtur difficile, ut homo in agone videat omnia, &c.*

§. 3. *De modo quo id fiet. Cor hominis erit vitrum, ſpeculum, aqua pellucida, quam illuminabit Sol Chriſtus.*

§. 4. *Currus igneus S. Franciſci.*

§. 5. *Facient id præcipue radii vultus judicis.*

§. 6. *Illuminabunt conſcientiam impii, radij ſanctiſſimæ Crucis.*

§. 7. *Simile de Opalo gemma.*

§. 8. *An judicium futurum ſit die, vel nocte.*

§. 9. *Dies Iudicii, quomodo erit dies & nox.*

§. 10. *Locus ex Pſ. 36. Etiam juſtitia radiabit inſtar ſolis.*

§. 11. *Aliud ſimile.*

§. 12. *Hiſtoria.*

§. 13. *Liber apertus.*

§. 14. *Affectuoſa Hiſtoria pro Epilogo.*

IUris conſulti, (l. 1. de diverſis & temporalibus præſcriptionibus) quoſdam dies vocant utiles, vel legitimos, vel dies dilationum & induciarum. his diebus erat *poteſtas experiundi juris*; plenaque licentia ſe, cauſamque ſuam coram judice §. 1. *Dies utiles, legitimi, induciarum &c. dies*

ſeſſionum judicii &c. judice defendendi. Alios vocant dies ſeſſionum, vel judicii, quibus judices ſententias dicunt. Nulla tunc amplius poteſtas agendi. Tales ſunt dies vitæ noſtræ; hac tamen differentia; omnes unico excepto ſunt dies utiles, legitimi, dilationum, induciarum, dies gratiæ & indulgentiæ, quibus, accuſati à dæmone, & à propria conſcientia in jus vocati coram ſupremo judice pro nobis reſpondere poſſumus. Unicus & ultimus erit dies judicii, quo hominum vindex & judex, ſententiam dicet vel vitæ, vel mortis. Obſervavit hoc eleganter S. Chryſologus ſer. 42. *Hæc eſt Chriſti magna, larga, ſola miſericordia, quæ judicium omne in diem reſervavit unum & homini totum tempus ad pœnitentiæ deputavit inducias*, cum verò hic dies venerit, dicetur unicuique, quod paterfamilias dixit villico in hod. Evangelio, *redde rationem villicationis tuæ*, id eſt, de cogitationibus, verbis & factis, quibus tota vita Deum vel offendiſti, vel glorificaſti. Verum quis meminiſſe poterit cogitationum, vel verborum vel factorum, ab annis 30. vel 50. vel 70. Auditores mei, illa ultima hora vel momento, quo ſupremo Judici ſiſtemur, patebunt omnia. modum, quo id fiet, partim ex modo loquendi ſacræ ſcript. partim ex ſimilibus hac concione vobis oſtendam. ſpero, &c.

§. 2. *Videtur difficile, ut homo in agone videat omnia &c.*

Qui 30. vel 60. vel 70. annos in hoc mundo vixit, & fortaſſis in graviſſimis peccatis, merito quærere poteſt; quomodo mihi occurrent tot cogitationes ſuperbæ, tot libidinoſæ &c. quibus ſæpiſſimè Deum offendi? quomodo recordari potero tot verborum, contumelioſorum, impurorum; qua ratione recordabor, tot imprecationum, tot blaſphemiarum, tot detractionum, &c. quibus animam meam maculavi? & qui fieri poterit, ut in memoriam revocem tot facta contra Dei legem. Duo Reſpondeo. 1. fiet certo. 2. in pœnam impiorum, in ſolat. juſtorum. exultabunt hi, cũ videbunt omnes cog. N. N. quibus Deo placuerunt, &c. trement iſti, &c. Certum eſt ex S. Scr. Ezech. 7. *Immittam furorẽ meum in te, & non parcet oculus meus, nec miſerebor, ſed vias tuas ponam ſuper te, & abominationes tuæ in medio tui erunt*. Hinc ſecundum S. Baſ. *Ezech. 7. 9.*

in Pſ.

in Pſ.33. *Qui malefecerint, in probrum & confuſionem, reſurgent; in ſe ipſis turpitudinem, & formas eorum quæ peccarunt conſpicientes impreſſas. Erit certe confuſionis ejuſmodi impreſſio iſtis tanto plus horrori, quam vel ipſæ tenebræ, aut ignis æternus, quod in ea æternũ victuri ſunt peccatores, ſemper ob oculos verſantes veſtigia illa peccati in carne admiſſi, quaſi notæ cujuſpiam tinctæ, nec ulla aſpergine eluibiles* (p.locus nec ſanguine Chriſti, nec rore gratiæ in omnem ætern.) *in memoria animæ perpetuo duraturi.* p.l. Itaque modum quo id fiet de quo præcipue agendum ſcire poſſumus ex S.Scriptura.

S.Paulus ait. *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti.* Græce φανερωθῆναι, id eſt, omnes ibi fient *lucidi & vitrei*; illo die, in momento cor peccatoris, convertetur quaſi in vitrum, ſpeculum, vel cryſtallum, in quo homo intuebitur clariſſime omnia totius vitæ cogitata, dicta, facta. congruit huic modo loquendi illud Act. *Veniet dies Domini magnus & manifeſtus.* in græco, *clarus & illuſtris.* ſimili modo loquendi utitur S.Joannes, poſtquam vidiſſet judiciariam Chriſti Domini ſedem , mox addit: *& in* (vor dem Stul) *conſpectu ſedis mare vitreum ſimile cryſtallo.* latet pulcrum ſimile. In mari vel fluvio turbido latent, nec apparent piſces, ſaxa, arenulæ; verum obſervaſtisne aliquando, quomodo Sol, ſi ſuis radiis mare vel fluviũ irradiet, illas undas adeo illuſtret, ut veluti in vitro vel cryſtallo ſtatim videantur piſces, ſaxa, imo arenulæ? nolo modo multis probare, mare eſſe ſymbolum cordis peccatoris; hoc unum dico; O turbidum mare! O tenebricoſum fluvium! in quo multis annis latent putidi piſces turpiſſimorum ſcelerum, ſaxa & arenæ innumerorum vitiorum. Sæpe fit, ut gravis peccator, dum in agone monetur ad confeſſionẽ, licet multis annis ſceleratiſſime vixerit, tamen dicere audeat, nihil accuſatione dignum ſibi occurrere. O turbidum mare! O turbidam conſcientiam! adeſt tandem momentum æternitatis! apparet Chriſtus Dominus in ſede poteſtatis, tanquam omnium judex! O cataſtrophen! ecce ante ſedem, cor peccatoris, quod tot annis turbidum

§ 3. De modo, quo id fiet. 2.Cor.5. v. 10. Act 2. v. 20

Apoc. 4. 6.

dum fuit, in momento vitreum, ſimile cryſtallo. Sedebit Chriſtus in ſua ſede inſtar ſolis, qui conſcientiam peccatoris clariſſimis radiis ita illuminabit, ut momento viſura ſit totius vitæ dicta & facta, & minimas cogitationes.

§.4. *Igneus currus S. Franciſci.* Refert S. Bonaventura tempore S. Franciſci in quodam monaſterio noctu in ambitu apparuiſſe currum igneum, in illo lucidiſſimum globum, qui totius monaſterii conclavia adeo illuſtraverit, ut quivis religioſus viderit, quid alii fratres agerent, imò quid cogitarent neſcio cauſas ob quas Deus hæc permiſerit. Taliter mihi imaginor iridem, in qua aliquando in valle Joſaphat Chriſtus judex apparebit. veluti igneum currum, vel thronum; in illo non globum, ſed ipſum ſolem Juſtitiæ, qui divinis & omnia penetrantibus radiis, omnium corda & conſcientias ita illuminabit, ut ſint futura veluti ſpecula, vel vitra in quibus coram toto mundo, patebunt omnia. juxta illud *illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.* *1. Cor. 4. v. 5*

§.5. *Facient præcipue radii vultus Judicis.* Hanc illuminationem regius pſaltes aſcribit vultui Judicis. *poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo, ſæculum noſtrum* (id eſt, omnem vitam noſtram) *in illuminatione vultus tui.* Sic cogitemus: poſtquam terribilis tubæ ſonitu excitati, omnes mortui ſurrexerint, poſtquam ab Angelis ſeparati erunt boni à malis, ſteterintque hi ad ſiniſtram, illi ad dexteram, in iride inter auratas nubes apparebit filius hominis: cujus vultus radios & lucem ſparget, quæ momento deteget omnia. ex ſimili intelligite: tempore hyemis cloaca aliqua plena ſordibus, vel locus plenus ſpinis tegitur nivibus. hæ nives tegunt ſordes, ſpinas. Videtur locus mundiſſimus. Incaleſcente ad meridiem ſole liquefiunt, diffluuntque nives, & ecce ſpinas, ecce ſordes, ecce cloacam! talia ſunt corda peccatorum in hac vita, plena ſpinis, plena ſordibus, ſed tegit omnia nix hypocriſis. In momento judicii vultus judicis radiabit ut Sol, liquefaciet nives, &, ecce homo & opera ejus. pulcre Lorinus: egregium futuri judicii ſymbolum, quando Juſtitiæ Sol Chriſtus radiis præſentiæ atque ſententiæ ſuæ cuncta opera hominum *Pſ. 89. v. 8.*

num

num in apertum producet. Numer. 25. iratus Dominus ait ad Moſen. *Tolle cunctos principes populi, & ſuſpende eos contra ſolem in patibulis &c.* hoc fiet illa die. p. locus.

Hippolytus Martyr tract. de conſum. ſæc. illuminationem hanc cordium aſcribit radiis SS. Crucis, radiabit enim illa inter nubes, in manibus angelorũ juxta iridem judiciariæ ſedis inſtar ſolis, ſuper bonos & electos ut recreentur, ſuper malos & reprobos ut torqueantur & puniantur. O pœnam terribilẽ. O confuſionem cum ab hac luce SS. Crucis illorũ conſcientiæ coram toto mundo illuminabuntur. addo verba citati auctoris: Apparebit ſignum filii hominis cum multitudine exercitus angelorum, univerſam terram illuminans, ſuper claritate ſolis, adventum Domini annuntians. §. 6. *Illuminabunt conſcientiam impii etiam radii SS. Crucis.*

Opalus gemma refert varios colores diverſarum gemmarum, ignem carbunculi, aurum amethyſti, virorem Smaragdi, purpuram Jaſpidis. nobiliſſimus eſt partus naturæ, ars tamen imitatur, quæ, commune vitrum ita præparat, ut opalo ſit ſimillimum; ſed adulterum partum probat lux ſolis, hæc illam irradians oſtendit tale vitrum non eſſe veram gemmam. tales adulterinos opalos habet hic mundus; videntur ardere igne caritatis, argento, puritatis &c. ſed decipiunt; vitrum ſunt; verus Sol Juſtitiæ, vel lux SS. Crucis illos momento irradiabunt, patebitque quales fuerint. §. 7. *Simile de Opalo gemma.*

Videntur hæc omnia contradicere reſponſioni ad quæſtionem quandam, qua quæri ſolet, an extremum judicium futurum ſit de die, vel de nocte. quorundã opinio eſt, fore de die; his favet S. Scr. quæ judicium toties vocat diem terribilem, diem calamitatis, diem iræ, diem Domini. alii ſentiunt judicem venturum media & intempeſta nocte, juxta illud *ſicut fur in nocte veniet*. & illud Matt. *media nocte clamor factus eſt*. favetque ratio: nocte terribilior eſt tempeſtas, nocte magis terrent tonitrua & fulmina, venti & turbines. incendia magis timemus de nocte quam die; ſimiliter ſpectra, aſſultus hoſtium &c. (eſt locus pro pulcris deſcriptionibus) tempeſtas erit judicium, & quia de nocte, ideo erit terribilior &c. ſic de reliquis. §. 8. *An judicium futurum ſit die vel nocte.* *1. Theſſ. 5. v. 2.* *Matt. 25. v. 6.*

 Hoc

ob nimiam confuſionem corruerunt mortui. Talis tragœdia luditur quotidie in mundo. Agunt plurimi perſonam ſuperbi, ſed ſub larva humilitatis &c. (hoc modo fac pulcram inductionem) verum in agone, ante judicem Chriſtum, mors tollet larvas, & ecce ſuperbum, ecce adulterum &c. ait enim Deus per os Prophetæ. *Et viſitabo ſuper omnes qui induti ſunt veſte peregrina.* *Sophoniæ 1. v. 8.*

§. 13. *Liber apertus.* S. Bern. lib. medit. c. 2. & Origenes hom. 14. in Jerem. utuntur ſimilitudine libri. ille ait: *Væ mihi miſero, cum venerit dies illa judicii, & aperti fuerint libri, in quibus omnes mei actus & cogitationes Deo præſente recitabuntur.* juxta illud Dan. *Judicium ſedit, & libri aperti ſunt.* Orig. ſic habet: *Nudabitur peccatoris conſcientia, & aperto corde videbuntur literæ peccatorum, quæ ſtylo ferreo in ungue adamantino ſcriptæ ſunt, atque univerſa ſpectantium multitudo leget in pectore meo* (veluti libro ex cryſtallo) *ſignatas imagines peccatorum.* Quæſo animæ piæ, ſi improviſa mors (O Jeſu per tuam mortem hoc averte) hoc momento nos ſiſteret judici, ſi hoc momento corda noſtra fierent ſpeculum, vel aqua pellucida &c. S. Chryſoſt. hom. 48. ad pop. *Si noſtrum cujuſquam aliquod occultum crimen hoc ipſo die in medium delatum, huic modo conſeſſui innoteſceret* (p.) *nonne fieret ut ille interire, ac in terram ſibi potius dehiſcere, quàm tam multos peccati ſui teſtes habere mallet? Quid igitur nobis tum fiet miſeris cum omnia univerſo orbi palam facta in tam aperto, tamq; illuſtri theatro denudata hominum oculis ſubjicientur* p. l. (poteſt fieri brevis & pulcra conglobata repetitio omnium dictorum) quid faceremus? ego hoc faciam. *Dan. 7. 10.*

§. 14. *Affectuoſa hiſtoria pro epilogo.* Tyro ex ordine S. Franciſci, poſtquam anguſtiis plenus in agone exclamaſſet, *O ſi natus non eſſem! - ah! libram æquo examine ſuſpendite-* tandem lacrymabundus orat; *etiam in iſtam lancem, imponite tantillum de Paſſione, de cruore ac vulneribus Jeſu Chriſti.* Paulo poſt ſibi redditus, aſtantibus admiratione plenis dixit: *Vidi Dei judicium, & in eo omne verbum ocioſum, ac minimum quoque defectum, ſevere examinari, operaque mea bona, erratis meis compoſita in multis deficere, ideo oravi, aliquid de*

Paſſio-

Digitized by Google

Paſſione &c. (eſt pulcer locus) *quod ubi factum eſt, benigne pro me pronuntiavit Iudex*. Ah mi Jeſu, fateor me reum! O Juſtitia æquo examine libram ſuſpende; heu me! quot cogitationes &c. &c. Ah mi Jeſu Crucifixe, per tuam Paſſionem obſecro, aliquid de tua paſſione, ah mi Jeſu per tuum cruorem, vel guttam ſanguinis: O mi Jeſu, membra ſumus congregationis tuæ ſacræ Agoniæ & quinque Vulnerum, ah aliquid de tuis Vulneribus (facere potes epilogum patheticum, & affectuoſum) ſic hodie Aud. orare volumus, & ſæpe &c. nec dubitate, bonus Salvator benigne pro nobis dicet ſententiam.

CONCIO XXXIX.

DOMINICA X. POST SS. TRINITATEM.

Flevit ſuper illam.

Lucæ 19. v. 41.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit pias & affectuoſas cauſas, ob quas piiſſimus Jeſus flevit ſuper Jeroſolymam.

§. 1. *Oculis noſtris proponitur lacrymans Ieſus.*

§. 2. *Conatur his lacrymis omnes excitare ad pœnitentiam.*

§. 3. *S. Dominicus lacrymando alios quoque commovit ad lacrymas; hoc Ieſus conatus fuit facere, ſed fruſtra.*

§. 4. *Pius Ieſus etiam ingratorum deflet peccata.*

§. 5. *Ex compaſſione Chriſti erga Ieroſolymam intellige cordis ejus dulcedinem.*

§. 6. *Deflevit obſtinatæ urbis peccata.*

§. 7. *Id poſtea exemplo Chriſti D. fecit S. Paulus.*

§. 8. *S. Auguſtinus inſinuat pulcram cauſam lacrymarum Chriſti.*

§. 9. *Quam*

Digitized by Google

§. 9. *Quam nos habeamus juſtas cauſas flendi.* | §. 10. *Affectuoſus Epilogus.*

DE S. Dominico ait ejus vita; Oculos, quaſi geminos fontes reddiderat, maximam lacrymarum vim aſſidue profundens. Nihilominus vultu ſemper erat hilari, atque jucundo, atq; adeo læto, ut intuentes exhilararet. De S. Romualdo piiſſimo Abbate refert hiſtoria, vim lacrymarum aſſidue profundebat, & ſe à lacrymarum inundantia continere non poterat. Talem ego hodie oculis meis propono Chriſtum Salvatorem, dum ex Evangelio intelligo, quod appropinquans civitati Jeroſolymæ ſuper illam fleverit. Oculos ſuos pulcerrimos, & lucidiſſimos quaſi ſtellas, convertit in geminos fontes lacrymarum, maximam lacrymarum vim profundens: lacrymarum inundantiam, quæ erat in corde Jeſu, ulterius continere non potuit; certum eſt illum hactenus in occulto integras noctes, flendo & orando, conſumpſiſſe: hodierna die in conſpectu Jeroſolymæ eruperunt; licet vultu eſſet formoſiſſimo, hilari, jucundo, adeo læto, ut omnes intuentes exhilararet; tamen Jeroſolyma, ingrata, impia urbs, Regi-Regum lacrymas excuſſit. Dum D. Juſtitia, & juſta Nemeſis parat ignes, quibus Jeroſolyma vaſtetur; parum hoc eſt, dum præparatur gehenna, in qua tot milliones animarum æternum ardeant; dum in horribilia urbis ſcelera, fatalis detonanda eſt ſententia; lacrymas profundit Jeſus, ut tale incendium extinguat, ut ſententia Judicis immutetur Has & ſimiles cauſas lacrymarum Chriſti hac concione vobis proponam, attendite, ut ſoletis.

§. 1. Oculis proponitur lacrymans Ieſus.

S. Ephrem, poſtquam egiſſet de minis Jonæ ſuper civitatem Ninive; *adhuc 40. dies &c.* p. ait. *Inſtabat jam dies ſubverſioni proximus; & civitas planctu atque ejulatu repleta erat: excitabant patres coram ſe filios ſuos, ut ſimul acerbam cum ipſis mortem lugerent.* In hod. Evangel. cœleſtis Jonas, minax concionator, Chriſtus Salvator appropinquat Jeroſolymæ, cum horrendis minis (pone huc minacia verba Chriſti ex Evang. Audin' Jeroſolyma? adhuc anni 40.) tanta eſt.

§. 2. Conatur pius Ieſus ſuis lacrymis excitare omnes ad pœnitentiam. Ionæ 3. v. 4

Numinis clementia) & ſubverteris: inſtant dies horribilis punitionis! ſine dubio, propterea tota civitas planctu atque ejulatu debuiſſet repleri; debuiſſent incolæ ſe mutuo verbis & exemplo excitare ad lacrymas; in cinere & ſaccis, in jejunio & oratione debuiſſent ſe convertere ad Dominum Deum ſuum; verũ, quia obſtinati in malo, id non faciunt; adeſt piiſſimus Salvator, & amaris lacrymis, miſerum urbis ſtatum, & futurum illius interitum, deflet atque deplorat: ſanctiſſimo ſuo exemplo, divinis lacrymis omnes excitat ad pœnitenti-

Luc. 19. v. 42. am. Unde S. Greg. verbis illis Chriſti D. *Quia ſi cognoviſſes & tu*; talia addit, *ſubaudi fleres; quæ modo, quia neſcis quod imminet, exultas*. Et Urbanus IV. ſummus Pontifex. *Et verè ſi cognoviſſem ſicut & tu, peterem à te, ut aperirentur cataractæ capitis mei, & diluvium lacrymarum mearum faceres abundare, ita ut anima mea tota eſſet lacrymis liquefacta, & iniquitas mea in hoc diluvio deleretur.* Talia debuiſſet petere Hieroſolyma; flere debuiſſet ad extinguendum paratum incendium tam florentiſſimæ urbi tam ſplendido templo & quia incolæ ejus hoc non fecerunt, fecit Chriſtus D. Flevit, pro urbe, pro templo,

Matt. 5. v. 5. Ang. Doctor ſuper verba illa Chriſti D. *Beati qui lugent*, ait: *illi lugent, qui miſerias aliorum cognoſcunt.* Miſerias Jeroſolymæ clariſſimè cognovit Jeſus, ideo flevit. Si cives urbis propriam miſeriam agnoviſſent, ſine dubio luxiſſent & fleviſſent.

§ 3. *S. Dominicus lacrymando, alios quoque movit ad lacrymas. Idem Ieſus conatus fuit facere, ſed fruſtra.*

De S. Dominico, cum ferventes ejus orationes, deſcribit, ait, S. Antoninus, & confirmat Bulla Canonizationis, ibi ſuſpiria! ibi uberes fundebantur lacrymæ. Gemitus vero tanti erant, ut in Dormitorio viciniores excitarentur, ac ipſi quoque flere cogerentur. O Jeroſolyma, *ſi cognoviſſes & tu*; ecce, cor benigniſſimi Salvatoris tui eſt plenum ſuſpiriis; viden? quam uberes effundit lacrymas; habent quoque hæ lacrymæ & gemitus Jeſu ſuas voces; clamant, ut tu quoque exciteris, ut evigiles, & plores. Hactenus ſuis concionibus, ſuis ſermonibus, dulci ſua viſitatione, & tot miraculis ad pœnitentiam te cogere non potuit; hodie tentat, an lacrymis à

te ta-

Digitized by Google

te talia poſſit obtinere. Eheu! pergit Jeſus flere, gemere, ſuſpirare, uberes fundere lacrymas; fruſtra, Jeroſolyma non plorat, ſed in iniquitatibus ſuis exultat; imo majora coquit ſcelera, ut Meſſiam crucifigant. Scribit propterea juſta Nemeſis terribilem ſententiam, *venient inimici tui &c.* & ideo flet bonus Jeſus, ut ſaltem ad tempus ſententiæ executio differatur: quo S. Paulus alludit dum ait. *Qui in diebus carnis ſuæ, preces ſupplicationesque ad eum, qui poſſit illum ſervare à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens exauditus eſt pro ſua reverentia.* Hæc obtinuit Chriſtus D. ut ſaltem multi ex Judæis deinde egerint pœnitentiam, ſalvique facti fuerint, & ut pœna ad 40. annos fuerit dilata, ut plures ſi vellent poſſent pœnitere. *Heb. 5. v. 7.*

§ 4. *Pius Ieſus, etiam ingratorum deflet perditionem.*

Deus ad Ezechielem ait, *Filii hominis leva planctum ſuper Regem Tyri.* q. d. Propheta quid agis? vides Regem Tyri ruere in perditionem? non vides quænam perpetrat ſcelera? & non deploras ejus miſeriam? leva planctum &c. meo judicio Ezechiel potuiſſet reſpondere Deo; quare plorabo pro ſceleſto Rege? cur lacrymas fundam pro impio homine; puniatur! hoc juſtum eſt; pœna ipſi aperiet oculos, ut ſapiat. Alia cogitat, alia loquitur Divina Clementia, imperat planctum (Orig. h. 13.) *ſuper Regem Tyri, ut videas quàm bonus Deus, qui etiam eos qui ſe negaverunt, deflet: & hoc venit ex amoris magnitudine, & affectu. Nemo enim plangit, quem odit.* Credere ego hodie S. Lucæ Evang. quod Chriſtus Redemptor meus fleverit ſuper Jeroſolymam; ſed nunquid merito dicere poſſum, mi Jeſu, quid ploras? quid uberes fundis lacrymas propter urbem ſceleratiſſimam? ſuper cives nequiſſimos? Mi Jeſu; illi ſuper quos ploras, poſt paucos dies te vinculis ligabunt; poſt paucos dies te flagellabunt & ſpinis coronabunt non quieſcent donec te cruci affigant; quid plangis? puniantur, veniant Romani, exſcindant urbem, quid intereſt? atrociora tormenta ſunt meritis ut æternum ardeant. O bonitatem! O amorem Jeſu! flet nihilominus, ut videamus, (Theophyl. *Oſtendit viſcera miſericordiæ per fletum.*) ut ex ejus lacrymis *Ezech. 28. v. 12.*

Digitized by Google

agnoſcamus, quam ſit bonus! quam longanimis; quam miſericors; etiam eos, qui illum crucifigent, deflet; Et venit hoc ex amoris magnitudine & affectu, quo etiam ingratos proſequitur; hoc præcipue intendunt lacrymæ Chriſti; ut teſtentur, quod Jeſus non oderit Jeroſolymam; ſed quod potius quærat, ut vivant &c. & non pereant.

§.5. *Ex compaſſione Chriſti erga Ieroſolymam, intellige dulcedinem cordis ejus.*

Suaviter Richardus: *Perpende ſi potes, quanta dulcedo cordis illius fuerit, quam tanta paſſionis acerbitas* (quam Chriſtus D. ſibi inferendam videbat, ſuper quos flebat) interpolare vel extenuare non potuit: *inter patiendum*; paucis diebus antequam ivit in mortem, *magis fuit compaſſus inimicis*, quam ſibi ipſi. Deflevit non ſuam inſtantem mortem, ſed interitum Judæorum, & quoad corpus & animam. Ut tamen ingratæ urbi, oſtendat viſcera ſuæ miſericordiæ, antequam ipſe moriatur in cruce, amarè flet, & lacrymas effundit. Rupertus putat Chriſtum D. poſtquam in cruce expiraſſet adhuc deflevisſe miſeriam peccatorum. Nam *unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit ſanguis & aqua*, hanc aquam vocat tenerrimas lacrymas benedicti cordis, *quæ pene cum ipſa Domini Ieſu anima, de corpore ejus exierunt*. Perpende ſi potes, quanta dulcedo cordis illius fuerit; poſt mortem Chriſti dulciſſimum cor Jeſu adhuc ſtillat guttis ſanguinis, & lacrymis, ut Jeroſolymam excitet & cogat ad pœnitentiam & lacrymas. Sed & hoc fruſtra. Bonus tamen Jeſus oſtendit viſcera ſuæ miſericordiæ: lacrymas vult eſſe teſtes, quod non oderit etiam impios, pro quibus moritur in cruce.

Ioan. 19. v. 34.

§.6. *Deflevit obſtinatæ urbis peccata.*

Phraſes ſive verba, quibus hactenus uſus ſum de lacrymis Chriſti flentis ſuper Jeroſol. variant Orig. & Euthymius, dum dicunt, *Non muros civitatis, ſed populi peccata flevit Ieſus:* ſive; *Civitatem Ieruſalem propter immenſa vitia deſtruendam humano modo CHRISTUS præ immenſa ſua bonitate deflet: etiam hic oſtendens, qualia haberet erga ingratos viſcera miſericordiæ.* & quod ſuis lacrymis non intendat aliud, quam ut peccatores moveat ad lacrymas contriti cordis. Super iſtud Jeremiæ. *Quis dabit capiti meo aquam, & ocu-*

Ier. 9. v. 9.

& oculis meis fontem lacrymarum , & plorabo die ac nocte, ait Hugo Cardinalis. *Hic oſtenditur Ieremiam fuiſſe miræ compaſſionis , quia tam aſſiduum , tam copioſum , & affectuoſum luctum aſſumit pro populo , dans formam ſic faciendi omnibus juſtis ac ſanctis*; imò impiis & peccatoribus , ut ipſi præcipue ſuper ſe fleant. Proponit nobis in hod. Evang. Sanct. Lucas Jeſum flentem ſuper Jeroſol. & quia peritus fuit pictor, vivis q. coloribus illius imaginem nobis depingit. Sic oſtendit Chriſtum Dominum fuiſſe miræ compaſſionis: tam aſſiduum , tam copioſum & affectuoſum luctum aſſumpſit. Filius Dei , tam uberes effudit lacrymas, ut incolis Jeroſolymæ daret formam, quid ipſi deberent agere. Vobis O impii eadem forma & veſtis oculis hodie proponitur, ut luctum aſſumatis, ut lacrymas contriti cordis, effundatis: ut quævis anima pœnitens dicat cum Jeremia, *Quis dabit &c.*

§. 7. *Id poſtea, exemplo Chriſti D. fecit S. Paulus.* *2. Cor. 2. 4.* *Rom. 9. 2.* *Philip. 3. v. 18.*

Doctor gentium de ſe ait. *Scripſi vobis per multas lacrymas, ut ſciatis, quam caritatem habeam* (vide text.) ad Rom. ait; *Triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo.* Act. 20. ad Epheſios, *Per triennium nocte & die, non ceſſavi cum lacrymis monens unumquemque veſtrum.* Ad Philip. *Multi ambulant, quos ſæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Chriſti, quorum Deus venter eſt.* Fruſtra ego, ſi Ieroſolymam ſæpius compellare velim; actum eſt, obdurata eſt. Tibi , O impie , qui hodie vivis , tuis oculis propono IESUM flentem? cur putas flere ? per lacrymas tam uberes , tam teneras tibi ſcribit ; facies IESU madida lacrymis, eſt epiſtola, ut in illa legas, & intelligas, quantam caritatem erga te habeat. Quæris , quare IESUS fleat? Triſtitia illi magna eſt, & continuus dolor cordi ejus. Cum lacrymis monet te, rogat te, urget te, vult excitare & cogere te, ut convertaris. Ambulas inimicus crucis Chriſti; venter eſt Deus tuus; ruis propterea in interitum, in ætern. damnationem; ideo Ieſus flens & tibi ait, O ſi cognoviſſes & tu! utique fleres.

§.8. *S. Auguſtinus inſinuat pulcram cauſam lacrymarum Chriſti.* In libris Confeſſ. narrat S. Auguſtinus, hoc ſibi contigiſſe; *Vbi alta conſideratione contraxi, & congeſſi totam miſeriam meam, in conſpectu cordis mei, oborta eſt procella ingens, faciens ingentem imbrem lacrymarum.* Clarior longe fuit cognitio Chriſti Salvatoris; tota moles omnium graviſſimorum ſcelerũ contracta & congeſta erat in conſpectu cordis ejus; hinc illa procella ingens, hinc ille dolor in corde Chriſti, ille metus, illa triſtitia, illa compaſſio, illa caritas, ille amor, illa deſideria, quæ omnia ſimul fecerunt ex oculis Chriſti erumpere & defluere copioſum imbrem lacrymarum. Adeſte pœnitentes animæ inſpicite imaginem, quam S. Lucas vobis proponit; Jeſus plorans oſtendit vobis formam, ſecundum quã pœnitere debetis; hoc agite ſubinde coram aliqua imagine crucifixi, ruite cum Magd. ad ejus pedes, & ante oculos ſive conſpectum cordis veſtri, alta conſideratione, contrahite & congerite totam miſeriam veſtram; mox orietur procella, timor, metus, planctus, dolor, contritio, caritas, amor, affectuoſa deſideria, facient, ut ex veſtris quoque oculis erumpat imber lacrymarum.

§.9. *Quam nos habeamus juſtas cauſas flendi.* Gravibus verbis hoc peccatori perſuadere conatur S. Cyprianus l. de lapſis. Cum quis de tuis caris moritur, ingemiſcis dolenter, & fles, facie inculta, veſte mutata, neglecto capillo, vultu nubilo, ore dejecto, indiciaque mœroris oſtendis; *Animam vero tuam miſere perdidiſti, & funus tuum portare cœpiſti ad infernum & non acriter plangis, nec jugiter ingemiſcis?* O miſer! quovis momento, quo vivis in peccato mortali, aſtat tibi cacodæmon, ut ſi juſto Judici placeat, & repentina mors adſit, teque vocet ad judicium, te comitetur, te accuſet, & urgeat fatalem ſententiam, & tum animam tuam ſecum rapiat in tartara; *& non acriter plangis, nec jugiter ingemiſcis.*

§.10. *Affectuoſus Epilogus.* O itaque ter beati qui lugent! O felices peccatores qui cum Jeſu fleat ſuper animas ſuas? O jucundum ſpectaculum Deo & angelis, cum aliquis peccator ex agnitione ſcelerum *in ſuaviſſimas lacrymas reſolvitur.* ſic loquitur Pinna. Hoc

ego

Digitized by Google

ego hodie in alta conſideratione lacrymarum quas piiſſimus meus Jeſus flevit ſuper Jeroſol. ex viſceribus pectoris opto, ut cor meum in ſimiles aquas reſolvatur. Ut illa lancea, quæ Chriſti latus aperuit, vulneretur cor meum & effluat aqua contriti cordis. O mi Jeſu; per tuas lacrymas, hoc obteſtor. Sic vulnera cor meum, ut in lacrymas diſſolvatur; ſed mi Jeſu, amplius peto; ah! per tuum fletum; per tuos gemitus; per ſuſpiria cordis tui; per lacrymas tuas; auditorum meorum corda etiam ſic move, ſic emolli, ſic vulnera, ſic ure, ut inſtar ceræ in ſimiles lacrymas reſolvantur. S. Ambr. l. 1. de pœn. c. 7. *Movebitur enim miſericordia, cum viderit in obitu tuo lacrymas.*

CONCIO XL.

DOMINICA XI. POST SS. TRINITATEM.

Deus propitius eſto mihi peccatori.

Lucæ 18. v. 13.

SYNOPSIS CONCIONIS.

HUmilis & fervens Oratio, facillime & citiſſime exauditur à Deo.

§. 1. *Deus eſt liberaliſſimus, ſed vult rogari. Publicanus oratione obtinuit Juſtificationem.*

§. 2. *Oratio debet eſſe reverens, devota & attenta. Probatur ex cap. 6. Apoc.*

§. 3. *Fumum devotionis excitat ignis D. amoris ſive, oratio debet eſſe ardens.*

§. 4. *Oratio debet prodire ex profundo cordis.*

§. 5. *Alius ſenſus illorum verborum, de profundis clamavi.*

§. 6. *Orationem cum dictis proprietatibus exaudit Deus. Aliqua exempla, humilit. orantiū*

§. 7. Ce-

§. 7. *Celerem Dei miſericordiam obtinuit pius latro in cruce.*
§.8. *Simulat ſubinde Deus, quaſi nos non exaudiat, ut eo fer ventius oremus.*
§.9. *Quare ſponſus declinaverit à ſponſa.*
§.10. *Quanta Dei erga peccatores miſericordia.*

§.1. *Deus eſt liberaliſſimus, ſed vult rogari. Publicanus oratione obtinuit juſtificationem.* *Joan 16. v 24.* *Pſ.2.v.8.* *Luc.1.v.26*

MIſericors Dominus Deus noſter, *quamvis vult ignoſcere*, (S.Ambr.in pſ.37.) *tamen vult rogari*. Orig. in cat c.4. *Quaſi dogma quoddam eſt, neminem accipere divinum donum, ex non quærentibus illud, unde & ipſe Salvator dicit, petite & accipietis. Et ſignanter dixit Samaritanæ, petiiſſes & dediſſem tibi.* De ipſo Chriſto D. dixit Caſſiodorus, in Pſ.2. *Quidquid enim in tempore accepit Chriſtus D. ſecundum hominem per orationem acquiſivit, juxta promiſſionem* cit. Pſalmi. *Poſtula à me, & dabo tibi.* S.Bernardus hom.4. ſuper *miſſus eſt.* Vult à ſe requiri Deus, quod etiam pollicetur, Et ideo forte multa, quæ dare diſpoſuit, prius pollicetur, ut ex promiſſione devotio excitetur: ſicque quod gratis daturus erat, devota oratio promereatur. Sic pius Dominus, qui omnes homines vult ſalvos fieri, merita noſtra extorquet à nobis: ne gratis tribuat. Hiſtoria hodierni Evangelii refert, quendam publicanum deſcendiſſe ex templo in domum ſuam juſtificatum; Ingens hæc eſt gratia. Sed ſimul innuit modum, & media, quibus publicanus hanc gratiam obtinuit, nimirum, humilem & ferventem orationem. Brevis illa fuit pauca continens verba, *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Optarem eandem nobis in frequenti eſſe uſu; proinde ejus perfectiones & proprietates, quæ illam Deo reddunt gratam, & acceptabilem hac concione fuſius vobis proponam. Compendium totius conc. eſt hoc, humilis & fervens oratio facillime exauditur à Deo. Nemo præſentium timeat, nihil agam de ſuperbo Phariſæo.

§ 2. *Oratio debet eſſe reverens, de-*

S. Joannes Ev. ait; *Viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram agno, habentes phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum, habentes ſinguli Cytharas.* Meo judicio

hæc

Digitized by Google

hæc non tam fuit viſio, quam quædam concio, quæ nos inſtruit, qualis debeat eſſe noſtra oratio, ut Deo ſit accepta. Qui verò hoc deſiderat, teſte S. Bernardino, ut ſua oratio ſit Deo grata, orare debet, reverenter, devote, attente; quas qualitates vel proprietates relata viſio S. Joannis, clare nobis ponit ob oculos. 1. *Ceciderunt coram agno*: cum magna reverentia, hoc in hod. Evang. fecit publicanus, de quo textus ait, *A longe ſtans nolebat neque oculos ad cœlum levare, ſed percutiebat pectus ſuum dicens, Deus prop. &c.* S. Bern. *cum oculos ad cœlum attollere noluit, ipſum ad ſe cœlum traxit, & reſpexit Deus in orationem vacui.* vel ut ordinarius textus legit: *reſpexit Deus in orationem humilium.* Hæc oratio publicani, non tantum humilis, ſed etiam devota, ob conjunctos actus & deſideria cordis plane contriti; Neq; enim lingua tantum protulit hæc verba, *Deus &c.* ſed quoque ex intimo pectore, cum gemitu, cum ſuſpiriis, cum deſideriis, amandi Deum, placendi Deo &c. & hi affectus devotionis ſunt odoratiſſimus ille fumus, qui ex phialis aureis aſcendit coram agno; ſuaviſſimumque incenſum aureorum thuribulorum, quæ geſtabant angeli. Tale thuribulum fuit cor orantis publicani. Quare oratio comparetur fumo, advertit S. Joannes Chryſoſt. h. 79. ad pop. ſupponit naturale eſſe ut fumus ex oculis eliciat lacrymas, quæ ſi conjungantur orationi, *Non ita fontes aquarum hortos reddunt fertiliores, ut orationis planctum, lacrymarum fontes; & hinc maxime fit, ut exaudiantur:* hoc mihi certum eſt, publicanum, cum ſtetit à longe (p. deſcribe) ſimul profudiſſe amaras lacrymas &c. *& deſcendit domum juſtificatus.*

vota & attenta. Probatur ex c.5. Apoc. v.8.

Luc. 18. v. 12.13.

Pſ. 101. 18.

§. 3. Lacrymarum ſub oratione comes plerumque eſt intenſus amor Dei, qui humilem orationem pœnitentis valde reddit efficacem, S. Greg. in I. Reg. *Preces noſtræ tanto celerius in Dominicæ pietatis aures ſublevantur, quanto magis eas, caritatis ardor exacuit.* Hujus ardoris ſymbolum ſunt ardentes carbones in aureis thuribulis ſeraphinorum. Sanct. Thomas. *Fumus, id eſt; devotio, quæ dicitur fumus, quia ſicut ex igne operante in lignis aſcendit fumus, ſic ex amore Dei, operante interius in* cogi-

Fumum devotionis excitat ignis amoris D. ſive oratio debet eſſe ardens.

Digitized by Google

cogitationibus (*idem dic de contrit.*) *procedit devotio in oratione &c. Fumus ex aromatibus eſt compunctio cordis*, S. Greg. hom. 22. in Ezech. fumus, ſunt actus amoris, & aliarũ virtutum. Sed fumus ille excitari, vel prodire debet ab igne amoris. Non datur fumus ſine igne, neq; datur devotio ſi amore. S. Bernardinus t. 4. Dom. 1. poſt paſcha. *Meritum orationum quaſi mortuum eſt, & nihil valet, niſi in quantum illius dilectionis igne, quem pro nobis Chriſtus meruit*, (quem venit mittere in terram) *vivificetur. Et hinc maxime fit ut exaudiantur peccatores.* Ta-
Pſ.140.2. lia deſideravit David. *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.* id eſt, ait Ludolphus, *dirigatur de ara cordis oratio mea igne caritatis incenſa, ut tibi fiat & ſit acceptabilis:* talis quotidie deberet eſſe noſtra quoq; oratio &c. hoc præſertim moneo, ut dum accedimus ſacramentum Confeſſ. aliqui accedant valde raro; puto tamẽ quod ſæpe conentur elicere con-
Pſ. 50. v. 1. trit. &c. puto quod ſæpe dicant cum Davide, *miſerere &c.* vel
Luc. 18. 13. cum Publ. *Deus &c.* tum præcipue debemus nos proſternere coram agno SS. Sacramento vel crucifixo, tum &c. (fiat p- repetitio dictorum.)

§. 4. *Oratio debet prodire ex profundo cordis.* Pſ. 129. v. 1.

His omnibus nobiliſſimam orationis proprietatem, regius pſaltes, dum his verbis orditur. *De profundis clamavi ad te Domine*; & audacter petit, *Domine exaudi vocem meam*, dixit hæc David cum magna fiducia, nihil dubitans ſe exaudiendum: cauſam affert S. Joannes Chryſ. *Tales enim preces magnam habent potentiam, cum funduntur ex corde profundiſſimo & ex ipſis mentis penetralibus.* Sic oravit Publicanus in hod. Ev. dum ore ait, *Deus propitius eſto &c.* dum oculi ſtillant lacrymis, manu percuſſit pectus, ad excitandum cor; ſive, ad demonſtrandum ſe clamare, *de profundis &c.* Seria debet eſſe noſtra oratio. Pulſando pectus publicanus, *docuit*, (Theoph.) *quid in actu orandi, præcipue curandum; nimirum cordis contritionem & affectum.* Theoph. *Cor quodammodo pungens nec non & excitans, ut dormitans &c.* Oratio noſtra debet eſſe virgula fu-
Cant. 3. v. 6 mi, ut ait Sponſus. *Concremata intus in holocauſtum incendio pii amoris, & deſiderio caritatis.* Intus, idem eſt, quod de profundo cordis.

Cita-

Digitized by Google

Citatum verſ. ex pſ. 129. *De profundis* S. Greg. ſic explicat. *Attendat unusquisque in quo profundo jaceat, & quam longe à Deo perverſe agens, effectus ſit. Sic clamavit Ionas de ventre ceti, de altitudine maris, de profundo inobedientiæ, & ad aures Dei oratio illius pervenit; qui eum eruit à fluctibus, & abſolvit à culpa.* (Sic oravit publicanus; applica & deſcribe pulcre.) Clamat & peccator, quem à Deo recedentem cupiditatum tempeſtas contrivit, quem malignus hoſtis abſorbuit, quem præſentis ſæculi fluctus involvit; agnoſcat ſe eſſe in profundo, ut ad Deum ſua perveniat oratio. Agnitio profundi, agnitio periculi &c. facit ut impius ſerio clamet, *Deus propitius &c.*

§. 5. Alius ſenſus illorum verborum, de profundis clamavi.

De tali oratione, quæ Deo offertur, cum ardenti amore, & ſumma Spiritus humilitate, ait Eccleſiaſticus. *Oratio humiliantis ſe, nubes penetrabit, & donec propinquet, non conſolabitur: & non diſcedet donec altiſſimus aſpiciat, & Dominus non elongabit ſe, ſed judicabit juſtos.* S. Joannes Chryſoſt. in pſal. 9. *Orationis vehiculum eſt humilitas.* Intellexit hanc veritatem in prima converſione S. Maria Magdal. de qua S. Lucas ait. *Stans retro ſecus pedes,* nam (S. Petrus Chryſol. ſer. 93.) *Ad pedes tendit, qui citam veniam requirit.* Humiliavit ſe Magd. & ſtatim Chriſtus D. ait, *mulier, remittuntur.* Angulum templi quæſivit publicanus, & deſcendit juſtificatus. S. Hieronymus de ſe ait, *omni auxilio deſtitutus, ad Ieſu jacebam pedes, & lacrymis rigabam. Et ut ipſe teſtis eſt Dominus, poſt multas lacrymas poſt talem orationem, nonnunquam videbar mihi intereſſe agminibus angelorum.* His donis & gratiis miſericors Deus renumerat orationem humilem. Similes gratias deſideratis audit.? Eia ſæpe cum Magd. quærite pedes Jeſu; ibi oratione ardenti & humili petite peccatorum veniam, & remittentur vobis. Quotidie cum publicano quærite aliquem angulum &c. applica Auditoribus paulo ante dicta. Eſtis ſodales congregationis Agoniæ? In Vulneribus Salvat. quærite angulum. Mox vos audiet benignitas Salvatoris; prout S. Ephrem ſer. de afflict. ipſum alloquitur: *O dulcis Ieſu! Priuſquam peccator pertingat ad januam, tu ei aperis: antequam tibi pro-*

§. 6. Orationem cum dictis proprietatibus exaudit Dominus. Aliqua exempla humiliter orantium. Eccleſ. 35. v. 21. Luc. 7. v. 38 v. 47.

bi procidat, manum ei prabes; antequam lacrymas profundat, tuas ſuper illum miſerationes effundis, caritas tua, noſtra ſalutis cupidiſſima, ſe ipſa ad nos inclinat.

§. 7. *Celerem Dei miſericordiam obtinuit pius latro in cruce. Luc. 23. v. 42.*

Expertus fuit pius latro in cruce; piis oculis reſpiciens Jeſum, ad cujus dexterum latus ipſe pendebat, momento ſerio & ex corde converſus, convertit ſe ad orationem, brevem q. ſed humilem & ardentem, dicens, *Domine memento mei cũ veneris in regnum tuum.* ſubito reſpondit illi Dominus, *Hodie mecum eris in paradiſo.* Quomodo mi Jeſu? tantum pius latro non petit; erit contentus ſi poſt 20. vel 30. annos ipſius ſis memor! ſed hæc eſt benignitas Jeſu! tantum valet humilis oratio; S. Ambr. in pſ. 37. *Ille adhuc rogabat, ut meminiſſet ſui, cum veniſſet in regnum; & Dominus cum nondum veniſſet, tribuit illi Paradiſum. Quam velox miſericordia. Tardius votum precantis eſt, quam remunerantis eſt precium.* Idem in hod. Evangelio contigit publicano. Sedit in angulo, &c. ſtatim deſcendit in domum ſuam juſtificatus.

§. 8. *Simulat ſubinde Deus, quaſi nos non exaudiat; ut eo ferventius oremus.*

Subinde quidem differt; ſimulat q. non audiat, ſed ob hanc eandem cauſam, ut nos oremus ardentius, & ipſe deinde copioſius ſua dona largiatur. de quo p. S. Joannes Chryſ. hom. 30. in gen. *Neque enim renuens preces noſtras differt; ſed hac arte ſedulos nos efficiens, ad ſemetipſum attrahere vult. Nam & pater, quam benignus, cum à puero rogatur, abnuit, quaſi non volens dare, non ut neget, ſed ut ardentius petat, & ſibi magis concilietur.* Summa gratia, eſt Juſtificatio animæ. Vult tamen Deus, ut nulli in hac vita conſtet, an ſit juſtificatus. Pauculis hæc gratia conceditur: via extraordinaria, ut Magd. publicano, latroni &c. Variæ à SS. PP. afferuntur cauſæ, ut ſemper vigilemus &c. Una ex præcipuis eſt, pater eſt, pius, benignus &c. tamen &c. applica p. ſuperiorem ſimilitudinem. S. Greg. *Quo ardentius à nobis quaritur, eo de nobis ſuavius latatur: quaſi quoddam,* humili, ardente & repetita oratione *ei gaudium facimus, & cum per ſancta deſideria nos pro ejus amore,* ſuccendimus, in ſuave ſacrificium & acceptabile holocauſtum. Euſebius Emyſſ. ait hom. 5. ad Monach. *Non vult Deus bona ſua, nimia*

Digitized by Google

nimia inveniendi facilitate viluſcere: precioſa & concupiſcibilis merces, cupidum amatorem, & avidum negotiatorem requirit. (ſi eſſet Dominica Agoniæ, poterit fieri p. digreſſio; illius ſodales debere eſſe tales negotiatores &c.) In hod. Evang. talis amator & negotiator fuit publicanus.

Triſtem in Cant. querelam ſponſa, contra ſponſum habet, dum ait enim, *ſurrexi, quæſivi per plateas &c. at ille declinavit, atque tranſiit: quæſivi & non inveni illum: vocavi & non reſpondit mihi.* Quæ verba explicans Guilbertus Ab. ait, *Cur abis bone Ieſu? Cur declinas? cur defraudas dilectam à deſiderio ſuo? Tu deſiderium inducis, tu delectationem ſubducis! An forte hoc modo in majorem aviditatem, & ardentius deſiderium, concupiſcentiam protrahis, dum copiam ſubtrahis. Ita eſt!* Hæc ſubinde eſt querela pœnitentium animarum, v.g. alicujus peccatricis, O quam libenter viderem faciem Jeſu mei; O ſi ex ore ejus audire liceret illa verba, remittuntur tibi peccata tua; O ſi ſcirem me lotam eſſe precioſo ejus ſanguine; ſed ah! quæro non invenio; voco, nihil mihi reſpondet. Quoties hactenus cum publicano ſedi in angulo, quoties percuſſi pectus, quot lacrymas fudi, quoties ſuſpiravi, *Deus propitius eſto mihi peccatori, &c.* Mi Jeſu cur declinas? cur non reſpondes? cur petitam conſolationem non concedis? *An forte hoc modo &c.* ut ante. Ita eſt. Vult bonus Jeſus, ut faciamus illi gaudium, &c. ob eandem cauſam S. Thomas cum quærit, quinam feliciores ſint; an qui nunquam peccarunt, an qui peccarunt, ſed per pœnitentiam cum publicano juſtificantur, ait 1. p. q. 20. art. 4. ad 4. *Dicitur Deus plus gaudere de pœnitente, quam de innocente; quia plerumque pœnitentes, cautiores, humiliores, & ferventiores reſurgunt.* Patet in filio prodigo, in Davide, in S. Petro, in S. Magdal. in hod. Publicano, p. O quàm ferventer deinde clamarunt, filius prodigus, *Pater peccavi.* David, *miſerere* S. Petrus & Magd. illa dixerunt lacrymis; publicanus, *Deus propitius eſto mihi peccatori:* hos imitemur; & exaudiemur, imo Chriſtus D. lætabitur de nobis.

§. 9. Quare ſponſus declinaverit à ſponſa. Cant. 5. v. 6

Luc. 15. v. 21. & cap. 7. v. 29. Pſ. 50. v. 1.

§.10. *Quanta Dei erga peccatores, miſericordia.* S. Joannes Chryſoſt. hom. 28. in gen. poſtquam egiſſet de converſione latronis, ut ejus oratione &c. *Tanta eſt Dei erga nos miſericordia! nam ubi viderit voluntatis noſtræ firmum propoſitum, & ferventi deſiderio nos ad ſe accedere, non retardat; ſed accelerat, dicens, adhuc te loquente, dicam, ecce adſum* non tamen vult nobis hoc conſtare, ut quotidie ſic oremus (poteſt fieri p. epilogus. verba hæc citata applicando &c. Publicano, Tanta eſt Dei miſericordia &c.

CONCIO XLI.

DOMINICA XII. POST SS. TRINITATEM.

Apprehendens eum de turba ſeorſum.

Marc. 7. v. 33.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EX variis ſacræ ſcripturæ locis oſtendit, nocivam & periculoſam eſſe ſocietatem malorum.

§. 1. *Cur S. Ioannes Baptiſta puer ſeceſſerit in eremum.*

§. 2. *Quantum impii edant ſtragem inter animas, in viſione fuit oſtenſum S. Ioanni Apocal. 9.*

§. 3. *Societas impiorum ex Ieremia comparatur cæno, luto, profundo.*

§. 4. *Aliud ſimile de peſte, & tertium de igni.*

§. 5. *De duplici igni; alter nocuit Iſraelitis, alter non.*

§. 6. *Monitum S. Baſilii.*

§. 7. *Ignis hic graſſatur præſertim inter luxurioſos.*

§. 8. *Societas cum impiis eſt ſcopulus, præcipitium, pelagus.*

§. 9. *Mali ſocii ſunt ſerpentes.*

§. 10. *Illorum ſocietas eſt labyrinthus.*

§. 11. *Malorum exempla fortiter trahunt in malum, & in pericula.*

§. 12. Ma-

§.12. *Magno ſuo damno illud expertus fuit Samſon.*
§.13. *Et quotidie experiuntur floridiſſimi adoleſcentes.*
§.14. *Qui ſociorum exempla facillime imitantur.*
§.15. *Confirmatur ex Pſ.17. & 105.*
§.16. *Malorum fuga placet Deo.*

SAnct. Lucas ait de S. Joanne Baptiſta, *Puer autem creſcebat, & confortabatur ſpiritu; & erat in deſertis, uſque ad diem oſtenſionis ſuæ Iſrael.* Unde conſtat ſanctum Joannem à puero conceſſiſſe in eremum, ibique continuo manſiſſe uſque ad annum trigeſimum, quo cœpit ſe oſtendere populo, illique prædicare pœnitentiam, & fidem in Chriſtum. Interpretes multis agunt de hoc præmaturo Joannis diſceſſu, & fuga in deſertum. Theophylactus ait, *ſeceſſit, ut extra multorum malitiam nutriretur.* Origenes hom. 11. in Lucam. *Digne qui ſic conceptus & natus fuerat, non exſpectavit, ut à patre nutriretur uſque ad diem oſtenſionis ſuæ Iſrael: ſed receſſit, fugiens tumultum urbium, populi frequentiam, viciniam civitatum* (notanda ſunt verba, quæ ſequuntur) *& abiit in deſerta, ubi purior erat aer, cælum apertius, & familiarior Deus.* Urbium verò tumultus, populi frequentia, civitatum viciniæ, verbo, hominum turba & multitudo, in qua multi ſunt impii, facile alios trahunt ad malum. Hanc puto fuiſſe cauſam, ob quam Chriſtus D. in hodierno Evangelio miſerum hominem, ſurdum, & mutum, ſanare voluit, quod prius manu illum apprehenderit, & de turba duxit ſeorſum; id eſt, ſenſu morali, removit illum à periculis & occaſionibus rurſum labendi, in priores animæ morbos. Occaſione miraculi, in hodierno Evangelio, Concionatores agere ſolent de malorum ſocietate, quam illa fugienda ſit bonis. Ut idem faciant mei auditores, ex variis S. Scripturæ locis oſtendam, quam illa ſit nociva & periculoſa. §.1. *Cur S. Ioannes Bapt. pueri verit in eremum* *Luc.1.v.80.*

Caveat impiorum ſocietatem, qui impietatem execratur. Quis ſceleſtorum hominum ſecutus. Scelera, per illorum, manus, verba, mores, exempla in ruinam non impellitur? §.2. *Quantam impii edant ſtragem inter*

animas in visione fuit ostensum S. Joanni Apocal.cap.9. litur? Agnovit hoc Eſther Regina, cum dixit. *Coluimus Deos eorum, & tradidiſti nos in manus inimicorum noſtrorum. Iuſtus es Domine* ait S.Joannes. *Vidi equos in viſione, & qui ſedebant ſuper eos, habebant loricas igneas, & ſulphureas, & capita eorum,* *Eſth.14.6.* *erant tanquam capita leonum, & de ore eorum, procedit ignis, &* *Apoc.9. v. 17.* *fumus, & ſulphur.* Ad literam, S.Joannes mirabiles depingit equos, & equites; in ſenſu morali, videtur deſcribere aliquam cohortem vel turbam impiorum hominum, qui in unum congregati, Deum graviſſimis offendunt ſceleribus; videbitis v.g. ſubinde, ſex vel ſeptem nequam homines in aliqua popina congregatos; inſpicite, attendite bene; videbitis capita leonum, hircorum, porcorum, & ſimilium beſtiarũ ex ore nihil erumpit, niſi ignis terribilium blaſphemiarum & maledictionum; nil niſi fumus libidinis & ſpurciſſimorum verborum, nil niſi ſulphur detractionum. Sed hoc parum eſt. S.Joannes loco ſuperius citato ait; *Et ab his tribus plagis,* *v.18.* *occiſa eſt tertia pars hominum, de igne, & ex fumo, & ſulphure, quæ procedebant de ore ipſorum.* Hanc nimirum edunt ſtragem impii, ut ſuis ignibus, ſuo fumo & ſulphure, afflent, involvant, & accendant aliorum præſentium animas. Cum *Dan.3. v. 47.* tres pueri in accenſam fornacem eſſent conjecti ait ſacer textus. *Effundebatur flamma ſuper fornacem cubitis quadraginta novem, & erupit, & incendit quos reperit extra fornacem Chaldæos.* Idem facit ignis luxuriæ, dum ex accenſa fornace impii cordis, per oculos, per ora, per manus erumpit, incendit vicinos; quod adoleſcentes præcipue experiuntur: cum hircis, fiunt hirci, cum porcis, porci &c. involvuntur fumo, accenduntur ſulphure & ignibus; & quidem tertia pars, id eſt, plurimi.

§. 3. *Societas impiorum ex Ier. comparatur cœno, limo, luto, profundo.* Alio ſimili tantum periculum declarat caput Jer. 7. ubi de illo dicitur, *Deſcendit Ieremias in cœnum,* vel ut David pſ.68. loquitur, *Infixus ſum in limo profundi.* Limus vel cœnum eſt materia lutulenta, cœnoſa, & fluxa, liquida, nullam habens firmitatem, ut difficile ſit, evadere. Quod Jeremiæ cœnum *Ier.38. v.7.* non nocuerit, quod David ex profundo limi fuerit extractus,

fuerunt

Digitized by Google

fuerunt miracula divinæ gratiæ; illo ſenſu quo ſtupens Abacuc dixit. *Viam feciſti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.* Arias Montanus hic, *Iſraelitæ, non ſolum ab aquis nihil læſi fuerunt, ſed neque luto, neque cœno impediti, quo minus liberi, & puri alterius litoris oram tenerent.* Et hoc fuit miraculum; ut advertamus aliquos agere cum impiis, ſive, ut Brunus ibi loquitur, *exiſtere converſando inter impios (*ipſe loquitur de Judæis) qui ſunt limus profundiſſimus, qui ſordidi ſunt in iniquitatibus, & cœnoſi ad modum luti; cum talibus inquam converſari, & non infigi, & tranſire ſine damno, liberum purumque evadere ad litus virtutis, non minus miraculum gratiæ eſt, quam fuit ſupra naturam, quod ignis in fornace babylonica tres pueros non combuſſerit. Plerumque tertia pars illorum, qui huic periculo ſe exponunt, qui cœnum ingrediuntur, qui his flammis appropinquant accenduntur, pereunt, & miſere ſubmerguntur; in cœno graviſſimorum ſcelerum; inde in barathrum ignis æterni præcipitantur. Cavete obſecro auditores hanc turbam, ſequimini ductum manuum Chriſti D. qui ſuos per cœnum hujus mundi quidem tractos ſed emundatos tandem æternæ gloriæ corona beabit. *Abacuc. 3. v. 15.*

D. Baſilius M. orat. 3. de peccato, utitur hoc ſimili. *Sicut peſtis in omnes appropinquantes diſpergi ſolet, ita etiam hi qui ſcelera patrant, proprium malum ad omnes ducere contendunt, ac ſummopere deſiderant, quam plurimos ſibi ſimiles fieri, quo cum malis converſando, opprobria effugere poſſunt. Et dum alter, alteri morbum impertitur, omnes ſimul laborant, & ſimul concidunt.* Mox æque pulcram ſubdit ſimilitudinem. *Neque enim fieri poteſt ut ignis, ſi materiam ad comburendum aptam attigerit, ſiſtatur, ac cohibeatur, ne totam pervadat, penetretque; & vel maxime, ſi ventum ſecundum nactus fuerit, qui flammam hinc inde, tranſvehat: eodem modo neque peccatum, quod unum attigit, facile eſt ſiſtere, ac continere, ne ad omnes appropinquantes progrediatur; præſertim ſi venti malitiæ illud incitent, inflammentque.* Non neceſſum eſt, ut elegantiſſimis verbis quidquam addam: *§. 4. Aliud ſimile de peſte & contagione; tertium de igne.*

Digitized by Google

obſervemus tantum, an non veritates has quotidiana doceat experientia: niſi bonus Jeſus ſuos electos, potenti manu à tali turba abſtrahat.

§ 5. *De duplici igne, alter nocuit Iſraelitis, alter non. Exod. 3. v. 2.3.*

Rubus, quem in monte vidit Moyſes ardere, & tamen non comburi, plenus eſt pulcerrimis myſteriis. Theodoretus ait, ſignificatum fuit, Iſraelem ab Ægyptiis inimicis, atque infeſtatoribus nequaquam conſumendum fore. Ignis tribulationis illi nocere non potuit, imo profuit illis vexari, premi, & flagellari: quamdiu ſeparati fuerunt à conſortio gentium, manſerunt cultores veri Dei. Poſtmodum verò ait

Iſ. 9. v. 18.

Iſaias. *Succenſa eſt quaſi ignis impietas; veprem & ſpinam vorabit, & ſuccendetur in denſitate ſaltus, & convolvetur ſuperbia fumi. In ira Domini exercituum conturbata eſt terra, & erit populus quaſi ignis.* Qualis ille ignis tam exitioſus? qui Iſraeli tantam intulit vaſtitatem? qualia hæc myſteria, ibi rubus, ſive populus flammis circumdatus non comburitur, hic prorſus voratus à flammis; ibi flamma parcit rubo, non conſumit populum, hic omnis populus fit eſca flammarum! Cur rubus qui primo loco viret inter flammas, ſecundo loco in cineres & favillas abit? Jam ante inſinuavi ex Theodoreto, per flammam rubi fuiſſe expreſſam tyrannidem Aegyptiorum, quæ minime valuit illos conſumere. Apud Iſaiam ignis denotat impietatem gentium, quibus poſtquam commixti ſunt Judæi, per connubia, per amicitias & familiaritates, didicerunt illorum ſcelera; luxuoſi ut gentiles &c. & hoc ſenſu facti ſunt eſca ignis impietatis. Eadem hodie videmus, ignis tribulationis, paupertas, fames, peſtis &c. multis non nocet; ſed ignis gravium ſcelerum, venenata illorum verba, ſulphurea & ignea exempla, devorant tertiam partem hominum.

§ 6. *Monitum S. Baſilii. Joan. 13. v. 27.*

Iterum S. Baſilius in conſtit. monaſt. cap. 30. Impius *ut ovis peſtilentia contacta, à reliquo ovili ſegregandus eſt, ne in reliquos quoque morbi contagionem transfundat.* Chriſtus D. Judæ ait. *Quod facis fac citius &c.* Iſaias Abbas orat. 21. *Nec D. Ieſus prius aſcendit in crucem, quam Iudam expuliſſet è medio diſci-*

diſcipulorum. (Hæc verba tibi ſuggerent pulcras deſcriptiones illorum, qui in aliqua ſocietate, v.g. in conviviis, in nuptiis &c. ſint oves peſtilentia contacti; hi fugiendi ſunt.)

Teſte S. Gregorio M. luxuria potiſſimum ignis eſt, qui vicinos accendit, l.6. in 1. Reg. cap.1. ait. *Quid enim eſt libido niſi ignis? Et quid exortæ virtutes niſi flores? quid item turpes cogitationes niſi paleæ? Quis ergo neſciat, quia ſi in paleis ignis negligenter extinguitur, ex parva ſcintilla quæ remanet, omnes paleæ accenduntur. Qui ergo virtutum flores in mente non vult comburere, ita debet libidinis ignem extinguere, ut per tenuem ſcintillam non poſſit ardere.* Fit non raro ut aliquis ſpurius coram honeſtis adoleſcentibus vel virginibus proferat aliqua ſpurca verba, libidinoſos jocos &c. ut aliquis Muſicus, aliqua Venus canat verſus & rythmos minus honeſtos; videntur talia eſſe parvæ ſcintillæ; eheu! dum incidunt inter paleas, inter teneros flores; dum curioſitas illas projectas prunas ſufflat; dum diabolus inſuper interius æque turpes excitat ſpecies & formas; quæ oriuntur incendia? quam gravia committuntur ſcelera; frequenter intra quadrantem corrumpitur, comburitur, evaneſcit pulcerrimus flos virginitatis. Infernales tales ſcintillæ inſiliunt in vicinos. Cum blaſphemis diſcimus blaſphemare, cum detrahentibus detrahere &c. verbo ululamus cum lupis. Sapientiſſimus Salomon, familiaris aliegenis, cum illis factus eſt idololatra: præter turpiſſima ſcelera, in quæ illum traxit familiaritas cum mulieribus. §.7. *Ignis hic præſertim graſſatur inter luxurioſos.*

Dan.2. Cap. juſſu Regis Nabuchodonoſoris à propoſito Eunuchorum, in aulam introducti ſunt pueri de ſemine regio & tyrannorum, in quibus nulla eſſet macula, decori forma &c. De his pulcre dixit S. Chryſoſt. hom. quod eum qui ſe ipſum non lædit, nemo poſſit lædere; *In domum regiam, tanquam in ſcopulum quendam, ac præcipitium, & pelagus ſaxis petrisque ſub aqua latentibus refertum introducti ſunt, ſine proreta ſine nautis, ſine velis, ſævum illud mare navigare coacti ſunt.* Et pauculis exceptis, Daniele, Miſael, Abdenogo, quos divina gratia, ob eximiam eorum ſobrietatem, peculiariter cuſtodivit, §.8. *Societas cum impiis eſt ſcopulus, præcipitium, pelagus, navis ſine remis &c.*

Digitized by Google

omnes in illo pelago ſubmerſi ſunt verum Deum non agnoverunt, deliciis aulæ ſeducti perierunt. Hæc eadem ego aſſero de periculoſiſſima ſocietate malorum; quid enim eſt illa cum impiis familiaritas? ſcopulus, quid? præcipitium! quid? pelagus ſaxis petriſque latentibus refertum! Cum juvenes regii, cum floridiſſimi adoleſcentes, cum juvenes angelici, ſine remis, ſine nauta, id eſt, ſine timore Dei, huic mari ſe committant, cum inter hos ſcopulos circumnavigant & jactantur, quid mirum, quod cymba innocentiæ, ad tales ſcopulos allidatur, & ſubmergatur. O florida juventus, cave hos ſcopulos, & præcipitia. Sed ſcopuli tecti ſunt floribus, circumvagantes in aureis cymbis ſirenes tam dulce canunt! mare eſt quietum & amœnum. Cave juventus; latet anguis in herba; ſi accedas, mordeberis &c.

§. 9. *Mali ſocii ſunt ſerpentes.* Teſte P. Cornelio à Lapide in c. 6. Dan. ex Plinio: eſt apud Indos, herba quędam pręcipui odoris, ſed referta minutis ſerpentibus, quorum ictu protinus moriẽdum ſit. Ita habent mali ſocii quod allectent, ſed occultant lethale venenum. O perditam multis in locis hodie juventutem Sunt floridiſſimi adoleſcentes, ſunt flores; habent quod allectent; ſed ſimul ſunt venenatiſſimi ſerpentes, electa inſtrumenta Satanæ, ut venenum ſuum late ſpargant, ut occidant. Utinam non jam tertia pars occiſa ſit. Væ illis, quos Jeſus de hac turba non deducit.

§. 10. *Malorum ſocietas eſt labyrinthus.* Cavenda vero cumprimis ſunt prima principia periculoſæ ſocietatis; egreſſus, vel ſeparatio eſt difficilis. Petrus Bleſſenſis ep. 150. ait, non leviter evadet, qui ſe caſtrenſibus alligavit vinculis (dico ego hæc de malis ſociis) *& in curialem incidit labyrinthum.* Labyrinthus locus eſt, plenus cæcis & deviis viis, ex quo ſine Ariadnæ filo nemo facile ſe extricabit; periculoſior labyrinthus eſt ſocietas malorum. Cavete ingreſſum, vel ſi ingreſſi eſtis, Jeſum implorate, ut ipſe ſua manu in vias rectas vos reducat.

§. 11. *Exempla malorum fortiter* Malorum exempla ſunt nimis efficacia ad trahendum homines in malum. Cum Vaſthi, ſuperbe ſprevillet mandatum Regis, dixit Mamuchan; *Hoc exemplo omnes Principum conjuges Per-*

Digitized by Google

ges Perſarum, atque Medorum parvi pendent imperia maritorum. *trahunt ad malum, & in pericula.*
Quod eleganter notavit Lactant. l. 5. c. 10. dum ait. *Nec eſt difficile docere, cur Deorum cultores boni & juſti eſſe non poſſint*; quomodo enim ſanguine abſtinebunt, qui colunt cruentos Deos, Martem atq; Bellonam? quomodo parentibus parcent qui expulſorem patris ſui Jovem? quomodo pudicitiam tuebuntur, qui colunt Deam adulteram? Quod idem aſſeruit S. Aug. l. 2. de civ. c. 7. *Omnes cultores taliũ Deorum, mox ut eos libido perpulerit, ferventi, ut ait Perſius, tincta veneno, magis intuentur, quid Iupiter fecerit, quam quid docuerit Plato, vel cenſuerit Cato.* Pari ratione hodie vana ſunt cœleſtis doctrinæ dogmata, vanæ admonitiones, vanæ adhortationes, vani ferventiſſimorũ Concionatorum ſermones, ubi malorum vivacia exempla obverſantur ob oculos: nõ miremur, cum audimus graviſſimas blaſphemias, etiam à pueris ab adoleſcentib. didicerunt à parentibus. Non miremur inter adoleſcentes tantã abominationẽ libidines; patres ſunt adulteri Joves, matres ſunt Junones, ſorores ſunt Veneres, fratres ſunt Adonides. In tali domo nemo videt, quid Chriſtus egerit &c. Non miremur tam horribiles maledictiones, & imprecationes; cum quibus agunt ſunt filii Martis; matres ſunt viperea progenies Bellonæ.

§. 12. *Expertus illud fuit fortiſſimus Samſon.*
Ingens damnum nocivæ ſocietatis, amicitiæ & familiaritatis expertus fuit Samſon, inviciſſimus alias ille heros; uxor illius petit ſcire ſecretũ virium, qui ſemel & bis valenter reſtitit mulieris cupiditati; tandem ait textus, *cumq; moleſta eſſet ei, & per multos dies jugiter adhæreret, ſpatium ad quietem non tribuens defecit anima ejus, & ad mortem uſq; laſſata eſt. Tunc aperiens veritatem &c.* Ecce tibi & ſanctiſſ. & fortiſſ. Samſon tandem aſſiduis fæminæ precibus fuit fractus. O ſi Samſon tempeſtive fugiſſet! de quo S. Chryſ. h. 15. ex variis in Matt. *Hunc tantum & talem virũ, & pulcritudine, & virtute, & ſanctitate, uxor ſua, ſicut inimicum decipiens, alligans Allophylis tradidit; unde illa mulier tã forti viro prævaluit? Non ſolum curioſa, ſed ſubdola irrepſit in præcordia mariti ſimplicis, & importunis obſecrationib. atq; illecebroſis blanditiis fatigatum, arcano illo fortitudinis ſuæ teſtimonio ſpoliavit &c.* *Iud. 16. v. 16. 17.*

 Neſcio

§. 13. *Et quotidie experiuntur floridiſſimi adoleſcentes.* Neſcio an ſub ullius imaginis larva, ita vobis depingere poſſim malam ſocietatem, ſicut ſub imagine Dalilæ. Contingit ſubinde caſu in ſocietatem hominum libidinoſorum, incidere virum vel adoleſcentem aliquem caſtiſſimum; ſparguntur initio ſcintillulæ parvulæ, in verbis, in moribus, quæ non videntur valde nocere. Semel, bis, ter talis adoleſcens valde reſiſtit; Si verò contingat juvenem vel virum eundem, paulatim, per dies multos perverſis illis ſociis adhæreſcere, & quidem inter bibendum, inter ludendum, inter ſaltandum; heu! ah! deficiunt tandem tales adoleſcentes; laſſantur uſque ad mortem; alligantur duris vinculis; excæcantur plane cum Samſone. Et quis prævalet tam fortibus & ſanctis adoleſcentibus? quis ſternit tales viros, & heroes? heu! mali ſocii, paulatim, ſubdoli irrepſerunt in præcordia: mellitis ſed venenatis verbis, blandis illecebris, pernicioſis exemplis, melle voluptatum, fatigatos, ſpoliant caritate, virtutibus, divina gratia, theſauro meritorum Chriſti. Heu! ſic perit tertia pars juventutis.

§. 14. *Qui ſociorum exempla faciliime imitantur.* Pulcre S. Ambr. l. 2. off. c. 20. *Oſtendunt adoleſcentes ſe eorum imitatores eſſe, quibus adhæſerint; & ea convaleſcit opinio, quod ab his acceperint vivendi ſimilitudinem, cum quibus converſandi hauſerint cupiditatem.* & l. de viduis. *Etenim vicina eſt lapſibus adoleſcentia; quia variarum æſtus cupiditatum; fervorem calentis inflammat ætatis.* præſertim ſi malorum & æqualium exempla accedant. S. Iſidorus l. 3. de ſummo bono. *Non poteſt diu eſſe ſecurus, qui periculo fuerit proximus.*

§. 15. *Confirmatur ex Pſ. 17. & 105. v. 26. & 27* Clari ſunt verſus 26. & 27. Pſ. 17. *Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris; & cum electo, electus eris, & cum perverſo perverteris.* S. Ephrem tr. de m. converſatione vitanda, hoc exponit ſimili. Sicut ſpongia, humidis admota, ſubjectam humiditatem haurit, participatque: ita ſi quis ad carnales homines acceſſerit, aut multum cum illis ſermonem

Pſ. 105. v. 38. miſcuerit, commune cum eis damnum participabit. *Commiſti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum: ſervierunt ſculptilibus eorum, & factum eſt illis in ſcandalum.* Seneca l. 3. de ira.

Sumi-

Digitized by Google

Sumuntur à converſantibus mores, & ut quædam in contactis corporibus vitia tranſiliunt, ſic animus mala ſua proximis tribuit. ſed finio.

Fuga malorum valde placet Deo. Geneſis. 6. iratus Deus totum mundum delevit diluvio, *Noe vero invenit gratum coram Domino*. Chaldæus legit, *miſericordiam*, addunt aliqui, *extraordinariam miſericordiam*; quod inter tot millia, unus cum ſuis fuerit ſalvatus in arca. Eleganter S. Chryſoſt. hom. 22. *Et quo merito invenit?* Reſp. *Tanto illius Deus majorem habuit rationem, quanto, cum tot tantique fuerint, qui ad malum eum traxerunt, ipſe conſtantius viam virtutis fuit ſectatus.* Ex his fiat pulcer epilogus; qui ſalvari vult, à malis fugiat ad arcam. *§. 16. Fuga malorum valde placet Deo. Gen. 6. v. 8.*

CONCIO XLII.

DOMINICA XIII. POST SS. TRINITAT.

Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis.

Luc. 10. v. 23.

SYNOPSIS CONCIONIS.

MEmoria præſentis Dei, frænum eſt, quod nos retrahit à peccato; redditque nos beatos etiam in hoc ſæculo.

§. 1. *Oculi beati in hoc mundo, ſunt aureum exercitium præſentiæ Dei; potens frænum, ne ruamus in peccatum.*

§. 2. *Beatos oculos, id eſt, Deum ſemper intuentes, habuit David.*

§. 3. *Memoria præſentis Dei, impedit multa peccata.*

§. 4. *Pulcrum dictum Thaletis.*

§. 5. *Hiſtoria de S. Ephrem, quomodo meretricem converterit.*

§. 6. Ocu-

Digitized by Google

§.6. *Oculos beatos habuit Suſanna: non ita duo ſenes Dan.13.*
§.7. *Proſecutio.*
§.8. *Quam beatos oculos habuerit caſtiſſimus Ioſeph.*
§.9. *Elegans locus ex S.Chryſoſt.& S.Auguſtino.*
§.10. *Pulcra hiſtoria ex S.Petro Damiano.*
§.11. *Maxima SS.Patrum.*
§.12. *Teſtimonium S.Auguſtini.*
§.13. *Beati ſunt, qui ſemper aſſiſtunt coram Domino.*
§.14. *Quanam anima vocentur ſublimes & excelſa.*
§.15. *Acris invectiva in repentes humi.*
§.16. *Epilogus adhortatur auditores ad frequentem Dei memoriam.*

§.1. *Oculi beati in hoc mundo, ſunt aureum exercitium præſentiæ Dei quæ potens eſt frænum ne ruamus in peccatum.*

Luc. 2.3.v. 8. *Ioan.8.v. 56.* *Luc. 19. v. 4.* *Ioan.17.3.*

CItatis verbis ad literam Chriſtus D. æterna veritas, beatos pronuntiavit illorum oculos, qui vixerunt illo tempore, quo triginta tribus annis cum hominibus converſatus fuit in terris, cujus aſpectus in terris tam fuit comabilis. Ut etiã Herodes impius Rex, *Viſo tandem Ieſu gaviſus ſit valde.* De Abrahamo dixit idem Salvator *Abraham exultavit, ut videret Deum diem meum.* Zachæus in arborem aſcendit ſycomorum ut videret Chriſtum tranſeuntem. Longe tamen beatiores ſunt oculi eorum, qui Chriſtum vident oculis non materialibus ſed internis per veram cognitionem, & fidem ſupernaturalem, de qua Chriſtus D. dixit *Hac eſt vita æterna ut cognoſcant te ſolum Deum, verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Beatiſſimi verò ſunt illorum oculi, qui ex hac lacrymarum valle, ad montes æternæ gloriæ ſunt tranſlati, ad quos dicere poſſumus; O beatos! *qui vident, quæ vos videtis.* Nimirum ſummum bonum Deum, per viſionem beatificam, in qua vera hominis beatitudo conſiſtit. In hoc mundo nulli illa conceditur; in hoc tamen conveniunt SS. Patres, etiam in hac vita nos poſſe habere oculos beatos; vel ut alii loquuntur, dum hic vivimus poſſumus beatitudinem illam inchoare, & in hoc mundo eſſe feliciſſimi. Caſſianus coll.10.cap.10. *Vt imaginem futuræ beatitudinis in hoc corpore poſſidere mereamur, & quodammodo arrham cæleſtis illius conſolationis & gloriæ, incipiamus in hoc vaſculo deguſtare.* Sed quo modo

Digitized by Google

modo deguſtabimus? reſpondeo ex initio hodierni Evangelii, oculis beatis, qui Deum ſemper vident & intuentur, de quibus dici poteſt illud Matt. *Semper vident faciem Patris*. tales oculi apud Aſceticos vocantur aureum exercitium præſentiæ Dei. Conſiſtit illud in tribus. 1. ut intellectus, hanc maximam penetret, Deus eſt ubique, Deus videt omnia, homo eſt, movetur, vivit in Deo. 2. Ut memoria hujus veritatis frequentiſſime meminerit. 3. Ut voluntas Deum præſentem, amet, laudet, veneretur. Oſtendam hac concione, hanc memoriam Dei præſentis eſſe potentiſſimum frœnum, retinens à malo, ſive peccato; præſertim in urgenti aliqua occaſione, quæ non raro ad peccandum nos pertrahit. Hanc propoſitionem alii SS. Patres, ſic proponunt; Qui Deum ſemper præ oculis habet, non facile graviter peccat. In materia utiliſſima promitto mihi ſedulam veſtram attentionem. *Matt. 18. v. 10.*

Oculos, quos hac concione laudare volo, ſive, memoriam præſentiæ Dei, in hac vita, habuiſſe videtur regius Pſaltes. Nam ait; *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis; ſicut oculi ſervorum in manibus Dominorum ſuorum; ſicut oculi ancillæ in manibus Dominæ ſuæ, ita oculi noſtri, ad Dominum Deum noſtrum*. Pſ. 15. *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper*. In Hebraico. *Pono Dominum in conſpectu meo ſemper*. Pſ. 24. Oculi mei ſemper ad Dominum. Pſ. 75. *Memor fui Dei, & delectatus ſum*. Oculos itaque beatos habent, qui veluti ſervi & ancillæ oculos ſuos ſemper elevant ad Deum. Illi, qui illum ſemper ponunt in conſpectu ſuo &c. Et tales vos eſſe cupio, auditores, ut vos quoque beatos habeatis oculos. Si Chriſtiane vultis vivere, ſæpius de die, & nocte, oculos, & cogitationes, & affectus, & intentiones, & deſideria veſtra, elevate ad illum qui habitat in cœlis.

§. 2. Beatos oculos, id eſt, Deum ſemper intuentes, habuit David. Pſ. 122. v. 2. Pſ. 15. v. 8. Pſ. 24. v. 15.

Ita fiet, ut vix peccetis. Quis enim tam eſt ſtolidus, ut in conſpectu potentis Regis & Judicis, pœnes quem ſcit eſſe poteſtatem vitæ & mortis, audeat enorme ſcelus committere? Judex noſter eſt Chriſtus Jeſus quoad naturam divinam, intime nobis præſens; quoad Humanitatem cernens omnia

§. 3. Memoria præſentiæ Dei, impedit multa peccata.

de cœlis, & in illius præſentia (ſi tamen ejus memores ſimus) nos terræ vermiculi peccare audebimus.

§.4. *Dictum Thaletis.* Ideo Thales, unus ex ſeptem mundi ſapientibus dixit; *homines ſibi perſuadere debere, Deos omnia cernere, Deorumque omnia eſſe plena, ut coram illis caſte, & ſobrie vivant.* Talia gen-

Act.17.v.28. tilis dixit Philoſophus; Chriſtianus dicet *non longe eſt ab unoquoque noſtrum; in ipſo enim vivimus, & movemur & ſumus.* Qui in Deo vivit, qui in Deo movetur, qui eſt in Deo, ſi hoc apprehendat, ſine dubio caſte & ſancte vivet, neque facile peccabit. Experientia docet, etiam graves peccatores, à peccatis abſtinere; ſi Dei præſentia illis occurrat.

§.5. *Hiſtoria de S. Ephrem, quo motivo converterit meretricem.* S. Ephrem (teſte Simeone Metaphraſte apud Surium prima Februarii) hoc motivo convertit publicam meretricem. Auſa hæc fuit virum ſanctum ad ſcelus ſollicitare, & annuit Ephrem, ſi parata eſſet, in publico foro perpetrare hoc crimen. Illa obſtupeſcens ait, *ſed non pudore, & rubore aperte afficiemur, à videntibus hominibus?* reſpondit appoſite S. Ana-

Eccleſ.23.v.28. choreta, ex Eccleſiaſtico. *Oculi Domini Altiſſimi, ſunt innumerabilibus partibus ſole ſplendidiores, qui intuentur omnes vias hominum.* Vatablus. *Luce ſolis, infinitis partibus clariores ſunt: circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes.* Sic capta fuit mulier, capere voluit. Ephrem beatos illi dedit oculos; quibus quamprimum præſentiam Dei penetravit; ſcelerum agnovit turpitudinem, abiit ad eremũ, pœnitentiam egit, nec unquam amplius peccavit. O peccatores! utinam beatos hos oculos vobis hodie elargiri poſſem! quot ſcelera, in occulto, in abſcondito, in tenebris impedirentur.

§.6. *Oculos beatos habuit Suſanna: non ita duo ſenes.* His oculis caruerunt duo ſenes inveteratæ malitiæ, de quibus Dan. ſacer narrat textus, dicitur; *Cum egreſſæ eſſent puellæ, ſurrexerunt duo ſenes, & cucurrerunt ad eã & dixerunt, ecce oſtia pomarii clauſa ſunt, & nemo nos videt, & nos in concupiſcentia tui*

Dan.13.v.19. *ſumus.* Talia loquuntur, in quorũ oculis Deus non eſt poſitus. Alios caſtiſſima Suſanna habuit oculos; proinde reſpondit:

v.22. *Anguſtiæ ſunt mihi undiq; ſi enim hoc egero, mors mihi eſt; ſi autem*

non

non egero, non aufugiam manus veſtras. Sed melius mihi eſt, abſque opere, incidere in manus veſtras, quam peccare in cōſpectu Domini.

Rem hāc, quæſo altius conſiderate. Caſtiſſima Suſanna ingreditur hortum, ut lavetur. Ecce! improviſo ex inſidiis illam invadunt duo principes ex populo, pleni concupiſc. Et vehementiſſ.[e] ſeſe obtulerunt occaſiones, quæ traherēt puellam in conſenſum; preces ſeniorum importunæ, à quibus multa poterat ſperare; minæ illorū, quas poterat timere, præſentis balnei deliciæ, loci amœnitas, horti flores, arbores, inter quas vel Eva peccaſſet; adde ſolitudinē, & alias illecebras. Quid interea Suſanna? in occaſione tam urgenti? in tali pręcipitio? in hoc lubrico? in tanto periculo? ad unum Deum, ejuſq; præſentiam & memoriam confugit; illum ſolū habuit præ oculis, & ſtetit invicta. D. Zeno ſerm. de pudicit. *Illa! conſcientia ſua conſcium ſolum conteſtans Deum, honeſtam potius eliget mortem, quam vitā turpem.* Horti deliciis, amœnitati, ſolitudini, ſecreto facinoris, ſeniorum precibus & minis, unum oppoſuit Deum, & triumphavit! Diſcamus à Suſanna, quibus armis, quibus telis & nos pugnare debeamus. *§. 7. Proſecutio.*

Scimus in quantum periculum impudens & laſciva mulier conjecerit caſtiſſ. adoleſcentē Joſephum, ſed ait ſacer textus: *qui nequaquam acquieſcens operi nefario dixit ad eam, ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo ſua, nec quidquam eſt, quod non in mea ſit poteſtate, vel non tradiderit mihi præter te, quæ uxor ejus es: quomodo ergo poſſum hoc malū facere, & peccare in Dom. meum.* In marg. legitur, *& peccare in Deum meū.* pluresq; SS. PP. volūt ſic verſum hunc debere legi. Sed *quia repellens Dom. importunitatem, beneficia in ſe à Domino collata retulit, cur non ita conluſit, quomodo poſſum peccare in Dominum, à quo tanta bona accepi? cur relicto Domini ſui reſpectu, tam benefici, Deum ſibi proponere maluit, quomodo ergo poſſum peccare in Deum meum?* Res ſcilicet erat in lubrico, occaſiones labendi aderāt urgentiſſimæ; & ideo ſapientiſſ.[e] quaſi relictis omnib. aliis obligationib. quamprimum recurrit ad Deum, qui ſolus potens eſt, ſi ob oculos ponatur, nos incolumes ſervare, etiam in vehementib. occaſionibus. Sic rem ponderavit D. Baſ. Sel. or. 8. *§. 8. Quam beatos oculos habuerit caſtiſſimus Ioſeph. Gen. 39. v. 8*

Certamen tale erat; luctator adoleſcentulus: ætas ejuſmodi, quæ temperantiam prodat; ſervitiis humilitas, Dominæ adulationes perpetuæ; taceo externas mulieris artes, fucum, verba, veſtes. Per omnes ſentiendi vias ibat, quidquid illecebroſum. Verum qui tot undique jaculis petebatur, unum contra omnia telum, memoriam tenuit Creatoris. O triumphale telum! hoc pugnavit Joſeph, & vicit! Deus præ oculis poſitus ex omni peccandi periculo nos poteſt eruere.

§. 9. *Elegans locus ex S. Chryſoſtomo, & S. Auguſtino.* Eleganter S. Chryſoſt. in 1. Cor. c. 4. v. 3. *In ſceleribus Deo contempto homines formidamus, & homine præſente nemo ſcortaretur, ſed licet majorem in modum flagraret, affectus tamen violentia, pudore hominum vinceretur. Cum autem Deus videat, non modo ſcortantur, verum & alia longe graviora, & auſi ſunt, & audent. Hinc omnia orta ſunt mala, quod ſcilicet in rebus turpibus, non Deum ſed homines timeamus.* plerumque tales dicere ſolent

Eccleſ. 23. v. 26. 27. ex Eccleſiaſtico *tenebræ circumdant* nos, *& parietes cooperiunt nos, & nemo circumſpicit nos. & non intelligunt, quoniam omnia videt oculus illius.* S. Auguſt. ſer. 46. de verbis Domini. *Procedis? videris. Intras? videris. lucerna extincta eſt? videt te. lucerna ardet? videt te. Cubile ingrederis? videt te. in corde verſaris? vi-*

Jerem. 23. v. 24. *det te* (eſt locus pro pulcra induct.) Jeremias ait. *Si occultabitur vir in abſconditis* (forte in mari, forte in cavernis montium, forte in cœlo, forte in inferno &c.) *& ego non videbo eum dicit Dominus? nunquid non cœlum & terram ego impleo.*

§. 10. *Hiſtoria ex S. Petro Damiano.* Pulcra eſt hiſtoria quam refert Petrus Damianus lib. 8. ep. 8. Vir alioquin pius, & miſericors atque liberalis erga pauperes, ſcelus commiſerat, quod putabat prorſus eſſe abſconditum, neque vincere ſe poterat, ut Confeſſario detegeret. Benevolentia erga egenos illi profuit, fuitque illi cauſa pœnitentiæ. Pauperem advenam petentem hoſpitium excepit liberaliter, adhibuit menſæ, imo capillum ſordidum, & intricatum compoſuit. Rem miram! dum in occipite capillum removet, deprehendit binos lucidiſſimos oculos, illis in facie ſimillimos; ſtupore attonito dixit pauper: *Ego ſum Ieſus cui nihil eſt abſconditum, hi oculi pecus à te abactum, & in ſpecum*

detru-

detruſum conſpexerunt, his diſplices, qui anterioribus hactenus placuiſti: his te aſpicio, quia, à te averſus licet, tamen video quidquid agis. S. Aug. *Deus eſt oculus, qui omnia videt.*

Veriſſime Angelicus Doctor Opuſc. 58. *Si Dominum præſentem, & omnia videntem, & judicantem ſemper cogitaremus, aut vix, aut nunquam peccaremus.* Conſentit S. Hieronymus in cap. 22. Ezechielis; *Memoria Dei excludit omnia peccata.* Breviter Seneca ep. 11. *Magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis aſſiſtat.* Hoc facite, auditores; cum caro, vel diabolus ad ſcelera vos invitant, cum ſenſualitas blanditur, cum mundus allicit, dum adeſt occaſio gravis peccati, cogitate Deum vobis aſſiſtere, non teſtem ſolum, ſed Judicem, cogitate illum videre omnia, eſſe illum in vobis, circa vos, interius, exterius, ubique, ſemper, talia volvite memoria, & magna pars peccatorum veſtrorum tolletur; vix aut nunquam Deum offendetis, ſaltem gravi & letali ſcelere. Hæc memoria excludit peccata. §. 11. *Maximæ SS. Patrem*

Elegantiſſime quoque S. Auguſtinus ep. 111. ait: *Hoc nempe ſervulorum linguas cohibet & manus atque coercet, ut ne floſculum carpant, nec pomulum ex horto rapiant, nec fruſtulum panis ſubligent, ſi nullam ibi herilis abſentia ſecuritatem polliceri queant hinc crebrioros querela illa; Dominus meus ſemper mihi à tergo hæret; loco, quo minimè formido, deprehendor.* (fiat elegans applicatio hujus ſimilis, quomodo memoria præſentis Dei, coercere debeat noſtras linguas, & manus &c.) Cum aliqui Chriſtiani coram Imperatoribus, Aurelio & ejus filio, Commodo, de graviſſimis ſceleribus eſſent accuſati, defendit illos Athenagoras hoc argumento; *Credunt Deum, quem adorant, omnia cernere; proinde non eſt probabile, eos in conſpectu talis Numinis, tanta ſcelera commiſiſſe.* Si talia Ethnicus ſibi perſuaſit; cujus mentis eſſe debet Chriſtianus? Hujus ſcilicet, ſive, ita debet eſſe conſtitutus, ut dicat cum Suſanna, melius eſt mori, quam peccare, in conſpectu Domini; vel cum Joſepho, Quomodo potero peccare in Dominum meum. Talia propoſita, ſunt effectus memoriæ, præſentiæ Dei. §. 12. *Teſtimonium S. Auguſtini.*

§. 13. *Beati, qui ſemper aſſiſtunt coram Domino.* 1. Reg. 10. 8.

Cum Regina Saba aulam Salomonis fuiſſet ingreſſa, admirata ordinem aſſiſtentium procerum, dixit Regi. *beati viri tui, & beati ſervi tui; hi, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam*; Prudentiſſima Regina, felices judicavit illos, qui terreno Regi aſtiterunt, dignique fuerunt habiti, qui ſemper eſſent in conſpectu Domini ſui: ex quo Orig. hom. 2. in Cant. colligit felicitatem illorum, qui in viis ſuis ambulant ſemper coram Domino, ait enim: *qui ſemper & ſine intermiſſione aſſiſtunt Deo, verè beati ſunt.* Qualis fuit piiſſimus Joſaphat, de quo ait Joſephus lib. 8. c. 9. *Cum eſſet vir pius ac juſtus per ſingulos dies dabat operam, ut aliquid gratum Deo faceret.* Hæc nimirum eſt illorum cura, qui Dei ſemper ſunt memores, ut non tantum non peccent, ſed ut omnia, quæ faciunt, ſint Deo grata· Legi his diebus cum ſolatio, piiſſimum deſiderium animæ piæ; utinam in hoc opere, in hac oratione NNN. placere poſſim oculis amantiſſimi Jeſu mei; & delectare dulcedinem dulciſſimi cordis illius! ex quo ſuſpirio colligo; minimum etiam opus; minimam vel momentaneam cogitationem, hominis juſti, v. g. Jeſu, amo te, eſſe veluti guttulam, quæ infunditur mari & pelago infinitæ dulcedinis, quæ eſt in Deo & corde dulciſſimi Jeſu.

§. 14. *Quenam animæ vocentur ſublimes & excelſæ.*

Tales animæ, à SS. Patribus, *ſublimes & excelſæ, quæ quotidie cum Davide & Iſaia, aſcendunt ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, &* (ſunt verba D. Cyrilli Alexand. lib. 1. orat. 2.) *terreni nihil ſapiunt, ſed ſupra res terrenas ſunt, & gloriam Dei, quatenus licet, animi oculis intuentur, & ſublimibus admodum opinionibus de Deo gloriantur; cum alii terrenam habeant mentem & ſpeculamenta humi repentia.*

§. 15. *Acris invectiva in homines terrenos.*

In hos acrem reperies invectivam apud Lactant. lib. 2. de orig erroris cap. 2. Juvat ergo velut in aliqua ſublimi ſpecula conſtitutum, unde univerſi exaudire poſſint, Perſianum illud proclamare:

O curvæ in terras animæ, & cæleſtium inanes,

Cælum potius intuemini, ad cujus potius ſpectaculum vos excitavit ille artifex verus Deus... Quid vos beneficiis cæleſtibus orbatis,

orbati, proniique in terram, veſtra ſponte procumbitis? Humi enim miſere volutamini, cum deorſum quæritis, quod in ſublimi quærere debuiſtis. Quid aliud ſunt ſimulacra, niſi terra, de qua acta ſunt? quid ergo rebus inferioribus ſubjacetis? quid capitibus veſtris terram ſuperponitis? cum ergo vos terræ ſubmittitis, ipſi vos ultro ad inferos mergitis.

Sed tempus eſt, ut finiam, quod facio verbis. Eccleſiaſt. *5.16.*
Non obliviſcaris amici tui, in animo tuo. dico ego, non obliviſcaris *Epilogus adhortatur Auditores ad frequentem Dei memoriam*
Dei tui; ſi fieri poterit quavis hora eleva ſæpius oculos cordis & Deum tibi præſentem adora, cole, ama, lauda illum: cauſam mellifluis verbis ſuggerit S. Bern. de inter. domo cap. 9. *Sicut nullum eſt momentum, in quo non utamur, vel fruamur Dei pietate & miſericordia, ſic nullum debet eſſe momentum, in quo* *Eccleſ. 6. v. 37.*
eum præſentem non habeamus in memoria. Quovis momento Deus de nobis cogitat, juxta illud pſal. 39. *Cogitationibus tuis non eſt qui ſimilis ſit tibi.* transfert S. Hier. *Cogitationes tuas pro nobis non licet exponere.* (eſt pulcer & affectuoſus locus) par eſt ut viciſſim frequentiſſime & nos de Deo cogitemus. Non ita pridem ex India Orientali ſcribitur, Regulum Ethnicum adeo amaſſe idolum ſuum, ut perpetuo ſibi aſtare juſſerit nobilem adoleſcentem, qui identidem hæc ſuggerebat: Sire, memento Aranganaſſæ; fuit hoc nomen idoli. Ephebus talis nobis ſit memoria noſtra ut frequenter nobis ingerat illud Tob. 4. cap. verſ. 6. *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum.* Alexander Sextus, de collo ſemper geſtabat aureum globum, in illo ſanctiſſimam Hoſtiam, ut JESUM CHRISTUM ſibi ſemper haberet præſentem. Fuit illi ille globus veluti horologium identidem ingerens memoriam JESU & DEI præſentis & ſtimulus ad omnem ſanctitatem. Talem globum opto eſſe memoriam noſtram, vel oculos noſtros, ut in illis ſemper geſtemus Deum nobis præſentem, in quo vivimus, movemur, & ſumus, utinam aliquando in gloria in omnem æternitatem. Amen.

NB. S i

NB. Si hæc concio incideret in Dominicam Congregationis, Agonizantis Chriſti, variis locis, paucis immutatis, affectuoſe poterit inculcari memoria Jeſu crucifixi, præcipue dum occaſio eſt peccati &c.

CONCIO XLIII.

DOMINICA XIV. POST SS. TRINITAT.

Cum ingrederetur quoddam caſtellum, occurrerunt ei decem viri leproſi.

Luc. 17. v. 12.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRima parte deſcribitur turpitudo naturalis lepræ exterioris, & multo magis interioris, ſive peccati mortalis, per varios effectus in anima peccatoris. Altera ait, unicum Chriſtum D. Salvatorem noſtrum eſſe, qui ab hac lepra nos mundare poteſt.

§. 1. *S. Ludovicus Rex Galliæ maluit mori, quam fœdari lepra peccati mortalis.*

§. 2. *Deſcriptio naturalis turpitudinis, lepræ exterioris.*

§. 3. *Turpior longe eſt lepra interior animæ per peccatum mortale.*

§. 4. *Quam tamen peccatores non ſentiunt.*

§. 5. *Lepra illa, animam ſpoliat omni pulcritudine.*

§. 6. *Quanta ſit differentia inter animam lepra infectam; & ab illa liberam.*

§. 7. *Effectus interiores lepræ in anima, exponuntur per varias ſimilitudines.*

§. 8. *Proſecutio.*

§. 9. *Deformatio animæ, per lepram peccati mortalis ex aliquot locis S. Scripturæ.*

§. 10. *Naaman ubi, & quomodo fuerit mundatus à lepra, per pecca-*

pecca-

peccatum mortale.

§.11. *Eliſæus fuit figura Chriſti Domini, Naaman leproſi peccatoris.*

§.12. *Hanc lepram nemo præter Chriſtum curare poteſt.*

§.1. *S. Ludovicus Rex Galliæ maluit mori, quam fœdari lepra peccati mortalis.*

COmmunem ſed utilem materiam ſuggerit concionatoribus hod. Evang. turpis enim ille leproſorum morbus, ſive lepra exterior corporis, ob oculos nobis ponit, internam animæ lepram, ſive peccatum mortale, quod lepra corporis longe eſt abominabilius. S. Ludovicus Chriſtianiſſimus Rex Galliæ nobili cuidam ſibi familiari, Joinvillæo, hanc quæſtionem propoſuit; *dic amabo Ioinvillae, quid ſentis de peccato mortali, ſi tibi optio ejus daretur, aut lepræ, quiſnam tibi in illo bivio vel dubio eſſet animus?* Nihil cunctatus nobilis juvenis reſpondit: *Profectò, O Rex, mallem incurrere in peccatum, quam in lepram.* Horruit Rex hoc effatum, & altum ingemiſcens, inquit: *A vero aberras toto cælo, Ioinvillae, omni quippe lepra deterior eſt illa labes, quam peccatum lethale affricat hominibus, ideoque lepra mallem reſpergi millies, quam fœdari uno lethali peccato.* Dictum regia majeſtate dignum! refert illud ipſe Joinvillæus in vita S. Ludovici. Ut cum ſanctiſſimo Rege idem ſentiamus, ingenſque letiferæ noxæ odium concipiamus, prima parte hujus concionis oſtendam peccatum mortale cum lepra præcipue convenire in effectis. In altera parte, Medicum qui à lepra animæ nos mundare poteſt, demonſtrabo; Is eſt Salvator noſter Jeſus Chriſtus, cui ſit honor, benedictio, laus & gloria in ſæcula ſæculorum.

§.2. *Deſcribitur naturalis turpitudinis exterioris lepræ.*

Fœdiſſimus morbus eſt lepra: illa incipiente vividus coloris flos perit, cutis in aliis nigricat, in aliis flaveſcit, in aliis albicat, cōſpicitur illa labes præcipue, aut in facie, aut in manibus, aut in pedibus ad quæ extrema membra natura illam propellit. Senſus in leproſis torpeſcunt, ob perpetuum frigus. Paulatim verrucæ plurimæ ſuccreſcunt in toto corpore, peculiares vero in radice linguæ. Pedes, manus & facies tument, prominentibus tuberculis cū cruentis cruſtulis. oculi candidum flaveſcit, ſupercilia dura & calloſa, atq; glabra. ex his enim, quemadmodum & ex palpebris, & ex mento pili venenata qualita-

Digitized by Google

te imbuti defluunt, dum tandem horrenda evadat partium omnium deformitas. finduntur & dilacerantur ungues, cutis areſcit, exaſperatur ſcabie cum moleſtiſſimo puritu. Malo ingraveſcente, præ ſtupore cutis, ſenſus perit, ut ne infixa quidem acicula dolorem moveat, neque inſperſa fervidior aqua exurat: vox raveſcit, reſpiratio fit difficilis, ſpiritus exhalatio fœdet, ſordida virulentaque ulcera pleriſque locis corporis excavantur, graviſque putredo omnia contaminat. Horremus & abominamur propterea lepram corporis, ſed deberemus horrere & abominari magis peccatum mortale, quod eſt turpiſſima lepra animæ.

§. 3. *Turpior longe eſt lepra interior animæ, per peccatum mortale.*

Hæc lepra obſcurat lumen vultus Dei, quod eſt ſignatum ſuper nos; quo affulgente vivida & pulcra fit anima, quo extincto, horrida & fœtida evadit. hæc lepra putidas efficit fauces, ob convitia, blaſphemias, turpia colloquia, detractiones &c. hæc lepra peccatoris pedes & manus reddit frigidas, dum otio torpent. ob hanc lepram, peccatoris caligant oculi, totuſque ita ſtupet, ut nullos ſynderesis, vel Conſcientiæ ſentiat ſtimulos. ab hac denique lepra, plurima & fœdiſſima variorum ſcelerum ulcera in anima excreſcunt, quibus in conſpectu Dei anima efficitur abominabilis, qui præcipuus ſpiritualis lepræ eſt effectus.

§. 4. *Quam tamen peccatores non ſentiunt.*

Talem leproſum ſe fuiſſe fatetur S. Aug. l. ſolil. *Cæcus eram, ſurdus & inſenſibilis, quia nec bonum diſcernebam, nec malum fugiebam, nec dolorem vulnerum ſentiebam, nec tenebras meas videbam. Vulneraverunt me & non dolui traxerunt me & non ſenſi &c. inimici mei fecerunt quæcunque voluerunt, percuſſerunt, nudaverunt, polluerunt, corruperunt, occiderunt me, nec tamen ſenſi &c.* ea eſt ſpiritualis hujus lepræ ſtupiditas. lepra exterior ſtupefacit ſenſus corporis, lepra interior animam. Illa fœdat corpus, hæc animam.

§. 5. *Lepra illa, animam ſpoliat omni pulcritudine.*

Interior animæ pulcritudo conſiſtit in ſupernaturalibus & Theologicis virtutibus, præcipue in amore Dei; in donis Sp. S. in ſanctificante gratia. gratia, dona Sp. S. amor Dei, virtutes ſunt veluti cœleſtes colores, vel veſtis nuptialis, vel ornamen-

Digitized by Google

namenta, quæ animam juſti reddunt formoſiſſimam. Lepra peccati momento deſtruit omnia, privat & ſpoliat animam amore Dei, gratia, & virtutibus pleriſque; neque ſolum privat, ſed inficit turpiſſima labe. Domum & templum ſacroſ. Trinitatis convertit in ſpeluncam vitiorum & ſedem diaboli. Mortificat præterea bonorum operum & ingentis meriti valorum, (eſt locus pro pulcra inductione) qui nunquam reviviſcet, niſi anima precioſo ſanguine Chriſti à lepra illa mundetur.

Ex pictura aliqua notate differentiam quæ eſt inter animam ornatam gratia, & aliam quæ infecta eſt lepra peccati. Diverſiſſima effigie pingi ſolent S. Michael & Lucifer, ille in ſpecie venuſtiſſimi juvenis, amœna facie, decoro vultu ſerena fronte, gratioſis oculis, roſeis genis, purpureis labiis, auratis capillis in pulcerrima & candidiſſima veſte &c. (eſt locus pro pulcra deſcriptione) hic verò, depingitur veluti draco turpiſſimus hiante rictu, ſcintillantibus oculis, obtortis membris, venenata lingua &c. Huic monſtro ſimillimæ ſunt animæ infectæ lepra peccati mortalis, fœdæ, turpes. Michaelem vel pulcerrimos cœli ephebos referunt animæ juſtæ. Sed O felices, cavete lepram peccati mortalis &c.

§. 6. Quanta ſit differentia inter animam infectam lepra, & ab illa liberam.

Effectum hujus lepræ S. Script. & SS. PP. explicant pulcris ſimilitudinibus: Sapientiæ 3. animæ juſtorum comparantur ſoli; *fulgebunt juſti ſicut Sol.* Eccleſiaſticus ait. *quid lucidius ſole.* Eccleſiaſtes: *Dulce lumen, & delectabile eſt oculis videre ſolem.* dicam tibi ſapientiſſime Salomon. Anima juſti lucidior eſt. Sed fit quandoque, ut lucidiſſimus Sol eclipſetur, ut denſa & atra nube involvatur. Joannes vidit ſtellam cadentem de cœlo in terram, & apertus eſt puteus abyſſi, aſcenditque fumus fornacis magnæ tam denſus, ut obſcuratus ſit Sol, & aer de fumo putei, cum locuſtis & ſcorpionibus. Hi ſcorpiones, hæ locuſtæ, hic fumus, hæc nubes, hæc eclipſis eſt peccatum mortale, quod momento animam juſti obſcurat, præcipitatque in puteum abyſſi. Sic eſt effectus hujus lepræ.

§. 7. Effectus interioris lepræ exponuntur per ſimilitudines.
Sapient. 3. v. 7.
Matt. 13. v. 43.
Eccleſ. 11. v. 7.
Eccleſiaſtici. 17 v 30
Apoc. 9. v. 1. 2.

§.8. *Proſecutio.* Veluti ſponſus vocat ſponſam, ſpeculum ſine macula; ſpeculum quod repræſentat imaginem ſacroſanctæ Trinitatis, ſpeculum mundatum ſanguine Filii DEI, ornatum auro, v.g. gemmis virtutum ex lucidiſſima cryſtallo illibatæ puritatis. Sed ſicut venenatus vel fœtidus halitus ſpeculum pulcerrimum momento defœdat, ita lepra peccati mortalis animam juſti momento deturpat &c. eſt effectus hujus lepræ. Sanctis Patres ex ſacra ſcriptura, præcipue pſalmis, animam juſti vel hominis in gratia, vocant domum, aulam, urbem, civitatem in qua DEUS habitat. Verum quemadmodum ignis domum & urbem pulcerrimam brevi tempore vaſtat, & in cineres redigit; ita lepra vel ignis peccati mortalis in anima quam ingreditur excitat ignes & flammas concupiſcentiæ ut momento devaſtetur, ut pulcerrima ejus pulcritudo evaneſcat, ſæpe in ſodomiticos cineres.

§.9. *Deformatio animæ per lepram peccati mortalis.* Propero ad alia. cogitate vos videre virginem elegantiſſime veſtitam, ſi placet, in tela argentea; ſed nequam juvenis affundit atramentum; &, fuit tela pulcra. Pulcrior eſt veſtis nuptialis, qua anima inſtar pulcerrimæ Virginis adoratur, ſed lepra peccati mortalis eſt atramentum, qui illum momento atram facit, ut Nahum dixerit. *facies eorum ſicut nigredo ollæ.* alia lectio. *Sicut aduſtio ollæ.* Jeremias ait, *denigrata eſt ſuper carbones facies eorum.* Ezechelis.16. *Abominabilem feciſti Decorem tuum.* Recedente anima ex corpore, hoc fit abominabile, diffluit caro in putredinem, naſcuntur vermes, &c. Sanct. Auguſt. de ſpiritu & anima. *Vita corporis anima. vita animæ Deus eſt, ſicut corpus mortuum eſt ſine anima, ita mortua eſt anima, ſine Deo.* S. Petrus Chryſol. ſ. 19. *Recedente anima mox corpori fætor, corruptio, putredo, vermis, cinis, horror, & omnia viſu deteſtanda ſuccedunt; diſcedente Deo confeſtim venit in animam peccatorum fætor, vitiorum putredo, conſcientiæ vermis, vanitatum cinus, & fit in corporis ſepulcro vivo, funus animæ jam ſepultæ.* Talem imaginamini vobis

Nahum.2. v.10. Jerem. 4. v.18. Ezech.16. v.25.

Digitized by Google

bis animam infectam lepra peccati mortalis. His auditis, fortaſſis anima tali, mota & illuſtrata gratia Spiritus Sancti cogitare poteſt: Eheu! & ego aliquando ſol fui (pulcre deſcribe) ſed, ah; jaceo in puteo abyſſi; hui quis me eripiet, quis priſtinos mihi reſtituet ſplendores. Eheu! fui pulcerrimum ſpeculum, ſed &c. Hoc modo repete omnia paulo ante dicta.) eſt pulcer locus, bene habet, ut faciam deſiderio tuo ſatis, medicum oſtendam qui ab hac lepra te mundare poſſit.

Eſt hæc altera pars hujus Concionis. 4. Reg. 5. verſu 3. Naaman, Principi exercitus Siriæ, poſtquam plurimis & variis remediis lepram ſuam curare non poſſet, dixit ancilla de Iſrael: *Vtinam fuiſſet Dominus meus ad Prophetam qui eſt in Samaria, profecto curaſſet eum à lepra quam habet.* Naaman avidus ſalutis, obedit conſilio ancillæ, pergit cum literis regiis ad Regem Iſrael, ab hoc ad Eliſæum cum equis & curribus, ſtetitque ad oſtium domus Eliſæi; non tamen deſcendit ipſe, ſed miſit nuncium, dicens: *Vade & lavare ſepties in Iordane, & recipiet ſanitatem caro tua, atque mundaberis.* iratus propterea Naaman redire cogitabat, perſuaſus tamen à famulis, *deſcendit & lavit in Iordane ſepties, & reſtituta eſt caro ejus, ſicut caro pueri parvuli, & mundatus eſt.* v. 10.

§. 10. *Naaman, ubi & quomodo fuerit mundatum à lepra ab Eliſæo.*

Hæc eſt Hiſtoria. Ii Eliſæus ſignificat ſalutare Domini, hoc autem eſt CHRISTUS Salvator mundi. Ideo dixit Jacob. Geneſis 49. cap. verſu 18. *Salutare tuum exſpectabo Domine.* David Pſal. 52. verſu 7. *Quis dabit ex Sion ſalutare Iſrael.* Naaman, repræſentat peccatorem, infectum lepra peccati. Fluvius Jordan eſt Sacramentum pœnitentiæ, ſive precioſus ſanguis filii DEI. Per ſervam intelligo B. V. quæ ſe ancillam dixit. O quoties hæc per angelos alloquitur peccatorem; ah fili, utinam ires ad Jeſum meum, profecto mundaret à lepra peccati &c. Qua medicina? Ingredere Jordanem, lavare ſanguine Chriſti, hic momento mundare poteſt. Lepra peccati mortalis eſt ma-

§. 11. *Eliſæus fuit figura Chriſti, Naaman leproſi peccatoris.*

cula pulcerrimi ſolis; ſed eludit illam ſanguis Chriſti. Illa lepra eſt venenatus halitus inficiens pulcerrimum ſpeculum, ſed ſanguis Chriſti lavat &c. (eſt locus pro pulcra repetitione ſuperius dictorum.)

§.12. Hanc lepram nemo præter Chriſtum curare poteſt.

Alia medicina contra hanc lepram non eſt ſub ſole. Paucis diebus ante ſuam mortem Chriſtus Dominus in Jericho, cæco reſtituit viſum. Eodem tempore in Bethania ſuſcitavit Lazarum. Similiter paucis diebus ante mortem ſuam hoſce ſanavit leproſos. Innuere voluit, neminem humano generi potuiſſe reſtituere viſum, neminem potuiſſe hominem de morte animæ revocare ad vitam gratiæ, neminem denique potuiſſe curare lepram peccati mortalis, niſi filium Dei, & non quocunque modo vel medio; ſed ejuſdem morte & precioſo ſanguine. Eia ergo peccatores, ſi, ſi &c. aliud medium non ſupereſt, quam ut lavemini in Jordane, ſive precioſo & divino ſanguine Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti.

Pro dilatatione Concionis vide in Chriſto figurato Baezæ in Indicibus, Chriſtus medicina, vel medicus.

CONCIO XLIV.

DOMINICA XV. POST SS. TRINITAT.

Nolite ſolliciti eſſe.

Matt. 6. v. 34.

SYNOPSIS CONCIONIS.

DOcet, quomodo in neceſſitatibus, præſertim publicis, uni & ſoli Deo fidere debeamus, quo fructu id faciamus; neque enim Deus ſuos deſerit proinde ſtulte illos agere qui auxilium quærunt apud creaturas.

§. 1. *Quam*

Digitized by Google

§.1. *Quam ſuavibus verbis Chriſtus D. nos excitet ad fiduciam.*

§.2. *Regina Eſther nos docet, in quo conſiſtat fiducia in Deum: & quo fructu illi fidamus.*

§.3. *Idem docent tres pueri conjiciendi in fornacem Babylonicam, Dan. 3.*

§.4. *Et Iuditha egrediens ex Bethulia.*

§.5. *Iterum David pugnaturus contra Goliath.*

§.6. *In neceſſitate conſtituti, à ſolo Deo petere & exſpectare debemus auxilium.*

§.7. *Quo fructu ſponſa aſcendens per deſertum innixa fuerit ſuper dilectum ſuum.*

§.8. *Vt & nos ſimili modo progrediamur.*

§.9. *Digreſſio ad ſodales Chriſti in cruce agonizantis.*

§.10. *Quam fortiter & ſuaviter Deus deduxerit Iſraelitas per deſertum.*

§.11. *Fortius & ſuavius deducit Chriſtianos.*

§.12. *Ducem & Paſtorem Ieſum ſequi debemus, ſine turbatione.*

§.13. *Præſertim dum iratus Deus variis pœnis caſtigat ſcelera.*

§.14. *In ſummis adverſitatibus non ſumus ſoli. Pulcer locus de Chriſto Dom. pendente in cruce.*

§.15. *Sed caveamus, ne fugiamus ad creaturas; A ſolo Deo petere debemus neceſſarium auxilium.*

Affectuoſiſſimi hi ſermones Chriſti D. in hodierno Evangelio: *Ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori veſtro, quid induamini. Nonne anima plus eſt, quam eſca, & corpus plus quam veſtimentum? Reſpicite volatilia cæli* (eſt locus pro pulcra deſcriptione.) *non habent horrea &c. & Pater veſter cæleſtis paſcit illa, nonne vos magis pluris eſtis illis? Conſiderate lilia agri, flores &c. Deus ſic veſtit, quanto magis vos? ſcit Pater veſter omnia quibus indigetis; Ne ſitis ſoliciti &c.* His inquam verbis conatur Chriſtus D. in nobis excitare, illam ſpem & fiduciam, quæ in neceſſitatibus noſtris nobis eſt neceſſaria, & præſertim in calamitatibus publicis, & imminentibus periculis; quæ cum non deſint, illa virtus erit materia hujus concionis.

§.1. Quam ſuavibus verbis Chriſtus D. nos excitet ad fiduciam.

Matt. 6. v. 25.26.

In quo

§. 2. Regina Eſther nos docet, in quo conſiſtat fiducia in Deum, & quo fructu illi fidamus. Eſth. 14. v. 1. v. 3. Oſea 13. 9.

In quo conſiſtat fiducia, quæ in una & ſola Dei Providentia fundatur, nos docuit ſapientiſſima Regina Eſther. *Pavens periculum, quod imminebat*; (publicatum erat edictum Regis, ut occiderentur & delerentur omnes Judæi, à puero uſque ad ſenem, & uno die &c.) deprecata fuit Dominum Deum Iſrael, dicens; *Domine mi, qui Rex noſter es ſolus, adjuva me ſolitariam, & cujus præter te nullus eſt auxiliator alius. Periculum meum in manibus meis eſt.* Variat phraſin, cum ait, *Adjuva me, nullum aliud auxilium habentem, niſi te Domine.* Simile quid refert Propheta Oſea dum ait; *Perditio tua Iſrael: tantummodo in me auxilium tuum:* conqueritur Propheta partim de peccatis enormibus Iſraelis, partim de irrogandis à juſto Deo ſuppliciis; utrumque vocat, perditionem; ſed ſubjicit medelam, quod nimirum ab uno Deo ſperet auxilium. Ruffinus l. 3. in Oſeam. *Ex perſona Dei dicitur, perditio tua Iſrael: tantummodo in me auxilium tuum. Atqui tunc eſt fidelium certa defenſio, cum in Deo liberationis fiducia collocatur.* Nunquam certius defenditur homo, quam ubi, uni Deo creditum ſuum auxilium habet. Experta fuit Eſther. p. hoc.

§. 3. Idem docent tres pueri. conjiciendi in ignem Daniel. 3. 17.

In quo, fiducia hæc conſiſtat, & quo fructu, nos docuerunt tres pueri Hebræi; cum jam juſſu Regis præcipitarentur in fornacem; alta voce dixerunt; *Deus noſter quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, O Rex, liberare.* Unum auxiliatorem, & protectorem Deum opponunt furentis Regis poteſtati. quo fructu? conjecti in fornacem glorioſe triumpharunt de flammis, auxiliator Deus illos eripuit ex tanto periculo ingenti miraculo! ipſis pepercit ignis, Chaldæos devoravit. Unde hoc? Reſpondet D. Zeno ſer. 3. de tribus pueris. *Tanta eſt fidei* (& fiduciæ) *virtus, tantaque poteſtas, ut cultoribus ſuis, etiam ipſa elementa, contra ſuam naturam famulari compellat.* O vires fiduciæ in Deo fundatæ.

§. 4. Et Juditha, egrediens ex Bethulia.

Ex obſeſſa Bethulia, contra potentiſſimum exercitum, Holofernis, una fœmina, una Virago Juditha egreditur; debellatura hoſtes, liberatura patriam; Et quibus armis? Reſpondet

Digitized by Google

ſpondet Orig. hom. 19. in l. Judithæ. *Proceſſit Judith ad bellum, non armis, neque equis bellicis, aut in ſubſidiis militaribus freta; ſed virtute animi, & confidentia fidei; conſilio ſimul & audacia hoſtem peremit; & quam viri perdiderant, fœmina reddidit libertatem patriæ.* Fiducia in ſolum Deum de omnibus triumphat. Deſint arma, deſint copiæ auxiliares, ſit tibi fiducia in Deo firmiter collocata, & de omni contraria poteſtate ages triumphum.

Fiducia plenus fuit animus Davidis, & magno emolumento;, cum ſolus obviam proceſſit Goliatho. ſed pulcre ait D. Baſil. Seleuc. orat. 15. *Recuſavit thoracem, galeam abjecit, ſcutum depoſuit, manum haſta liberavit, bellicam ſtolam excuſſit; ſtola paſtoritia, & virga, & pera ſe obarmavit;* tum ait: *Dominus qui me eripuit de manu leonis, & de manu urſi, ipſe me liberabit de manu Philiſtæi hujus.* Cum jam hoſtem inſolentem, & extrema quæque minantem, haberet præ oculis, ait illi: *Tu venis ad me cum gladio, & haſta, & clypeo: ego autem venio ad te, in nomine Domini exercituum: & dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum, à te.* Neque plura dicens, miſit manum ſuam in peram, tulitque unum lapidem, & funda jecit & infixus eſt lapis in fronte ejus, & cecidit in faciem ſuam ſuper terram, & prævaluit David. Sic vincunt, ſic triumphant, qui in Deo fidunt. Pulcre ait pſalmiſta. *Non ſalvatur Rex per multam virtutem, & gigas non ſalvabitur in multitudine virtutis ſuæ. Fallax equus ad ſalutem; in abundantia autem virtutis ſuæ non ſalvabitur. Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum, & in eis, qui ſperant ſuper miſericordia ejus, ut eruat à morte animas eorum.* Equidem nihil ſunt, omnia mundi auxilia, ſive à potentia, ſive à divitiis, ſive aliunde ſperentur; unus Deus eſt, qui poteſt ſuos ab periculis liberare, & à quo certum auxilium venit. In ſumma: Revolve ſuper Dominum vias tuas, & in eo confide, ipſe te ex omnibus tuis anxietatibus eruere novit.

§. 5. *Iterum David pugnaturus contra Goliath* 1 Reg. 17. v. 40. v. 45. Pſ. 32. v. 16

Ur bene dixerit Euſebius in Catena græca. *Sine oculis & inſpectione Dei, non eſt, quod aliunde ſalutem ſperes: neque enim Regi militum copiis ſtipato; neque giganti de virium ſuarum magni-*

§. 6. *In neceſſitate conſtituti à ſolo Deo debe-*

mus ſperare auxilium. *magnitudine glorianti; neque equi celeritati, ſe committenti ſalus eſt; omnia enim hæc fallunt; ſed vos, qui Dominum invocatis, confidite: nec inimicorum conſilia quæ Dominus diſſipat, timete: neque Principum conſilia, quæ Dominus invertit, formidate. In Deum tantum ſperate, & in miſericordia ejus, ut eruat à morte animas veſtras. Nihil dare poteſt mundus, quod non fallat; unus Deus eſt, à quo certum debemus ſperare auxilium. Quanta malitia fuit Aman? machinationes ejus contra Iudæos fuerunt peſſimæ, quas excogitaverat; ſed diſponente Deo, Aſſverus, momento juſſit omnes irritas fieri. Diſponente Deo, Iuditha obtruncavit Holofernem, David gigantem; Deus fuit liberator ejus, ex manibus omnium inimicorum ejus.*

§.7. *Quo fructu ſponſa, aſcendens per deſertum, innixa fuerit ſuper dilectum ſuum. Cant. 8. v. 5* De ſponſa quærunt Angeli; *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens?* & bene quærunt! in deſerto quænam poſſunt eſſe deliciæ? quæ ſecuritas, inter feras, inter ſaxa & præcipitia? quænam fiducia inter latrones? ſed ſequentia verba exprimunt cauſam tantæ fiduciæ, & tot tantarumque deliciarum, addit enim textus, quod per deſertum iverit, *innixa ſuper dilectum ſuum*: licet in vaſtiſſimo deſerto ſponſa ab omnibus fuerit deſerta, tamen quia præſentem ſibi habuit potentiſſimum & vigilantiſſimum ſponſum, illi innitens, omnibus deliciis abundavit, neque ullum timuit periculum. Ubi pulcre Guilhelmus Abbas apud Delrium. *Innixa plane non ſuper baculum arundineum, cui ſi innixus fuerit homo, confractus intrabit manum ejus, & perforabit: ſed ſuper dilectum ſtabilem, utique ad comportandum. Quod ſane, non ignorans David, fortitudinem inquit, meam ad te cuſtodiam, id eſt, ſuper te innitar, qui nunquam deficis, nec te ſubtrahis, ut cadat, qui ſuper te duxerit innitendum. Denique ſuper baculos arundineos innituntur*
Ierem. 17. v. 5. *qui confidunt in virtute ſua.* Unde Jeremias. *Maledictus homo, qui confidit in homine. Benedictus vir qui confidit in Domino, & cujus Dominus fortitudo ejus.* Hæc eſt tota felicitas hominis in hac miſeriarum valle, quod ſciat non in ſua virtute niti, ſed in DEO, qui ſine dubio in omnibus ipſi aderit auxiliator.

Cum

Digitized by Google

Cum vita noſtra mortalis, aliud nihil ſit quam difficilis quædam peregrinatio, per deſertum hujus mundi; cum in hac miſeriarum valle, gementes & flentes, tot ſubjaceamus miſeriis, unde fit, quod in extrema v.g. rerum omnium egeſtate, aliqui abundent gaudio & conſolationibus; alii trepudient in morbis, in graviſſimis perſecutionibus, &c. quare per ſpinas hujus deſerti ita incedunt tuti, ſecuri, abſque metu, ſpe pleni, melioris fortunæ; niſi quia forti & ſtabili innituntur baculo. Talis baculus eſt ſuaviſſima Divina Providentia: talis baculus eſt dilectiſſimus noſter Jeſus; talis baculus eſt ſanctiſſima ejus crux; quibus qui innititur, non cadet. §.8. *Vt & nos ſimili modo progrediamur.*

Exitus ex hoc deſerto erit difficillimus; exibimus autem per portam mortis, in longiſſimam æternitatem. Cum hodie ſit Dominica menſtruæ congregationis agoniæ, merito meis ſodalibus in mentem revoco memoriam mortis. Eximie ſancti, ferventes ſodales, ſæpe in tanta moriuntur quiete, cum tantis deſideriis cœleſtis gloriæ, ut circumſtantes merito dicere poſſint, qui ſunt iſti, qui aſcendunt de deſerto, affluentes deliciis? qui ſunt iſti, inter tot fluctus, inter tot tentationes, inter tot aſſultus dæmonum, verbo, in tremendo agone, tam tuti & animoſi? Innituntur ſuper dilectum ſuum, ſuper Jeſum Crucifixum. nidum ſuum poſuerunt in altiſſimis, in vulneribus capitis inter ſpinas; abſconderunt ſe intra macerias petræ, intra vulnera Salvatoris. Spes & fiducia eorum collocata eſt in meritis Chriſti; & ita audacter dicunt cum Eſthere, Adiuva nos, non habentes aliud auxilium, præter te Jeſu Crucifixe! Ex nobis perditio! ex nobis periculum æternæ damnationis; tantummodo in te! in tuo ſanguine! in tua morte auxilium noſtrum. Vel dicunt cum tribus pueris, Deus noſter, Jeſus noſter Crucifixus, quem credimus, quem amamus, poteſt eripere nos de camino & fornace infernalis ignis; ipſe è manibus inimicorum noſtrorum liberare nos poteſt. Vel ſuſpirant cum Juditha. *Confirma me Domine Deus Iſraël, & reſpice hac hora &c.* §.9. *Digreſſio ad ſodales Chriſti in cruce agonizantis.* *Iudith.13. v.4.*

§. 10. *Quam fortiter & ſuaviter Deus deduxerit Iſraelitas per deſertum.*

Sed revertor ad materiam; licet ambulemus per deſertum, licet videamur nobis, ab omnibus eſſe derelicti, licet nos premant anguſtiæ, non deſperemus de divina providentia, neque caritate Chriſti Salvatoris noſtri, qui ſuos nunquam deſerit, ſed fortiter & ſuaviter, per admirabiles v[illegible]adducit ad felicem exitum. In ſummis periculis & anguſtiis non deeſt nobis divinum auxilium. Exiverunt Iſraelitæ ductore Moſe ex Ægypto; quamprimum venerunt ad deſertum, tres ingentes occurrerunt difficultates, ne poſſent procedere. Paſſi ſunt inprimis impedimentum maris; ſed, diviſi fluctus mox expeditiſſimam illis præbuere viam. Deinde ſitim paſſi ſunt ardentiſſimã; & ecce arida petra dulciſſimas illis propinavit aquas: cũ præter ſitim, illis deeſſent alimenta, cœlum quotidie illis pluit manna, cibum dulciſſ. Ita & mare, & petra, & aer populo Iſraelitico, Deo ita volẽte, in neceſſitatibus ſuccurrerũt. Ubi pulcre Sedul. l. 1. paſch. c. 10. *His tribus ergo rebus, jam magna ſui nuntians ſacramenta myſterii, Chriſtus erat in pelago, Chriſtus in pane, Chriſtus in ſaxo.* q. d. nemo miretur, quod tam opportunè mare fuerit apertũ & diviſum, quod ex petra fluxerint aquæ, quod deſcenderit panis de cœlo; fuerunt illa, figuræ Chriſti Salvatoris, qui ſi fuerit comes noſter per deſertum hujus mundi, non ſuffocabimur, non ſitiemus, non patiemur famem. Deducet nos fortiter & ſuaviter.

§. 11. *Fortiter & ſuaviter deducit Chriſtianos. Exod. 13. v. 21.*

Ut ſuaviſſime dixerit D. Zeno l. 3. ſer. 38. ubi cum Judæis comparat Chriſtianos, & ait: *Illis ducatum Moſes præbuit, dux noſter Chriſtus eſt. Illis columna nubis atque ignis viam monſtrabat, nobis Teſtamenti Veteris, & novi clariſſima oracula viam, & verum Chriſtum Dominum prodiderunt. Illi poſt mare ad eremum pervenerunt; nos poſt baptiſmum ad paradiſum pervenimus: illis eſurientibus terra irrorata eſt manna; nos autem eſurire non poſſumus, ſempiternam qui cæleſtis panis nobiſcum portamus annonam. Illis ſitientibus petra fluxit in poculum, ad Chriſti fontem qui biberit, in æternum non poterit ſitire. Illis in deſerto ſuavitas lactis, & mellis exhibita eſt, nobis vero quod plus eſt, melle dulcior, ac lacte candidior æterna vita bea-*

Digitized by Google

ta beatitudo Dei tribuetur in regno; Ecce quanta nobis ſit abundantia ſub, & cum Chriſto Domino ut quivis cum Jeremia cap. 17. dicere poſſit. *Ego non ſum turbatus, te paſtorem ſequens.* LXX. legunt, *Non laboravi ſequens te.* *Jer.17.v.16* Circa quæ ait Divus Ambroſius l. 7. ep. 44. *Quis autem poteſt laborare ſequens IESVM cum ipſe dicat. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis & ego reficiam vos. Sequamur ergo IESVM ſemper, nec deſinamus. Quod ſi ſemper ſequamur, nunquam deficimus: dat enim vires, ſequentibus ſe. Itaque quo propior virtuti fueris* (quo major fuerit tua fiducia, quo ferventior caritas) *eo fortior eris.*

Divus Ambroſius cit. quærit, quando Jeremias protulerit illa verba, *Non ſum turbatus te paſtorem ſequens*; & reſpondet: *Cum mitteretur in carcerem, cum demergeretur in voraginem luti, dicebatur Propheta, ubi eſt verbum Domini? Veniat. Sed ille multo magis ſecutus eſt; & ideo ad bravium pervenit, ideo, accepit coronam, quia non laboravit, qui ſequebatur Jeſum, qui ſpem & fiduciam ſuam in Domino collocaverat.* Non deſunt Auditores, qui & nos compingant in carceres, qui nobis faciant male; non deſunt, qui libenter nos demergerent in profundum luti; ſed ſequamur Jeſum, huic innitamur & non turbemur. Veniet in quacunque neceſſitate, ut nobis auxilietur, ut nos educat ex hoc mortali carcere, eruetque animas noſtras de profundo æternæ damnationis.

§.12. *Ducem & Paſtorem Jeſum ſequi debemus ſine turbatione*

Etiamſi ſubinde contingat, iratum DEUM, ob gravia ſcelera punire integras provincias, & regna, peſte, fame, bellis; juſti tamen, non habent quod timeant, potens eſt Deus, ſuos inter graviſſimas calamitates ſervare incolumes. Quod eleganti ſimilitudine nobis propoſuit Amos 9. cap. verſu 9. *Ecce ego mandabo, & concutiam in omnibus gentibus domum Iſrael, ſicut concutitur in cribro, & non cadet lapillus ſuper terram; in gladio morientur omnes peccatores &c.* In cribro aliquo poſt trituram frumenti in aliquo horreo, plerumque multa

§ 13. *Præſertim dum Deus variis pœnis caſtigat ſcelera.*

 ſunt

Digitized by Google

ſunt permixta, nimirum frumentum, & lapilli, & paleæ, & quiſquiliæ; quæ omnia per fortem cribri commotionem, ſic diſtinguuntur, ut paleæ projiciantur in ignem, frumentum ſecernatur ad molam, lapilli alio mittantur. Sic in commotione iræ Dei, etſi impii & juſti adunati ſint, per illam commotionem impii, quaſi paleæ abjiciuntur ignem, juſti q. frumentum bonum, & electi lapides ſervantur à Deo. Ruffinus in præſenti: *Cum reliquum vulgus, ut ſtipula [illegible]perirent, juſti velut ſolidi lapides permanebant. Ergo, etſi omnes, ait, pariter abripiat immiſſa captivitas: tamen nequaquam vos viliter æſtimabo, ut confuſa videlicet cæde pereatis; ſed exercebitur libra judicii, ut nullum gladius contingat innoxium, nullum prætereat criminoſum. In gladio morientur omnes peccatores: cæterum omnes innocentia conſpicuos, ita manus noſtra defendet, ut exercitati quidem doceantur, non tamen extincti.* Quid divinius? Oculatiſſima eſt Dei providentia, & attentiſſima, etſi juſti & injuſti, in peſte, fame bello quam maxime adunati, veniant in externam commotionem, exercitatam ab ira Dei, ſic tamen diſcernuntur juſti ab injuſtis; ut cum iſti pereant, iſti ſalventur. Hoc infallibile Dei auxilium, debet eſſe fundamentum ſpei noſtræ.

§.14. *In ſummis adverſitatibus non ſumus ſoli. Pulcer locus de Chriſto D. pendente in cruce. Ioel.2.12.*

Cum omnia mala videntur in nos irruere; non timeamus; neque enim ſumus ſoli, Deus eſt nobiſcum: habet hic ſuos miniſtros, qui nos defendant. Joel ait. *A facie ejus contremuit terra, moti ſunt cæli, Sol & Luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum. Et Dominus dedit vocem ante faciem exercitus ſui; quia multa ſunt nimis caſtra ejus; quia fortia, & facientia verbum ejus.* Videtur Propheta præ oculis habuiſſe tempus crucis, quando, dum Jeſus meus in alto apparuit cruci affixus- *terræ motus factus eſt ingens, ſciſſa ſunt petræ,* *Luc.23.v.45.* *obſcuratus eſt Sol, denſaque tenebræ operuerunt terram. Tunc Jeſus clamans voce magna expiravit*; qui clamor ut ingentes vires morientis Dei exprimebat; ſic indicabat, aſſiſtere ſibi validiſſimos cœleſtium Virtutum exercitus, de quibus in horto quoque dixit.

Ubi Rupertus, *Vide quam magnifice dictum eſt, de homine cruci-*

Digitized by Google

crucifixo & derelicto (ut ipſe clamarit, Deus meus &c.) *quod habuerit exercitum, cujus ante faciem talem vocem dedit. Et verè in illa hora, qua ſic videbatur derelictus, multa nimis erant, & fortia caſtra ejus; non ſolum caſtra angelorum, verum etiam Romanorum, quæ venirent & facerent verbum ejus.* Hæc & nos cogitemus, licet cruci affigamur, licet derelinquamur; non ideo deſperemus; Deus nobis aſſiſtit, cui fortes ſunt exercitus, ut pro nobis pugnent. Sed capiuntur urbes, vaſtantur provinciæ! ſic Deus jubet. (fiat p. inductio) cum aderit hora opportuna auxilii, liberemur. Job ait de mari. *Vſque huc venies, & non procedes amplius: & hic confringes tumentes fluctus tuos.* *Iob. 38. 11.*

§. 15. *Sed caveamus ne fugiamus ad creaturas. A ſolo Deo petere debemus neceſſarium auxilium.* *Oſee 7. v. 11*

Ex diſcurſu totius hujus concionis ſine dubio hanc maximam advertetis, ſtultiſſime facere illos, qui, dum vident imminentia pericula, non ad Deum, ſed creaturas confugiunt; quam ſtultitiam non ſemel Deus in Iſraelitis caſtigavit. Oſeas ait. *Factus eſt Ephraim, quaſi columba ſeducta non habens cor, Aegyptum invocabant, ad Aſſyrios abierunt. Et cum profecti fuerint, ſuper eos expandam rete meum, &c.* Varie interpretes explicant, quid ſit hominem non habere cor, & placet mihi P. Baeza, qui ait, eſſe hominem, qui in neceſſitate conſtitutus, obliviſcitur Dei, & fugit ad creaturas. De quo ait D. Cyrillus Alexand. in c. 5. Oſeæ. Cum (Ephraim) *à Deo ſolo, conſuetum auxilium petere, & precibus ad ſuccurrendum ſibi Salvatorem ſollicitare oporteret, dira in caput ſuum meditatus eſt. Miſſa enim legatione ad alienos, eos ſuppetias rogavit, dira inquam fuit meditatus, id eſt, ſibi nociva, venit enim in poteſtatem hoſtium.* Idem D. Cyrillus in c. 11. Oſeæ ait, *Iudas porro ad iram, multis & aliis modis Deum provocabat, hoc uno autem præcipue. Nam cum Deus minatus fuiſſet, miſſurum ſe ipſis Aſſyrium, qui terram vaſtaret, urbes ſuas inſtauratis mœnibus communiebat, ratus, Deo quamvis nolente, bonitate mœniorum ſe ſalvum, & ab oppugnantium viribus invictum fore. Sed ſtulte egit, prout agunt, qui Dei obliviſcuntur, & pro auxilio creaturas accedunt, &c.*

NB. Hanc puto eſſe cauſam, quare turbulento hoc tempore novus Pontifex, Clemens toti Chriſtianitati indulſerit

ſerit Jubilæum. Hinc ſume occaſionem illud promulgandi, quod contigit Bambergæ anno 1667. 18. Septembris, in ſumma æde.

CONCIO XLV.

DOMINICA XVI. POST SS. TRINITAT.

Ecce defunctus efferebatur, filius unicus Matris ſuæ.

Luc. 7. v. 12.

SYNOPSIS CONCIONIS.

ARs bene moriendi, ſive, ſeria præparatio ad ſanctam mortem exigit duo; Vitam ſanctam, & amorem Jeſu. Qui ſancte vivunt, qui Jeſum diligunt, illorum mors eſt precioſa.

§. 1. *In hoc fallimur, quod mortem proſpicimus.*

§. 2. *Præparatio ad mortem eſt plane neceſſaria.*

§. 3. *Pulcrum dictum belli Ducis.*

§. 4. *Prima præparatio, vita ſancta. Sive, ſancti moriuntur ſancte.*

§. 5. *Impii, impie, quod declaratur ſimili.*

§. 6. *Idem oſtenditur tragica hiſtoria de morte Saulis.*

§. 7. *Ratio Theologica.*

§. 8. *Mors ſanctorum precioſa.*

§. 9. *Quibuſdam, mors, non aculeus, ſed ludus eſt.*

§. 10. *Optima quoque præparatio eſt dilectio Chriſti D.*

§. 11. *Amatores Ieſu, moriuntur ſine timore.*

§. 1. *In hoc fallimur, quod mor-*

COgitate defunctum juvenem, de ſua tumba veluti cathedra vobis dicere; diſponite domibus veſtris, quia & vos forte brevi moriemini, quia fortaſſis cras non

non vivetis. Iſ.38. binas voculas *forte brevi*, addidi ego quia hæc mortis circumſtantia peculiariter eſt ponderanda: nam *in hoc fallimur* (verba ſunt Senecæ ep.3.) *quod mortem proſpicimus*, id eſt, quod nos longe à morte abeſſe arbitremur. hoc modo mortem proſpexit dives ille Evangelicus. *dicam animæ meæ; anima habes multa bona poſita, in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epulare.* Sed deceptus eſt: dixit enim illi Deus, *ſtulte hac nocte repetunt animam tuam à te, quæ autem paraſti cujus erunt; mortuus eſt autem, & ſepultus eſt in inferno.* O impii! tali modo mortem proſpicitis, comeditis, bibitis, epulamini &c. quia vitam vos protracturos ſperatis in annos plurimos. mortem cernitis à longe! ſed erratis, vicinior illa fortaſſis eſt, quam putatis. O quam quidam veſtrum vicini ſunt ſepulcro, & ſepulturæ in ignes inferni! Notum eſt illud Philoſophi, navigantes tribus tantum digitis diſtare à morte; non tantum vos diſtatis & à morte, & ab inferno! Avetiſne ſcire, quantum diſtetis? tantum, ut ſi hoc momento vivere deſinatis, quod fieri poteſt, altero momento in orco ardere incipiatis! totus infernus cum toto tormentorum ſuorum apparatu, non diſtat à vobis niſi temporis puncto, an non merito concionatores frequentiſſime inculcant illud Salvatoris, *Vigilate & orate, quia neſcitis diem neque horam. ſive* eſtote ſoliciti, ut aliquando moriamini feliciter. mortem felicem obtinere poſſumus debita ad illam præparatione. eſt materia latiſſima. Dicam duo. Primum eſt: Optima præparatio eſt bona vita. Secundum: Amor & dilectio Jeſu. quisquis Jeſum amat, morietur ſancte; itaque in nomine Jeſu pergam.

tam proſpicimus.

Luc. 12. v. 19. Cap. 16. v. 22.

Matt. 25. v. 13.

§. 2. *Præparatio ad mortem eſt plane neceſſaria.*

Laudem meretur princeps ille in Gallia, cui cum primum mane è conclavi ſuo egrederetur, ephebus dicere debebat, *Domine morieris. Verum eſt*, reſpondebat herus, *ideo parare me debeo.* puto ab hoc principe lectum fuiſſe Senecam, qui ep.26. ait: *egregia res eſt, mortem condiſcere. ſupervacaneum forſitan putas id diſcere, quo ſemel utendum eſt. hoc eſt ipſum quare meditari debeamus. ſemper diſcendū eſt, quod an ſciamus experiri non poſſumus.*

S.Baſilius rogatus, quodnam eſſet fundamentum veræ ſapi-
entiæ, reſpondit, *ſeria meditatio mortis*; Plato dixit, hanc eſſe
veram Philoſophiam, neque aliud eſt quod æterna veritas,
Salvator noſter in Evangeliis nobis ſæpius & majori pondere
inculcet, quam debitam præparationem ad mortem Marc.13.
Marc.13.v. 31. & apud pleroſque Evangeliſtas. *Videte, vigilate, & orate,*
neſcitis enim quando tempus ſit, quando Dominus veniat, ſero, an
media nocte, an galli cantu, an mane, ne cum repente venerit, inve-
Matth.25. v.13. *niat vos dormientes.* Matt.25. poſt parabolam de decem Vir-
Luc.12 v. 35. ginibus, &c. *Vigilate quia neſcitis diem neque horam.* Lucæ 12.
ſint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ in manibus veſtris, eſtote
Matt.24. v.27. *parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet.* Matt. ait,
ſicut fulgur exit ab oriente, & paret usque in occidentem, ita erit ad-
Luc.17.v. 26. *ventus filii hominis*, idem repetit Lucæ 17.& addit: *ſicut factum*
eſt in diebus Noæ ita erit & in diebus filii hominis. edebant, & bi-
bebant, uxores ducebant usque in diem qua intravit Noe in arcam.
& venit diluvium & perdidit omnes, repente, hora qua non pu-
tarunt id futurum. *Similiter ſicut factum eſt in diebus Loth. ede-*
bant & bibebant, emebant & vendebant, plantabant & ædifica-
bant; qua die autem exibat Loth à Sodomis, pluit ignem & ſulphur
de cælo, & omnes perdidit. ſecundum hæc erit qua die Filius homi-
nis revelabitur. hoc fit in agone & ultima lucta qua quis homo
Chriſto Jeſu tanquam Judici præſentabitur. ſed quando hoc
fiet? an ſero, an nocte &c. hoc neſcimus, ideo vigilemus, &
oremus, ut moriamur bene. Mors eſt finis & conſummatio
noſtræ navigationis; ſi navicula noſtra ingrediatur tum por-
tum cœleſtis Jeruſalem, bene habet, in æternum in ſalvo erit.
Si verò, (ah avertat bonus Jeſus) inter terribiles fluctus, miſe-
ro naufragio invehatur in portum infelicis æternitatis; actum
eſt, eheu, æternum ex illo non eluctabitur. moriendum cui-
vis eſt, ſed ſemel; tragœdia hæc bis ludi non poteſt, ut corri-
gatur; cavendum eſt, ne ſemel erretur.

§.3. Pulcrum dictum belli ducis. Cum Lymachus egregius belli dux quempiam de erro-
re quodam in militia commiſſum reprehendiſſet, promiſit
miles, non ſe facturum id altera vice; ſed prudentiſſime re-
ſpon-

ſpondit Lymachus: In militia ne ſemel errare licet; unus ſæpe error non habet remedium. veriſſimum hoc eſt de morte hominis. ſemel male mori, eſt æternum male mori. in omnem æternitatem hic error corrigi non poterit. Seneca ep. 71. *Citius mori, vel tardius, ad rem non pertinet: bene mori, aut male, ad rem pertinet.* Quisquis hoc fundamentum hujus concionis ſerio perpendit, ſine dubio quæret, in quibus præparatio ad mortem conſiſtat.

§. 4. *Prima præparatio. Vita ſancta. ſancti, ſancte moriuntur.*

Reſpondeo. 1. in vita bona & ſancta. diſcite bene & ſancte vivere, in hoc conſiſtit ars bene & ſancte moriendi. paucis contigit aliter mori, ac in vita didicerunt. mors arbitrii res eſt, quisque ſuæ mortis artifex eſſe poteſt, & pro libito excudere, in libito enim noſtro & arbitrio eſt vita ſancta, quales autem vivimus, tales morimur. de Moyſe ait Dominus. *Moſes ſervus meus mortuus eſt*, Cajet. hic, *mortuus eſt in ſtatu ſervitutis meæ: mortuus eſt ſic, quia quidquid erat, quidquid operabatur meum erat.* Qui ſervus in vita fuit, fuit & in morte ſervus, imo ideo in morte fuit, quia in vita fuit. S. Ambr. *Mors vitæ eſt teſtimonium.* legi ſæpe cum intimo affectu, varias cauſas, ob quas Chriſtus D. in cruce, inclinato capite tradidit ſpiritum. peculiarem huic materiæ accommodam inveni apud Hugonem Card. *Inclinat caput, quaſi ſupponens humerum ad portandum nos.* id eſt. Chriſtus D. tota vita ſua fuit paſtor bonus qui per montes & ſylvas oviculam perditam inveſtigavit; tota vita aſſuevit, oviculis morbidis & languidis, humeros ſupponere, & caput inclinare. ut ſacer refert textus. *Impoſuit in humeros ſuos gaudens.* hoc fuit paſtoris in vita officium, ſed & hoc moriens fecit; inclinat caput, quaſi ſupponens humeros ad portandum nos: neque enim ſibi in morte poteſt eſſe diſſimilis. Tota vita inclinate colla ſub jugo ſervitutis Dei &c. & ſervi, amici, filii Dei moriemini. Qualis eſt vita, talis eſt mors.

Deut. 34. v. 5. — *Luc. 15. v. 6.*

§. 5. *Impii, impie. Quod declaratur ſimili.*

Inclinationem hanc & caſum in felicem vel infelicem mortem, SS. Patres declarant ſimili. Ad ripas fluminum quædam arbores ita creſcunt ut majori parte inclinentur ſuper aquas; ſi forte ruſticus tali arbori ſecurim apponat & viator in tranſi-

tranſitu quærat, amice quonam cadet hæc arbor? ſine dubio ruſticus reſpondere poterit. ſtulte quid quæris? eo cadet, quo jam dudum à multis annis inclinata fuit. Talis arbor eſt impius ad ripas fluminis Babylonis, viginti, triginta annis, gravi peccatorum pondere inclinata ſuper aquas iniquitatis
Matt. 3. v. 10. tandem, repente à morte, *ſecuris ad radicem arboris ponitur* & quæris, quonam cadet hæc arbor, clarum eſt, in orcum,
Pſal. 33. v. 22. in infernum. Impius, qui diu impie vixit, pie mori non po-
Pſ. 139. v. 12. teſt. Juxta teſtimonium Pſalmiſtæ David. *mors peccatorum peſſima: virum injuſtum mala capient in interitu.* Salomon *in mali-*
Prov. 14. v. 32. *tia ſua expelletur impius.* ſine pœnitentia & contritione, ſine
2. Reg. 1. 9. ulla ad Denm converſione.

§. 6. Id oſtenditur tragico. Expertus fuit impius Saul juvenis Amalecites, Saulis interitum Davidi renuntiat, & jam jam pœnè emortui verba ad eum refert: *Sta ſuper me* (deſcribe p. quomodo Saul jacuerit in gladio) *& interfice me: quoniam tenent me anguſtia, & adhuc tota anima mea in me eſt. Stansque ſuper eum occidi illum.* pro li *anguſtia,* hebræus textus habet, *concluſio ſeu conſtrictio me tenet.* LXX. vertunt, *tenebræ.* (patheticæ fieri poſſunt deſcriptiones.) Chaldæus Paraphraſtes, *tremor* (cur non tremat, qui gladio ſponte incubuit?) *Vatablus, trepidatio.* Sic trepidant impii dum moriendum eſt. ex alia vocula hebraica eruo ſenſum, qui mihi ſervit. In illo enim textu, eſt vox hebræa *ſcabath,* cujus hæc eſt ſignificatio. *Tenet* ſive terret me *Veſtis Oculata,* ſcilicet ſacerdotum, quos impius Saul occidit. (poteſt fieri pulcerrima deſcriptio) dum Saul incubat ferro, dum tenetur in anguſtiis mortis, ſanguineis veſtibus circumſtant umbræ ſacerdotum &c. O Saul non miror te taliter mori! taliter vixiſti &c. eſt pulcer locus. ſic impii vivunt, ſic quoque moriuntur.

§. 7. Ratio Theologica. Ratio Theologica eſt; ad converſionem impii requiritur auxilium, ſive gratia ſupernaturalis, peculiaris & extraordinaria, quam ſcholæ vocant efficacem; hanc gratiam Deus non tenetur ſuis hoſtibus, & inimicis dare & quidem certo tempore, quod latroni in cruce dederit, infinitæ fuit

Digitized by Google

tæ fuit miſericordiæ, & dedit illo die, quo filius Dei actualiter in cruce pro peccatoribus ſanguinem ſuum fudit. Dedit hanc gratiam uni latroni, mille aliis negavit, & juſto judicio negat, ideo plerumque impii in malitia ſua expelluntur ex hac vita in infernum. Impiam vitam, ſequitur mors quoque impia & infelix.

Sanctorum vero mors eſt precioſa, & ſancta, qualis fuit vita. Eccleſiaſticus. *Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis ſuæ benedicetur.* Diſceſſus Eliæ ex hoc mundo fuit feliciſſimus; nam in præſentia Eliſæi, in turbine currus ignei raptus fuit in paradiſum. *ecce currus igneus, & equi ignei diviſerunt utrumque.* quærunt interpretes, cur in curru igneo, & non lucida aliqua nube, vel vento, vel ab angelo raptus fuerit in alteram vitam. cauſam ſumunt ex elogio, quo Sp.S. Eliam Eccleſiaſtici c.48. commendavit. *Surrexit Elias quaſi ignis, & verbum ipſius quaſi facula ardebat.* id eſt, Elias fuit Dei ſervus in hac vita, ſed igneus, æſtuans, ardens Zelo gloriæ Dei. igneus in prædicatione pœnitentiæ. igneus in ardentiſſimis ad Deum precibus. talis fuit in vita, talis in morte. inter ignes ab igneo curru & ardentibus equis raptus eſt in paradiſum. idem facite Auditores, ſervite Domino in fervore, eſtote ignei &c. flagrate flammis divini amoris; & tandem inter has flammas morte feliciſſima migrabitis ad aſtra. S. Ambroſius de bono mortis c. 8. *Mortis metus non ad mortem referendus eſt, ſed ad vitam: non enim habemus quod in morte metuamus, ſi nihil quod timendum eſt, vita noſtra commiſit.* Prov. 14. *in malitia ſua expelletur impius, ſperat autem juſtus in morte ſua.* Syrus ſic vertit. *qui confidit peccatis ſe carere, juſtus eſt.* Chaldæus. *qui confidit ſe moriturum juſtus eſt.* 70. interpretes, *in ſanctitate ſua, ſive, qui fidit ſanctitati ſuæ, juſtus eſt.* id eſt, qui in hac vita ſanctitatem operatus eſt, de morte ſancta non dubitet.

§. 8. Mors Sanctorum precioſa. Eccleſ. 1. v.13. 4. Reg. 2. v.11. Eccleſ. 48. v.1.

Chriſtianis (dixit P. Cornelius in c.13. Oſeæ, dico ego, viris ſanctis & hominibus piis) *mors ludus eſt. vita illis in tædio eſt, mors in deſiderio. vita illis non eripitur, ſed in melius commutatur. Nunc mori deſinunt, & vivere incipiunt. Sed bene addunt,*

§. 9. Quibuſdam mors, non aculeus eſt, ſed ludus.

addunt, hi illi ſunt, qui maturi ſunt, in fructibus omnis ſanctitatis & virtutum, ut pro Chriſto mori poſſint. his mors non eſt ſtimulus, ſed jubilus (S. Bern. ſer. 26. in Cant.) *cantando moriuntur, & moriendo cantant.* Sed advertite, ſermonem eſſe de morte ſanctorum. Peccatorum mors eſt peſſima, qualis vita fuit. mors juſtorum ſancta, qualis vita fuit. itaque diſcite vivere ſancte, & moriemini ſancte. Præparatio optima ad mortem felicem, eſt vita bona. hoc fuit punctum primum hujus concionis.

§. 10. *Optima præparatio eſt peculiaris dilectio Chriſti D.* Quæſtioni initio à me propoſitæ, quænam ſit optima præparatio ad felicem mortem Reſpondeo. 2. Amemus Chriſtum Salvatorem noſtrum, ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus, & de morte ſancta non dubitemus. alibi latius ſuaviſſimam hanc materiam deduco, modo aliqua tantum inſinuabo, ex quibus veritas hujus thematis patebit. S. Ambroſius in oratione vel panegyri funebri piiſſimi Imperatoris Theodoſii inducit Angelos obvios ejus animæ, & ex illa quærentes, Quid egiſti in terris. reſpondit imperatoris anima paucis; *dilexi Deum & Salvatorem meum Chriſtum Ieſum.* ſubdit Ambroſius, *Nihil hoc plenius, nihil expreſſius;* hæc eſt illa quæſtio, quæ in agone, in judicio particulari & nobis proponetur; quæſo ita vivamus ut dicere poſſimus, dileximus Jeſum. hic amor via eſt ad felicem mortem, & æternam gloriam. Ratio eſt, Chriſtus Dominus ſe diligentes in iſto agone non deſeret. quis eſt, qui ſi amicum in naufragio fluctuantem videat, ſi porrecta manu auxiliari poſſit & non faciat. habe Jeſum amicum, & fluctus mortis non time, dexteram tibi porrigat Jeſus. hoc promiſit per Oſeam. *de manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos, ero mors tua O mors &c.* *Oſeæ 13. v. 14.*

§ 11. *Amatores Ieſu moriuntur ſine timore.* Cum comes Godefridus, ex ordine S. Norberti in ſuo agone videret fratres circumſtantes, ſed triſtes, & ſolicitos de ſuo abitu ex hoc mundo, illis dixit; *Quid ſoliciti eſtis fratres? quare veni ad hunc ſanctum Ordinem, niſi ut per felicem mortem obviare poſſem Ieſu meo; & hunc amo, huic cor meum, & animam meam obtuli, ejusque adventum hilaris expecto ut æternum illi jungar.* S. Auſtreberta (Surius 10. Februarii) ferventiſſima

amatrix

Digitized by Google

amatrix Jeſu, in agone dixit: *Ecce venio ad te, quem amavi: ad te propero, quem deſideravi; ad te ſitio pervenire, quem ſemper ardentiſſimo amore dilexi. in te confido, non erubeſcam: in te ſpero, non confundar: tu ſuſcipe ſpiritum meum in pace ſempiterna, ne pravaleant adverſum me inimici jacula.* ſic expiravit. (vide Surium 16. Nov. in vita S. Edmondi.) Cogitet quivis an dicere poſſit enim S. Paulo ad Philip. 1. *Mihi vivere Chriſtus eſt*, id eſt, vivere non cupio, niſi amem Chriſtum &c. & ideo, *deſiderium* habeo *diſſolvi & eſſe cum Chriſto.* Et non timeat talis mortem.

CONCIO XLVI.

DOMINICA XVII. POST SS. TRINITAT.

Et ipſi obſervabant eum.

Luc. 14 ℣. 1.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Concio hæc eſt acris invectiva in detractores.

§. 1. *Detractores plerumque ſunt curioſi obſervatores.*

§. 2. *Quid ſit detractio, & quam commune vitium.*

§. 3. *Multi damnantur propter detractionem.*

§. 4. *Detractio eſt grave peccatum. Detractores ſunt fugiendi.*

§. 5. *Detractores comparantur cum porcis, moloſſis &c.*

§. 6. *Lingua detractoris graviter ſanciat.*

§. 7. *Chriſtus in cruce plus ſenſit linguas blaſphemas, quam clavos.*

§. 8. *Qualis ſit ſermo detractorum.*

§. 9. *Cur*

Digitized by Google

§. 9. *Cur diabolus tentarit primos parentes in forma ſerpentis.*
§. 10. *Lingua detractoris eſt lectus diaboli.*
§. 11. *Detractores ſunt inſtrumenta diaboli.*
§. 12. *Invectiva, in detractores ſacerdotes.*
§. 13. *Detractoribus nemo præbeat aures.*
§. 14. *Oportet illos perſequi.*

§. 1. *Detractores plerumque ſunt curioſi obſervatores.*

AUlicos in palatiis Principum olim Lucianus infra citandus ſic deſcripſit. *Illic videas licet, quam acres alter in alterum oculos defigat, qua cura obſervet, veluti ſingulari certamine congreſſurus, ſi quid uſpiam in alterius corpore, forte fortuna nudum, aut male munitum conſpiciat, quod ferire feliciter poſſit.* Subdit cauſam idem Lucianus. *Vt proximum deÿciat, exturbet, convellat, proculcet.* Pulcrioribus coloribus ſive verbis vobis depingere non poſſum, quales fuerint Phariſæi erga Chriſtum D. S. Lucas inſignis pictor omnia paulo ante dicta comprehendit binis voculis, *obſervabant eum.* id eſt, ſcribæ & Phariſæi acerrimos oculos defixerunt in Chriſtum Dominum; juxta phraſim regii Pſaltis pſ. 36. *Conſiderant peccatores juſtum, & quæſiverunt mortificare eum.* Genebrardus legit, *ſpeculati ſunt eum.* Hoſtes Chriſti, omni cura illum obſervarunt, veluti ſingulari certamine, cum illo eſſent congreſſuri, ſi quid forte in moribus, in verbis, in doctrina, in factis, imo miraculis conſpicerent, quod ferire feliciter poſſent. Scopus, in quem Phariſæi collimabant, erat, ut Chriſtum dejicerent, exturbarent, convellerent, ut famam ejus conculcarent, imo ut morti traderent. Verum non oculi tantum Phariſæorum fuerunt acres; linguæ eorundem longe fuerunt acerbiores erga illum quem oderant, contra quem in cordibus ſuis cogitabant mala; & ideo ſacer textus ſæpius inſinuat, illos obſervatores, fuiſſe etiam murmuratores, calumniatores, maledicos, & detractores. Nimis curioſa & invida obſervatio proximi, præſertim cum jam ira, odium vel invidia in corde egerunt radices, plerumque ſecum trahit graviſſima hæc ſcelera, murmurationem, calumnias & detractio-

Pſ. 36. v. 32.

Digitized by Google

tractionem. Cum itaque & hodie multi reperiantur, de quibus cum Luciano dicere poſſumus, Bambergæ videas licet, quàm acres alter in alterum defigat oculos &c. ſtatui, in hac concione agere contra hos detractores, ut in illa, veluti ſpeculo vel pictura, ſe ipſos intueantur, & intelligant, quales ſint.

Detractio nil aliud eſt, quam alienæ famæ occulta & injuſta denigratio; denigratur autem fama, quatuor potiſſimum modis. 1. imponendo falſum crimen. 2. Verum crimen amplificando. 3. Occultum crimen manifeſtando. 3. Siniſtre interpretando alterius factum. Hæc quatuor puncta, ſunt ferme hodie materia colloquiorum, in conviviis, in conventibus, in viſitationibus, in ædibus, in plateis, privatim, publice; occulte, palam; denigrare famam proximi, imponere falſa crimina; ſi quæ ſunt, amplificare; occulta manifeſtare, & omnia, dicta facta ſiniſtre interpretari. Detractoribus omnia plena ſunt; una ex pœnis à Moyſe Ægypto inflictis fuit multitudo ranarum, & muſcarum, in templo, in regia Pharaonis, in palatiis procerum, in ædibus civium &c. ubique ranæ & muſcæ; cum S. Baſilius dixerit, *Muſcæ ſanis corporis partibus neglectis ad ulcera contendunt*; quod faciunt detractores; cum ranæ, ſint animalia turpia, quæ ut plurimum hærent in luto, & fœtidis paludibus, ut etiam detractores, non videatur vobis mirum, dixiſſe me, reperiri Bambergæ & alibi multas muſcas, & ranas; volui conqueri, ut verbo me explicem, detractionem hodie eſſe vitium nimis commune; reperiri ferme inter omnes ſtatus hominum. §. 2. *Quid ſit detractio, & quam commune vitium.*

Hoc aliqui SS. Patres affectuoſis verbis, & quaſi cum lacrymis deplorant; multos, qui in timore Dei cavent graviora peccata, obſervant mandata Dei, illi ſerviunt, frequentant templa; non tamen eſſe liberos à vitio detractionis. Pronum nimis eſt, denigrare famam proximi; ut aliquorum opinio ſit, multos ardere in inferno, qui ob ſolum hoc vitium damnati ſunt, & detruſi in illud barathrum miſeriarum. Memini me aliquando vidiſſe in depicto Emblemate, ſive imagine inferni, protenſam & ardentem linguam alicujus §. 3. *Multi damnantur propter detractionem.*

damnati, cum hac vocula, Detractio q.d. detractoria mea lingua, fuit mihi cauſa æternæ damnationis.

§.4. *Detractio, eſt grave peccatum. Detractores ſunt fugiendi. Rom. 1. v. 30. Prov 24.9.*

Certum enim eſt, detrahentem graviter peccare, & contra Juſtitiam, & contra caritatem. Proinde *detractores*, S. Paulus ait ad Rom. *Deo ſunt odibiles.* Salomon. *Abominatio detractor.* Ideo S. Pachomius audiens detrahentem, avertebat ſe veluti à ſerpente, & fugiebat, ingeminans, illud pſ. 10. *Detrahentem proximo ſuo occulte hunc perſequebar.* De Seraphico S. Franciſco refert S. Bonaventura cap. 8. Detractionis vitium, inimicum fonti pietatis & gratiæ, tanquam ſerpentinum abhorrebat morſum, & atrociſſimam peſtem; & piiſſimo Deo abominabile eſſe affirmabat; pro eo quod detractor animarum ſanguine paſcitur, quos gladio linguæ necat tanto major, inquiebat, detractorum impietas quam latronum; quanto lex Chriſti, magis animarum, quam corporum nos optat amare ſalutem. Trahit vero detractio ſecum ruinam animarum, ob gravia ſcelera, quæ illam plerumque comitantur, teſte S. Chryſoſtomo hom. 32. ad pop. *Ex detractione pullulant odia, conflantur jurgia (experientia docet) diſſidia ortum trahunt, ſuſpiciones malæ procreantur, diſſolvuntur vincula pacis, infringitur caritatis nodus:* tot peſtilentium fructuum venenata radix, eſt detractio.

§. 5. *Detractores comparantur cum porcis, moloſſis, &c.*

Quales proinde ſint detractores, patheticæ comparationes SS. Patrum inter illos & turpes vel crudeles beſtias nobis ponunt ob oculos. S. Chryſoſtomus, hom. 33. ad pop. *Non cernitis porcos cœnum edentes ac volventes? ſic & detractores? quid enim fœtidius verbis, quæ contumelioſe loquuntur? Non ſic ſtercus commotum pervellit, ſicut aliena peccata, excuſſa & commota.* S. Bonaventura, *detractor in modum porci, ubi ponit pedem, & os ponit.* Porcus, in amœno viridario, ſi videat cœnoſam cloacam, ibi mavult volutari, quam inter flores; idem facit detractor. S. Bonaventura ait, *ſicut canis macelli, ſemper habet os ſanguinolentum; ita & detractor gaudet, ſi alios mordeat, ſi laceret, ſi lædat.* S. Anſ. in ſimilitud. c. 147. *Comedit namque alter alterum, & quidem morſum in eum facit, quotieſcunque quis aliquem male loquen-*

Digitized by Google

loquendo viliorem efficit. Alii SS.Patres, ex cap.28. Eccleſiaſtici, detractores comparant leonibus & pardis: hæ beſtiæ ſunt ſævæ & crudeles; teſte Ariſtotele, habent ſerratos dentes, & acutos, quorum ſeries, mutua inſertione pectinatim ſe conſtipant; lingua illis eſt limata, gravis &c. Illi, quorum fama denigratur, loqui poſſunt, an non inciderint in tales leones, & pardos; an non ſentiant acutos dentes, lacerantem linguam.

Quam graviter proximum ſauciet, lingua detractoris, ſic expoſuit S.Bernardus ſer. de tripl. cuſtodia, *manus, linguæ, cordis. Lingua maledica, quod in ſe eſt, & illius percutiens conſcientiam, & iſtius vulnerans caritatem, ſecum pariter, utrumque perimit, nunquid non vipera eſt lingua iſta? ferociſſima plane nimirum quæ tam lethaliter tres inficiat flatu uno. Nunquid non lancea eſt lingua iſta? profecto & acutiſſima, quæ tres penetrat uno ictu. Nec verò ejuſmodi linguam, ipſo etiam mucrone, quo Dominicum latus confoſſum eſt, crudeliorem dicere verearis. Fodit enim hæc quoque Chriſti corpus. & membrum de membro; nec jam exanime fodit, ſed facit exanime fodiendo. Ipſis quoque nocentior eſt ſpinis, & clavis ferreis.* §.6. *Lingua detractoris graviter ſauciat.*

Ita cum S.Bernardo ſentiunt, qui putant Chriſtum D. pendentem in cruce magis ſenſiſſe Phariſæorum blaſphemias, quam vulnera & claves. S. Chryſoſtomus, poſtquam quæſtionem hanc propoſuit, *Non ſufficiebat Chriſtum D. tam atrocia pati? an non ſanguis tam copioſe effuſus potuit ſedare rabiem Iudæorum? &c. cur inſuper ſub cruce movent capita, cur exſpuunt, cur Chriſtum blaſphemant?* His inquam quæſtionibus reſpondet S.Chryſoſt. *In patibulo pendentem omnes, amaris eum impetunt verbis; quæ rebus ipſis mihi graviora videntur.* In Chriſto D. ob infinitum ipſius amorem erga genus humanum, fuit ardentiſſimum deſiderium, atrociſſima patiendi. In Judæis ingens & ſummum fuit odium, atque ſitis, inferendi illi tormenta atrociſſima; itaque clavis, vulneribus, cruci; ſuperaddunt linguas, ut graviter feriant. Idem faciunt detractores erga proximum ſuum. *Et dicimus* (pergit S.Bernardus ſupe- §.7. *Chriſtus D. in cruce, plus ſenſit linguas blaſphemas, quam clavos.*

 rius

rius citatus) *levis res, ſermo! levis quidem, quia leviter volat, ſed graviter vulnerat! leviter tranſit.* (leviter v.g. dicitur, ille adulter eſt, illa adultera,) *ſed graviter urit; leviter penetrat animum, ſed non leviter exit.*

§. 8. *Qualis ſit ſermo detractorum.* Proinde, *cuſtodite vos à detractione* (ſunt verba ſapientiæ) *parcite linguæ, quoniam ſermo obſcurus in vacuum non ibit.* Vatablus legit. *ſermo clandeſtinus.* Dionyſius, *in occulto prolatus.* Oſorius. *carens luce.* Optime Lyra. *Sermo palliatus, æquivocus, fallax, ſophiſticus.* In græco ponitur vocula, *phtegma.* quæ varia ſignificat, 1. ingenioſam loquelam. 2. concentum cytharæ. 3. hinnitum ferocientis equi. 4. vocem crocitantis cervi. Omnia hæc conveniunt detractoribus: plerumq; ſermo ipſorum eſt obſcurus, clandeſtinus, in occulto prolatus, carens luce; palliatus, æquivocus, fallax (eſt locus pro pulcris inductionibus, accommodatis auditorio.) Detractores ſunt ſophiſtæ ingenioſiſſimi, ſubtiliſſimi; videtur loquela ipſorum, concentus cytharæ, ita audientes mulcet & delectat; & ſimul ſunt ferocientes equi ruentes in prelium, ut alios dejiciant, proterant, conculcent. ſunt crocitantes corvi, quærentes per urbem fœdentia cadavera, ut deinde per compita, & ædes, circumvolitantes fœtore omnia compleant. Et mox patet, ſermonem illorum, licet obſcurum; non ire in vacuum.

Sap. 1. v. 11.

§. 9. *Cur diabolus tentarit primos parentes in forma ſerpentis.* Mirantur aliqui SS. Patres, diabolum, cum tentare voluit primos parentes, non aſſumpſiſſe formam cygni, vel columbæ, vel leonis, ſed ſerpentis; & dicunt hujus formam ipſi placuiſſe, quod ſerpens vel aſpis totum ſuum venenũ habeat in lingua. Unde lingua hominis, jucunda illi ſedes eſt, & proprium inſtrumẽtum ad peſſima quæq; cũ diabolus detractoris alicujus linguam erga proximum inflammat, quales illa inter audientes non ſpargit ſcintillas? Gillibertus Abbas ſer. 24. in Cant. *Ignem hunc, quem evomit, haurit de gehenna; Inde incipit & illo rapit. Lingua, inquit inflammata à gehenna* (Jac. 3.) *Male ſuccendit, quia diſſidii verba ſcintillat, & flamma talis de inferis eſt.* Cognata eſt lingua detractoris inferno; inter gehennæ flammam, & inflammatam illius linguam vix eſt diſcrimen; utraque

Jac. 3. v. 8.

Digitized by Google

utraque eſt ſedes dæmonum,& inſtrumentum ad urendos & cruciandos homines. Mirarer modum loquendi S.Jac.cit.c.3. ubi linguam comparat equo, qui vel frœni eſt impatiens, vel illo circumduci ſe ſinit,niſi legiſſem verba S.Chryſ.hom.52.in Matt. *Regius quidem equus eſt lingua noſtra. Si ergo ei frænum immiſeris,aſcendet eum Rex,& quieſcet in illo.* (linguam modeſtam compoſitam amat Rex Regum Chriſtus) *ſi autem nullo fræno demueris,ſed huc atque illuc effrenem jactare permiſeris, diaboli eam vehiculum feciſti.* Conſiderate vos quæſo Auditores,an in hac urbe diabolus non habeat tales currus & equos, veluti emiſſarios,ut quos volunt,dejiciant,proterant,conculcent.

Quod diabolus in detractoris lingua, cum rupto frœno verborum ſuorum venenum diffundit, ſuaviter quieſcat; id Iſidorus Clarus, Campenſis, Janſenius, ingenioſiſſime obſervarunt,in pſ.119. *Sagitta potentis acuta,cum carbonibus deſolatoriis.* Chaldæus ſic legit, *Sagitta robuſti acuta;ſicut fulgura ſuperna,cum carbonibus ardentibus in gehenna inferius.* His verbis iterum confirmatur Maxima ſive propoſitio præcedentis paragraphi; Quod lingua doloſa, ſit ſagitta acuta; ſed talis, quod pro cuſpide habeat carbones ardentes, qui veniunt de gehenna inferni, à quibus lingua detractoris inflammatur; Quo poſito, S.Chryſoſtomus citatum pſalmi verſum ſic legit; *Sagitta potentis acuta, cum carbonibus in lecti formam conſtructis.* Et qualis lectus ſunt ardētes carbones? probabile eſt S.Chryſoſt. alluſiſſe ad lectiſternia dæmonum. Nam Ethnici olim celebrantes in templis cōvivia deorum,inſtructis menſis apponebāt compoſitos lectos,quos vocabāt lectiſternia, ut dæmones in illis quieſcerent,ſic habet Athen. *In Capitolio ſtratis tribus lectis,convivium apponebatur tribus diis, Iovi,Iunoni, & Minerva,&c* jā advertere poteſtis,quare S.Chryſ. putet Regiū pſalten,linguam acutam,venenatam,accenſam infernalibus carbonibus,qualem habeāt detractores,vocaſſe ſuavē lectulū, ut ſciamus,diabolū in illo quieſcere. Hom.52.in Matt. S.Chryſ. dixit, *diaboli quippe lectus,eſt omne convitium*,quanto magis,detractio.quoties detrahis,jam in tua lingua, diabolus habet lectiſternium,in quo quieſcat.

§. 10. Lingua detractoris eſt lectus diaboli. *Pſ.119.v.4.*

 Qua-

§.11. *Detractores ſunt inſtrumenta diaboli.*

Qualia inſtrumenta diaboli, ſint linguæ detractorum, vobis proponent verba D. Cyrilli Alexandr. in Apologia ad Theodoſium, quæ habetur in Concilio Epheſino tom. 5. c. 2. reddens rationem, cur diabolus uſus ſit Neſtorio hæretico, dum ait; *Draco igitur, apoſtata ille, hoc eſt, Satanas; virum ſacerdotem, incautum, menteque ſeductum nactus, & linguam nihilominus adeptus temerariam, & ad veritatem dogmatum, calumniandam, Chriſtique ſervatoris noſtri, gloria detrahendum promptiſſimam (erat enim pervicax, effrænatoque impetu, quævis etiam abſurdiſſima, audacter, inconſulteque aggrediens) turbis ſeditionibusque omnes Eccleſias adimplevit.* Perpendite, auditores, quales ſint, ſi quos noſtis detractores; quales habeant linguas? an non audaces? temerarias? ad calumniandum, ad fingenda falſa, ad amplificanda parva &c. promptiſſimas. Attendite, qua pervicacia, quo effrœnato impetu, quam inconſulte, quævis abſurdiſſima, contra quoſcunque proferre non audeant? quibus ſæpe turbis, quibus rixis, quibus diſſenſionibus? Triumphat draco Apoſtata, cum tales linguas nanciſcitur. Linguæ detractorum ſunt inſtrumenta diaboli ſelectiſſima, ad ruinam animarum. Ut bene nos admonuerit Tertullianus lib. de ſpect. *Dubitas enim, omnes angelos proſpicere de cœlo, & ſingulos denotare, quis blaſphemiam dixerit,* (quis detractionem protulerit,) *quis audierit, quis linguam, quis aures diabolo adverſus Deum adminiſtraverit.* O ſi ita oculos, ad præſentem nobis angelum reflecteremus, non foret talis in detrahendo libertas.

§.12. *Invectiva in detractores ſacerdotes &c.*

Neſcio, an Angelus meus Cuſtos me moneat, cur in ſententia vel Apologia S. Cyrilli Alexandrini non obſervarim illam voculam, *ſacerdotem*, qualis fuit Neſtorius, & quod nihilominus diabolus illius linguam fuerit adeptus. Nam prout D. Iſidorus Peluſiota l. 1. ep. 309. ſcripſit ad Religioſum; *Te caducam vitam fugiſſe, atque ad monaſticum ſtudium curſum contendiſſe audio; atque interim, tamen procacem ac petulantem linguam habere ac temere loqui.* q. d. qua ratione hæc duo conveniunt, Religioſum eſſe & ſacerdotem, & ſimul detractorem? ut il-

ut illa lingua quæ frequenter rubet precioſo ſanguine Chriſti, ſit inſtrumentum diaboli? ut lingua, cui imponitur ſanctiſſimum Chriſti corpus, ſub ſpeciebus ſanctiſſimæ Hoſtiæ, ut inquam eadem lingua ſit lectiſternium diaboli; (poteſt hæc invectiva extendi ad alios ſtatus hominum &c.)

Quæ cum ita ſint; hoc quoque notandum eſt, non ſatis eſſe, ſi quis non detrahat, ſed exigere caritatem Chriſtianam, ut detractoribus aures non præbeamus, juxta monitum Eccleſiaſtici. *Sepi aures tuas ſpinis, & linguam nequam noli audire* q. d. ſicuti hortos, vineas, agros, cingitis ſepibus & muris, ne ingrediantur feræ, vel fures, ita cuſtodiendæ & occludendæ ſunt aures noſtræ, ne audiamus detractores. Seps fortiſſima eſt timor Dei, ne ſcilicet audiendo & nos peccemus mortaliter. Spinæ, quæ aures ſepiunt, ſunt variæ praxes, quibus detractoribus nos opponimus. v. g. ſi apertè in faciem illis contradicamus, ſi arguamus, ſi loquendi audaciam reprehendamus: ad quod tenemur, ſi ſimus ſuperiores. Vel, ſi ſaltem, triſtem ipſis exhibeamus vultum. Beda. Si hilari vultu audieris detrahentem, tu illi das fomitem detrahendi; ſi vero triſti vultu hæc audieris, diſcit non libenter dicere, quod didicerit, non libenter audiri. S. Hier. ep. 2. ad Ruſt. Diſcat detractor, dum te videt, non libenter audire, non facile detrahere, nemo, invito auditori, libenter refert. Prov. 25. *Ventus aquilo, diſſipat pluvias, & facies triſtis, linguam detrahentem.* Iterum S. Hier. ep. 14. ad Celant. *Nec obtrectatoribus de conſenſu auctoritatem tribuas, nec eorum vitium nutrias audiendo (præſtat inducere alium ſermonem, excuſare proximum, non credere prolatis, objicere proprios defectus, exemplo Chriſti. Ioannis 8. Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat,) his modis hoc vitium detractionis prorſus extingui debet, & ab iis, qui ſe ſancte inſtituere volunt, prorſus excludi. Beatus eſt, qui ita ſe contra hoc vitium armavit, ut apud eum nemo detrahere audeat.*

§. 13. Detractoribus nemo præbeat aures. Eccleſ. 28. v. 28. Prov. 25. v. 23. Ioan. 8. v. 7

Ut dicat cum Davide paulo ante citato; detrahentem proximo ſuo, *hunc perſequebar.* Paulo ante dixerat, *cum hoc non edebam*; alia lectio; *hunc ferre non poteram.* Verbum hoc

§. 14. Oportet illos perſequi.

perſe-

perſequar magnam habet emphaſin, ſive latine, ſive græce, ſive hebraice legatur; idem enim eſt, quod *ſuccidam*, veluti infructuoſas arbores; vel *Exſcindam* veluti ſpinas; vel *Opprimam* S. Hieronymus legit, *Interficiam, ad internecionem perducam*. Ita tractandi eſſent detractores, à Magiſtratibus, & illis, qui poteſtatem habent puniendi, reipublicæ tam nocivos homines. Quod nos attinet, S. Chryſoſtomus verba Davidis ſic mitigat. *Eos, qui nihil tam cupiunt, quam detrahere, perſequamur, & longe à nobis depellamus; ne alienis malis conſentientes, nobis ipſis conciliemus perditionem.*

CONCIO XLVII.

DOMINICA XVIII. POST SS. TRINITAT.

Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo.

Matt. 22. v. 37.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QUid ſit diligere Deum ex toto corde.

§.1. *Ab obſervatione peccati magni, de diligendo Deo, nemo ſe poteſt excuſare.*

§.2. *Deum diligit ex toto corde, qui illum ſolum amat.*

§.3. *Quare Deus ſolus velit à nobis diligi.*

§.4. *Deus in templo cordis noſtri non admittit ſocium.*

§.5. *Quare ſponſus ſponſam vocet columbam: quare fateatur ſe ab illa vulneratum, in uno oculorum.*

§.6. *Emblema Ottonis Batavi.*

§. 7. *Dilectio Dei exigit indiviſionem cordis.*

§. 8. *Vnitas & indiviſio, ſunt ſigna veri amoris.*

§.9. *Alius*

§. 9. *Alius ſenſus horum verborum, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*
§. 10. *Abraham oſtendit hanc dilectionem, dum Deum præpoſuit Iſaaco.*
§. 11. *Quam arduam præceptum Abrahamo fuerit impoſitum.*
§. 12. *Ad cujus executionem nihilominus fuit promtiſſimus.*
§. 13. *Probatio dilectionis, eſt operis exhibitio, & labor pro dilecto.*
§. 14. *Epilogus.*

SAnct. Thomas de VillaNova, cum agere vellet de mandato magno, quod Chriſtus D. in hodierno Evangelio promulgavit, bene monuit ſer. Dom. 17. poſt Pent. *Attendite fratres cariſſimi, attendite & videte, qualia præcepta nobis injungit Deus; non aſpera, & difficilia; non gravia & impatibilia, non lacerare carnes verberibus, non pedibus nudis, ſuper ferreos tribulos ambulare; ſed quid? diliges, inquit, Dominũ Deum tuum ex toto corde tuo.* Ut proinde nemo hanc excuſationem prætendere poſſit, ſe non poſſe diligere Deum. Pſalmiſta ait. *Non eſt, qui ſe abſcondat à calore ejus.* ſic legit Hugo Card. *Nec eſt, qui ſe poſſit excuſare, quin eum diligere poſſit.* S. Aug. ſer. 69. de temp. *In reliquis operibus bonis interdum poteſt aliquis, quamcunque excuſationem prætendere; in habenda verò dilectione, nullus ſe poterit excuſare. Poteſt mihi aliquis dicere, non poſſum jejunare, nunquam poteſt dicere, non poſſum amare, &c.* Nam, ut ait Idiota, *amor facilis res eſt, omnibus ſe exhibet, nulli ſe negat. Capit eum juvenis & ſenex; vir & mulier; ſanus & infirmus, dives, & pauper, ſummus & infimus, liber & ſervus, ſæcularis & religioſus, debilis & fortis, nec eſt, qui ſe poſſit excuſare.* Breviter Sanct. Bernardus ſer. in Cœna Domini. *Tu quantum eum diligere debes, non potes, dilige ergo eum ex toto corde; hoc tantum quærit, non ultra quærit.* Cum ergo Chriſtus Dominus in hodierno Evangelio, hanc dilectionem nobis ponat, concione hac ego vobis exponam quid ſit, Deum diligere ex toto corde. Inter alia Emblemata Pierii, l. 1. cap. 34. hoc invenio; ſuper prunas in aureo thuribulo liqueſcit cor humanum, & in accenſas guttas diffluit. O ſi hac hora,

§. 1. *Ab obſervatione mandati magni, de diligendo Deo, nemo ſe poteſt excuſare.*

Pſ. 18. v. 7.

Digitized by Google

qua de amore Dei perorare debeo, ſuper carbones illius amoris cor meum liqueſceret! O ſi in tales guttas difflueret! Veni S. Spiritus, tu ſolus, meum & auditorum meorum corda tuis ignibus accendere & inflammare potes; ut id fiat animitus opto; & ſic guſtabimus, quam res dulcis ſit amor Dei.

§. 2. *Deum diligit ex toto corde; qui illum ſolum amat.* Verba hæc; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, Lippomannus ex textu græco ſic explicat, *ſolus vult Dominus amari, & ut ſolus Dominus noſter eſt, ſic totos nos exigit eſſe ſuos.* Hoc ſenſu S. Auguſtinus ſolitus fuit ſic ſuſpirare; in lib. Medit. cap. 35. *Dulciſſime & amantiſſime Ieſu; infunde obſecro multitudinem caritatis pectori meo, ut te ſolum in corde habeam.* Seraphicus ſanctus Franciſcus, coram crucifixo proſtratus, millies hæc verba repetebat: *O Deus! O Ieſu! amor tuus, & nihil aliud.* Regius pſaltes, in arte amandi Deum ex toto corde peritiſſimus pſ. 72. ait, *Quid mihi eſt in cælo, & à te, quid volui ſuper terram.* In textu hebraico. *Tecum nihil volui in terra.* Chaldæus. *Tecum ſocium non habeo in terra:* ob eandem cauſam vocat *Deum cordis ſui:* & ſponſa ait, *Dilectus meus mihi, ego illi.* Vel, *Dilectus meus meus, & ego illius.* Nyſſenus. *Ipſe poſſeſſio mea eſt, & ego illius.* Clarius adhuc S. Auguſtinus hom. 9. *Amor caſtus in te eſſe debet, quo amore deſideres videre, non cælum & terram, non campos liquidos maris, non ſpectacula nugatoria, non fulgores gemmarum, &c. ſed deſideres videre Deum tuum & ſolum.* Alibi ait, *Non eſt inhærendum terrenis, ſi volumus Deum videre.* Cap. 3. ad Col. ait S. Paulus, *Quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt.* Quærit S. Chryſoſt. hom. 13. ad pop. quare S. Paulus non dixerit, ubi cœlum eſt, ubi ſol eſt, ubi Angeli, ubi Archangeli ſunt, in gloria & beatitudine. Non, inquit, *ſed ubi Chriſtus eſt; ubi Deus eſt; ibidem, & non alibi, noſtra debent eſſe deſideria.*

(Pſ. 72. v. 25; Cant. 2. 16.; Coloſſ. 3. 2.)

§. 3. *Quare Deus ſolus velit à nobis diligi.* Varias rationes colligit Idiota, ob quas Deus, ſolus vult & debet amari. lib. contempl. c. 12. *Diligi debes Domine ex toto corde, ratione creationis, & redemptionis; quia enim hominem feciſti, debet ſe ipſum amori tuo; & quia redemiſti, debet ſe amori tuo. Quandoquidem autem, ipſe ſolus eſt, qui nos creavit; ſolus, qui redemit nos, etiam ſoli, totū noſtrum amorem, & totum cor debemus.*

O mor-

O mortales! an redempti eſtis auro & argento? minime, ſed precioſo ſanguine illius, qui vos dilexit; quid vos ergo diligitis aurum & argentum; quid amatis divitias, & frequenter magis quàm Deum, Creatorem & Redemptorem veſtrum. O mortales! fecitne vos? redemitque vos, diabolus? Ille? qui interitum veſtrum quærit; & hunc, ut modica fruamini voluptate, Deo veſtro præfertis? hoc non eſt, diligere Deum ex toto corde; ſi vel minima particula cordis Deo ſubtrahatur, & detur amori inordinato alicujus creaturæ, ut Deus offendatur, totum ſubtrahitur. Deus, ſolus, totum cor hominis vult poſſidere.

§. 4. *Deus in templo cordis noſtri, non admittit ſocium.*

Lib. 7. de civit. Dei cap. 2. refert S. Auguſtinus, Ethnicos cum olim urbem aliquam occupaſſent, ſolitos fuiſſe, in uno templo ſimul omnia collocare idola, quæ in urbe invenerant, & quæ ſecum detulerant. Noluiſſe tamen hoc facere, Titum, & Veſpaſianum, cum occuparunt Jeroſolymam, dicentes, Deum hebræorum, velle eſſe ſolum, & nullos ſecum pati ſocios. Sic eſt; errant qui putant, ſe hoſpitio cordis ſui ſimul poſſe recipere, Deum & diabolum, Chriſtum & mundum. Clara ſunt verba Chriſti. *Non poteſtis duobus dominis ſervire, Deo & mammonæ.* Lyranus ſic eadem exponit. *Cor hominum, non poteſt ſimul capere Deum & diabolum, ſed ſuſcepto diabolo, per peccatum exit Deus & Chriſtus, ſuſcepto Deo per caritatem, exit diabolus.* S. Chryſoſtomus hom. 47. in cap. 22. S. Matt. *Homo ſi Deum amat, mundum non amat.* Vice verſa. Homo ſi mundum, ſi creaturas, ſi voluptates &c. amat, Deum non amat. Vult Deus amari, ex toto corde, id eſt, ſolus.

Matt. 6. v. 24.

§. 5. *Quare ſponſus ſponſam vocet columbam, quare ſponſus fateatur ſe vulneratum in uno oculorum.*

Non ſine myſterio ſponſus in Cant. cap. 2. Sponſam vocavit *Columbam. Nam hac* (Richardus de S. Victore) *conſortem amat, ſocium non admittit.* Cap. 4. fatetur ſponſus ſe eſſe vulneratum à ſponſa, ſed, *in uno oculorum- nam, quemadmodum collimaturus in ſcopum* (S. Greg. Nyſſ.) *unum oculum claudit, ut hoc modo alter, certius in ſcopum intendat; ſic ſponſa unico oculo aſpexit ſponſum; alterum clauſit, ne videret creaturas, vel ſocium, quod ſponſo valde placuit, dum vidit, ſe ſolum amari à ſponſa. Qui ad*

ſolam Dei naturam (ſunt iterum verba citati S.Greg.) *viſus acumen dirigitis,in cæteris omnibus cæcus eſt, ad quæ, multorum oculi reſpiciunt.* Gilbertus ſer.31. in Cant.ait: *Si plures habes oculos,omnes alios claude,ut hoc uno utaris, quo ſolo dilectum intueri debes. Si tibi amoris oculus eſt, erga Deum,unus eſt.*

§.6. *Emblema Ottonis Battavi.* Verus amor, unum quærit Deum, non alios amatores. Elegans eſt emblema Ottonis Battavi, in quo ſtat amor, formoſus puer, calcans pedibus tabulam, in qua deſcripti ſunt numeri 2.3.4. Dextera vero tenet tabellam, in qua numerus 1. deſcriptus eſt, coronatus roſis, cum hac inſcriptione ex Ariſtotele, *Perfectus amor, non eſt, niſi ad unum.*

Hic puer, unum amat, offert unum, unum ecce coronat,
Et reliquos numeros, en pede calcat amor.
In plures quoties rivos deducitur amnis,
Fit minor, atque unda deficiente perit.

Richardus de S.Vict. *Violentia amor aſcendit quando omnem alium affectum excludit; quando nihil præter unum, ſicut & nihil ſapere, niſi propter unum, unum amat, unum diligit, unum ſitit, unum concupiſcit, ad ipſum anhelat, ad ipſum aſpirat, ex ipſo inardeſcit, in ipſo quieſcit; ſolum eſt in quo reficitur: ſolum, ex quo ſatiatur; nil dulceſcit, nihil ſapit, niſi hoc uno condiatur: quidquid ultro ſe offerat cito reÿcitur, ſubito conculcatur; quod ſuo affectui non militat, vel ejuſmodi deſiderio non deſerviat,* Cum Deo omnia ſe habere credit, ſine illo horrent omnia, ſordent univerſa; ut S.Ignatius magnis vocibus exclamarit, *Quam mihi ſordet terra, cum cælum aſpicio,* ſcilicet,quia hic Deus eſt,hic Chriſtus eſt.

§.7. *Dilectio Dei exigit indiviſionem cordis.* S.Theodoretus quæſt.1. in Levit. hæc verba, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*; & ſimul ſenſum illorum, paulo ante allegatum,ſic exponit. *Nam qui volant in altum, veluti aquilæ regiæ, Deum ex toto corde diligentes, non partiuntur animum; collocantes illum, tum in terrenis, tum in cæleſtibus, ſed totum ſurſum ferunt. Itaque illi non diligunt Deum ex toto corde,* de quibus Oſeas ait cap.10. verſu 2. *Diviſum eſt cor eorum.* Idiota lib.1. de amore div. cap.4. affirmat tales,

eſſe

eſſe peiores crucifixoribus Chriſti, qui noluerunt partiri tunicam ejus. *Amor*, inquit, *neque dividi debet neque ſcindi; & qui cum dividunt peiores videntur, quam milites, qui Chriſtum crucifigentes, tunicam ejus dividere noluerunt. Multo minus caritas, quæ eſt veſtis nuptialis debet dividi.*

Qui corda ſua volunt dividere, oſtendunt ſibi deeſſe verum amorem. Nota eſt lis duarum fæminarum, lib. 3. Regum cap, 3. coram ſapientiſſimo Salomone, de vivo infante. Una dixit, meus eſt; & altera *dixit meus eſt*. Dubium itaque erat, utra vera eſſet mater. Ut id Salomon intelligeret, hanc tulit ſententiam, *dividatur infans; detur pars huic, altera alteri.* Cum ſatelles una manu apprehendit gladium, altera infantem, genuinæ Matris viſcera ita fuerunt commota, ut exclamarit, *Non Domine; date illi infantem vivum*, q. d. non cupio diviſionem, non cupio partem, vivat totus infans. Altera vero dixit, *Ita, dividatur, nec mihi, nec tibi.* Mox Salomon, priorem pronuntiavit eſſe veram matrem. Utitur hiſtoria hac Sanct. Bernardus lib. de diligendo Deo, ut probet, amorem divinum, non eſſe dividendum, ut partim Deo, partim creaturis tribuamus. Unicuique unum eſt cor; id poſtulat Deus Proverb. cap. 23. *Prebe fili mi, cor tuum mihi.* Sed idem petit diabolus? petunt illud creaturæ, illi utique, qui prior, & magis nos dilexit, ſed demus indiviſum. Diabolus, contentus eſt, ut dividatur, quia non fecit nos, non eſt redemptor noſter. Pater noſter, qui Deus eſt, non vult dividi.

§. 8. Vnitas, & indiviſio ſunt ſigna, veri amoris.

Prov. 23. v. 26.

Verba hæc, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, S. Chryſ. & auctor operis imperf. hom. 42. in S. Matt. ſic exponunt. *Diligere Deum ex toto corde, eſt, ut cor tuum non ſit inclinatum magis & ad ullius rei dilectionem, amplius, quam ad Dei: nec delecteris in aliqua ſpecie mundi amplius quam in Deo, nō in honoribus, nō in auro vel argēto. Sed hac omnia exiſtimes eſſe tibi in Deo, ut præ his omnib. Deū ames.* Sic ergo & omnis anima Chriſtiana, quæ ſponſa eſt Chriſti, ita diligere debet Deum, ut nihil ſit in hoc mūdo, quod amplius amet, quā Deū, aut in tantū. fieri poteſt,

§. 9. Alius ſenſus horum verborum, diliges Deum ex toto corde tuo.

ſed accendi & comburi, & offerri in holocauſtum: quod interpretatur, totum incenſum; noluit Deus Iſaaco parcere, nec vivo, nec mortuo. 8. Voluit eum deduci per triduum, ad locum immolationis, ut cor patris aſpectu filii diutius, & fortius torqueretur, ut quovis paſſu, montem (Origenes) & mortem ſentiret. 9. nulla apparebat præcepti utilitas; cui prodeſſet mors innocentis? 10. Videbatur contrarium rationi. 11. Nullum talis obedientiæ præceſſerat exemplum. Denique. 12. Imminebat ſcandalum poſteritati.

His omnibus non obſtantibus, Abraham accepto præcepto tam difficili, nihil ſe excuſavit, nec præcepti cauſam ullam quæſivit, neque mandata diſtulit, non communicavit Matri; ſed de nocte conſurgens, cum Iſaaco abiit ad locum immolationi deſtinatum. Non parciturus filio, niſi Angelus aliud juſſiſſet. *Et ita Abraham,* (S Auguſt. ſer. 12. de temp.) *nos docuit, ut breviter dicam, ut Deo non præponamus, quod dat Deus.* Dedit tibi v.g. divitias, & amas illas, ſaltem Deo noli præponere. Amor Dei ſuper omnia, amor Dei ex toto corde, movit Abraham, ut maluerit proprium ſuum filium immolare, quàm Dei voluntati reluctari, & inobedientiâ illum offendere, voluit potius creaturam, quàm Deum deſerere. Ex quo clariſſimè poteſtis intelligere, quinam Chriſtiani Deum diligant ex toto corde, ſcilicet illi, qui in hoc mundo ita vivunt, ita fruuntur temporalibus &c. ut tamen Deum nullo letali crimine offendant. Et hic primus gradus divini amoris, ad ſalutem eſt neceſſarius. Sine hoc nemo poteſt ſalvari. Ante annos non multos rogatus dæmon in obſeſſo, quis eſſet, reſpondit, ego ſum miſer æternum privatus amore, tales eritis, niſi Deum ametis ex toto corde.

§. 12. Ad cujus executionem nihilominus fuit promptiſſimus.

Denique, S. Greg. M. hom. 35. in Evang. pulcre ait, *probatio dilectionis* (ex toto corde) *exhibitio eſt operis.* Rupertus Abbas ſect. 26. in Cant. *Caritati juncta eſt, ſollicitudo quædam,* ut ſcilicet pro eo, quem diligimus, laboremus, & ardua feramus libenter. Amor non eſt ocioſus. Gen. cap. 25. dicitur de Jacob: *Iacob vir ſimplex habitabat in tabernaculis.* id eſt, in domo patris,

§. 13. Probatio dilectionis, eſt operis exhibitio, & labor pro dilecto. Gen. 25. v. 27.

patris apud matrem vivebat delicate, ocioſe, divitis patris, dives filius. Deo ſic volente diſcedit in Meſopotamiam, venit ad ædes Laban, ubi capitur pulcritudine Rachelis, diligendo illam ex toto corde, & oblitus paternæ domus, ait ad Laban, *ſerviam tibi pro Rachel filia tua minore ſeptem annis.* Gen. c.29. Quod & fecit, paſcendo oves, tanto labore, ut deinde dixerit c.31.v.4. *Diu noctuque æſtu urebar, & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis.* Sed quomodo? ille Jacob aſſuetus molli lectulo, quomodo aſſuevit humicubationibus? in campis? ſuper ſaxa? Aſſuevit, dum incepit amare. Amanti Jacob, non fuit durum, jacere humi. Amanti Jacob, etiam frigus fuit dulce. Nam ait v.20.c.29. Gen. *Servivit Iacob pro Rachel ſeptem annis* (imo deinde aliis ſeptem annis,) *& videbantur illi dies pauci, præ amoris magnitudine.* Dormivit humi, cum gaudio, ſervivit cũ gaudio in gratiam Rachelis. Ut S. Hier. dixerit ep.20. ad Euſtochium. *Nihil amantibus durum eſt, nullus difficilis cupienti labor eſt, intuere, quanta paſſus fuerit patriarcha Iacob, qui ut Rachelem in conjugem conſequeretur, æſtu urebatur & gelu, & tamen videbantur dies pauci, præ amoris magnitudine, cum tamen ſeptem annorum ſpatia volverentur in tanto labore.* S. Chryſoſtomus hom. 55. in Gen. *Quando enim quis ſauciatur caritatis deſiderio id quod fuerit plenum periculis, & multa miſeria, leviter fert, ad unum hoc attendens, quomodo potiatur voto & deſiderio.*

§.14. Epilogus. Huic tandem diſcurſui, & ſimul concioni finem impono verbis S. Hieronymi ſupra citati; *Amemus & nos Chriſtum,* (dico ego hodie, amemus & nos Deum, ex toto corde) *& difficile videbitur facile.* Ex his poterit fieri epilogus cum affectuoſa repetitione totius Concionis.

CON-

Digitized by Google

CONCIO XLVIII.

DOMINICA XIX. POST SS. TRINITAT.

Confide fili: remittuntur tibi peccata tua.

Matt. 9. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit quatuor circumſtantias, infinitæ miſericordiæ Chriſti Jeſu, erga graviſſimos etiam peccatores; ut proinde nulli ſit deſperandum; ſub amabili nomine Jeſu, qui Paralytico dixit, confide fili.

§.1. *Quæſtioni, ante octiduum in Ev. propoſitæ, quid videtur de Chriſto, datur nova reſponſio.*

§.2. *Prudens Concionator, ſubinde terret, ſubinde ſolatur peccatorem.*

§.3. *Clementia Dei non habet menſuram: proinde major eſt, quam ſit malitia hominis.*

§.4. *Miſericordia Dei eſt aurea, proinde non frangitur.*

§.5. *Chriſtus D. pro infinita ſua miſericordia, non ſtatim condemnat peccatorem.*

§.6. *Proſecutio.*

§.7. *Interim eundem vocat ad pœnitentiam.*

§.8. *Pœnitenten humaniſſime ſuſcipit. Affectuoſa Hiſtoria.*

§.9. *Proinde etiam graviſſimo peccatori, non eſt deſperandum.*

MEminiſtis hauddubie, auditores, quæſtionis, quam Evangelium ante octiduum propoſuit, quid nimirum nobis videatur de Chriſto. Memini ego, me diverſis concionibus, per eximia Chriſti D. elogia, & per- §.1. *Quæſtioni, ante octiduum in Ev. propoſitæ datur*

nova reſponſio. & perfectiones, ex ſacris literis SS.PP. quæſtioni illi, reſpondiſſe. Hoc enim mihi videtur. Quod ſit Filius Dei & Mariæ, quod ſit ſpecioſiſſimus & formoſiſſimus; quod ſit ſanctiſſimus, ſapientiſſimus, omniſcius; quod ſit Salvator mundi & omne bonum. Plurima occurrunt in Evangeliis per aunum, ex quibus reſpondere poſſumus, quid videatur, ſive quid ſentiendum nobis ſit de ejus Juſtitia. Verum cum in hodierno quoque Evangelio fiat mentio Chriſti D. merito aliquis quærere poteſt, quid videatur de illo, qui miſerum paralyticum præter dulciſſima verba, quibus illum allocutus fuit, *confide fili*, tam cito ſanavit? & peccata illi remiſit? Puto pias veſtras cogitationes jam præveniſſe meum reſponſum; puto vos jam dixiſſe in cordibus veſtris; bonus, pius, longanimis & miſericors eſt, potiſſimum erga peccatores. bonitas, pietas, longanimitas & miſericordia ejus, paralyticum ſanavit corpore & anima, ut hodie graviſſimi peccatores de ſanitate & venia cõſequenda non deſperent, ut omnes confidamus infinitæ illius miſericordiæ. Cum vero hæc bonitas Chriſti D. ſit fundamentum noſtræ fiduciæ, hac concione, vobis proponã illius circumſtantias &c. 1. erit: Miſericordia Chriſti longe major eſt, quam quævis malitia impii. Non facile illa frangitur. 2. licet Chriſtus D. ſit juſtus judex & vindex mali, non tamen ſtatim condemnat, longanimis eſt, expectat, ut impius convertatur & pœnitentiam agat. 3. Non tantum non differt pœnam, ſed ſemper vocat ad pœnitentiã, & offert revertentibus miſericordiam. 4. Eoſdem recipit cum magno affectu, & omnium peccatorum obliviſcitur. Inferam ex his, nulli peccatori eſſe deſperandum.

§. 2. *Prudens Concionator, ſubinde terret, ſubinde ſolatur peccatorem.* Bene facit concionator, ſi frequenter agat de illis, quæ obſtinatum cor alicujus peccatoris, terrere & concutere poſſunt, v.g. de morte, de judicio, de inferno, de juſtitia & ira ſeveri Judicis; Apoc. 1. S. Joannes vidit filiũ hominis, cujus oculi fuerunt tanquam flamma ignis, vox illius, vox aquarum multarum, & de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat. ali- *Apoc 1. 15.* bi, in manu ejus vidit virgam ferream, alias falcem, alias tonitru

Digitized by Google

nitru vel fulgur. Si acuero ut fulgur gladium meũ. Talis debet eſſe fervens concionator, debent ſubinde ardere oculi, vox debet tonare, ut ſit quaſi gladius penetrans corda impiorum; bonum eſt ut ſubinde concio ſit virga quædam ferrea, vel falx vel quoddam tonitru & fulgur, quo percellantur peccatores, & moveantur ad pœnitentiam. Idem tamen filius hominis, teſte S. Joanne, in manu dextera habuit ſtellas, & facies ejus fuit amœna veluti ſol, veſtis fuit alba, ut nix; in altera manu hab.iit ſtellas ſeptem, ut concionator ſciat ſe ſubinde de cathedra debere ſpargere ſtellas, id eſt, ut dicat jucunda, læta & amœna, de cœlo, de pulcritudine virtutis, de divinis beneficiis, de affectuoſis myſteriis vitæ Chriſti, & frequenter de infinita ejus bonitate & miſericordia erga peccatores, ut in illis excitetur ingens fiducia & amor erga tam bonum redemptorem. Hac itaque concione ego nil aliud deſidero, quam ut de lingua mea ſuper vos decidant ſtellulæ, ſive pulcerrimæ aliquot obſervationes SS. PP. de quibuſdam circumſtantiis miſericordiæ Chriſti D. Salvatoris noſtri erga peccatores.

Quæ placuit S. Chryſoſt. hom. 3. de pœnitentia, eſt, quod illa miſericordia, ſit longe major, quam ſit noſtra malitia. *Dei clementia, pietasq́; menſuram non ſuſcipit:* Solemus illam vocare quoddam mare, ſed non cogitemus eſſe v. g. Oceanum Atlanticum, qui licet vaſtiſſimus ſit, habet tamen ſuos limites, miſericordia Chriſti eſt mare ſine terminis. Solemus illã vocare fontem; ſed non putemus eſſe ex illis fontibus qui facillime poſſunt exhauriri. Fons miſericordiæ Chriſti à nulla mortalium malitia exhauriri poteſt. *Menſuram non ſuſcipit. Tua q. malitia menſuram habet.* licet enim peccata alicujus peccatoris plura eſſent, quam ſint arenæ in litore maris, tamen numerari poſſunt. licet ingens & immane pondus ſunt peccata hominum; tamen Filius Dei Chriſti D. omnia ſuper crucem efferre potuit, & ſubmergere in mari infinitæ ſuæ miſericordiæ. *Dei clementia & pietas* (pergit S. Chryſoſt.) *incircumſcripta eſt; ipſa igitur hanc malitiam ſuperat* & declarat hoc ſimili. *Co-*

§. 3. Clementia Dei non habet menſuram proinde major eſt, quam ſit malitia hominis.

li. *Cogita ſcintillam, ſi in mare ceciderit, num poterit ſtare & apparere? quantum ſcintilla ad mare ſe habet, tantum hominis malitia ad Dei clementiam & pietatem. Imo vero non tantum, ſed & longe ſupra, nam & pelagus tametſi magnum ſit, recipit menſuram, Dei vero clementia & pietas, menſuram non habet.*

§.4. *Miſericordia Dei eſt aurea, proinde non frangitur.* Hunc exceſſum miſericordiæ ad noſtram malitiam, SS. PP. aliqui exponunt, per verbum *frangere*, quod ſcilicet miſericordia Chriſti ſit tam ſolida & fortis, ut etiam à graviſſimis peccatoribus quaſi frangi non poſſit. fortior, durior eſt miſericordia Chriſti, quàm ſit cor alicujus peccatoris etiam duriſſimum. Modo huic loquendi puto cauſam dediſſe ſponſam, quæ in Canticis dum deſcribit pulcritudinem ſponſi variis modis utitur auro. *Cant.1.v.10.* ait enim c.1. ſe ſponſo velle facere, murenulas aureas. *cap.3.v.10.* c.3. dicit in ferculo ſponſi fuiſſe aureum reclinatorium, *cap.5.v.11.* cap.5. aurum optimum fuiſſe caput. v.14. manus ejus vocat aureas. denique de cruribus refert, fuiſſe columnas marmoreas, fundatas ſuper baſes aureas. Multa ſub hoc auro latent myſteria, præcipuum ad rem meam advertit Lucas Abbas ſuper Cant. *Quemadmodum auri materia, quo deduxeris ſua mollitie ſequitur, ita Majeſtatis inimmutabilis bonitas quantumcunque ab impiis deridetur, non frangitur.* Bonus Jeſus habet caput, pedes, manus ex auro optimo, præcipue dum hæ ſanctiſſ. manus ſimul factæ ſunt tornatiles, per diros clavos, qui illas affixerunt cruci. Quis me impediret, quo minus hodierna dominica die menſtruæ congregationis Chriſti in cruce agonizantis ſuper meos ſodales ſpargam lucidiſſimas ſtellulas, imo guttulas precioſi ſanguinis ſtillantis ex aureis illis fontibus infinitæ ejus miſericordiæ. Petemus hodie felicem mortem; nec ulla peccata hactenus commiſſa nos impedient, vel ſpem noſtram turbabunt, baſi aureæ ſacroſ. Crucis inſcriptam lego auream ſent. S. Chryſoſtomi, *Major eſt ejus clementia, quam ſit noſtra malitia.* Et hæc eſt prima circumſtantia ſi ex me quæratis, quid mihi videatur de Chriſto, reſpondeo, pius eſt, bonus eſt, miſerator & miſericors Dominus.

S. Au-

Digitized by Google

S. Auguſtino placuit hæc proprietas miſericordiæ, de qua ago. Chriſto D. licet ſimul juſtus & ſeverus ſit Judex, non tamen ſtatim condemnat, ſed eſt longanimis, differt ſententiam, expectat pœnitentiam. Momento quo homo tam eſt audax & temerarius ut Dei infinitam Majeſtatem offendat lethali peccato, meretur ſtatim deturbari ad inferos. Hoc exigit d. Juſtitia, hoc petit Veritas, hoc clamat peccati enormitas, ad executionem ſe offerunt diaboli; quod Judex non annuat, quod ſententiam differat, attribuendum eſt infinitæ ejus bonitati. In hoc pius eſt & bonus. Joannis 8. adducunt Phariſæi adulteram ad Chriſtum D. & quærunt num lapidanda ſit. ſic voluerunt illum capere in ſermone; ſi Chriſtus D. illam ſtatim abſolviſſet, dixiſſent non eſſe juſtum; adulterium ſecundum legem Moſis debere puniri. Si condemnaſſet, dixiſſent non eſſe miſericordem. Itaque mediam viam ingreſſus fuit Chriſtus Salvator, ut p. obſervavit S. Auguſt. tr. 33. *Dominus in reſpondendo & juſtitiam ſervaturus eſt, & à manſuetudine non receſſurus. Non dixit, non lapidetur, ne contra legem dicere videretur. Abſit autem ut diceret, lapidetur; Venit enim non perdere, ſed quærere, quod perierat; quid ergo reſpõdit? qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidẽ mittat. Hæc ſcilicet vox Juſtitiæ eſt, puniatur peccatrix; ſed non à peccatoribus. Audivimus vocem Juſtitiæ. audiamus & manſuetudinis. Nec ego inquit te condemnabo. Sed quid eſt Domine? faves ergo peccatis? non plane. Attende quod ſequitur, vade & amplius noli peccare.*

§. 5. Chriſtus D. pro infinita ſua miſericordia, non ſtatim condemnat peccatorem.

Ioan. 8. v. 10. 11.

Eadem adhuc hodie eſt bonitas Chriſti, erga peccatorem; Coram tribunali juſtiſſimi Judicis vox diaboli eſt, puniatur anima adultera; accuſatrix eſt propria conſcientia. peccata clamant in cœlum, vindictam. O filiam adulteram, ſi humilis ſe projiciat ad pedes Chriſti, ſi confugiat ad tribunal miſericordiæ, ſi ibi gemat, ploret, ſi doleat ſe ſummum bonum offendiſſe. O felicem, ſi ſe projiciat ad aureos & ſanguineos pedes crucifixi; licet Satan, licet malitia, licet Juſtitia clament vindictam; ſententia pii Iudicis eſt, ego te non condemno. ego qui propter te factus ſum homo, qui pro te tanta

§. 6. Profecutio.

Digitized by Google

paſſus ſum &c. cur te condemnarem. Vade, confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Quid vobis videtur audit. de hoc Chriſto? dicite cum Davide, bonus eſt, miſericors & miſerator. Dicite, Jeſus meus, miſericordia mea. dicite, miſericordia ejus ſuper omnia ejus. dicite, quoniam ſuavis, & in ſæculum miſericordia ejus.

§. 7. *Interim eundem vocat ad pœnitentiam.* *Apoc. 3. v. 20.* *Cant. 6. v. 12.*

Juſtus Orgelitanus hanc proprietatem, in hoc amplificat, quod non tantum non ſtatim ferat ſententiam & puniat, ſed quod ſemper, quotidie, ſæpe omnibus horis impium vocat ad pœnitentiam, & illi offerat ſuam miſericordiam juxta illud, *Ego ſto ad oſtium & pulſo*. Cum ſponſa in Cant. nonnihil ambulaſſet poſt hædos ſuos, cum ſe avertiſſet, & elongaret ſe à dilecto ſuo, mox ſtatim inſecutus illam ſponſus, & premens ejus veſtigia, ait, *Revertere, revertere Sulamitis, revertere, revertere ut intueamur te. Idcirco autem tam cerebro illi dicitur, revertere, ut etiamſi averſa deliquerit* (licet ſit facta adultera) *in deſperationum non decidat, ſed à peccandi conſuetudine, ſpei indulgentia reſipiſcat.* Tam bonus adhuc hodie eſt Chriſtus D. erga peccatores; quotidie, ſingulis horis inclamat, *revertere.* Si forte contingat impium conjicere ſuos oculos in ſuum Salvatorem alligatur columnæ; hoc clamat, hoc clamant flagella, hoc clamãt vulnera, hoc clamat & ejus ſanguis, *Revertere* (hoc modo poteſt fieri affectuoſa inductio, & etiam digreſſio ad ſodales agoniæ, & quinque Vulnera Chriſti Crucifixi.) De inſula Rhodo & civitate Syracuſana in Sicilia dicitur, nunquam ullo die per annum cœlum ira induci nubibus, ut non modico tempore luceat ſol. in illis locis ſol tam eſt calidus, ut quotidie ſuis radiis penetret nubes. Talis ſol eſt miſericordia Chriſti. Nullius peccatoris cor adeo eſt involutum nubibus, ut non frequenter illud irradiet radiis pulcerrimæ lucis, ut agnoſcat in quo ſit ſtatu, ut cogitet ſe velle reverti. Et ſi contingat aliquem converti, illico adeſt Chriſtus D. ut in amplexus ejus ruat.

§. 8. *Pœnitentem huma-*

Et hæc eſt quarta circumſtantia D. miſericordiæ; neque enim Pater filii prodigi à ſiliquis porcorum revertentem tanto amo-

Digitized by Google

to amore & affectu recepit, quanta caritate id facit Chriſtus D. ſi revertatur aliquis peccator. teſte S. Cypriano ſer. de cœna Domini. *Quæcunque neceſſitas cogat ad pœnitentiam: nec quantitas criminis, nec brevitas temporis, nec vitæ enormitas, nec horæ extremitas, ſi pura fuerit voluntatis mutatio, excludit à venia, ſed in ampliſſimos ſinus ſuos Mater Caritas revertentes ſuſcipit prodigos, & velit, nolit Novatus Hæreticus, ſemper verè pœnitentes ſuſcipit Chriſtus.* & prævenit, rogat, urget peccatores ut veniant.

niſſime ſuſcipit. Affectuoſa Hiſtoria.

Ann. 1370. Senis vixit quidam mercator, Andreas Naddini enormis peccator, præcipue blaſphemus. In periculoſo morbo à nullo Confeſſario moveri potuit ad confeſſionem, dicere fuit auſus, nihil ſibi cum Deo. Cum illud intellexit P. Thomas ex Ord. Prædic. Confeſſarius S. Catharinæ Sen. SS. hujus Virginis precibus miſerum hominem commendavit. Oravit S. Catharina ardentiſſime, ſed apparuit illi Chriſtus D. & plurimas cauſas attulit, ob quas damnandus ſit Naddini. Inter alia ait; *Filia, nunquid æquum eſt ut pereat cujus horrenda peccata ad me clamant in cælum, & iſte, qui ſi poſſet me perditum iret. Tacebo omnia, unum diſſimulare non poſſunt. Auſus fuit comburere imaginem meæ Matris, nunquid æquum eſt, ut hic ardeat in inferno.* S. Catharina tamen, non deſtitit orare, ſed ardẽtius, per vulnera, per ſang. Chriſti petiit hujus hominis converſionem; hoc motivo, fore, ut ex ejus converſione omnes agnoſcant, quam miſericors ſit Chriſtus D. erga graviſſimos peccatores. Hoc argumento Chriſtus D. adeo motus fuit, ut ipſe apparuerit ægro ut ſuavibus verbis perſuaſerit confeſſionem. Et quid vobis videtur de Chriſto, auditores? dicite bonus eſt &c. ut ſupra: præſertim cum ita revertentes ſuſcipit. ut peccata omnia facillime illis remittat unico actu perfectæ contritionis opus eſt & omnium obliviſcitur. Julius Cæſar cum inter literas Pompei reperit literas ſuorum proditorum, mox omnes injecit igni. hoc facit Chriſtus D. quid videtur?

§. 9.

Proinde etiam graviſſimis peccatori-

Ex hactenus dictis infero, nullum peccatorem, quisquis ſit, ſi converti velit, debere deſperare de miſericordia Chriſti D. S. Aug. tr. 3. in Joannem. *Nemo de peccati ſui dimiſſione deſperet, quan-*

ret, quan-

ret, quando & veniam meruerunt, qui Chriſtum crucifixerunt. ſer. 37. in Joannem. *Quis deſperet, ſi in cruce latro ſalvatus eſt.* in pſ. 58. *Ille negat Deum, qui peccata dimittere non credit, Davidem audite, Deus meus, miſericordia mea; non invenit impletus bonis Dei, quid appellaret Deum, niſi miſericordiam ſuam. O nomen ſub quo nemini deſperandum.* Suntne fortaſſis inter vos blaſphemi? pœnitentiam agite, & confidite, nolite deſperare. Dulciſſimum eſt nomen Jeſu; nomen ejus eſt miſericordia. Quid vobis videtur adulteri, adulteræ; quid videtur de Chriſto? quæſo, pœnitentiam agite, confidite. ſub illo, cujus nomen eſt Jeſus, ſive, miſericordia, nemini eſt deſperandum. De patre filii prodigi dixit S. Chryſologus; *ſic Pater judicat, ſic emendat, ſic peccanti filio dat oſcula, non flagella; rogo quis hic deſperationis locus? niſi forte timetur occurſus, terret oſculum, turbat amplexus; & capere ad vindictam, non recipere ad veniam Pater creditur, cum filium trahit manibus claudit gremio, ligat lacertis.* Ex his verbis fiat affectuoſus epilogus de Chriſto Domino &c.

CONCIO XLIX.

DOMINICA XX. POST SS. TRINITAT.

Ligatis manibus & pedibus projicite in tenebras exteriores.

Mat. 22. v. 13.

SYNOPSIS CONCIONIS.

CHriſtus D. ante octiduum erga Paralyticum, ſive peccatorem, tam pius & miſericors; in hodierno Evangelio agit partes ſeveri & juſti Judicis, qui impios æternis punit ignibus.

§. 1. *Im-*

§.1. *Impii magis ſunt ſolliciti, de malo præſenti, quam de futuro.*

§.2. *Vtiliſſimum eſt, cogitare futura.*

§.3. *Quænam præcipue cogitare oporteat ex hodierno Evangelio.*

§.4. *Ut ſalutaris timor nobis incutiatur: & viva fide apprehendamus hanc maximam: Iraſci tandem juſtum Iudicem, & punire impios, æternis ignibus.*

§.5. *Minæ de judicio & inferno, ſunt virga ferrea.*

§.6. *Exardeſcit tandem, & celeriter ira Chriſti Domini.*

§.7. *Experti id fuerunt Pharao & Aegyptii.*

§.8. *Impiorum ſupplicia nobis proponuntur, ut per illa reſipiſcamus.*

§.9. *Quid ſit præcipitari in infernum.*

§.10. *Quis ſit, qui impios æternis addicit ignibus.*

§.11. *Quam hoc futurum ſit terribile.*

§.12. *David, quam fuerit territus, cum vidit gladium angeli Domini.*

ITa multi peccatores ſunt conſtituti, ut valde caveant & horreant mala præſentia, de futuris verò parum cogitent. in hoc toti ſunt, ut peccata commiſſa modo lateant; olim illa eſſe manifeſtanda non curant. Cum fratres Joſephi, puerum innocentem vendidiſſent Aegyptiis, una illorum fuit cura, ut tale crimen, patrem lateret. ideo ait textus Gen. 37. *Tulerunt tunicam ejus, & in ſanguine hædi, quem occiderant, traxerunt, mittentes qui ferrent ad Patrem:* ut ita à ſe omnem ſuſpicionem patris averterent: de tempore futuro, quo coram tremendo judice omnia ſcelera manifeſtantur, & patefiunt, parum fuere ſolliciti. Ea enim eſt multorum impiorum ſtoliditas & inſania, ut præſentem v.g. confuſionem, & malum præſens abhorrentes, futurorum nullum habeant ſenſum. Ideo in præſenti D. Chryſoſtom. in juſtiſſimam erumpit querelam. *Quid decipitis vosmetipſos inſenſati? Nam licet patrem illum decipere poſſitis, non tamen falletis judicem illum, qui decipi nequit. Sed ita ſe habet humana natura, imo ita ſe habet multorum deſidia, ut humanum timorem, & præſentis vitæ confuſionem maximi faciat: mente autem non verſet, terribile illud tribu-*

§.1. *Impii, magis ſunt ſolliciti, de malo præſenti, quam de futuro.*

nal, & pœnam intolerabilem. O impii! cogitationes veſtræ, verba veſtra, manus veſtræ, veſtes veſtræ rubent, non cruore alicujus hædi vel hirci, ſed ſanguine agni immaculati; ſed ſanguine fratris veſtri innocentis, quem occidiſtis! Vos, vos pro modica voluptate, animas veſtras, Salvatorem veſtrũ, Deum veſtrum vendidiſtis & venditis infernali hoſti! contra vos clamant enormia ſcelera; & contenti eſtis, ut modo in hac vita lateant, ut coram mundo appareatis innocentes; ſed! cur mente non verſatis illud tribunal? illum judicem, quem non poteritis decipere! cur non cogitatis futurum intolerabilem pœnam; ligari manibus, pedibus! projici in tenebras exteriores; in ignem; in omnem æternitatem! cur non perpenditis, quid ſit æternum ardere in inferno. Hæc ſcilicet eſt corruptæ naturæ noſtræ ſtoliditas. Verum ideo Chriſtus D. Salvator noſter, in diverſis Evangeliis, hæc futura, ſive extrema hominis, mortem, judicium, infernum toties revocat in memoriam, ut illa frequenter memoremur, & ita non peccemus. Ante octiduum, ut meminiſſe poteſtis, egi de infinita Chriſti Salvatoris erga peccatores bonitate & miſericordia; Evangelium hodiernum præbet mihi occaſionem, agendi, de ejuſdem ira, rigore, & Juſtitia, qua impios infernalibus flammis, æternum punit.

§. 2. *Vtiliſſimum eſt cogitare futura. Dan. 2. v. 29.*

SS. Patres & Interpretes S. Script quærunt quomodo Nabuchodonoſor meruerit illam gratiam, quod Deus dignatus fuerit illi revelare multa myſteria futura, in mirabili illo ſomnio, quod narrat c. 2. Dan. Et hic idem Daniel quæſtioni reſpondit, dum ait ad Regem, cit. cap. *Tu Rex, cogitare cœpiſti in ſtratu tuo, quid eſſet futurum poſt hæc, & qui revelat myſteria, oſtendit tibi.* Scilicet, de mutatione Monarchiarum, de adventu regni cœleſtis, de futura potentia Meſſiæ; tum ſcilicet, ex quo ad futurorum cogitationem Rex mentem ſuam applicuit; Ideo, *Et tu* (ait Rich. de S. Vict. l. 1. de cred. inter. hom. p. 1. c. 19.) *Et tu cogita, & recogita, ſi vales, quantum futurorum cogitatio, apud Deum valeat, quæ futurorum revelatione divinitus remunerari ſoleat.* Et ſtatim recolens pſ. 76. fatur. *Audi hominem de futuris*

turis

turis ſollicitum, & ejusmodi cogitationibus vehementer occupatum. Nunquid in æternum projiciet Deus, & non apponet, ut complacitior ſit adhuc? aut in finem miſericordiam ſuam abſcindet? audi eundem de ejusmodi edoctum, miſerator & miſericors Dominus, longanimis & multum miſericors, non in perpetuum iraſcetur. Tum ſubdit: *Tu quoque, qui hæc audis, vel legis; velis, ſola inſtantia meditaris, quid mirum, ſi profundorum, ſi futurorum revelatione frauderis, in initio cõverſationis tuæ, quando ſola æterna, ſola ſpiritualia, & futura cogitaſti; quando ſola ſublimia ſuſpiraſti, quid mirum ſi ſecundum deſiderium tuum conſolari meruiſti.*

Varii hi modi loquendi, meo judicio, pulcerrime applicari poſſunt hod. Evang. Incipite quæſo cogitare, Audit. mei, quid futurum ſit poſt vos; citabimurne & nos aliquando ad tremendum Judicem; exigeturne etiam à nobis, ut ſatisfaciamus pro graviſſimis debitis? Quæſo de futuris eſtote ſolliciti; ejusmodi cogitationibus mentes veſtras occupate! miſer homo, ſine veſte nuptiali ejicitur ex loco cõvivii, quid eſt futurum? Nunquid Deus projiciet & nos? Rex iratus jubet, ut ligetur manibus & pedibus! nunquid idem accidit nobis? projicitur in tenebras exteriores! quid eſt futurũ, nunquid projiciemur & nos. Flet, plorat, ejulatur, tremit dentibus, fruſtra! cogitate, nunquid plorabimus & nos? in æternum; ſed ſi lubet aliqua puncta in conſideratione hodierni Evangelii potiſſimum ponderate; primum ſit, miſericors & miſerator eſt Dominus; ſed & Juſtus eſt. diu parcit, tandem punit. differt pœnas, vocat interim ad pœnitentiam, renuẽtes ſubito jubet præcipitari in ignes inferni. Piiſſimus Salvator tandem agit, partes juſtiſſimi & ſeveriſſimi Judicis.

§. 3. *Quænam præcipue cogitare oporteat ex hod. Evangelio.*

Proinde rigor irati Regis & Judicis, intolerabiles pœnæ, quibus miſerabilis ille conviva addictus eſt, terrorẽ nobis debent incutere, ut iratum Judicem timeamus. Pſ. 2. ait David, *fremuerunt gentes & populi meditati ſunt inania. Aſtiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unũ adverſus Dominum & adverſus Chriſtum* ejus. Sic impii in hoc mundo ſtant contra regem Chriſtum. Et quid Jeſus? *Tunc loquitur ad eos in ira ſua.* (Li-

§. 4. *Vt ſalutaris timor nobis incutiatur, & viva fide apprehendamus hanc maximam;*

gate illi manus; nunquid hoc eſt, loqui in ira &c. p. ex Evang.) *& in furore ſuo conturbabit eos. Dominus dixit ad me, filius meus es tu. dabo tibi gentes poſſeſſionem tuam, reges eos in virga ferrea.* Ecce tibi, cum loquitur in ira, cum furore monſtrato, vult terrere impios, & deturbare à malitia, quid loquatur, nimirum quod Rex ſit, & filius Dei, & virgam ferream ex Deo habeat. D. Hilarius ibi. *Conturbantur ergo frementes, & vana meditantes, cum Regem ſciunt, cum Filium Dei audiunt, cum regendi (& judicandi) jus in virga ferrea, ejus eſſe cognoſcunt.* S. Paulus nobis exponit quæ nam ſit illa virtus.

§. 5. *Minæ de judicio & inferno ſunt virga ferrea. 1. Cor. 4. v. 21.* Cum Corinthios acriter perſtringere vellet, ait ep. 1. c. 4. *Quod vultis? in virga veniam ad vos?* & quæ virga fuit S. Paulo, quam minatur? non alia, quam admonitio venturi judicis, quę inſignes impios terrere ſolet. D. Hilarius in pſ. 2. *Nunquid Paulo jus Prætorum erat, ut virga comminaretur? Non utiq̨, ita opinandum eſt, ſed quia omnis Dei ſermo, quo per comminationem terroremque judicii, ad innocentis vitæ viam regimur, virga eſt nuncupatus, per quam providentis rectoris monitu coercemur.* Quæſo aud. proponite vobis ob oculos miſerum illum hominē, qui in hod. Ev. ligatis manibus fuit projectus in tenebras exteriores; cogitate bene iram, furorem, rigorem talis Regis & judicis; aſpicite ejus virgam ferream, arcum, gladium, ſagittas, fulgur, tonitrua; his cogitationibus vos occupate, & erit facillimum, ut omnes inordinatos appetitus coerceatis. Hæ cogitatiōes facient nos ſollicitos, ut aliquando coram illo rege compareamus in veſte nuptiali gratiæ & caritatis.

§. 6. *Exardeſcit tandem, & celeriter, ira Chriſti Domini. Pſ. 2. v. 12.* Hoc gravibus verbis nobis ſuadet Regius pſaltes pſ. 2. *Apprehendite diſciplinam.* (ex hod. Ev. dicere poſſumus, eſtote ſolliciti de veſte nuptiali &c.) *ne quando iraſcatur Dom. & pereatis de via juſta, cum exarſerit in brevi ira ejus.* quæ verba ad meum ſenſū pulcerrime exponit Heſychius in cat. Lipp. ſuper pſalmos. *Futurum deſcribit, ut celeriter iraſcatur.* (miſer ille hoſpes in hod. Eu. fuit expertus; venit ut comederet, &c. ſed.) *hic quidem indignatur.* (Hic, eſt tempore gratiæ &c.) *non tamen celeriter, ſed animi utitur lenitate, mollemque ignem accendit; fortaſſe dū iram in ſe quivis pœnitentia lacrymis extinguat.* à longe nobis oſten-

Digitized by Google

oſtendit & minatur ferream virgam; cui inſcriptum eſt, mors, vel Judicium, vel infernus; ut celeriter ictum declinemus. Si differamus, forte ipſe celeriter, feſtinanter, dum minime putamus, dum epulamur, dum bibimus, in virga illa ferrea percutiet nos. Utinam hic mentibus veſtris, veluti molli ceræ, liquefactæ ad ignes inferni, imprimere poſſem aureum monitũ D. Leonis ep. 89. ad Theodor. *Oportet unumquemq; Chriſtianum conſcientiæ ſuæ habere judicium, nec converti ad Deum, de die in diẽ differat; nec ſatisfactionis ſuæ tempus in fine vitæ ſuæ conſtituat.* Quam *periculoſe ignorantia humana concludit, ut ad paucarũ horarum ſpatium, ſe reſervet in certum & cum poſſit pleniore ſatisfactione indulgentiam promereri, illius temporis anguſtias eligat, quo vix inveniat ſpatium, vel confeſſio pænitentis, vel reconciliatio ſacerdotis.* de hoſpite in nuptiis hod. Eu. ait textus, *Obmutuit* audivit terribilem ſententiam, cur non flevit, cur non procubuit in genua, obmutuit. ligatur obmuteſcit &c. fuerunt temporis anguſtiæ. Celeriter exarſit ira regis. Quæſo peccatores, non nimium fidite miſericordiæ veſtri Salvatoris & juſtus eſt, &c.

Impœnitentes tandem punit Deus S. Chryſ. lib. contra gent. *Poſteaquam Aegyptius ob nullum calamitatis genus concedere aut melior fieri voluit; illum tandem Deus una cum ſuo exercitu perdidit.* D. Ambr. in pſ. 36. *Nempe in mare rubrũ demerſus eſt populus Aegyptiorum; tranſivit autem populus Hebræorum. Moſes pertranſivit, præcipitatus eſt Pharao, quoniam gravia eum peccata merſerunt. Eo modo præcipitabuntur ſacrilegi in lacum ignis ardentis.* Exod 15. *Dominus quaſi vir pugnator; omnipotens nomen ejus, currus Pharaonis, & exercitum ejus projecit in mare; electi principes ejus ſubmerſi ſunt in mari rubro. Abyſſi operuerunt eos, deſcenderunt in profundum quaſi lapis.* Quod Amos impiis fuit minatus c. 4. *Audite verbum Domini vaccæ pingues, quæ eſtis in monte Samariæ, quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes, quæ dicitis, afferte & bibemus. Iuravit Dominus Deus in ſancto ſuo, quia ecce dies veniens ſuper vos, & levabunt vos in contis, & reliquias veſtras in ollis ferventibus.* Ruffinus, *tranſtulit ſimilitudinem à vaccis*, quarum carnes coquuntur in

§. 7. Experti id fuerunt Pharao, & Ægyptii.

Exod. 15. 3.

Digitized by Google

ferventibus ollis, in aqua bullienti ſuper prunas & ignem; ita aliquando impii concoquentur in æternis ignibus. pſ. 48 *Sicut oves in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos.* Poſteaquem impius melior fieri non vult; illum tandem Deus jubet projici in tenebras exteriores.

§. 8. *Impiorum ſupplicia nobis proponuntur, ut per illa reſipiſcamus.* Non putemus ſine cauſa ab Eccleſia quotannis oculis noſtris proponi infelicem illum hominē, qui ſine veſte nuptiali præcipitatus fuit in locum ſuppliciorum. Cap. 19. Geneſ. ait, *Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem de cælo, & ſubvertit civitates has, & omnē circa regionē.* Miror non

Gen. 19. v. 24. ſolos homines, ſed ipſas civitates fuiſſe combuſtas, quid ædis, quid palatia peccaverunt? quid horti? quid amœniſſimi campi qui in hodiernum uſque diem ab incendio cœleſti fumant? Reſp. D. Chryſ. l. contra gent. *Propterea locus Sodomæ plagā accepit, qui tempore prorogari poteſt, & qui ſubſequentia ſæcula admonet, lege cautū eſſe, ut qui ſimilia commiſerint peccata, ii ſimiles pœnas luant.* Ob hanc cauſam arbitror ego, toties ab ipſo Chriſto D. in Evangeliis depingi infernum, mentionemq; fieri ignis æterni; ideo puto in hod. Eu. proponi nobis miſerū hominem manibus & pedibus ligatū, præcipitatumq; in barathrum, ut ſubſequētia ſæcula, & nos, nos aud. admoneat, certū eſſe, illos, qui in veſte ſuperbiæ, vel invidiæ &c. ſine veſte nuptiali gratiæ in ſupremo agone corā æterno Judice comparebunt, ſimiles pœnas luituros. Quæ D. Chryſ. dixit, de divite Epulone, cui

Luc. 16. v. 25. vox de cœlo dixit, Luc. 16. *Tu autē cruciaris.* & qui de ſe ipſo ait *crucior in hac flamma.* dicam ego eadem de miſero homine, qui ligatur, ut projiciatur in tenebras; ait autem D. Chryſ. conc. 3. de Lazaro. *Gravia ſunt, quæ* utrique *dicuntur, plurimumq; nobis offundunt dolorē. Etenim ſi nobis* talia *dicerentur, revera plorandum eſſet, dolendum ac lugendum, quod nos pœnitentiæ tempus defeciſſet. Ceterum quoniam hic agentes illa audimus, ubi & reſipiſcere licet, & commiſſa diluere; deniq; multā conſcientiæ parare fiduciam, atq; ex alienis malis concepto timere, agamus gratiam bonitati divinæ, quæ per aliorum ſupplicium, noſtram expergefacit ſegnitiem.* (Applicentur hæc pulcre hod. Evang.) Sed quid eſt præcipitari in infernum.

De mi-

Digitized by Google

Demiſerabili hac præcipitatione ait c.18. Apoc. *Et ſuſtulit unus angelus fortis lapidẽ quaſi molarem magnum, & miſit in mare dicens: hoc impetu mittetur Babylon, civitas illa magna, & ultra nõ invenietur.* Hunc lapſum deplorat Jeremias Thren.3. *Lapſa eſt in lacum, vita mea, & poſuerunt lapidem ſuper me.* Metuit hunc lapſum David cum dixit pſ.68. *Non me demergat tempeſtas, neque abſorbeat me profundum, neque urgeat ſuper me puteus os ſuum.* Alii legunt. *Claudat.* Horruit ſcilicet piiſſimus Rex, clauſuram infernalis putei, in quem, qui ſemel demergitur, nullã in æternum habet ſpem liberationis. Quo ſpectans D. Aug. h.16. ex 50. ait: *Ideo autem dixit neque urgeat ſuper me puteus os ſuum: quia cum ſine pænitentiæ remedio infelices peccatores exceperit, claudetur ſurſum, aperietur deorſum, & dilatabitur in profundum. Nullũ ſpiramen, nullus liber anhelitus; clauſtris deſuper urgentibus, relinquetur. Detrudentur illuc, valedicentes rerũ naturæ, ultra neſcientur à Deo, qui Deum neſcire noluerunt, morituri vitæ, & morti ſine fine victuri.* Quid horribilius, hoc modo includi in æternum carceri omnium ſuppliciorum. Inſuper, ut D. Cypr. loquitur ad Demetrianum. *Cremabit addictos, ardens ſemper gehenna, & vivacibus flammis vorax pœna; nec erit, unde habere tormenta, vel requiem poſſint, vel finem.* De his eſtote ſolliciti &c. &c.

§ 9. *Quia ſit præcipitari in infernum.* *Apoc.18. v. 21.* *Thren. 3. v.53.* *pſ. 68. v. 16.*

Sed quis eſt ille Rex, qui in hod. Ev. tam eſt rigidus, ſeverus & immiſericors, ut ob defectũ alicujus veſtis, hominẽ debeat præcipitari in tartara? Ita quæro ad literam in ſumm. quis ille eſt, qui animã hominis, æterno adjudicabit ſupplicio? Quæſtionem hanc ponderavit D. Chryſ. cũ dixit h.5. in ep. ad Rom. *Pro dolor! undenã vos territare cogor? Nempe ab ipſius Dei, tum terrore, tum condemnatione. Qui enim tunc futuri ſumus, cum vincti frẽdentibus dentibus, in exteriores tenebras abducemur? ſeu potius quid facturi ſumus* (quod ipſum omnium terribiliſſimum eſt) *cum Deum* (cum Jeſ. Chriſt. Salv.) *offendemus illique occurremus. Nam ſi quis eſt, qui ſenſu ac mente præditus eſt, is certe gehennæ pœnam tolerare malit, quam adverſo Deo ſtare.* Stare! adverſa terribili Judicis facie, & ſcintillantibus oculis! hoc eſt, quod S. Paul. ait, *horrendum eſt incidere in manus Dei viventis*, ſtare, adverſis

§. 10. *Quu ſit, qui impius æternũ addicet ignibus.*

ſacroſ.

ſacroſ. ejus vulneribus. Stare! adverſo redemtoris ſang. Stare! adverſis angelis cuſtodibus & omnibus ſanctis. Stare! adverſa conſcientia? Quid inquã faciemus? h.e. quod S Paul. ait, *horrendum eſt, incidere in manus Dei viventis*. Miſer ille in hod. Eu.

Amos. 3. 8. obmutuit! ait Amos 3. *Leo rugit, quis non timebit*. Ruff. ſic legit. *Leo rugiit, i.e. Deo comminante* (Chriſto D. dicente ligatis manibus &c.) *& animadverſionem publicante, quis mortalium eſt, quẽ*

Joan. 13. v. 21. *non formido diſſolvat*. ait S. Joann. 13. *Cum hæc dixiſſet Ieſus, turbatus eſt ſpiritu, & proteſtatus eſt, & dixit, amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me*. Et cur mortalium fortiſſimus, filius Dei, leo ad voculam tradet, ſic fuit turbatus? cur timuit? cur expavit? Nimirum: cum voculam illam benedicto ore protulit memor fuit iræ & odii Dei, adverſus Judam, & ſimul atrocis ſupplicii, quod ipſi paratum erat. ſed ideo ſine timore, ſine pavore, illã proferre non potuit. D. Cyr. Alexandr. l. 9. c. 13. in Joann. *Veriſimile mihi videtur, non potuiſſe Chriſtum D. illam voculam quæ jã expreſſius ac manifeſtius ad diſcipulos proditionis odium efferebat; ita ſufferre, ut aliquantiſper non exhorruerit*. Quid nos faciemus, cum illam iram & illud odium, re ipſa experiemur? *ligatis manibus*! O vocem Domini amaram! projicite! O vocem terribi-

Soph. 1. 14. lem &c. *tribulabitur ibi fortis*. Sophoniæ c. 1. cum conſcientia, cum diabolus dicent, tu traditor es &c. p. Nemeſis v. dicet &c.

§. 11. *Quam hoc futurum ſit terribile.* Ait S. Joann. 18. *Vt ergo dixit eis Ieſus, ego ſum: abierunt retrorſum, & ceciderunt in terrã*: Ubi Rupert. *Cum agnus eſſet protinus immolandus, ſicut leo modicum irrugit, dũ dicendo ego ſum, tantam tamq; armatam turbam ad terram dejecit. Revelata illis fuit ira Dei*.

Joan. 18. v. 16. ah aud. unde vos territare cogor? in agone aliquando &c. ipſe ille optimus Jeſus, ille dicet, *Ego ſũ*, ipſe irrugiet; quid faciemus

Exod. 20. v. 18. Exod. 20. *Cunctus populus videbat voces, & lampades, & ſonitum buccinæ, montemq; fumantẽ, & perterriti, & pavore concuſſi, ſteterunt procul*. Quæ notans D. Ephrem, ſerm. de patient. & conſum. ſæc. ait: *Perpende frater, Iſraelitas in eremo, quomodo clangorem tubarum, cum vocem ipſius Dei, loquentis in medio ignis, perferre nequiverint. Non enim ferebant in veritate, quod peragebatur, tametſi neque cum ira loquebatur ad illos, ſed omni potius conſolatio-*

ſolatione certiores eos reddebat, eſſe cum illis Deum.... Quid obſecro, faciemus, quando in ira & furore obviabit nobis Dominus. Quid faciemus? ſi contingat nos puriſſimis ſtrictiſſimi Judicis oculis ſiſti, ſine veſte nuptiali? de his eſtote ſolliciti, his cogitationibus vos occupate &c.

Multis, & pleriſque differentibus pœnitentiam accidit, quod Davidi accidiſſe narrat I.1.Paral.c.21. cum ira Domini exarſiſſet in vindictam ſceleratorum, miſſus fuit Angelus, qui ſtricto gladio percuteret populum; & David elevans oculos, vidit angelū: *Et nō prævaluit David ire ad altare, ut ibi obſecraret Deum; nimio enim fuerat timore perterritus, vidēs gladiū Angeli Domini.* *§.12. David, quàm fuerit territus, cum vidit gladium Angeli Domini. 1.Paral.21. v.30.*

CONCIO L.

DOMINICA XXI. POST SS. TRINITAT.

Erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum.

Joan. cap. 4. v. 46.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Bonorum parentum eſt, ut I. cum magnâ cura & ſollicitudine conentur educare liberos ſuos ad omnem honeſtatem, quod latius explicat primum punctum hujus concionis, & quàm inde pendeat filiorum pietas. II. Punctum monet, curam illam oportere eſſe ſuavem & fortem.

§.1. *Naturale eſt, ut parentes optent & deſiderent filios diu vivere. Ideo Regulus venit ad Chriſtum Dominum.*

§ 2. *Propoſitio.*

§.3. *Filiorum in juventute vita ſancta, pendet à bona parentum educatione.*

§.4. *Filius prodigus extra oculos parentis ſtatim vixit luxurioſè.*

§.5. *Cuſtodia parentum, eſt veluti ſeps & murus circa vineam.*

§.6. *Cura Jacobi circa Joſephum, cùm audiret illum regnare in Ægypto.*

§.7. *Cura Mardochai circa Eſtherem.*

Digitized by Google

§.8. Filii extra curam parentum frequenter ſunt nequiſſimi.

§.9. Quantum valeat inſtitutio.

§ 10. Imbibunt liberi mores parentum.

§.11. Ex bona educatione filiorum, augurari poſſumus de futurâ illorum ſanctitate.

§.12. Educatio illa, ſive cura parentum, non debet eſſe nimis mollis, neque nimis rigida.

§.13. Declaratur id ſimili, in quo parentes conferuntur cum aurifabris.

§.14. Si parentes boni exemplo Iobi ſanctificant filios ſuos.

§.1. *Naturale eſt, ut parentes optēt & deſiderēt longævam filiorum vitam. Ideo Regulus venit ad Chriſtum.*

HUnc affectum, hoc deſiderium Natura ejusque auctor DEUS Opt. Max. plerumque parentibus indidit, ut velint filios ſuos diu vivere. *Spes longæva filiorum parentibus ſummo eſt gaudio.* Cum Gen.45. Jacob audivit vivere filium ſuum Joſeph, quem putabat dilaceratum à feris, lætus dixit, *Sufficit mihi, ſi adhuc Joſeph filius meus vivit.* Circa quæ Lipp. in Cat. quaſi dixerit -- *Abundè ſufficit mihi, pro longi mæroris mei conſolatione ex omnibus, quæ in hâc vitâ deinceps deſidero; gaudium majus non cupio, quàm ut filius meus Joſeph adhuc vivat, etſi alia omnia deſint --- etſi mihi brevi moriendum ſciam.* Non regnum Joſephi narratum, non regii honores, non immenſæ divitiæ, non tanta filii proſperitas ſenem impleverunt gaudio, ſed unica vita! hæc Echo, Joſeph vivit! recreavit aures ejus, & poſtquam in Ægyptum abiit, oculisque ſuis inſpexit, Joſephum vivere, lætus abiit ad patres ſuos. Cum jubente Davide Joab procederet ad prælium contra exercitum rebellis Abſolonis,
2.Reg.18.5. piiſſimus Pater, ſerio in mandatis illi dedit, *Servate mihi puerum Abſolonem*, 2.Reg.18. O affectum Patris! rebellem filium non vult mori, ſed vivere! *Servate mihi*, q.d. Ite mei milites, veſtra ſint omnia ſpolia; reliquos trucidate ut vultis; ſed mihi afferatur lætus nuntius, poſt adeptam victoriam, quod filius meus vivat. Ob infauſtum nuntium de infelici morte Abſolonis, quot lacrymas fudit? fuit inconſolabilis. Hoc experientia quotidiana docet; etiam immorigeros filios, parentes volunt vivere; ſic
Luc.15.24. Lucæ 15. pius pater, prodigum filium, diſſipatorem ſubſtantiæ, revertentem, nudum, ſqualidum, excepit cum gaudio, & convi-

vio,

vio, dicens; *Epulari & gaudere oportet, quia frater hic tuus mortuus erat & revixit.* D. Chryſol. ſer. 4. *In filio eſt ſubſtantia patris tota: & ideo nihil pater perdidit, filium cum recepit.*

Ex his cauſam advertere poſſumus cur in hodierno Evangelio Regulus cùm tantâ humilitate venerit ad Chriſtum; cur ruerit in genua; infirmabatur filius, & deſideravit illum vivere. Super hodiernum Evangelium SS. Patres in ſuis homiliis, S. Scripturæ Interpretes in ſuis diſcurſibus, Concionatores in concionibus agere ſolent de illâ curâ & ſolicitudine, quam boni parentes habere ſolent de vitâ filiorum ſpirituali, ſive de honeſtâ educatione. Ego in primo puncto oſtendam, illam planè eſſe neceſſariam. In alterâ parte monebo, illam debere eſſe ſuavem & fortem. Cum ſuis electis veluti filiis ipſe Deus ita agere ſolet ſuaviter & fortiter; ſi ita parentes tractent ſuos liberos, errare non poterunt. *§. 2. Propoſitio.*

Deſidero imprimis, ut boni parentes, vigilantiſſimas agant excubias circa proles; an timeant DEUM, an illi ſerviant, an ament virtutes; à parentum cura & ſollicitudine pendet vita ſancta filiorum, præſertim in pueritia, adoleſcentia & juventute. Cum S. Ambroſius lib. 3. de virginitate oſtendiſſet, fieri poſſe, ut etiam in juvenculis ſpectetur maturitas verecundiæ, morum ſenecta, pudicitia, animus caſtus &c. ſubdit, *Tamen . . . ſi matris tuta cuſtodia, præſto fuerit*, q. d. O parentes; filii veſtri amabunt caſtitatem, filiæ veſtræ erunt verecundæ &c. *Si tuta veſtra cuſtodia, præſto fuerit.* In conſpectu & ſub oculis bonorum parentum, plerumque filii probi ſunt. Invictiſſimi illi heroes Machabæi, ſeptem fratres, quid non potuerunt tormenta, licet torquerentur (vide l. 2. Mach. c. 7. varia tormenta) non tamen voluerunt transgredi legem. Sed de matre ait cit. caput v. 20. *Supra modum autem mater mirabilis, & bonorum memoriâ digna ſeptem filios conſpiciens in tormentis, bono animo ferebat, propter ſpem quam in Deum habebat: ſingulos illorum hortabatur fortiter: & dixit ad eos, fœmineæ cogitationi maſculinum animum inferens* &c. (vide ibi inſignem apoſtrophen ad Juniorem natum.) Cum verò negliguntur, cum hoc frænum excutiunt, ut non *§. 3. Filiorum in juventute vita ſancta, pendet à bonâ parentũ educatione. 2. Mach. 7. v. 20.*

timeant parentes, in omnia ruit ſcelera præceps juventus.

§. 4. *Filius prodigus extra oculos parentis, ſtatim vixit luxurioſè. Luc. 15. 13.*

Id apud S. Lucam cap. 15. expertus fuit filius quidam, qui accepit ſubſtantiam ſuam à patre ſuo, & cum illâ à patre ſe ſeparavit. Quid tunc? ait textus. *Peregre profectus eſt in regionem longinquam, & ibi diſſipavit ſubſtantiam vivendo luxurioſe!* Pecunia, forma, florida juventus; equi, famuli, ſine patre, ſine tutâ cuſtodia matris fuerunt illi in perditionem. Ideo pulchrè S. Chryſologus ſer. 1. *Ecce, quemadmodum ſine patre cenſus nudavit filium, non ditavit: cenſus filium tulit è gremio patris, ejecit de domo, exuit caſtitate, junxit porcis, à patre piiſſimo quem ſejunxit.* Et ſer. 2. *Ecce poteſtatis ſuæ filius quò devenit voluptas luxuriæ, adoleſcentiæ libertas, ecce filium, quò promovit.* Tum ſubdit aureum monitum. *His edocti, maneamus in domo patris; matris in gremio perduremus, cognatorum conſtringamur amplexibus, viſcera nos paterna conſtringant; ſepiat nos paterna reverentia, cognatorum cuſtodiamur affectibus. Inter propinquorum limina* (ſub oculis piorum parentum) *non valent delicta verſari* &c. Prout negligentia & vecordia malorum parentum filios ſolet perdere; ita eorundem illos diligens ſervat cura: Filius, qui præ oculis ſemper habet Patrem oſorem vitiorum, amatorem virtutum, filius qui nullas parentis audit blaſphemias, non facile blaſphemabit &c. ob ejus continua monita & exempla, libenter odit malum, & amplectitur bonum. Tamen, ſi tuta parentum cuſtodia præſto fuerit.

§. 5. *Cuſtodia parentum eſt veluti ſeps & murus, circa vineam. Matt. 21. 33.*

Verba illa S. Chryſologi, paulo ante citata, filios *ſepiat paterna reverentia*, in memoriam mihi revocant caput 21. S. Matth. ubi dicitur? *Homo erat Paterfamilias, qui plantavit vineam, & ſepem circumdedit ei*, ad literam, vinea electa, plantata à DEO, fuit populus Iſraëliticus; cui pro ſepe & muro fuit continua memoria Patrum ſuorum, & avorum, & proavorum, quâ per multos annos gloriati fuerunt, dicentes: *Nos patrem habemus Abraham, nos filii ſumus Abraham.* Hic frequens reſpectus ad tantum Patrem illis ſtimulus fuit ad obſervationem legis Moſaicæ. Ita S. Hilarius in Matth. canone 22. *Patremfami-*

familias, Deum intelligimus, qui populum Iſrael in proventu optimorum fructuum plantavit, quique eos ſanctificatione paterni nominis, id eſt, nobilitate Abrahæ, Iſaac & Jacob, intra fines ſuos, tanquam ſepto aliquo cuſtodiæ peculiaris incluſerit. Sanctus Hilarius, & ſeptum, & murum peculiaris cuſtodiæ in eo conſtituit, quod ab eorum oculis non receſſerint, ex memoria non exciderint ſanctiſſimi illi Patres, à quibus erant ſati. In præſenti meo diſcurſu, ego per vineam intelligo quamvis familiam, cujus Domini ſunt Pater & Mater; per vites, præſertim tenellas, ſed quæ magnos promittunt fructus, intelligo, filios & filias. O Parentes! non deſunt vulpes, quæ has vites ſuffodere cupiunt; præſertim illæ, quas ſponſus vocat vulpeculas parvulas. Pueri, adoleſcentes, puellæ plenæ dolis & aſtutiâ &c. non deſunt porci, quibus volupe eſt, tales plantulas ſpurcis pedibus proterere & conculcare; non deſunt rapaces volucres, qui bonis fructibus, & dulcibus botris inſidiantur; imo diabolus eſt leo rugiens, qui circuit, quærens aditum in hanc vineam. Proinde eſtote ſolliciti, ut ſepem circumdetis ei; bonorum parentum officium eſt, ut ſepto aliquo, *cuſtodiæ peculiaris*, ſuos filios includant; cum adoleſcentes & Virgines quotidie præ oculis habent parentes ſanctos; hic reſpectus, hæc reverentia, hæc memoria, murus eſt, intra quem amœnæ vites, contra tam varios hoſtes, tutæ ſunt, & optimos proferunt fructus pulcherrimarum virtutum.

Dictum fuerat Jacobo Gen. 45. ut ante dixi, quod viveret Joſeph, dilectiſſimus filius, & regnaret in Ægypto nec credebat, usque dum vidit plauſtra ab illo miſſa, & revixit ſpiritus ejus ſtatimque prorupit in hæc verba; *Sufficit mihi, ſi adhuc Joſeph filius meus vivit, vadam & videbo illum.* Cur bonus ſenex ſic feſtinavit ad Joſeph? in regionem longè diſſitam? in ſenio? Reſpondet Philo. *Sciebat honores, divitiasque inſidiari parum cautis mentibus; ideo metuebat filio, quod ſolus, ſemotus à paternâ familia videbatur indigere caſtigatore, qui ad virtutem revocans non ſineret corrumpi eum tot proſperitatibus,*

§. 6. *Cura Iacobi circa Ioſephum, cũ audivit illum regnare in Ægypto.* *Gen. 45. 28.*

tibus, verbo, metuit ſollicitus pater, ne Joſeph filius extra patris conſpectum ſeduceretur in aula Pharaonis. Non occurrunt mihi verba, quibus elegantius vobis depingam parentes bonos & malos. Boni ſciunt ſocios malos inſidiari incautæ juventuti; ideo metuunt, ne ſoli, ſemoti, extra oculos parentum liberè cum ſeductoribus agant; non ſinunt ſuis filiis præberi occaſiones ruendi in malum. Laudo hos parentes in hoc puncto rigidos. Mali parentes è contra, ſæpè gaudent venire tales ſocios, amant inſidiatores; Pater filio, mater filiæ permittunt omnem licentiam exeundi, viſitandi &c. admittunt in ædes quosvis, quasvis; ſæpe nequam vetulas, diaboli legatas & nuntias &c. dies noctesq; patent ædes, ſine clauſurâ, ſine ſepto, ſine muro: & miramur tenellas vites converti in ſpinas?

§. 7. *Cura Mardochai circa Eſtherem. Eſth. 2. 20.*

Mardochæus permiſerat filiam ſuam adoptivam, (ut aliqui interpretes loquuntur) Eſtherem duci in aulam Aſſueri, ad regium thalamum, ſed non ideo receſſit ab ejus cura; ait enim textus Eſtheris c. 2. *Mardochæus manebat ad januam Regis.* Sic bonus pater excubavit pro filia, manſitque in oculis ejus, ut patris aſpectu excitaretur ad virtutem. Hoc faciunt boni parentes; ſi ſubinde permittant viſitari filios & filias, manent ad januam, ut videant, ut audiant, an forte Deus offendatur; & hæc præſentia juventuti frænum eſt, quod multa caveantur peccata. Sin vero contingat, id quod dicitur de Suſannæ marito Joachimo Dan. 13. *Ad ipſum confluebant Judæi* (applica) & parentes non vigilent, ut permittant claudi januas &c. Si mater ſedeat in alio conclavi &c. quàm facile eſt, ut juventus ſeducatur?

§. 8. *Filii, extra curam parentum, plerumq; ſunt peſſimi. Judic. 19. 22*

Judicum caput 19. dum perditiſſimis Benjamitis grave objicit ſcelus, ait de illis; *Venerunt viri civitatis illius, filii Belial, id eſt, absque jugo*, &c. quibus verbis eorum parentes mordentur, quorũ negligentia factum eſt, quod filii ſine jugo eſſent; quando enim parentis aut magiſtri diſciplina adeſt, facile filii admittunt jugum. Arias Montanus ibi. *Tantam morum corruptelam parentum negligentiæ ac improbitati adſcribendam eſſe, indicat nomen illud, Filii Belial, absque jugo. Ad culpam enim pertinet parentum, qui cùm & ipſi improbiſſimi fuerint, non ſolùm indulgentiam, ſed & li-*

& licentiam pueris, & adoleſcentibus filiis, laxasque in omnem nequitiam habenas permiſerint. Niſi hodie, prô dolor, eſſent tales parentes, non cerneremus tanta ſcelera inter adoleſcentes; tantam impudentiam inter filias, (poteſt fieri acris invectiva, accommoda ad locum, in quo, dices, v.g. An non filii Belial illi, qui NN. Parentibus &c.)

Cum D. Ambroſ. lib. 2. de Cain. cap. 1. dixiſſet, de urſis, leonibus, elephantibus, aliisque beſtiis --- *Quæ tamen cum à rectore gubernantur, facile manſueſcunt, & imperata exequi, & ad vocem Magiſtri accelerare gradum, aut ſiſtere, aut deflectere, aut aliqua munia ſui operis, quæ jubentur, humano quodam famulatu obedire conſueverunt,* ſubdit: *Tantum valet inſtitutio, ut naturam vincat.* Unde quæſo evenire putamus, floridiſſimos adoleſcentes odiſſe vitia, amare virtutes? cur ita deditì ſunt devotioni &c. tantùm valet inſtitutio bonorum parentum! Cur alii ſunt hirci? cur blaſphemi? &c. deeſt inſtitutio alicujus magiſtri. Sunt filii Belial absque jugo. §. 9. *Quantum valeat inſtitutio.*

Cum ſacra Scriptura extollit invincibilem Suſannæ virtutem & caſtimoniam; ejus erga altiſſimum timorem, ejus firmiſſimum propoſitum, mori potius, quàm peccare in conſpectu DEI ſui, ſimul notat, unde imbiberit tam heroicas virtutes, quippe dicit: *Parentes enim illius cum eſſent juſti, erudierunt filiam ſuam ſecundum legem Moyſis.* Parentum ſcilicet eſt, filios filiasque educare, moresq; eorum informare à primis unguiculis, ſub ipſis incunabulis: Tantùm valet inſtitutio. Præſtantem ſuæ pueritiæ & adoleſcentiæ efformationem ſapientiſſimus Salomon defert, & patri, & matri, ait enim, *Ego fui filius Patris mei tenellus,* quibus oſtendit, quod ſe patri exhibuerit, veluti mollem ceram, ut ab illo facile poſſit efformari, cujus mores, ſcilicet ſancti Davidis æmulatus ſanctiſſimè adoleſcentiam peregit; Salomon fuit filius Davidis. Et poſt hæc accedit ad matrem ajens, *Et unigenitus coram matre mea, edocebat me,* cujus quoque doctrinâ, piiſſimæ Berſabee, & monitis, & exemplis, ad omnem virtutem in adoleſcentiâ ſuâ Salomon fuit efformatus, ad annum vigeſimum primum; toto illo tempore, ſub curâ & oculis parentum §. 10. *Imbibunt liberi mores parentum.* Dan. 13, 3. Prov. 4. 3.

tum

tum Salomon fuit piiſſimus adoleſcens. Elevatus ad thronum, factus Rex, ſuæ poteſtatis, ſine reverentiâ & timore erga piiſſimos parentes, præceps ruit in graviſſima & regia ſcelera. Tantum valet, tantum poteſt pia educatio! Cùm Amalesiuntha Regina valde eſſet ſollicita in educatione regii filii, dixit Caſſiodorus 11. var. 1. *O ſaculi beata fortuna! ſub principe feriato, matris regnat affectio --- Gaudeamus nos, quoniam nulla erit acceſſu temporis difficilis clementia noſtro Principe, qui in annis puerilibus* (ſub educatione ſollicitæ matris) *didicit ſervire pietati.* O ſi hodie cum Caſſiodoro exclamare poſſem, ô beata ſæculi noſtri fortuna! ô felicem ſtatum Bambergenſis urbis; non deſunt patrum tenelli filii, & filiæ, & unigeniti matrum; qui piis parentibus ſe præbent veluti mollem ceram, ut illi imprimantur imagines pulcherrimarum virtutum, præſertim pietatis & timoris Domini, quæ in adoleſcentiâ ſunt radices optimorum morum; Gaude Bamberga! poſt decem annos videbis cives verè Catholicos; in annis puerilibus hanc fidem à parentibus didicerunt, dicere poterunt cum Tobia juniore Tob. 8. *Filii Sanctorum ſumus, & non poſſumus ita conjungi, ſicut gentes quæ ignorant DEUM.* Hoc modo fieri poterit pulchra inductio, & ſubdi alia à contrario, v.g. O miſeram conditionem noſtri ſæculi! O Bamberga, ſic eſt, non deſunt tenelli, molles inſtar ceræ, ſed heu quæ imprimuntur imagines! Dole, ingemiſce poſt decem annos videbis cives blaſphemos, imprecatores &c. has cantilenas in puerilibus annis didicerunt à parentibus &c.

§. 11. *Ex bona educatione filiorum augurari poſſumus de futurâ illorum ſanctitate ſive quia filii imbibunt mores parentum.*

Eleganter ait Theodoricus Rex apud Caſſiodorum 2. var. 15. *Providentiæ noſtræ ratio eſt, in tenerâ ætate, merita futura tractare, & ex parentum virtutibus prolis judicare ſucceſſus; quia bona certa ſunt, quæ fidem ab initio trahunt, dum origo neſcit deficere, quæ conſuevit radicitus pullulare.* Advertite pulchrum ſimile, *Fertur etiam curſu perenni fontium vena vitalis; & hanc conditionem ſuſtinent cuncta manantia, ut ſapor qui conceſſus eſt origini, niſi per accidentia forte fuerit vitiatus, neſciat rivulis abnegari; hinc eſt, quod te magnifici patris meis æſtimatum honore provehimus. Ut qui es clarus ſtemmate, ſplendens dignitate. Quis enim*

vita,

vitæ, quamvis futura, tamen certa non teneat, dum glorioſi patres recolas officioſos labores. Ex hoc diſcurſu ſapientiſſimi Regis, videor mihi ſtatum Matrimonii comparare poſſe cum amœno horto; idem fecit S. Chryſoſt. dum filios vocavit *flores matrimonii*; ex mente Theodorici Regis, ſunt pulcherrimi rivuli; fontes ſunt parentes? num ſcire deſideratis, quis ſit ſapor horum rivulorum? quæ ſuavitas, quæ puritas? quæ pietas? quis amor virtutum. Accedite originem, guſtate quinam illius ſit ſapor; ſive advertite, quænam ſit ſuavitas morum in parentibus? quæ manſuetudo, quæ pietas? hanc conditionem tenet fluens vita filiorum; hanc conditionem tenent pueritia & adoleſcentia; ut ſapor, qui conceſſus eſt origini, neſciat rivulis abnegari. Verum unde in illis frequenter apparent tot ſordes? cur ita ſunt turbati? cur fluunt felle? unde in filiis adoleſcentibus tam gravia ſcelera? Originem accedite; illa radicitus pullulat ſordibus; illa radicitus eſt immunda; rivuli quomodo poterunt eſſe mundi. Hæ maximæ Theodorici ſunt certiſſimæ 1. Ex parentum virtutibus prolis judicare poſſumus ſucceſſus. Idem de vitiis dici debet. 2. Adoleſcentum virtutes, quæ radicitus pullulant, quæ à parentibus in teneris annis imbibuntur, non facile deficiunt. Idem dicendum de vitiis, non facile deficiunt. 3. Ex patris, ex matris, vel virtutibus vel vitiis, æſtimare poſſumus, virtutes vel vitia filiorum.

Progredior ad alterum punctum meæ concionis, in quo breviter moneo bonos parentes, ut advertant illam curam & ſollicitudinem educandi proles, non debere eſſe nimis mollem, neque nimis rigidam; in hâc materiâ vel maximè requiritur & locum habet aurea mediocritas. Errant illi parentes, qui filios amant nimis delicatè & ſenſualiter; errant quoque qui verbis & factis nimium erga illos ſunt ſeveri. Cant. 8. dixit ſponſa, *Ego murus, & ubera mea ſicut turris*, quis unquam audivit tale, quod ubera alicujus matris ſint fortiſſimæ turres, ſive munitiſſimus murus; ex meo diſcurſu, quo initio concionis oſtendi ex SS. Patribus excubias & vigilias bonorum parentum de ſuis filiis comparari muro, facile concedent, ſponſam voluiſſe

§. 12. Educatio liberorum, nō debet eſſe nimis mollis neque nimis rigida.

Cant. 8. 10.

dicere, requiri à parentibus, ut cum neceſſitas id exigit, erga liberos ſint duri, rigidi & fortes; non omnia filiis debent permitti; non ſemper debent lactari lacte, ſed ſubinde paſſi duro pane; boni parentes, non obliviſcantur virgæ, ut quos amant caſtigent. Sine virgâ, ſine fręno juventus pręceps abit in ſcelera, poſtquam pater Evangelicus filii ceſſit precibus, deditque illi ſubſtantiam ſuam, abiit, & vixit luxurioſe. Bonus pater debuiſſet eſſe murus durus, ne filius nimis conſcenderet. Verum ex altera parte, parentes debent habere ubera, ut filiis porrigant lac. Amor parentum debet eſſe ſuavis & melleus, ut *parvulos qui in Chriſto ſunt* (ſic loquitur Juſtus Org. ibi,) *nutriant, donec ad perfectionis cibum perveniant.* Verba lactea, ſuavia, dulcia, benevola, frequenter in educatione filiorum ad pietatem plus valent, quam virga & baculus.

§. 13. *Declaratur id ſimili, in quo parentes conferũtur cum aurifabris.* *2. Paral. 2. v. 13.*

Pulcherrimum myſterium latet in verbis Regis Tyri, quæ ſcripſit ad Salomonem 2 Paral. 2. *Miſi ergo tibi virum prudentẽ, & ſcientiſſimum, Hiram patrem meum, --- qui novit operari in auro.* Miror, cur ſapientiſſimus Rex artificem, non dubitet vocare patrem ſuum; & quando aurifaber fuit genitor alicujus Regis: myſterium declarat Interlinearis, quæ ait; *Patrem ſuum vocat, quia de terra Iſrael peregrè profectus docuit eum timorem Domini, & cognitionem veritatis.* Et ita loco parentis naturalis, illum agnoſcit patrem, à quo religionem & cultum veri Dei didicit. Et quemadmodum peritus aurifaber novit operari & elaborare artificioſa vaſa, ita inquit S. Ambr. in Pſal. 4. *Ipſe eſt bonus pater, qui poteſt docere, & formare -- in filiis -- Dominum Jeſum.* Ex quibus confirmo utrumq; punctum hujus concionis. 1. Aurifaber, dum ex auro & gemmis operatur elegans vas, id facit cum ingenti curâ & ſolicitudine, quã primo puncto exigi à bonis parẽtibus. 2. Aurifaber cum tali vaſculo agit fortiter & ſuaviter; ſuaviter cum aurum fluidum eſt, & libenter cedit; durius, ſive grandioribus utitur malleis & limis, cum metallum reſiſtit. Scit quando utendum ſit aquâ, & quando igne ſit opus: talis debet eſſe educatio filiorum. O Bambergâ! utinam haberes multos tales aurifabros, ſive bonos parentes, ut in filiis forment Dominum JESUM.

Ut

Digitized by Google

Ut exemplo ſancti Jobi, prima illorum cura ſit ne in ſe ſolis ſanctitas & religio floreat, ſed ut à ſe tranſeat ad filios; ideo, Jobi c. 1. cum irent filii ejus, ut comederent & biberent &c. *Mittebat ad eos Job, & ſanctificabat illos:* quem modum loquendi eleganter explicat D. Baſilius in Cat. græca. *Quando igitur* (ô parentes) *filios vitæ conſortes accepiſtis, honeſtis diſciplinis atque exemplis erudite, &c. cujuſmodi in rebus ad Deum pertinentibus eos eſſe oporteat, docete. Hæ ſunt namque divitiæ, multis pecuniis præſtabiliores: hæc præclara hæreditas à patre liberis tranſmiſſa. Hæc liberorum educandorum ratio Jobo inſtituta erat. Hinc filiorum dignitate erat inſignis. Multos enim fratres exiſtere, & cunctos virtute & genere nobiles, hæc verò non obſcura laus eſt eorum, à quibus nutriuntur.* Ex his fiat pulcher Epilogus. §. 13. *Parentes boni exemplo Jobi ſanctificant ſuos filios. Job. 1. v. 5.*

Sed ſunt filii ſubinde nimis immorigeri & rebelles, absque fræno! nihilominus moneo, ut ſint memores Patris Evangelici Luc. 15. *Vidit pater filium ſuum à longè, & miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum ejus, & oſculatus eſt eum &c.* Et cur pater tam benignè agit cum tali filio? prodigo! &c. qui ipſe ait, *Pater peccavi*, virgas, baculos, catenas rigidus aliquis Pater juſſiſſet afferri! ſed pulchrè ait D. Chryſologus ſer. 2. *Pater viſo filio cooperit mox reatum, diſſimulat Judicem, qui magis vult implere genitorem; & ſententiam citò vertit in veniam, qui redire cupit filium, non perire.* Pater fuit, non tyrannus, qualis fuit Herodes, qui ſine teſte, ſine judice &c. filios ſuos condemnavit ad mortem juſſitque jugulari. (Eſt locus pro acri invectiva in duros parentes &c.) Sed tempus eſt ut finiam & rogo & ſerio moneo parentes, ne nimium molles & rigidi ſint in ſuos filios, ſed in omnibus utantur moderatione, ſciant quid ſit in iis caſtigandum vel connivendum, & ante omnia videant ne malo iis præeant exemplo & magis illis viam ad ſcelera & flagitia, quam ad virtutem patefaciant, ſi in hoc fuerint fideles, ſe ut arbores, & filios ut plantulas à ſe propullulatas & virtutum ferentes fructus cœleſti paradiſo inſerent. §. 14. *Benigni patris eſt diſſimulare filii crimina. Luc. 15. 20.*

Digitized by Google

CONCIO LI.

DOMINICA XXII. POST SS. TRINITAT.

Miſertus autem Dominus ſervi illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei.

Matth. 18. v. 27.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QVi in hodierno Evangelio libenter dimittit debitum, Rex eſt: qui id facere recuſat, ſervus eſt; proinde regium & cœleſte eſt, culpas dimittere; ſervile & terrenum eſt, vindicare. Hoc oſtendit præſens concio.

§. 1. Diabolus eſt tyrannus; Chriſtus Dominus Rex mitiſſimus.

§. 2. Mites & benigni, etiam erga hoſtes, ſummam merentur laudem.

§. 3. Chriſtus Dominus quàm fuerit mitis, erga Iudam proditorem, & quare.

§. 4 Dilectio inimicorum eſt diadema caritatis.

§. 5. Dilectio inimicorum coronat nos roſis.

§. 6. Qui inimicum diligit, aſcendit regium thronum.

§. 7. Cur in hodierno Evangelio Rex fuerit tam mitis, ſervus tam crudelis.

§. 8. Digreſſio ad Auditores, ſive, invectiva in illos, qui nolunt ignoſcere.

§. 9. Dilectio inimicorum eſt regia veſtis, radians inſtar ſolis.

§. 10. Alia digreſſio ad Auditores.

§. 11 Culpas dimittere cæleſte eſt, vindicare terrenum.

§. 12. Lucta, ſive Agon, inter dilectionẽ, & appetitũ vindictæ.

§. 13. Quomodo in tali luctâ debeamꝰ vincere, docet nos mitis David l. 2. Reg. c. 19.

§. 14. Dilectio inimici exigit, ut abſtineamus à verbis contumelioſis.

§. 15. Cur divitem ſepultum in inferno, Abraham vocaverit filium.

Quæ

Digitized by Google

QVæ differentia olim fuit inter regnum Davidis, & Salomonis, eadem hodiernâ die reperitur in ſenſu myſtico ex unâ parte inter regnum Chriſti, ex alterâ diaboli, Principis tenebrarum. Regnum Davidis conſtitit multis præliis, ſeditionibus, rebellionibus, ſtrage multorum militum, effuſione plurimâ copioſi ſanguinis. Regnum Salomonis floruit altiſſimâ pace. Salomon fuit Rex amabilis, ſuavis, totus pacificus. Abſit ut ego maledictum principem tenebrarum, Luciferum comparem cum ſanctiſſimo Davide; hoc tantum inſinuo, in ejus imperio, non in Babylonia reperiri niſi odia, rixas, diſcordias, turbas, rebelliones, ſtrages animarum, bella, cruenta bella. Ferox, ſævus, terribilis tyrannus eſt Lucifer. Vivat JESUS! imperet Rex noſter Salomon. Rex mitis, ſuavis, cujus in pace & amore, & quiete maximè ſplendet principatus; de quo Imperf. hom. 37. in Matth. pulchrè dixit, *qui magnam gratiam pacis & concordiæ mundo univerſo, quaſi in teſtamento reliquit.* Qualis ipſe fuit Rex, pacificus, mitis, clemens, tales vult eſſe ſuos ſubditos, erga Regem & inter ſe. Proinde cum in hunc mundum venit, cum regiam Jeroſolymam ante paſſionem fuit ingreſſus; *non venit in curru aureo &c.* inquit cit. auctor, *neque aſcendit ſuper fervidum equum diſcordiæ amatorem, & litis, qui de longè oderat bellum, & gaudet ad vocem tubæ, & cum viderit ſanguineam pugnam, dicit in corde ſuo bene eſt factum.* Hos equos aſcendunt filii Luciferi cum erga ſuos inimicos non ſpirant niſi minas, dum aliud non quærunt, niſi ſanguineam vindictam, cum cordi eorum eſt bene, dum audiunt hoſti eſſe malè. Sic vivunt impii in regno Luciferi. Salomon noſter JESUS *ſedet ſuper aſinam tranquillitatis, & pacis amicam.* Manſuetiſſimi hujus Regis ſubditi & filii quærunt pacem, unionem & amorem erga omnes. Sub vexillo Luciferi, inter ejus milites, certa maxima eſt, nihil eſſe dulcius & glorioſius, quam ultionem & vindictam. Sub vexillo ſanctiſſimæ crucis, inter milites JESU, irrefragabilis propoſitio eſt, nihil eſſe majori laude dignum, nihil ad vitam obtinendam fructuoſius, quàm exemplo Ducis Chriſti Jeſu Cruci-

§. 1. *Diabolus eſt tyrannus: Chriſtus Dominus Rex mitiſſimus.*

Digitized by Google

fixi ignoſcere & diligere etiam inimicos. Hoc nobis inculcat parabola hodierni Evangelii; idemque, aſpirante divina gratiâ, præſtabit hæc præſens concio, ut ſub pacifico JESU vivamus in pace.

§. 2. *Mites & benigni etiam erga hoſtes merentur ſummam laudem.*

Propoſitum thema clariſſimè probant exempla Sanctorum & inſignium virorum, qui parcendo hoſtibus, diligendo inimicos, deponendo odia, imò illis benefaciendo, magnam & eximiam laudem obtinuerunt: quos S. Nyſſenus orat. 7. de beat. ait, fuiſſe *Imitatores humanitatis divinæ, qui id, quod proprium divinæ eſſentiæ eſt, in ſuâ vitâ oſtenderunt. Et hoc Deus præſcribit opus, & officium, ejicere odium, finire bellum, abolere invidiam, exterminare pugnam*; addunt alii, abſtinere ab omni vindictâ. Inter hos viros glorioſos, ex V.T. ego numero ſanctiſſimum Regem Davidem. Cum obtinuiſſet regnum Iſraëlis, vocavit ad ſe Miphiboſethum, nepotem Saulis hoſtis infenſiſſimi, utroque pede claudum, & ait ad illum l. 2. Reg. c. 9. *Reſtituam tibi omnes agros Saul patris tui, & tu comedes panem in menſâ meâ ſemper.* Quid hoc, ut hoſtis, ut claudus, comedat in mensâ regiâ? cauſam advertit S. Chryſoſt. hom. de Saule & David, *Saule mortuo, non modo David non occidit ejus poſteros, ſed plura præſtitit quàm erat pollicitus. Siquidem filium ejus cum eſſet claudus, in ſuam ipſius domum induxit, ſuaque menſæ fecit participem, nec erubuit, neque arbitratus eſt, menſam regiam claudicatione pueri dehoneſtari, ſed decorari potius, atque laudatiorem fieri.* Hoc decorum, laudabile, glorioſum fuit glorioſiſſimo Regi, hoſti parcere, non ulciſci; imo benefacere illi; in hoc David imitator fuit divinæ efficientiæ; & benignitatis atque miſericordiæ, quæ tunc maxime oſtenditur, cum Deus benefacit inimicis, cum lucere facit ſolem ſuper bonos & malos; impios & ſanctos.

2. Reg. 9. 7.

§. 3. *Chriſtus D. quàm fuerit mitis erga Iudam proditorem. Matt. 26. 21*

Matth. 26. habens JESUS ſibi in cœnâ aſſidentes diſcipulos ſuos, ait illis: *Vnus veſtrum me traditurus eſt*; erat enim inter illos Judas proditor. Et cur, quem ipſe ſciebat, fore traditorem, toleravit in ſcholâ & collegio ſuo, imo, cur menſæ adhibuit? quæſtioni huic reſpondeo cum Euthymio, ſic magnitudinem oſtendit divinæ bonitatis. *Quare omnino* (ut utar ejus verbis)

verbis) *ſuſcepit Chriſtus in diſcipulum, eum qui talis evaſurus erat? Vt manifeſta fieret magnitudo bonitatis Chriſti, & malitia proditoris: quomodo ille proditorem ſuum ſalutaria docuit, & dilexit: gratiisque dignum duxit, nec ab aliis ſegregavit, ſed omnia quæ ad converſionem, & correctionem ejus erant, induxit.* Tum exemplo Chriſti & nos magni ſumus, tum manifeſtatur virtus noſtra, tum triumphum patientia viget, humilitas &c. tum veram gloriam acquirimus, tum laude ſumus digni, cum inimicis parcimus, cum illos diligimus, cum bona etiam hoſtibus impartimur.

Cant. 3. ait ſponſa de ſponſo ſuo, *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater ſua*, ad lit. ſermo eſt de Berſabee, quæ filio Salomoni in die deſponſationis pulcherrimum gloriæ paravit diadema; in ſenſu myſtico ſponſa loquitur de Synagoga, quæ Meſſiam ſuum Chriſtum coronavit ſpinis. Verum cur evocantur filiæ Sion, ut videant coronam tam cruentam, ſpinas cruore & ſanguine purpuratas? ideo, ut intelligant, ſponſum ſuum per ſpinas obtinuiſſe gloriam regni ſui; ut ſciant nihil eſſe pulchrius & glorioſius, quam pati, quam pungi, & nihilominus erga illos, à quibus pungimur, eſſe nos mites, qualis Chriſtus Dominus fuit erga Judæos. Theodor. l. 2. in Cantica. *Matrem appellat Judæam; ſpinis enim illum contemptus cauſa coronavit: Ipſe vero per ſpinas ſuſcepit diadema caritatis.* Judæi ſpinas poſuerunt in capite JESU noſtri, at ipſe, illis parcendo, diligendo, ſpinas convertit in roſas, quibus tanquam amabiliſſimus Rex & amabilis ſponſus floridè & pulcherrimè fuit coronatus. §. 4. *Dilectio inimicorum eſt diadema caritatis. Cant. 3. 11.*

Egredimini filiæ Sion; Scio inter vos eſſe, quæ habent ſuos hoſtes à quibus punguntur. Spinæ ſunt verba detractoria, quibus honor noſter læditur. Spinæ ſunt illæ fraudes, illi doli, quibus circumvenimur, qui nobis deberent benefacere &c. diſcite à Salvatore veſtro, ſpinas convertere in roſas, in diadema caritatis, odio opponite amorem, verbis aculeatis verba mellea, parcite, diligite inimicos; Hæc agere nil aliud eſt, quàm coro- §. 5. *Dilectio inimicorum coronat nos roſis.*

Digitized by Google

coronare ſe roſis; hæ roſæ non reddunt glorioſos; imitatores divinæ efficientiæ; ſic per ſpinas pergimus ad regnum cœlorum.

§.6. *Qui inimicum diligit, aſcendit regium thronum.* *3.Reg.10.18*

Lib.3 Reg.c.10. *Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem, & veſtivit eum auro fulvo nimis, & duæ manus hinc atq; inde tenentes ſedile &c.* Caput 9. lib. 2. Paral. ait, *duo altrinſecus brachiola*, id eſt, duo ſuſtentacula, quibus ſedentis brachia innituntur. Sive, ſuprema pars throni fuit ſella, quæ duo protendit brachiola, patula & aperta, ut ſeſſurum exciperent. Quò ſignificatum fuit, glorioſum Principem atque Regem, talem eſſe debere, ut habeat brachia aperta, quibus excipiat & amplectatur omnes venientes ad Regem; ille laudabilis eſt Princeps, qui non unum tantùm habet brachium, quo ſtringat ſibi amicos; ſed & alterum, quo hoſtes amplectatur. Ad omnes regia caritas, viſcera benignitatis debet extendere & dilatare hoc eſt regium; hoc eſt, ſedere in ſolio magni principatus. Quò ſpectans D. Chryſoſtomus ſer. 4 de fer. 5. Paſſ. dum agit, de mundi Principe, JESU aſcendente in crucem, ait; *Convenite Chriſtianæ gentes: concurrite fideliſſimæ nationes* (ante dixi cum ſponsâ, Egredimini filiæ Sion) *Dominus enim Rex noſter, non in patibulum, ſed tribunal crucis aſcendit*, q. d. jam crux, dum filius DEI Rex Regum in illâ pendet, Rex tam mitis ut pro inimicis oret &c. non eſt amplius patibulum, non amplius eſt inſtrumentum contemptus, ſed eſt thronus de ebore grandis, veſtitus auro fulvo nimis, ornatus gemmis; eſt thronus honoris, decoris & gloriæ; verbo, eſt thronus ſponſi & Regis noſtri Salomonis, quid inde? pergit Chryſoſt. *Expandit ecce manus, & alas extenſas aperuit, ut nos ex omni orbe congregaret.* Hæc ſcilicet ſunt brachia ſanctiſſimæ crucis, ſive Chriſti Salvatoris noſtri: non uno tantum excipit illos, qui amici ſunt; alterum quoque habet, miſericordiæ infinitæ, quo ſuos hoſtes complectitur. Hoc eſt regium, hoc eſt glorioſum; puto vos advertere; caritatem erga inimicos, quam paulo ante vocavi diadema, ſive pulcherrimam coronam, in hoc diſcurſu me conferre cum regio throno, ut manifeſtum ſit, Reges eſſe illos, & imitatores regiæ atque divinæ benignitatis, qui hoſtibus bene faciunt.

Digitized by Google

Eleganter ſuper hod. Evangelium hoc advertit D. Naz. orat. 15. *Cernis in Evangelio? Homini regi qui rationes voluit ponere cum ſervis ſuis, oblatus eſt unus, qui debuit decem millia talenta; quia autem procidens oravit, dicens, patientiam habe in me, &c miſertus fuit Dominus, & totum debitum dimiſit illi. Paulo poſt egreſſus hic ſervus, invenit unum de conſervis ſuis, qui debebat ei centum denarios, & tenēs ſuffocabat eum, dicens, redde quod debes. Et ille etiam procidens oravit eum dicens, patientiam habe &c. ille autem noluit, ſed abiit & miſit eum in carcerem.* Prô! quanta differentia inter hunc regem, & hunc ſervum? & quænam illius cauſa? jam accipite verba D. Naz. prior ſervus, *ad bonum adducitur Dominum* ad Regem, in vero intellectu, ad Deum, ad Chriſtum, *& illi indulgetur.* hoc regium eſt, hoc divinum eſt. *Sed ipſe, non indulget, ſervilis enim erat ingenii.* Hic ſervus, alter rex fuit. §. 7. *Cur in hod. Evangelio Rex fuerit tam mitis. Servus tam crudelis.*

Iterum *egredimini filiæ Sion*! concurrite nationes! adeſte regiarum aularum inquilini! advertite differentiam inter Principum miniſtros. Facile evenit, ut intercurrat aliqua offenſa; & cum aliqui tam ſunt rigidi, ut leve debitum ſtatim exigant, ut velint ſibi ſatisfieri; ſuffocatione, carceribus, gladio, globis, ſanguine, morte? ſunt viles animæ, ſunt mancipia ſuarum cupiditatum, ſunt ſervi! Sed talia requirit nobilitas! nobilis animi eſt, ut dictum contra honorem, vel factum, vindicet gladio. Ita; in aula Luciferi, in ſchola diaboli, in cathedra peſtilentiæ, &c. jactantur hæ maximæ. In ſchola Chriſti, in aula pacifici Salomonis; ex cathedra divinæ Sapientiæ aliæ promulgantur Veritates. Diligite inimicos, benefacite illis, dimittite. Diabolus, tyrannus eſt, crudelis eſt Dominus; tales vult habere ſervos qui oculis, verbis, manibus ſpirant vindictam. Rex noſter Jeſus bonus eſt Dominus; omnibus libenter indulget, in regio ſuo throno benigna expandit brachia, ultro graviſſima dimittit debita. Filiæ Sion! auditores mei; eligite, num Chriſti, vel diaboli, velitis eſſe imitatores? §. 8. *Digreſſio ad auditores, ſive, invectiva in illos, qui quærunt vindictam.*

Digitized by Google

§ 9. *Dilectio inimicorum eſt regia veſtis, radians inſtar ſolis. Apoc.12.1.* Salomonem coronatum diademate caritatis, ſedentem in regio throno SS.Crucis, decet regia veſtis: quam S.Joannes in Apoc. deſcribit cap.12. *Signum magnum apparuit in cœlo: mulier amicta ſole, luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim.* Et cur Regina, vel Rex, vel Princeps veſtiri & indui debet ſole? veſte tam illuſtri? quid habet ſol, ut veſtire poſſit regem? Job, Rex, Princeps, de ſe dixit, cap.29. *Iob 29.v.14.* *Iuſtitia indutus ſum, & veſtivi me tanquam veſtimento.* hoc intelligo; ſed non capio, quid ſit, regem eſſe veſtitum ſole. Capio tamen, cum lego verba Salvatoris Matt.5. *Matt.5.v.45.* *Solem ſuum facit oriri ſuper bonos & malos.* hoc habet ſol ſingulare, quod paratus ſit ad univerſos fovendos, à nullo radios ſuos avertit, ſed potius expanſis radiis veluti brachiis, omnes amplectitur. Hoc in cœleſti illa muliere, ſive in magna Dei Matre, mundi cœlique Regina advertit S.Bernardus ſuper cit. verba ex Apoc. *Ea eſt, quæ velut alterum ſolem induit ſibi. Quemadmodum enim ille ſuper bonos & malos indifferenter oritur, ſic ipſa quoque præterita non diſcutit merita, ſed omnibus ſe exorabilem, omnibus clementiſſimam præbet; omnium denique neceſſitates ampliſſimo quodam miſeratur affectu.*

§.10. *Alia digreſſio ad auditores.* *Egredimini filiæ Sion!* vidiſtis diadema Regis Salomonis, placuerunt oculis veſtris cruentæ ſpinæ, converſæ in roſas decoris; cum delectatione conſpexiſtis regium thronum, ſpectaſtis expanſa, & aperta brachia ſponſi; conjicite quoque oculos in regiam veſtem; Jeſus Crucifixus præter purpuram ſanguinis indutus, & amictus eſt ſole. Princeps eſt, qui complectitur bonos & malos. Non Joanni tantum & bonis offert Matrem &c. pro inimicis, pro crucifixoribus ait, *Luc.23.v.34.* *Pater ignoſce illis*; non excludit illos, qui illam flagellarunt &c. (fiat p. inductio) omnibus ſe præbet exorabilem, omnium neceſſitates &c. ut ſupra &c. & vos audit. quibus induti eſtis veſtibus &c. an lana agni manſueti, an verò pelle rabidi leonis &c. quales vos præbetis veſtris adverſariis &c. an ex hod. Evang. eſtis Reges boni, an vero ſervi crudeles &c.

§.11. *Culpas di-* Hic mihi occurrit elegantiſſimum dictum D.Ennodii in vita

Digitized by Google

vita S. Epiphanii. *Exigua eſt apud Deum noſtrum miſericordia, ſi illos tantum læſio non ſequatur, qui reatu carent: culpas dimittere, cæleſte eſt; vindicare terrenum.* Idem de nobis ſentiamus & dicamus. Caritas noſtra, exigua eſt, ſi amicos tantum diligamus; idem dicendum eſt, de humilitate, benignitate, & omnibus aliis virtutibus; inimicos diligere; hæc dilectio cæleſtis eſt virtus: hanc principes diligunt; vindicare terrenum eſt.

mittere cæleſte eſt, vindicare terrenum.

§.12. *Lucta ſive agon inter dilectionem & appetitum vindictæ.*

Illam luctam, in qua appetitus vindictæ nos animat ad vindictam & ultionem; in qua econtra Divinus amor nos urget, ut exemplo Regis Chriſti debitum dimittamus, & hoſtes etiam diligamus, D. Cyprianus ep. 56. comparat cum agone, in martiali aliquo campo, & ait: *Ad agonem ſæcularem exercentur homines, & parantur: & magnam gloriam computant honoris ſui, ſi illis ſpectante populo, & Imperatore præſente, contigerit coronari* (habes locum pro eleganti deſcriptione.) *Ecce ager ſublimis, & magnus, & corona cæleſtis præmio glorioſus: ut ſpectet nos certantes Deus; & ſuper eos, quos filios facere dignatus eſt, oculos pandens, certaminis noſtri ſpectaculo perfruitur. Prælíantes nos ſpectat Deus!* (appetitus honoris, pruritus vindictæ, Satan, bulliens in præcordiis ſanguis, ſociorum cantilenæ, dicunt vindica! vindica! inde pendet honos &c. Reſiſtit animus, virtutis amans: aſtat angelus cuſtos; fili ſuſtine! patere; ignoſce! dimitte, eadem ſuggerit Chriſtus pendens in cruce &c. qualis agon? quale duellum,) *Prælíantes ſpectat Deus!* ſpectant angeli ejus, ſpectat Chriſtus. *Quanta eſt gloria dignitas, quanta felicitas, præſente Deo congredi, & Chriſto Iudice coronari:* quod fit, cum nos vincimus, & inimicos diligimus. Hactenus S. Cypr.

§.12. *Quomodo in tali lucta debeamus vincere, nos docet mitis David. l. 2. Reg. c. 19. 22*

In tali lucta puto fuiſſe Davidem, cum l. 2. reg. c. 19. Abiſai, iratus in Semei, illi ſuaſit ultionem de tanto inimico, libenterque vidiſſet, illum juſſu Regis percuti gladio; quis ſcit an non regium animum ſubierint tales cogitationes; nonne hic eſt Semei, qui &c. nonne in manu mea jam eſt, ut pereat? &c. ſed reluctans David ait; *Quid mihi & vobis filii Sarviæ? Cur efficimini mihi hodie in Satan? Ergone hodie* (die regiæ coronationis &c.) *interficietur vir in Iſrael: an ignoro me hodie fa-*

ctumRegem in Iſrael? Et ait Rex Semei, non morieris. Ecce tibi iterum differentiam inter Regem & ſervos ſive milites; hi Semei decernunt mortem: David autem, ubi ſe regem factum agnoſcit, eo ipſo putat, ſe teneri ad miſericordiam exhibendam inimico. Ita Joſephus l.19. cap.7. cum de Rege Agrippa dixiſſet, *Rex citius, quam quiſpiam opinaretur reconciliatus eſt* inimico, ſubdit: Exiſtimavit *clementiam magis quam iram, decere Regem; & lenitatem animi magis, quam celſitudinem.* Ideo D. Cyrillus Jeroſol. in Cat. græca ex catech.13. cum ponderaſſet verba boni latronis ad Chriſtum Luc.23. v. 42. Dominum pendentem in cruce Luc.23. *Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum,* ad fiduciam illum animat & ait, *Confide; non quod opera tua digna ſint confidentia, ſed quia Rex adeſt, qui gratiam confert;* Regalis animi proproprium eſt, gratiam conferre vel indigniſſimo, imo hoſti.

§.14. *Dilectio inimici exigit, ut abſtineamus à verbis contumelioſis.* 1.Lib.24. v.7.

Eximius actus dilectionis inimici eſt, abſtinere ſe à verbis contumelioſis, & imprecationibus: in his fere maxima ex parte conſiſtit vindicta ſervilium animarum, cum gladio ſe vindicare non poſſunt faciunt id venenatis linguis, quæ millenas ex fœtido gutture evomunt contumelias & maledictiones, libenter tenerent hoſtem, libenter ſuffocarent &c. quia id facere non poſſunt, maledicunt, detrahunt &c. Mitiſſimus David nos docuit, quomodo loqui debeamus de noſtris inimicis, l.1. Reg. cap. 24. invenit Saulem in ſpelunca ſolum, ſine armis; poterat occidere: & quid cogitatis dixiſſe ad Saulum, an forte, Impie, ſceleſte Rex &c. jam morieris. Sic loquuntur milites & ſervi Satanæ; David Rex talia fuit locutus intra ſe, *Propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo, Chriſto Domini, ut mittam manum meam in eum.* Quam aliter loquimur de hoſtibus noſtris, præſertim cum vindictæ occaſionem naſcimur: qui ſervi ſumus, non Reges. Rex ille, qui in hod. Evangelio poſuit rationes cum ſervis ſuis, eſt ille idem, qui ante octiduum fecit nuptias filio ſuo. Reperit ibi hominem à quo ob de-

ob defectum veſtis nuptialis valde fuit offenſus; quomodo nos fuiſſemus illum allocuti, forte, impudens nequam &c. ſic ſervi loquuntur. Rex dixit, Amice &c. D.Greg. hom.58.in Evang. *Hunc & amicum vocat, & reprobat.* Cajet. hic. *Non contumelioſe increpat, non dicit, indigne, præſumptuoſe, impudens, ſed amice: ad erudiendum nos, ut etiam à notorio facto, examinemus rem, abſque contumelia, abſque convitio, cum dilectione hominum & odio vitiorum.* Quam nobilis Rex, quam ingenuus, qui hominem ſibi infenſum verbis excipit amicis, & comitate plenis, prorſus abſtinens à contumelia & convitio. Utinam hunc imbiberent ſpiritum univerſi, qui principali ſpiritu inſigniuntur, ut à verbis contumeliæ abſtineant; etiam quando non licet abſtinere à vulnere.

Luc.16. Inhumanus dives, ſepultus in inferno, poſtulat ab Abrahamo indebitum levamen, ſed reſpondit Abraham, *Fili, recepiſti bona in vita tua.* Filium vocat, quem ſciebat fuiſſe Lazari irriſorem, immitem; ſed cur illum, quem addixit inferno, vocat filium?& non potius Satanæ mancipium? Cui, non potuit non velle pœnam, ſaltem quod in ſe eſt dat bona verba, abſtinens ab omni contumelia. D.Chryſ.hom.7. in lucem. *Vide philoſophiam juſti; non dixit inhumane, crudelis, ſceleratiſſime. Sed quid dicit? Fili; quod in mea poteſtate eſt, impertio tibi.* Poterunt hæc pulcre applicari Auditoribus.

§.15. Cur Abrahamdamnatum Divitem vocarit filium. Luc.16. v. 25.

Si pro dilatatione Concionis addere placeat, quomodo juſtus Deus iratus tandem puniat illos, qui nolunt dimittere, vide Baeza de Chriſto figurato, T.4. fol.120.

lingua vocetur novacula acuta. §.16. *Cur ſcorpius.* | §. 17. *Deo ſic diſponente tandem confunduntur.*

NEſcio, an per totum annum legatur Evangelium, quod clarius exprimat mores noſtrorum temporum, quibus floret ſchola Machiavelli, quam hodiernum. 1. Veſti pelles, aſtuti, invidi, venenati Phariſæi, libenter oppreſſiſſent Chriſtum D. quem oderant; ſed, noluerunt id facere, niſi ſub ſpecie devotionis erga Cæſaream Majeſtatem. Quantum ego inſpexi libros Machiavelli puto hanc eſſe ejus doctrinam, nocere, perdere, impium, ſceleratum eſſe, ſed ſub palliis & larvis variarum virtutum. 2. Deſiderium Phariſæorum erat, ut Jeſus caperetur in ſermone; ne hoc pateret, hac vice, non ipſi venerunt ad Chriſtum D. ſed partim ſuos, partim Herodis ſubmiſerunt miniſtros, veluti legatos. Prô dolor! quod plerumque hodie, ſeditiones, rebelliones, cædes, bella, iniqua fœdera, cuduntur, non per ipſos Reges, & Principes; ſed per Miniſtros, qui ſciunt & audent, diſſimulare, mentiri, ſuſque deque omnia vertere. Patiatur religio, Status ſumat incrementa. 3. Hi legati Judæorum, licet in corde mala cogitarent contra Chriſtum, nihilominus lingua eorum, loquitur, quod recte & magnifice de ipſo ſentiant. O hypocritæ; quibus plenus eſt mundus; qui illis quos volunt perdere, exterius omnem exhibent benevolentiam. Sic Joab oſculatus fuit Amaſam, & pugione latus ejus perforavit. Sic Judas, oſculo tradidit filium hominis. Sic Saul l. 1. Reg. c. 18. filiam dedit Davidi in ſponſam, ſed addita hac conditione, *Tantummodo eſto vir fortis, & prœliare bella Domini.* Sic fore ſperabat, ut brevi occumberet. Tales Joabos, tales Judas, tales Saules frequenter degunt in aula Herodis. 4. Periculoſam & intricatam Chriſto D. proponunt quæſtionem; licetne cenſum dare Cæſari an non? q. d. Populus Judaicus, populus electus liber eſt, qui nulli debet ſubeſſe, cur ergo Cæſar exigit tributa, quid videtur Chriſto? num ita proſtitui debet libertas? Auditores amantiſſimi, quænam

§. 1. Hod. Evangelium nobis proponit mores Politicorum noſtri temporis.

1. Reg. 18. v. 17.

nam quæſo cauſa in S.R.I. in dilecta Germania, tot ſeditionum, diſſenſionum &c. niſi libertas conſcientiæ & religionis; niſi excuſſio jugi, quod nomen Cæſaris videtur ſecum trahere. Sed periculoſam ingredior materiam. Abſit à me ut ego de Herode loquar. Nequam ſervos qui Chriſtum D. voluerunt decipere aggrediar, & concione hac oſtendam; quales habeant linguas, qualia corda, quam feriant, quam noceant, quam lædant leges Chriſtianæ caritatis. Bonum eſt illos noſſe, ut fugere poſſimus.

§.2. *Quid ſit lingua polita, aurea, deargentata. Baruch 6. v.7.*

De Babyloniis dixit Baruch c.16. *Lingua ipſorum polita à fabro, ipſa etiam inaurata, & inargentata falſa ſunt.* Quæſtio eſt inter interpretes, quænam ſit aurea illa lingua de qua loquitur Propheta. Origenes ait hom.7. in Joſue. *Si invenias apud Philoſophos pulcra verba & perverſa dogmata, lucentis ſermonis aſſertionibus decorata, iſta eſt lingua aurea. Vide ne te rapiat-ſermonis aurei pulcritudo.* addit alius interpres, *lingua aurea & expolita eſt, quæ falſitates halat, ſub aureis floſculorum coloribus.* S. Ambroſius in c.17. Apoc. ait à talibus linguis fluere eloquentiam-*plenam mendaciis, omnibusque erroribus ad decipiendum genus humanum compoſitis.* Cit. Orig. talis linguæ verba vocacavit, *modulatos poetarum verſus.* Tales linguas puto ego habuiſſe illos ſervos, qui in hodierno Evangelio Chriſto D. dixerunt; *Magiſter ſcimus &c.* Lingua polita, non à fabro, ſed Phariſæis, & ſcribis; quam pulcra & aurea verba; ſub quibus veluti floſculis ſuam malitiam abſconderunt. Verba argentea; ſed compoſita & modulata ab adverſariis Chriſti, in ſynagoga, & in aula Herodis, ad decipiendum. Ad hunc finem hi ſervi fuerunt ſubmiſſi à Judæis, ut Jeſum caperent in ſermone. Servi aſtuti, verſipelles, mendaces.

§.3. *Vtuntur illa ſervi, ut placeant Dominis.*

Quod famulos movit, ut contra Jeſum agerent, id advertit Origenes hom.35. in Matt. *Mundiſſimam autem, & omnino irreprehenſibilem fuiſſe vitam Ieſu ex hoc demonſtratur, quod non inveniebant adverſarii ejus, quod dicere poſſent adverſus eum, adverſus Ieſum enim nec color inveniebatur, qui poſſet contra eum adjuvare mendacia*-nihilominus-*cum eſſent multi volentes gratiam*

tiam tribuere Caipha, & Principibus Sacerdotum, & ſcribis, & ſenioribus, & univerſo concilio &c. Hoc agere ſolent ſervi nequam, ut gratiam tribuant heris ſuis, etiam innocentiſſimos perſequi, & injuriis afficere non timent, imo quidvis audent. Contra hos expoliunt aureas linguas.

Lib. 3. Reg. c. 21. ſceleſtiſſima Regina Jezabel, irata innocentiſſimo Naboth, quod Regi nollet cedere vineam, ait, *ſubmittite duos viros, filios Belial contra illum, & falſum teſtimonium dicant, & educite, & lapidate eum, ſicque moriatur.* O impium facinus! O ſceleratam ſententiam, nihilominus ait textus; *fecerunt ergo cives ejus ſicut præceperat eis Iezabel.* Impiæ Reginæ voluerunt tribuere gratiam. De Jeſu aſtante coram Anna ait S. Joannes c. 18. *Unus aſſiſtens miniſtrorum, dedit alapam Ieſu.* Quid ſceleſtius? quod nequam ſervus impingat colaphum viro ſanctiſſimo? coram Principe? in aula? & unde ortum habuit tam incredibilis audacia in hoc miniſtro? D. Cyrillus l. 12. in Joann. c. 46. putat, aliquos miniſtros fuiſſe Annæ ſuſpectos de affectu circa Jeſum; & proinde famulum hunc, ut talem ſuſpicionem, à ſe averteret, placeretque Domino, inflixiſſe Jeſu colaphum. *Idcirco ne de animo ſuo, benevolentiaque Principes ſuſpicarentur, alapa Chriſtum cadit.* ait cit. D. Cyr. Ea quibuſdam ſervis inſita eſt ambitio placendi potentioribus, ut nullum horreant ſcelus, ne ab illorum benevolentia cadant.

§. 4. Et gravia non horrent ſcelera, dummodo Rex jubeat *3. Reg. 21. v. 10.* *Ioan. 18. v. 22.*

Præſertim ſi ipſi Domini ſcelerati ſint & impii: quod obſervavit Victor Antiochenus in Principibus ſacerdotum, qui omnibus modis laborabant, ut Chriſtum opprimerent. *Convenerunt ad concilium omnes: verum illorum conſeſſus nihil aliud erat prorſus, quam peſtilentium hominum cœtus. Et ut illorum concilium erat profanum, utpote ex profanis & ſceleratis impoſtoribus conflatum, ita nihil non iſtic profanis turbis & tumultibus erat plenum.* D. Chryſoſt. hom. 33. in Matt. *Figura ibi duntaxat judicii erat, re autem ipſa latronum impetus.* Deum bonum! quæ rabies, quæ furia militum & ſervorum erga Jeſum? ſic ſceleratis ſuis Dominis voluerunt placere. Sic de aſtuto quodam

§. 5. Augetur malitia ſervorum à nequitia Dominorum.

aulico in aula Conſtantii Imperatoris Arriani dixit S.Hilarius in proprio lib. *Adulatur ut dominetur*. Dicam ego, hic ſervus mentitur, ut placeat. Dicit falſum teſtimonium, ut placeat. Fingit mirabiles chymeras, ut placeat.

§.6. *Periculoſiſſimi, dum deſiderium nocendi tegunt.* Hi ſervi eo ſunt periculoſiores, quo magis ſub aurea linguâ malitiam & deſiderium nocendi tegunt: de quo conqueritur cit. D.Hilarius; *Pugnamus contra perſecutorem faventem, contra hoſtem blandientem, qui non dorſa cadit, ſed ventrem palpat; non trudit in carcerem, ſed intra palatium honorat ad ſervitutem, non latera vexat, ſed cor occupat; non caput gladio deſecat, ſed animum auro occidit.* poſtmodum ſubdit; *Hæc ille Pater artifex humanarum mortium docuit; jugulare ſine gladio, perſequi ſine infamia, odire ſine ſuſpicione, mentiri ſine intelligentia; profiteri ſine fide, blandiri ſine bonitate, agere quod velis, nec manifeſtare quæ velis.* Perpendite inprimis, an non tales fuerint illi aulici Herodis, qui in hod. Ev. Chriſtum voluerunt capere in ſermone, & perdere, adſunt ut jugulent, ſed ſine gladio: perſequuntur Chriſtum, illud tamen nomen longe à ſe remotum volunt, pleni ſunt odio, & tamen ita loquuntur, ut nemo ſuſpicari poſſit, quod laqueum ponant; mentiuntur, ſed ita, ut nemo intelligat, blandiuntur, & ſunt peſſimi, agunt, quod cupiant inſtrui à Chriſto D. ſed non manifeſtant, quæ volunt. Conſiderate deinde an non hodie reperiantur tales miniſtri. Effectus eſt, ut multi innocentes, dum minime putant; *Humanitatis vinculis irretiantur*, ut Procopius loquitur & S. Chryſ. hom.33. in Matt. *Tales ſunt venandi artes diabolo, qui prætextu pietatis, laqueos tendit.*

§.7. *Si callide ſtruunt inſidias.* De tali miniſtro loquitur Salomon in Proverb. c 29. *Homo qui blandis fictisque ſermonibus loquitur amico ſuo, rete expandit greſſibus ejus.* Clarior adhuc eſt phraſis Jerem. 9. *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta eſt, in ore ſuo pacem cum amico ſuo loquitur, & occulte ponit ei inſidias.* Talia verba c. 27. Prov. vocat, *fraudulenta oſcula blandientis.* S. Hier. l.1. contra Pelag. *Semper inſidioſa, callida, blanda eſt adulatio.* & adulator pulcre definitur, *blandus inimicus.* S. Bern. ſer. 66. in Cant. *Hi oves*

Prov. 29. v.5. Jerem. 9. v.8. Prov. 27. v.6.

ſunt

ſunt habitu, aſtu vulpes, aſtu & crudelitate lupi. S. Hier. ep.58. *Vere monſtroſa res eſt: ſpeciem habere columbinã & mentem caninam, profeſſionem divinam, & intentionem lupinam, intus eſſe Neronem, & foris apparere Catonem.* Chriſtus D. qui intuebatur corda ipſorum, & intimas cogitationes, vocavit illos *hypocritas*; ſtructaſque inſidias facillime evitavit. Hodie plures, à talibus ſervis miſere decipiuntur, & opprimuntur.

Augetur audacia & nequitia talium ſervorum, ſi advertant à Dominis facile ſibi adhiberi fidem, in quo à Dominis, magnam exigo cautelam Gen.18. (fac induct. per famulos & ancillas in domibus plebeorum.) *Clamor Sodomorum & Gomorrhaeorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggravatum eſt nimis dixit itaque Dominus: deſcendam & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non eſt ita.* Sciebat Deus rei veritatem, ante cujus oculos nihil poteſt latere; nihilominus, per ſe voluit convenire reos, qui accuſabantur, eoſque videre, & audire, ante damnationem, ut doceat Dominos, ne ulli famæ, ulliſve teſtimoniis ſervorum adeo credant, ut inauditum damnent reum. In hoc erravit David, ut ait Theodor.l.1.hiſt.c.33. *quem verna & verbero (Sibam dico, qui falſum teſtimonium contra Mephiboſeth detulit ad Regem, l.2. Reg. c.16) veteratorie circumvenit*; cauſamque illi dedit, ut hoſtem ſpoliarit bonis, *indefenſum & inauditum.* Conſtantinus Magnus, qualis Imperator? nihilominus quia hoſtibus & adverſariis S. Athanaſii facile credidit, virum innocentiſſimum miſit in exilium.

§. 8. Talibus ſervis, Domini non facile debent adhibere fidem. Gen. 18. v. 20.

Cum ſubinde Domini faciles nimium ſunt, ut delatoribus famulis ſtatim fidem adhibeant, & q. benevolis auribus eaſdem delationes excipiant; frequenter aliqui coguntur uti querelis, quas Tertullianus protulit nomine Chriſtianorum in primitiva Eccleſia contra tyrannos. *Credunt de nobis, quæ non probantur: & nolunt inquiri, ne probentur non eſſe, quæ malunt credidiſſe.* Dicebantur Chriſtiani ab Ethnicis, infanticidæ, inceſtores &c. comprehendebantur, diſtorquebantur, &c. nulla tamen fiebat quæſtio de illis delictis, nihil de iis inquirebatur. *In-*

§. 9. Alioquin, alii, non auditi, opprimuntur.

tur. *Inceſtus ſum* (pergit Tertull. in Apol.) *cur non inquirunt. Infanticida, cur non extorquent? in Deos, in Cæſares; aliquid committo, cur non audior, qui habeo, quo purger.* Quod quia nequam tales famuli dum hoſti falſis delationibus apud herum nocere volunt, in id incumbunt, ne evulgetur, quis ille ſit, qui aures Domini occupavit; volunt ſufficere ſuum teſtimonum; mendacia inquam, ut innocenti damnum inferatur.

§. 10. *Tales ſervos, cur David pſ. 10. vocet, ſagittarios in obſcuro. Pſ. 10. v. 3.*

Hi ſunt illi ſceleſti, de quibus conqueritur David, pſal. 10. *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt ſagittas ſuas in pharetra* (non ut palam & in luce illis noceant) ſed *ut ſagittent in obſcuro rectos corde.* Quid eſt, ut ſagittent in obſcuro? ſubtile aliquid ſuper hæc verba advertit doctiſſimus S. Script. Interpres Did. de Baeza. In ſolis teſtimoniis, in ſermonibus, linguæ præſertim politæ, & aureæ, in incertis rumoribus in ſervorum delationibus, hoc dixit Titius, hoc egit Sempronius, in ſimilibus fabulis & figmentis, quibus plerumque plena ſunt colloquia ſervorum in domibus Regum; Obſcuritas eſt, incertitudo eſt, ſæpiſſime falſitas eſt, quot verba, tot mendacia; in viſione autem, id eſt, ſi Dominus fidem ſuſpendat, ſi inquirat, ſi videat; claritas eſt & veritas. Peſſimi autem illi ſervi, illi ſuſurrones, illi detractores, affectant non venire ad viſionem, nolunt ſciri; id quod didicerunt à ſervis Jud. & Herodis in hodierno Evangel. noluerunt, conſtare Chriſto, à quibus eſſent ſubmiſſi, vel qua intentione accederent, quod ipſi deinde Chriſtum Dominum vellent accuſare, quaſi prohibuiſſet dari cenſum Cæſari; Malunt tales niti obſcuritate teſtimoniorum, ut ſic rectos perdant. Quod latro eſt in ſolitudine, in denſa aliqua ſylva, dum illius obſcuritate utitur, ut perimat homines; id ſunt nequam ſervi magnorum dominorum, dum in obſcuro, per fraudes, per ſagittas tectas, per falſa teſtimonia, quos volunt, perdant. Periculoſum genus hominum, niſi cum Chriſto Domino attentis oculis invigilemus, ut ſciamus, cum

quibus

quibus loquamur? quid? ubi? quando? quomodo. Vide cui fidas.

§ 11. *Alia illorum eleganſ deſcriptio.*

Dubito, an non famulis Herodis aſcribendi ſint illi, quos pulcerrimis verbis, veluti vivis coloribus depinxit Ferrandus Diaconus in Parænetico ad Reginum reg. 3. *Ambitores,* ait, id eſt, illi ſervi qui à Dominis altius volunt evehi, ut placeant, Theodor. in cap. 7. Oſ. *proclives & prompti, ad perniciem facti, ut illis detur poteſtas, impoſſibilia pollicentur mentientes plurima*(cupio monitos meos auditores me ſtudio mutilare verba cit auct. ne ſuſpicio eſſe poſſit, me in particulari aliqua velle pungere; retineo verba generalia) itaque, *mentiuntur plurima*, proferunt mendacia, *calidiſſime colorata.* Carthuſ. Oſeas vocat cap. 7, *adinventiones.* Ruffinus. *Fabricantur mendacia* Job. 13. *loquuntur dolos. & culpant ſuſurris abſconditis miniſtros alios deſidesque, eos nulla providere Reip. lucra mentiuntur. Sibi, verò dum commiſſa fuerit actio, per nimiam fidelemque diligentiam cuncta effici proſpera. Sed O pertinax cupiditas! diligentia illorum crudelitas, ratio, deprædatio melius appellatur. Ideo cupiunt emere graviſſimas actiones, ut vendant; promittunt falſa, ut vera ſurripiant, blandiuntur, ut noceant. Piam quaſi ſollicitudinem pro utilitatibus publicis gerunt, ſed affligere ſimul omnia, & deteriorare moliuntur. Evertere cupiunt, non gubernare.* O Principes! O magnates! O Domini, attendite cum Chriſto Domino ne tales famuli & vobis, & aliis noceant. Felix eſt reſpublica, cum à talibus famulis, aurea hæc retia projiciuntur ante oculos pennatorum. Fabricatores mendaciorum, linguæ politæ & aureæ, deargentatæ fabulæ; non rarò ſtatum totius boni, evertunt & peſſundant, ſagittant in obſcuro, & quo tectiores ſunt, eo perniculoſiores.

Oſ. 7. v. 2. Iob. 13. v. 7.

§. 12. *Oratio S. Athanaſii pro Imperatore Conſtantio.*

Cum D. Athanaſius coram Imperatore Conſtantio graviſſime fuiſſet delatus, hanc ſibi compoſuit oratiunculam; ſuper cap. 20. Pvoverb. *Miſericordia & Veritas cuſtodiunt Reges.* Sic inquam, S. Athan. in gravi perſecutione, in exilio ſuo orare fuit ſolitus. *Domine! omnipotens Rex ſæculorum, tu impe-*

Prov. 20. v. 28.

imperium hoc famulo tuo Conſtantio dediſti, tu illumina mentem illius, ut cognitis meis calumniis benevolenter recipiat meam excuſationem; omnibusq; clarum manifeſtumque reddat, quam habeat aures veritati conformatas, ſolumque ſibi ut ſcriptum eſt, accepta eſſe labia juſta, ita enim ſolium regni fortunatum fieri, per Salomonem pronuntiaſti. Hoc ſcilicet regnorum & imperiorum eſt ſtabilimentum, ſi reges oderint mendaces, & ament ſcire veritatem. Miſericordia & veritas cuſtodiunt reges.

§. 13. *Cur ſervi Herodis in hod. Eu. laudarunt Chriſtum D.* Non putemus, famulos in hod. Evangelio, ideo laude eſſe dignos, quod Chriſtum D. laudarint, vocando Magiſtrum, & veracem; Machiavelli ſcholæ & diſcipuli, aſtuti & verſipelles famuli, *novam calumniandi invenere rationem, ut non accuſatione, ſed laudibus noxam in ſocios comparent! Inventa eſt autem potiſſimum ac primum hac malignitas & fraus* (ait Polybius) *ab iis, qui in aulis* magnatum *degunt.* Illi aſtuti ſunt famuli, qui ſpecie amicitiæ fovent rancorem; qui palpo venenum occludunt, qui faciem amicam, & os laudatorium offerunt, ſed cauda perimunt. Tacitus. *Peſſimum inimicorum genus.* Quinam? *Laudantes,* ait; ut hoc modo decipiant & noceant. Illa fuit intentio ſervorum in hod. Eu. Laudare quidem Chriſtum D. ſed eundem opprimere. Cavete, verba laudatoria ſæpe ſunt ſagittæ, paratæ in occulto, ut ſuaviter, ſed immedicabiliter vulnerent.

§. 14. *Quid ſint labia doloſa. Pſ. 11. v. 3.* Nemo fidat his adulatoribus: nam *labia* habent *doloſa*, ut David loquitur pſ. 11. qui *in corde & corde loquuntur.* Conqueritur Propheta, aliquos non integre & candide proferre veritatem, ſed permiſcere mendacia, amphibologias, & fallacias, aliud loquendo aliud ſentiendo. Chaldæus ait, quod tales habeant labia *diviſionum,* dum nimirum illorum lingua à corde longiſſime disjungitur; ut non maneant homines ſimplices, & ſinceri; ſed duplices & aſtuti, quorum intimus animi ſenſus, mirifice à ſermone diſſentit ideo, *in corde & corde loquuntur.* In hebraico. *Vidi homines, aliud loquentes, aliud in corde volentes.* quem modum loquendi ſua verſione illuſtravit Symmachus, *in corde alio atque alio,* hoc eſt, duplici, quos S.

Iac. 1. v. 18.

Jac.

Digitized by Google

Jac.c.1. vocavit *duplices animo.* ſive bicordes. Sive, qui linguam à corde dividunt. Homerus Il.9. *Qui aliud in mente recondunt, aliud vero loquuntur. Lingua* ait, *frater, cor ſic loquitur, utinam te perdere poſſem &c.* (eſt locus pro pulcra induct.) Iterum hic conſiderate ſervos Herodis, qui in hod. Ev. &c. Iterum cogitate, an hodie tales reperiantur ſervorum linguæ.

Pſ.51. ait. David. *Sicut novacula acuta faciunt dolum.* Simulat aliquis tonſor, ſe uti novacula ad ornatum, ut tollat ſuperflua, & plerumque *inſenſibiliter ſecat* (S. Ambr.) *Quid enim acutius illo dolo, quem lingua proditoria compoſuit.* Quid quæſo ſunt tales miniſtri; ſunt tonſores, qui oſtendunt linguam politam, auream &c. heu talis lingua ſimul eſt novacula, & acuta, & proditoria. §.15. *Cur lingua vocatur novacula.* *Pſ.51. v.4.*

Sæviunt tales linguæ ut beſtiæ, prout loquitur Ennodius. Lib.3.Reg.c.12. Roboam dixit populo ſuo. *Pater meus poſuit ſuper vos jugum grave; ego autem addam ſuper jugum veſtrum; Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cadam vos ſcorpionibus.* Semper hactenus ego ad literam intellixi per ſcorpiones, flagella armata uncis &c. cum jucunditate legi his diebus interpretem, qui putat Roboamum voluiſſe dicere, ponam ſuper vos miniſtros &c. §.16. *Cur ſcorpius.* *3.Reg.12. v.14.*

Cum aſtuti famuli tandem agnoverunt, Chriſto patere conſilia ſua ex prudentiſſimo reſponſo, *Date* &c. confuſi receſſerunt. Ita D. Providentia ſubinde ſolet res diſponere, ut firmiſſima & robuſtiſſima arma contra innocentes, omnes fraudes, doli, aſtutiæ &c. momento evaneſcant, pateantque veritas & innocentia. De impiiſſimis Judæis perſequentibus Chriſtum dixit Iſaias c.59. *Ova aſpidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt.* Ova aſpidum, fuerunt venenata conſilia contra Chriſtum D. &c. quid fortius, quid lethalius, quam hoc venenum? *Quod autem,* (D.Cyr.Alex.l.5. t.4. in Iſ.) *malitioſa hæc contra Chriſtum imaginatio illis prorſus inutilis fuerit, ſtatim oſtendit alio exemplo. Telas enim araneæ texunt. Araneus enim hoc puſillum & viliſſimum animal, telas artificioſe ſubtilibus ſtaminibus contextas connectit; quæ nihil illi proſunt, ſed illa ſecti-les &* §.17. *Confunduntur tandem.* *Iſ.59. v.5.*

les & dividua ſunt. Sic Iudæorum inventa, quæ ſcilicet contra Chriſtum ſtructa ſunt &c. Felix, quem Deus contra tales araneos cuſtodit.

CONCIO LIII.

DOMINICA XXIV. POST SS. TRINITAT.

Ecce mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur, duodecim annis.

Mat. 9. v. 29.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PEr fluxum ſanguinis annorum duodecim, cum quibuſdam SS. Patribus intelligo, malam peccandi conſuetudinem; exponit itaq; hæc concio, ex ſacris literis, quid, & quam damnoſa illa ſit; neque ſpem eſſe, ut impius talem conſuetudinem deponat vel à fluxu ſanguinis liberetur, niſi Chriſtus D. peculiarem largiatur gratiam, & benignis oculis illum aſpiciat. Epilogus ſuadet inveteratis peccatoribus, ut apud Matrem miſericordiæ Mariam, refugium quærant.

§. 1. *Fluxus ſanguinis in corpore humano, eſt ſymbolum peccati mortalis in anima: duodecim anni denotant malam peccandi conſuetudinem.*

§. 2. *Illa conſuetudo eſt catena, qua peccator de uno peccato trahitur in aliud. Sanguis ſanguinem tangit.*

§. 3. *Qua ligati, peccatores gaudent in ſordibus ſuis.*

§. 4. *Sunt veluti ebrii, qui ſurgere non poſſunt.*

§. 5. *Mala conſuetudo eſt animæ inſanabile vulnus.*

§. 6. *Mala conſuetudo inducit duritiem cordis.*

§. 7. *Horrenda eſt illius clauſura.*

§. 8. *Ex qua ſolus Chriſtus D. nos eripere poteſt.*

§. 9. *Inveteratum peccatorem deponere duram & firmam conſuetudinem, eſt novum miraculum, ſoli Deo, Chriſto D. & divinæ gratiæ aſcribendum.*

§. 10. *Cur*

Digitized by Google

§. 10. *Cur ſub quercubus apud porcos, filiús prodigus cogitaverit de ſalute; non Abſolon pendens de quercu.*

§. 11. *Cur pœnitentiam egerit Petrus, non Iudas.*

§. 12. *Epilogus ſuadet refugium ad Matrem miſericordiæ.*

SI placet, legite c. 16. Ezechielis, & intelligetis, quid corporalis fluxus ſanguinis, turpis, abominabilis morbus in fæmina, cujus hod. Evangelium facit mentionem ſignificet. Alloquitur Propheta in cit. capite, Synagogam veluti fornicatricem & adulteram; poſtquam illi dixit; *Tranſiens per te, vidi te conculcari in ſanguine tuo*; objicit illi ſcelera graviſſima: *lavi te aqua, emundavi ſanguinem tuum, unxi te oleo; veſtivi te byſſo, calceavi te ianthino; ornavi te, dedi armillas in manibus tuis, torquem circa collum tuum; coronam decoris in capite tuo. Sed fornicata es; facta es adultera, væ tibi, væ tibi; nuda es & confuſione plena. Abominabilem feciſti decorem tuum; & multiplicaſti ſcelera tua ad irritandum me. Neque hucusque flagitiis tuis, es expleta, vel ſatiata; facis omnia opera mulieris meretricis & procacis. Vivo ego dicit Dominus Deus, quia non fecit Sodoma ſicut feciſti tu, in abominationibus tuis, inter quas, conculcaris in ſanguine tuo.* Itaque ego hæc ita interpretor, ſecundum mentem Ezechielis, animam conculcari in ſanguine, ſecundum S. in hod. Evangelio, pati illam fluxum ſanguinis, nil aliud eſt, quam jacere illam in ſordibus gravium ſcelerum & peccatorum: quæ materia alias frequenter & fuſe in meis concionibus tractatur. Illa circumſtantia, quod mulier, ſanguinis fluxum paſſa ſit per annos duodecim, qua diuturnitaté temporis morbi moleſtia valde aggravatur; SS. Patribus anſam præbuit dicendi, idem periculoſiſſ. eſſe in morbis animæ, cum per multos annos, inveterata conſuetudine, peccandi roborantur. Quidnam ſit illa conſuetudo, & quā illa ſit damnoſa, hæc concio ex ſacris literis fuſe explicabit. Ex quo periculo, ſolus Chriſtus D. & ejus Mater Maria, nos eripere poſſunt.

§. 1. Fluxus ſanguinis in corpore humano, eſt ſymbolum peccati mortalis in anima. Duodecim anni denotant malam peccandi conſuetudinem. Ezech. 16. v. 6. v. 12. 13. 14.

Fluxus ſanguinis in anima per annos duodecim, ſive, ut SS. Patres & verbi Divini præcones loqui ſolent, conſuetudo peccandi, eſt veluti fortis quædam catena & funis, quo miſer peccator trahitur, de uno peccato in aliud: peccata aliquoties

§. 2. Illa conſuetudo eſt catena, qua peccator de

Digitized by Google

uno pecca- ties commiſſa illum audacem faciunt, ut audeat majora. Gen.
to, trahitur in aliud. 37. ajunt fratres Joſephi inter ſe, *Venite occidamus eum.* Ex illis,
Gen. 37. v. 20. quæ ibi narrantur, colligere poſſumus, nô fuiſſe hoc omnium conſilium, nam Ruben & Judas conati fuerunt illum liberare è tam gravi periculo. Salianus putat, præcipuos illius conſilii, tam crudelis, auctores fuiſſe Simonem & Levi, qui in Sichem, non ita pridem ſiccarios egerunt; unde à patre, *Vaſa iniquitatis bellantia dici meruerunt.* Et quid mirum, quod ad occidendum fratrem ſe accingant, qui paulo ante fuerunt auctores necis peractæ in Sichimis? quippe habet hoc peccatum admiſſum, & conſuetudine roboratum, ut ad alia majora peragenda impellat. Catena eſt, funis eſt, quo diabolus miſeros de uno ſcelere trahit ad aliud. Et ita (ut cum S. Aug. loquar l. 1. contra adverſ. legis & Prophet. c. ult.) *Crimina criminibus vindicantur, & ſupplicia peccantium non ſunt tormenta, ſed incrementa vitiorum.* Gravius anima peccatrix puniri non poteſt, quam ſanguineo fluxu multorum ſcelerum, per annos duodecim, per longum tempus; ſæpe, & ut plurimum juſto Dei judicio, uſque in ſepulcrum.

§ 3. *Qua ligati peccatores, gaudent in ſordibus ſuis.* *2. Petr. 2. 22.* Ingens hæc reiteratorum peccatorum pœna eſt, & eo gravior, cum contingit, ut tandem peccator gaudeat, & bene ipſi ſit in ſuis ſordibus. De quibus D. Petrus 2. Pet. 2. loquitur dum ait, *Sus lota in volutabro luti;* & Nicæn. hom. de fornic. fug. *Peccati ſervus, quotidie turpior & ignominioſior, cœnum haurit, ſordium congerit cumulum, immundo munere fungitur. At, non eſt res gravis & tetrica, volutari in cœno & computreſcere in ſtercore ſuo.* Et Clemens Alexandr. in adhort. ad gentes. *Ille autem, inſtar vermium in cœno, & voraginibus, nempe voluptatis fluentis volutati, inutilibus & ſtultis paſcuntur deliciis, ſuilli quidam homines: ſues enim cœno magis delectantur, quam aqua munda, & in congeſtæ paleæ verſari cumulo, eſt quadam inſana eis delectatio.* Eo uſque miſeros trahit catena malæ conſuetudinis. Utinam tales memores eſſent verborum D. Cyr. Alexandr. l. 5. in Joann. *Timendam eſſe, & graviter formidandam Dei iram, ſi iterum, atque iterum eadem perpetremus flagitia.*

§ 4. *Sunt vel-* Neque cogitemus, facile eſſe, ut quis ex cœno malæ conſuetu-

Digitized by Google

ſuetudinis facile reſurgat; aliud Deus minatur per Iſaiam 24. *uti ebrii,*
Agitatione agitabitur terra ſicut ebrius & gravabit eum iniquitas *qui ſurgere non poſ-*
ſua, & corruet, & non adjiciet ut reſurgat. D. Cyr. hæc verba ſic *ſunt.*
legit. *commovebitur terra* (ſive peccator, qui terrena ſapit) *ut* *Iſ.24.v.20*
ebrius & crapulatus, & cadet, nec poteſt reſurgere; invaluit enim contra eum iniquitas. (Deſcribi hic poteſt ebrius vacillans;) quod aſcribendum eſt, vini ſuperabundantiæ & copiæ, quæ invaleſcere ſolet, ut tandem ebrius plane ſurgere non poſſit: pari ratione, tolerabilis eſt iniquitas peccati, ſi cito retractetur, ſi impius mox revocet greſſus ſuos à ſemitis malis. Verum ſi (D. Cyrillus ibi) *prævaleat iniquitas*; ſi impietas *intemperans fiat, & effrænis; neceſſe omnino eſt*, impium tandem, *impietate roborata, inebriari quodammodo, & oppleri crapula, & agitari*, & dejici ut ſurgere non amplius poſſit. Peccata quæ invaleſcunt & multiplicantur, graviter tandem puniuntur. Coguntur tandem tales peccatores & ebrioſi in ſuis ſceleribus bibere
de vino iræ Dei, Apoc. 14. *quod mixtum eſt mero in calice iræ ipſius.* *Apoc.14.v*
Et quodnam eſt hoc vinum mixtum? reſpondet Andr. Cæſar. *10.*
in c. 14. Apoc. *Propter peccati multiplicitatem, & diverſitatem, ex varus cruciatibus, pœnarumq; generibus mixtum.* Hoc Deus Judæis minatus fuit Lev. 26. *addam plagas veſtras usque in ſeptu-* *Lev.26.v.*
plum, propter peccata veſtra. id eſt, multiplicia peccata, tan- *21.*
dem multiplici pœna caſtigantur, ut Divina *vindicta*, hoc modo (Iſychius) *fit integra.*

Allegata verba, *addam plagas*, me ducunt ad illos SS. Pa- *§.5.*
tres, qui conſuetudinem peccandi vocant, *vulnus animæ, &* *Mala conſuetudo eſt animæ inſanabile vulnus.*
inſanabile vulnus. Apoc. 16. dicitur, *factum eſt vulnus ſævum, & peſſimum in homines.* Rupertus ibi. Quod eſt illud vulnus ſævum, & peſſimum? quod *tradidit eos Deus in paſſiones ignominiæ.*
ut ſcilicet, crimina criminibus addantur, ſcelera ſceleribus, *Apoc.16.v.2.*
ſcelera horrenda, ignominioſa. *Quid hoc vulnere ſævius aut pejus. Eſt enim non ſolum peccati ſed peſſima pœna peccati.* Perſeverantia in malo ob quam Jeremias dixit Iſraeli c. 30. *Inſanabilis* *Ier.30.v.*
fractura tua; peſſima plaga tua. Circa quæ Hugo Card. *Illorum* *12.*
plaga eſt peſſima & inſanabilis, qui in flagellis Dei non corripiuntur, ſed magis indurantur. Equidem æger, qui potionem ama-

ramnon accipit, nec venæ ſciſſionem ſuſtinet, nec cauteriũ, ſed magis amat, in vulnere eſſe, is inſanabilis in corpore eſt. Sic qui flagello Dei non ſubditur, ſed in peccato eſſe mavult, maxime fugit manus ſanantis. Deut.32. *Fel draconum, vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile.* Gloſſa. *Quaſi intra ſe retinent venenum malitiæ, ne ſalutis, & correctionis medelam ſuſcipiant. Non intrat medela in animum*) per medelam intelligo precioſum ſang. Chriſti Salvatoris; ſed quomodo, ille ſanguis effuſus in ſudore ſanguineo, non intrabit in animam miſeri peccatoris, ut lavet, ut ſanet tam ſæva vulnera? Non. Ille ſanguis effuſus tanta copia ad col. in flagellatione &c. Non! non inquam tam cœleſtis medicina, intrabit in animum, qui amat eſſe in plenitudine malitiæ. Quorum genium pulcro ſimili deſcribit S.Chryſ. hom.19. in gen. *Quemadmodum incurabilia vulnera, neq; auſteris medicamentis cedunt,* neque mollibus: *Ita & anima ſemel captiva* (ſemel ligata forti catena malæ conſuetudinis) *conſiderare non vult, quæ ſibi ſunt utilia; etiamſi quis innumera inculcet ipſius auribus, nihil proficiet; ſed quaſi mortua eſſent aures; nullam ex admonitione ſuſcipit utilitatem; non quia non poteſt, ſed quia non vult.* In hoc proprie conſiſtit mala conſuetudo, Non velle cavere peccata, ſed cum gaudio, ſæpe cum impudentia, illa reiterare. Periculoſus admodum, eſt hic duodecim, imò plurium annorum fluxus. Unius Jeſu auxilio & extraordinaria divina gratia opus eſt, ut curetur.

Deut.32.v.33.

§.6. Malæ conſuetudinis in peccatore pœnas idem Jeremias citato loco his verbis proponit. *Propter multitudinem iniquitatis tuæ, dura facta ſunt peccata tua.* id eſt, de multa iterata iniquitate venit, quod peccator tandem indureſcat in peccatis, & veluti in lapidem convertatur Job.41. *Cor ejus indurabitur quaſi lapis.* Teſte Plinio l.2.c.103. In fluvio Silaro ultra Surrentum, non virgulta modo immerſa, verum & folia lapideſcunt. Habet hoc fluvii illius decurſus ut ſi diu aliquod lignum vel folium alluat, in ſaxum commutet. Idem facit continuus peccati uſus, ut impii ſint folia vento rapta in aquas iniquitatis conjecta, & flagitiorum conſuetudine in lapides converſa, atque ſcelerum duritie obſtinata. Sic Ezechiel c.2. ait de Judæis:

Mala conſuetudo inducit duritiem cordis.

Job.41.v.15.

Ezech.2.4.

Filii

Filii dura facie, & indomabili corde. Hector Picto. tales ſunt, qui diuturnitate peccandi modeſtiam amiſerunt, & flagitiorum conſuetudine callum obduxerunt, conſcientiæ; & corda habent dura, & efferata, & ad omnia ſcelera propenſa. Tales ſunt hodie multi, quibus id recte accommodatur, quod ait Zachar. 7. *Cor ſuum poſuerunt ut adamantem:* petram omnium duriſſimam *in malo, obſtinate uſque perſtant.* Victor. Antioch. Et ita, *firmant corda ſua* Job. 11. *ne jacula timoris ſuperni illa confodiant.* D. Greg. l. 10. moral. c. 10. ideoque *Deus permittit* (D. Cyr. Alexand. in c. 63. Iſaiæ;) *illos mentem habere præfractam, quæ frangi nequeat.--quibus autem hoc accidit, iis omnino neceſſe eſt aliud obvenire, ut inquam Dei metu careant*; &, quod ſequitur, nullum ſcelus horreant. Zach. 7. 12.

Alium effectum malæ conſuetudinis nobis exponit Jeremias Thren. 3. *Lapſa eſt in lacum vita mea, & poſuerunt lapidem ſuper me.* id eſt, ubi peccatis additur conſuetudo & habitus peccandi, ſic miſeri, velut in lacu vel ſpelunca concluduntur, ut vix inde poſſint exire. D. Greg. l. 26. mor. c. 24. *In lacum quippe vita, (vel anima) labitur, cum labe iniquitatis inquinatur. Lapis vero ſuperponitur, cum etiam dura conſuetudine, mens in peccato demoratur; ut ſi velit exurgere, jam utcunq; non poſſit: quia moles deſuper malæ conſuetudinis premit.* Quod metuens David dixit pſ. 68. *Ne me demergat tempeſtas, neq; abſorbeat me profundum, neq; urgeat ſuper me puteus os ſuum,* Caſus in puteum eſt lapſus in peccatum. Cecidit David, cum commiſit adulterium. Sed quando puteus claudit os ſuum? quando nimirum conſuetudo peccato ſuperadditur, tunc enim ſic miſer homo, jam ante ligatus, concluditur, ut pene ad ſalutem non habeat aditum. Pulcre idem D. Greg. Lapſum *in peccatum-quaſi tempeſtas aquæ rapuit; ſed ſi adhuc longa conſuetudine non praevaluit, non demerſit.* Ideo David brevi reſurrexit. *Iam in puteum cecidit, qui hoc quod divina lex prohibuit, perpetravit; Sed ſi adhuc longa conſuetudo non deprimit, nequaquam os ſuum puteus coanguſtavit. Tanto enim facilius egreditur, quanto minori conſuetudine, coarctatur.* Neque aperietur, niſi peculiari Chriſti Domini omnipotentia & miſericordia ſuccurrat. Quod

§. 7. Horrenda eſt clauſura pravæ conſuetudinis. Thr. 3. v. 53

Pſ. 68. v. 16.

ſi fiat, id fit, ex abſcondito Dei judicio, & miſericordia ſingulari.

§. 8. *Ex qua ſolus Chriſtus D. nos eripere poteſt.* Miſceo hoc ſolatium, ne aliqui, depravatæ alicujus conſuetudinis vulnere ſaucii, aut vinculo ligati, deſperent; veriſſimum eſt Dominum dixiſſe, *Inſanabilis eſt dolor tuus*; paulo tamen ante etiam dixit, *obducam cicatricem tibi, & à vulneribus tuis ſanabo te.* nam Deus etiam ſaxa in oleum eliquare poteſt. *Matt. 27. v. 46.* Matt. 27. *Ieſus iterum clamans voce magna emiſit ſpiritum. Et terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt.* Quid ita? Petræ fuerunt obdurati in malo Judæi; multorum tamen corda confracta & commota fuerunt à clamore exſpirantis Jeſu. *Nunquid enim non verba mea* (Jer. 23.) *ſunt quaſi ignis dicit Dominus, & quaſi malleus conterens petram.* *Ierem. 23. v. 29.* Quæ verba aurea metaphraſi elucidat S. Hieron. *Meus ſermo nuntiat futura ſupplicia, ut deterreat homines à peccato; & paleis peccatorum comminatur incendium, ut corda dura, & inſtar ſilicis indomabilia, ſermonis ſui malleo conterantur, &c.*

§. 9. *Figura fuit David. 1. Reg. 17. v. 34.* Unius Salvatoris noſtri eſt obduratum peccatorem de tanto periculo eruere. De ſe ait David l. 1. Reg. 17. *Paſcebat ſervus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo vel urſus, & tollebat arietem de medio gregis, & perſequebar eos & percutiebam, & eruebam de ore eorum.* Hæc fuit figura Chriſti D. at (quærit D. Ephrem lib. de pœnit.) *Quiſnam hic urſus? Iniquitas. Et quis aries? Latro in cruce propter iniquitatem affixus. Qui cum ſolum verbum loqueretur, ſicut David arietem, ita & Chriſtus ex mortis faucibus exemit & liberavit.* O Cœleſtis David! O bone Jeſu, ecce animam miſeri peccatoris, duodecim annorum ſanguinis fluxu laborantem; ecce, miſerum peccatorem per annos viginti jacentem in ſordibus &c. (poterit fieri pulcra repetitio illorum quæ ſuperius dicta ſunt) O Jeſu! jam jam infernalis leo aperit immanes rictus ut illos abſorbeat in gehennam: adeſto, ſuccurre. Meus Jeſus infinite bonus offert auxiliares manus; tu, tu, O peccator convertere, clama ad Dominum Deum tuum &c. (implora gratiam Sp. S. ut patheticum tibi ſuggerat affectum.)

§. 10. *Invetera-* *Cum vero cernimus* (D. Leo ſer. 6. de Epiph.) *homines vitiis dedi-*

Digitized by Google

deditos, & à Chriſto Ieſu longinquos de profundo erroris ſui reduci; revocate in memoriam maximas aliquas hujus concionis; v. g. cum cernimus, peccatorem obſtinatum diſrumpere vincula malæ conſuetudinis; cum cernimus ſiſti in anima fluxum ſanguinis, qui per annos duodecim & plures duravit, &c. cum cernimus peccatorem multis annis conculcatum in ſanguine ſuo, rurſum lavari, ornari &c. cum cernimus duriſſimum aliquod cor concuti, & commoveri ad veram pœnitentiam cum cernimus aliquem latronem paulo antequam moriatur, reſipiſcere, & erui ex faucibus inferni, vel arietem ex ore leonis. *divina procul dubio gratiæ ſplendor* talia *operatur, ut mentes quas ſuo fulgore contigerit, & miracula moveat, & ad Deum perducat.*

tum peccatorem deponere firmam & duram conſuetudinem, eſt novum miraculum ſoli Deo, ſoli Chriſto, & D. gratiæ aſcribendum.

§. II. Uni Deo inveterati peccatoris converſio eſt aſcribenda. Jam aliquamdiu infelix juvenis, Abſolon pependerat de quercu, cum Joab accurrit cum tribus lanceis, quas infixit in corde Abſolonis l. 2. Reg. c. 18. Et cur miſer adoleſcens tamdiu quercui hærens nec verbum fecit ſalutis, ſive patrem memorans, ſive patris ſervos miſericordia flectens; ſive Joabo proponens amicitiam, ſive DEUM obteſtans? nihil horum fecit, ſed mutus & attonitus exſpectavit letales lancearum ictus. Luc. 15. alius perditiſſimus filius, ſub quercubus cum porcis manducavit ſiliquas, propter famem in miſerabilem redactus ſtatum. Hic tamen in tanta miſeria, & tanto periculo, reverſus in ſe cœpit cogitare de patre ſuo, & qua ratione ad illum vellet reverti. Et cur prodigus ille à quercubus ad patrem aſpirat, & tractat de ſalute acquirenda à Patre; cur non idem fecit Abſolon; cur non cum lacrymis & gemitu dixit ad Joab; ſiſte, parce, ibo tecum ad mitiſſimum patrem meum. Altum ſiluit! ideo de Abſolone ſupra dixit textus, *Vidit autem hoc quiſpiam, & nuntiavit Ioab dicens, vidi Abſolonem pendere de quercu* Non Deus; non Pater dicitur vidiſſe miſerum, ſed quiſpiam alius. De prodigo vero ait S. Lucas; *Cum adhuc longe eſſet, vidit illum pater ipſius.* Vidit inquam, illum Pater cœleſtis, cujus radius ubi cor ejus affulſit, eum in ſpem ſalutis traxit. Non creatura aliqua, ſed unus eſt Deus, qui peccato-

Cur ſub quercubus apud porcos filius prodigus cogitaverit de ſalute, non Abſolon pendens de quercu.

2. Reg. 18. v. 14.

v. 10.

Luc. 15. 20.

catorem valet ad ſalutem excitare. Pulcre ad hæc D.Chryſol. ſer.3. *Pater vidit illum, ut & ille patrem poſſit attendere: patris viſus illuſtravit venientis aſpectum, ut tota fugaretur obſcuritas, quæ circumfuſa fuerat de reatu. Non ſunt tales tenebræ noctis, quales illæ ſunt, quæ de confuſione veniunt peccatorum. Audi prophetam dicentem, comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui videre. pſ.29. Nox ſepelit lumen, peccata ſenſum confundunt. Niſi ergo cæleſtis pater, redeuntis filii radiaſſet in vultu, & totam confuſionis caliginem reſpectus ſui lumine ſuſtuliſſet, nunquam divini vultus vidiſſet ille filius claritatem.* Ex his advertite, quo miraculo, qua Dei potentia, qua bonitate & miſericordia opus ſit, ut peccator, qui cum Abſolone hoſtis fuit Dei, qui cum filio prodigo multis annis vixit luxurioſe, ut tandem convertatur, ut &c. Benevolus Chriſti D.Salvatoris aſpectus requiritur.

§.12. *Cur pœnitentiam egerit Petrus, non Judas.* Petrus ter Chriſtum negavit; mox tamen, exivit & amare flevit. Judas illũ prodidit, mox abiit, & deſperans de venia laqueo ſe ſuſpendit. quid hoc cur non & Judas pœnitentiã egit? De hoc non dicitur, quod poſtquam ex horto Oliveti abiit, quod Chriſtus D. illum viderit; de Petro dicitur, *Et converſus Dominus reſpexit Petrum.* Luc.22.D.Chryſoſt. ibi in cat. græca. (*Luc. 22. v. 61.*) *Quamvis gallus cantaſſet, caſum ſuum Petrus à ſe ipſo non ſenſit, ſed Magiſtri admonitione indiguit: cujus inſpectio, vox illi facta eſt.* Crede mihi, de ſola Dei aſpicientis infinita miſericordia venit, quod peccator diuturnæ peccandi cõſuetudinis, confractis vinculis reſpiret ad vitam. (*Hab. 3. v. 6.*) Habac.3. *Aſpexit Deus, & diſſolvit gentes* id eſt (S.Aug.l.18.de civ.c.32.) *Miſertus eſt Deus, & fecit populos pœnitentes.* Mulier in hod. Eu. acceſſit q.&c *Sed Ieſus converſus vidit illam,* vidit filium prodigum, non Abſolonem? cur reſpexit Petrum, non Judam? cur ſubinde inveterati peccatores tandem convertuntur, non alii? relinquamus hæc abyſſo divinorum judiciorum, ego modo inveteratos peccatores, monere tandem volui, ut ſciant ſe à ſolo Chriſto Domino opportunum debere petere & exſpectare auxilium.

Agite prodigi filii, ſurgite, ad Chriſtũ confugite; benigniſſimis ejus oculis vos exponite, ut ſecurior ſit acceſſus, prius matrem miſericordiæ, benigniſſimam Dei matrem & Virginem

Digitized by Google

nem accedite. Cur hoc à vobis petram, cauſam mihi dedit Rich. à S. Laur. l. 10. de laud. Mar. ſuper cap. 10. l. 3. Reg. Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem &c. & duæ manus hinc, inde. ubi ait; *In throno iſto, id eſt, in Maria, ſunt quaſi duæ manus; una, qua juſtos continet, ne corruant in profundum. Alia, qua peccatores erigat ad gratiam.* Maria eſt potens illa Domina, cujus manus longorũ & multorũ, & magnorum peccator. catenas confringunt. Illius manus. innumeras animas ex ſcelerũ lacu, & puteo eruerunt &c. Itaque accurrite ad Mariam, &c. 3. Reg. 10. v. 16.

CONCIO LIV.

DOMINICA ULTIMA POST SS. TRINIT.

Cum videritis abominationem deſolationis,

Matt. 24. v. 15.

SYNOPSIS CONCIONIS.

DUo ſunt in quovis peccato mortali; Culpa & pœna; agit hæcq; concio de abominatione utriuſq;. Id eſt, abominanem peccati juſtus Deus caſtigat & punit graviſſimis pœnis.

§. 1. *Breve exordium, ſive, Propoſitio concionis.*
§. 2. *Per objecta ſenſibus abominabilia explicatur turpitudo peccati.*
§. 3. *Sancti, propterea horrent peccatum mortale.*
§. 4. *Altera cauſa, ob quam peccatũ mortale, eſt abominabile.*
§. 5. *Peccata ſcandaloſa ſunt maxime abominabilia.*
§. 6. *Quantũ noceant animabus.*
§. 7. *In quo conſiſtat abominatio pœna.*
§. 8. *Punit Deus impietatem.*
§. 9. *Proſecutio.*
§. 10. *Omnes creaturæ conſpirant in vindictam contra impios.*
§. 11. *Proſecutio.*

TOtus diſcurſus præſentis meæ Concionis ſupponit multorum interpretum & SS. Patrum diſcurſus quibus oſtendunt in ſenſu myſtico, per abominationem, de qua Chriſtus D. loquitur, intelligi, peccatum mortale; §. 1. *Breve Exordium, ſive, Propoſitio concionis.*

tale; ſicut autem hoc duo involuit, culpam & pœnam, ita duplex ex illis oritur abominatio; culpæ & pœnæ. Prima parte hujus conc. agam de abominatione culpæ, in altera de abominatione pœnæ.

§. 2. *Per objecta ſenſibus abominabilia oſtenditur turpitudo peccati.*

1. Abominatio eſt p. mortale; propter quod ut (S. Bern. loquitur de interiori domo, c. 35.) *peccator eſt opprobrium hominū, pecore vilior, cadavere pejor.* Tolerabilius canis putridus fœtet hominib. quam anima peccatrix Deo. ſer. 6. de adv. vocat, *corruptionē mentis.* Cogitate ulcera fœtidiſſima in hum. corpore; Abominalius ulcus in anima eſt p. mortale. Cogitate putredinem cancri! abominabilior cancer eſt p. m. Cogitate in ulcere, & putredine natantes vermes, pediculos, &c. abominabilius longe in oculis Dei eſt quodvis p. mortale. S. Ambroſius inſinuat, non tantum eſſe abominabile p. mort. ſed ſerpere; dum vocat, converſationis maculoſæ contagium, ſive peſtem; quid magis abominamur? quid magis horremus? S. Scr. vocat rem turpem. Dan. 13. *Helcias autem & uxor ejus laudaverunt Deum pro filia ſua Suſanna, cum Ioachim marito ejus, & cognatis omnibus, quia non eſſet inventa in ea res turpis.* Res turpiſſima oculis noſtris eſt fœtida aliqua cloaca; turpior eſt anima infecta peccato mortali. Res turpis eſt, ſepulcrum in quo jacet aliquod cadaver ſcatens vermibus; turpior eſt macula p. m. in aliquo corde humano. Res turpis, terribilis, abominabilis eſt ſpecies alicuj᷒ diaboli! horribilior eſt anima quæ jacet in ſtatu peccati mortalis. Turpe animal eſt bufo, qui realiter aſpicientium oculis incutit terrorem; bufo in anima eſt p. mortale.

Dan. 13. v. 63.

§. 3. *Sancti propterea horrent peccatum mortale.*

Hinc in hominibus timentibus Deum tantus eſt horror p. mortalis. Licet Dan. 3. *fornax eſſet accenſa nimis,* illam tamen pueri contempſerunt; peccatū a. timuerunt. Noverant enim quod incenſi nihil paſſuri erāt grave, impie vero agentes extrema ſubituri. Magnum enim ſupplicium eſt peccare! peccatum, diſplicet in oculis Domini, peccatum nos ſeparat à Deo. Teſte Tertull. in Apol. 4. v. 9. SS. Martyres ſoliti fuerunt dicere, *malumus damnari, quā à Deo excidere.* S. Bern. de his ait; *Qui terribilius & horribilius ipſa gehenna judicant, vultum Omnipotentis offendere.* S. Joh. Chryſ. hom. 5. in ep. ad Rom. Si quis eſt, qui

Dan. 3. v. 23.

qui ſenſu ac mente prædituseſt,ii certe gehennæ pœnam tolerare malit, *quam adverſos Deoſtare*; ſi nullam aliam ob cauſã, certe ob hanc unam gehenna digni ſumus,quod ipſum Chriſtum non timemus; De B.M.Ognacenſi ait hiſtoria vitæ,ſemper læta, ſemper hilaris, ſemper in cordis jubilo remanebat, niſi quando periculũ vel lapſus animarum mentem ejus perturbavit.In hoc ſolo, modum non habebat,lugebat anxia,dolebat deſolata, cibum non capiebat, ſomnum ab oculis ejus abigebat,more parturientis clamitabat. Hæc propter peccara aliena. cogitate,quis ſenſus eſſe deberet illis,qui ob p.actualia ſunt abominabiles corã Deo. O miſer quid ageres præcipitatus in cloacam,nunquid inclamares opem &c. ad ſalvandum corpus! Animam potius vide,quomodo ſalves;S Agnes ſtans inter flammas auſa fuit exclamare, *malo mori, quam fœdari.Pereat corpus,quod amari poteſt oculis,quibus* nolo.S.Anton. 3.p.tit.19.c.12. ait de devaſtatione urbis Leodienſis,mulieres quæ ad eccleſiam confugere non poterant, in flumen ſe projecerunt,magis ſic eligentes mori, quam damnum caſtitatis vel virginitatis incurrere.Quædam etiam in ſtercorarias ſentinas proſilientes, malebant extingui fœtore, quam ſpoliari Virginitate.De S.Chryſoſt.dixerunt Legati Eudoxiæ ad Imperatricem,poſtquam diras evomuiſſet &c.*fruſtra illum hominem terres,nihil ille niſi peccatum timet*.deS.Ambr.dixitRuffin. belli dux, Imperat. Theodoſio jubẽti illum terrere &c. Novi ego conſtantiam Ambroſii, & quod nullo Regiæ Majeſtatis terrore divinam legem,tranſgrediatur.Finem imponamhuic SS.aureis verbis S.Chryſoſt. ex literis ejus ad Olympiadem. *Una duntaxat res gravis ac pertimeſcenda eſt, O Olympias! nempe peccatum! reliqua autem omnia mera fabula, ſive inſidias dixeris, ſive inimicitias, ſive fraudes, ſive calumnias,ſive maledicta ſive accuſationes, ſive bonorum proſcriptiones, ſive exilia, ſive gladios peracutos,ſive mare, ſive totius orbis bellum. nam quæcunque tandem hæc ſint, certe temporalia & caduca ſunt.*

2. Res abominabilis eſt,peccatum,quod momento animæ rationali tam horribilia infert damna. *Hoc vero ſunt peccata lapſis* (ait S.Cypr.l.de lapſis) *quod grando frugibus, quod armen-* §.4. *Altera cauſa,ob quam peccatum*

mortale eſt *tis peſtilens vaſtitas, quod navigiis ſæva tempeſtas, &c.* pul-
res abomi- cerrima ſimilia! Menſe v.g. Julio in ampliſſimo campo jam
nabilis. alba eſt meſſis. In autumno in florido horto, arbores plenæ ſunt pulcerrimis pomis & pyris; Menſe Septembri vites in vineis gravantur à pondere uvarum. Sæpe improviſo irruit de cœlo grando, decidunt imbres, cadunt fulmina, furunt venti; à quibus brevi, omnia vaſtantur &c. p. quis luctus? quis agricolarum gemitus &c. Magis in anima ſævit p. mortale (eſt locus pro p. deſcriptionibus.) Amœnus hortus, fertilis vinea, arbor bona, eſt anima juſti! grando cor p. mortale, quod uno momento illam ſpoliat omni venuſtate & decore &c.

§. 5. 3. Abominabilia præſertim ſunt illa peccata, quæ ſunt
Peccata ſcandaloſa (quæ aliis præbent occaſionem ruinæ, vel cauſam,
ſcandaloſa Apoc. 2. *habeo adverſum te pauca; quia habes illic tenentes doctri-*
ſunt maxi- *nam Balaam, qui docebat Balac mittere Scandalum coram filiis Iſrael*
me abomi- edere & fornicari, &c. S. Ignatius M. ep. 2. ad Antioch. *Videte*
nabilia. *malignos operarios, inimicos Crucis, quorum Deus venter eſt, quorũ*
Apoc. 2. v. *gloria in confuſionem eorum. Videte canes rabidos, ſerpentes ſuper*
14. *pectus repentes, dracones ſquamoſos.* Sed quis has beſtias non abominatur? multo magis Deus abominatur peccatores & q. ſcandaloſos, qui mordent, qui lædunt, qui occidunt animas. S. Joan. Chryſ. h. 25. in ep. ad Rom. *Neq; enim peccatum tantum in ſe perditionis habet, quantum quod reliqui ad peccat. inducuntur*

§. 6. De hero filii prodigi ait c. 15. S. Lucæ. *Miſit illum in villam*
Quantum *ſuam, ut paſceret porcos.* S. Chryſol. ſer. 2. *quod autem mercenarios*
noceant *ſuos mittit ad porcos, facit hoc inſatiata crudelitas, quæ contenta non*
animabus. *eſt, homines criminoſos fieri, niſi eorum vitiorum duces crimino-*
Luc. 15. v. *ſos faciat & magiſtros.* Ideo verba illa Chriſti, *væ mundo à ſcan-*
14. *dalis,* alia lectio vertit, *væ mundo à tyrannis, à bellis,* S. Aug. in præf. pſ. 69. *Noſtra tempora magis abundant illo Væ, quod clamavit Dominus, væ mundo à ſcandalis. Fremunt dentes impiorum adverſus pacem Chriſtianorum, & quia non habent quod agant, ſæviendo; ſaltando, blaſphemando, luxuriando, non impellunt corpora, ſed lacerant animas*· abominabiles Deo! S. Paulus 2. Cor. 8. *Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum peccatis.* quia nocent illis, propter

quod

quod Chriſtus mortuus eſt. S. Hier. hic. Dantes occaſionem ſcandali, rei ſunt eorum, qui pereunt ſcandalo, S. Joan. Chryſ. *Etenim omni plaga gravius eſt ſcandalum, cum ſæpe numero mortem afferat* animæ, qua nihil eſſe poteſt abominabilius. S. Bern. *Non tibi videtur graviorem Chriſtus ſuſtinere perſecutionem ab illo, qui ſuggeſtione maligna, exemplo pernicioſo, ſcandali occaſione ab eo pervertit animas, quas redemit, quam à Iudæo qui ſanguinem fudit.* Serpenti dixit Deus Gen. 3. *Quia feciſti hoc, maledictus es inter omnia animantia & beſtias terræ;* dicamus nos; Abominabiles tales ſunt. Hæc de abominatione culpæ. Gen. 3. 14.

Abominationem pœnæ quod attinet, conſiſtit illa in hoc quod juſtiſſimus Deus, peccata & peccatores, graviſſimis pœnis, etiam in hoc mundo ſeveriſſime puniat & caſtiget. S. Th. 1 p. q. 49. art. 2. *Ad ordinē univerſi pertinet ordo Iuſtitiæ, qui requirit, ut peccatoribus pœna inferatur, & ſecundum hoc Deus eſt auctor mali. quod eſt pœna.* Judith. 5. *Deus n. illorū odit iniquitatem*, proinde cogitur punire Sap. 4 *Odio ſunt Deo, impius & impietas ejus* pſ. 5. Odiſti omnes qui operantur iniquitat. (& quid ſequitur) *perdes omnes qui loquuntur mendaciū.* Hinc non eſt malū, quod o. fecerit Dom. Amos. 3. Gloſſa. *Non erit tribulatio niſi à Domino venerit.* Theodo. Malum idē eſt quod ultio. Mala n. vocare ſolem⁹ morbos, ſupplicia, immaturas mortes, peſtes, bella atque ſimilia; Lyranus. *Quæ Deus ordinat fieri, ut dedecus culpæ, puniatur decore Iuſtitiæ.* Sunt illa mala, (Lyranus,) veluti quædam *inſtrumenta ad exequendum D. Iudicia.* De crudelitate tyrannorum, hæreticor. militum p. ſuo tempore dixit Lipſius l. de conſtantia. *Sævitia hæc Deo militat, nec aliud eſt, quam exercitatio Chriſtianorum, cum divitiis ac delictis immerſi ſunt, & ſepulti.* De Amano ſuſpēſo in patibulo, quod præparaverat Mardochæo (quis potuiſſet cogitare hoc futurum ut tanto Regis Aſſveri Miniſtro, regiæ aulæ præfecto hoc contingeret) p. ait S. Maximus, *ſed ipſe qui machinatus eſt, & omnis cognatio ejus, pendet in patibulis, Deo reddente ei quod meruit.* O abominationem peſtilentiæ! reddit nobis juſtus Deus, quod meruimus (hoc modo fiet p inductio, accommoda tempori.) Magnum hominis malum, ut mundus putat eſt pauperies & egeſtas.

§. 7. In quo conſiſtat abominatio pœnæ.

Judith. 5. v. 21. Sap. 14. 19. Pſ. 5. v. 7. Amos 3. 6.

Pſ.106 v. 33. *Sed egeſtas à Domino in domo impii.* Pſ.106.33. *Poſuit flumina in deſertum, & exitus aquarum in ſitim. Terram fructiferam in ſalſuginem, à malitia inhabitantium in ea.* Janſenius ſic legit hunc verſum. *Terram fructiferam redegit in ſalinas & ſterile ſolum, idq; propter malitiam eorum, qui habitabant eam. Videtur velle ſignificare, quod ſterilitatem terræ promiſſionis fertiliſſimæ, Deus propter peccata induxerit.* Horrent aures noſtræ audire à majoribus noſtris, quæ in provinciis, in regnis, in fertiliſſima Germania fuerit abominatio propter famem &c. In vaſtatione Jeroſolymæ abominatio ſumma fuit, quod parentes devoraverint ſuos infantes &c. ſimilia ſpectacula hoc ſæculo vidit Germania. Lugubre eſt auditu, quod vivi infantes reperti fuerint penduli ad ubera matrũ, quæ præ fame erant mortuæ & infantilibus morſibus ea lacerantes, ad quærendum à mortua matre, nutrimentum. An non talia auditis cum gemitu cordis? ſed cogitate hæc contigiſſe, propter peccata Germaniæ. Caveamus ne ob eadem peccata, eadem abominatione iterum puniamur.

§.8. *Punit Deus impietatem.* Jer.12. v.4. Ideo Jeremias quærit ex Deo cap. 12. *Vsquequo lugebit terra, & herba omnis regionis ſiccabitur propter malitiam habitantium in ea?* id eſt, quàm diu durabunt hæ pœnæ? S. Hier. *Quod dicit, usquequo; illud ſignificat permanere iram Dei, usquequo animus peccatorum flectatur ad pœnitentiam.* Tempore Severini Ep. ſubditi ejus miſere fuerunt vexati à fame ob integros exercitus locuſtarum, quæ fruges omnes conſumſerunt; Non fuit

Sap.12.18. hæc nova plaga. Sap. 52. *Miſiſti anteceſſores exercitus tui, veſpas ut illos paulatim exterminarent.* Lyranus. *Dominus immiſit Cananæis, veſpas, habentes aculeos venenatos quæ plurimos interfecerũt.* Alis locuſtarum in Anglia inſcriptum. Ira Dei! quid bellum? ira Dei, quare? ob peccatum. Sic de peſte &c. Redeo ad S. Severinum. accurrere incolæ triſtes, ad ſuum Paſtorem, auxiliũ imploraturi; & vir ſanctus in ferventi concione ad illos dixit; *An neſcitis, quid Dominus, qui his vos flagellis erudire conatur, à vobis requirat?* Eſtis Deo veſtro inobedientes; mittit has beſtiolas, ut compellant vos ad obedientiam. Eſt inter vos Dei, & beneficiorum ejus oblivio; circumvolitant inter vos hæ lo-

cuſtæ

cuſtæ ut mentem elevetis ad Deum&c. Pœnitentiam à vobis requirit Deus. Fecerunt pœnitentiam, mox omnes locuſtæ evanuerunt.

Lev.26.25. Sacer textus clare innuit, quare Deus ſubinde populos & provincias puniat abominatione peſtis. *Inducam ſuper vos gladium ultorem fæderis mei, mittam peſtilentiã in medio veſtri*. S.Hier.in c.5. Ezech. *Famẽ & peſtilentiam, & beſtias peſſimas, & quidquid aliorum malorũ ſuſtinemus in ſeculo propter noſtra peccata venire, manifeſtum eſt*. Terribilis peſtis mentionem facit Procopius. Phantaſmata dæmonum multis humana ſpecie viſa ſunt, morbusque ſubito irruebat; ut eſſet ultor gladius. lib. 2. de bello Perſico idem auctor ait; Hic morbus nulli, neque ætati neque ſexui, neque loco parcebat; univerſam terram comprehendit, itinere ſemper procedens, nullas reliquit locorum latebras. Ut eſſet ulter gladius! hæc peſtilentia. Demum vocat ingentem peſtilentiam, cui remedium nullũ inventũ, præ tempore ex Deo, unde venit. Digna ponderatione ſunt verba Eccleſ.c.39. v.3. *Bona bonis creata ſunt ab initio; ſic nequiſſimis bona & mala &c*. Gloſſa, *omnia homini ante peccatum obediebant; poſt peccata vero pugnant contra eum*. Hugo Card. & Orig. *Peccatori omnis creatura hoſtis eſt, Juſto ſerviunt omnia*. Hæc omnia ſanctis in bona; ſic & impiis & peccatoribus in mala convertuntur. Sunt Spiritus qui ad vindictam creati ſunt, & in furore ſuo confirmaverunt tormenta ſua: in tempore conſummationis effundent virtutem, & furorem ejus, qui fecit illos, placabunt. *Ignis, grando, fames, & mors, omnia hæc ad vindictam creata ſunt: beſtiarum dentes, ſcorpii, & ſerpentes, & romphæa vindicans in exterminium impios*. Idem prorſus affirmare debemus de peſtilentia, & cujusvis pœnæ abominatione; Quæritis fortaſſis, ex Jer.47. *O mucro Domini uſquequo nõ quieſces?* reſpondeo, uſquequo nõ agetis pœnitentiam. Optatis ut Dominus dicat, O mucro! *ingredere in vaginam, refrigerare & ſile*. Opto ego, ut faciatis pœnitent. & utriſque Dominis noſtris fiet ſatis. S. Greg. M. ſuo tempore dixit Romanis tempore gravis peſtilentiæ lib.11. Regiſtr. c.2. *Ecce cuncta plebs cæleſtis iræ mucrone percutitur! & repentina ſinguli cade*

§.9. Proſecutio. Levit. 26. 25.

Eccleſ. 39. v.33.

Jer.47.6.

cade, vaſtantur &c. unusquisque g. noſtrum, ad pœnitentia lamenta confugiat, levemus corda noſtra cum manibus ad Deum.

§. 10. *Omnes creaturæ conſpirant in vindictam contra impios.* Citata verba ex Eccleſiaſtico impiis & peccatoribus in mala convertentur, ſic explicat, Philo Heb. l. 1. de vita Moſis, *Elementa mundi, terra, aer, ignis, aqua, conſpirant in impios Deo vindice.* Terribiliora ſunt verba Sapientiæ c. 16. *Negantes enim te noſſe impii, per fortitudinem brachii tui, flagellati ſunt Novis aquis, & grandioribus & pluviis perſecutionem paſſi, & per ignem conſumpti.* Rabanus. *Vt cognoſcant impii, quod omnis creatura parata eſt, ulciſci injuriam Creatoris.* *Sap. 16. v. 16.*

§. 11. *Proſecutio. Matt. 27. v. 52.* Matt. 27. dum filius Dei, erectus fuit in cruce in monte Calvariæ, *tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram; terra mota eſt &c.* S. Leo Papa ſer. 4. de paſſ. *Cum ad tantam Divinitatis inclinationem, totius mundi compago quateretur. Cum facinus impium, omnes ſui confuſione creaturæ, damnarent, & manifeſtam in reos ſententiam elementa proferrent.* Imo ipſi tandem ſe reos agnoſcunt, & divinam fatentur ſe ſentire ultionem, in terribili agone, inter graviſſima tormenta exclamavit. Diocletianus, *Væ miſerabili mihi, & digno qui lugeat*, quam juſtas impiorum meorum conatuum pœnas pendo! ad puniendos impios

Pſ. 148. v. 8. Deo vindici obediunt omnes creaturæ. pſ. 148. *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum,* (S. Aug. legit, ſpiritus tempeſtatis) *quæ faciunt verbum ejus.* Irruunt de cœlo flammæ in aliquam civitatem &c. faciunt verbum ejus. Locuſtæ devorant vineas, faciunt verbum ejus. (fiat p. inductio) ſic juſtus Deus abominationem culparum, etiam in hoc mundo punit abominatione pœnarum.

FINIS

PARTIS SECUNDÆ ALVEI QUARTI.

ALVEI QVARTI,

SIVE

CONCIONUM

IN

Feſta ab Adventu uſque ad Pentecoſten,

PARS III.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONCIO LIV.

FESTO S. FRANCISCI XAVERII, INDIARUM APOSTOLI.

Ito Angele velox ad gentem convulſam, & dilaceratam.

Iſaiæ 18. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Agit de itinere S. Xaverii in Japoniam, & præclaris ibidem ab eo geſtis, pro Dei gloria, & animarum ſalute.

§. 1. *Cor S. Franciſci Xaverii fuit caminus divini incendii.*

§. 2. *S. Xaverius fuit natus, & datus à Deo gentibus Orientis; proinde iter Iaponenſe nemo illi potuit diſſuadere.*

§. 3. *S. Xaverius ſol inter nubes, globus cryſtallinus, &c. Varia ſymbola.*

§. 4. *S. Xaverius fuit ſpeculum Archimedis.*

§. 5. *Apoſtrophe ad S. Xaverium, ut properet in Iaponiam.*

§. 6. *Abiturus Malacâ in Iaponiam, aſcendit navim piraticam.*

§. 7. *Nequicquam frendente orco, ingreditur Iaponiam.*

§. 8. *Alia itinera S. Xaverii per Iaponiam, & ingentes fructus Evangelicæ prædicationis.*

§. 9. *Minimo S. Xaverio data fuit gratia, prædicare Iaponiæ Chriſtum.*

§. 10. *Prædicationi S. Xaverius addidit preces & orationem.*

§. 11. *Duplex S. Franciſci ſuſpirium: Satis eſt, & amplius Domine.*

§. 12. *Ignita ſuſpiria, & preces jacu-*

Digitized by Google

CONCIO LIV.

FESTO S. FRANCISCI XAVERII, INDIARUM APOSTOLI.

Ito Angele velox ad gentem convulſam, & dilaceratam.
Iſaiæ 18. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Agit de itinere S. Xaverii in Japoniam, & præclaris ibidem ab eo geſtis, pro Dei gloria, & animarum ſalute.

§. 1. *Cor S. Franciſci Xaverii fuit caminus divini incendii.*

§. 2. *S. Xaverius fuit natus, & datus à Deo gentibus Orientis; proinde iter Iaponenſe nemo illi potuit diſſuadere.*

§. 3. *S. Xaverius ſol inter nubes, globus cryſtallinus, &c. Varia ſymbola.*

§. 4. *S. Xaverius fuit ſpeculum Archimedis.*

§. 5. *Apoſtrophe ad S. Xaverium, ut properet in Iaponiam.*

§. 6. *Abiturus Malacâ in Iaponiam, aſcendit navim piraticam.*

§. 7. *Nequicquam frendente orco, ingreditur Iaponiam.*

§. 8. *Alia itinera S. Xaverii per Iaponiam, & ingentes fructus Evangelicæ prædicationis.*

§. 9. *Minimo S. Xaverio data fuit gratia, prædicare Iaponia Chriſtum.*

§. 10. *Prædicationi S. Xaverius addidit preces & orationem.*

§. 11. *Duplex S. Franciſci ſuſpirium: Satis eſt, & amplius Domine.*

§. 12. *Ignita ſuſpiria, & preces jacu-*

jaculatoria S.Franciſci Xaverii.

§.13. *Epilogus proponit ferventia aliqua deſideria ad imitationem S.Xaverii.*

§. 1. *Cor S.Franciſci Xaverii fuit caminus divini incendii.*

O Billam dilectionem, quam ſpirant binæ Epiſtolæ S. Joannis Evangeliſtæ, tum erga Deum & Chriſtum D. tum erga fratres & proximum, pulchrè de illo dixit S. Petrus Dam. ſer. 63. *Tantâ cor ejus, etiam circa fratres charitatis gratiâ replebatur, ut ſacroſanctum corporis ejus templum veluti caminus quidam divini videretur incendii.* Cum altera mea Panegyris quam anno ſuperiori ex hac cathedra dixi in laudem S.Franciſci Xaverii, ipſum reliquerit Malacæ meditantem, arduum periculoſumq; iter ad nova regna Chriſto ſubjicienda; & modò iterum reliqua heroica facta tanti viri deprædicare debeam; non occurrunt mihi verba, quibus ardentiſſimum ejus zelum divinæ gloriæ & animarum vobis clarius exponere poſſim, quàm illa, quibus paulò antè ex S.Petro Damiano laudavi S. Joannem. Tanto amore erga Deum, tantâ dilectione erga proximum, & præſertim remotiſſimas Orbis nationes, Cor S. Franciſci Xaverii repletum fuit; ut ſacroſanctum virginei corporis templum, fuerit caminus & accenſa fornax divini incendii. Inter hæc incendia, vir ſanctus *unum per omnia conſiderabat.* Sic S. Chryſoſt. loquitur de S. Paulo hom. in ep. ad Rom. *quomodo pulchrum ſuum amorem & pulcherrima deſideria expleret*; ſicut ignis qui comburit ſylvam, & ſicut flamma comburens montes, hinc inde prius viciniora quæque corripiens, poſtmodum in ulteriora progreditur; talis fuit ignis, quem miſerat Dominus in cor ſervi ſui S. Franciſci. Ardere cœpit Pariſiis, inde progrediens in Italiam arſit Venetiis & Romæ. Progreſſus in Luſitaniam, Olyſſiponem, ex Luſitania in Indias, in Indiis de provincia in provinciam, de regno in regnum Malacam uſque progreſſus fuit, latè ubique ſpargens incendia. Hîc novis hæc fornax ardere cœpit incendiis; hîc pulcherrima concepit deſideria adeundi Japoniam, ibiq; prædicandi Chriſtum. Quomodo pulcherrimum hoc deſiderium expleverit; quid pro Dei gloriâ & ani-

marum

Digitized by Google

marum ſalute in Japonia egerit, hàc Concione vobis proponam.

De ſe ipſo dixit Seneca l. de Vita beata c. 20. *Ego ſic vivam, quaſi ſciam, aliis me natum, & Naturæ rerum hoc nomine gratias agam, quòd unum me donarit omnibus.* Vos ego compello, vaſtiſſima Orientis imperia! Vos Indi, vos Molucenſes, &c. Deo Opt. M. agite gratias, quòd vobis donarit S. Xaverium; ipſe certè ita vixit, eas excelſo animo ſuo continuò fovit cogitationes, quaſi non ſibi ſoli, non ſoli Europæ, non ſolis Indis, ſed toti terrarum Orbi eſſet natus, & datus: proinde à Japonenſi itinere dimoveri non potuit. Cùm enim ejus amici multa ipſi proponerent de Japonenſis Oceani naufragiis; generoſus animus S. Xaverii altiùs emergebat. Cùm illi depingerentur Japoniæ frigora, & perpetuo gelu obducti montes, paludes, lacunæ, glaciatæ rupes, horrentes nivibus ſcopuli; mens ejus magis exardeſcebat: cùm longiſſima deſcriberentur itinera, parati erant in Evangelii prædicationem pedes; quò plura objicerentur pericula, armabatur pectus, & repetitis in ardenti corde deſideriis, *Amplius Domine! Amplius Domine!* ingeminabat. Fruſtra agitis Amici! Opponite Xaverio montes, & minaces in cœlum Caucaſos! Xaverii caritas habet alas & pennas, ut ſupervolet. Aperiant maria ſuas abyſſos & hiatus, Xaverii zelus enatabit. Effundant Japonicæ nubes denſiſſimas pluvias, aquæ multæ non poterunt extinguere Xaveriani pectoris flammas & incendia. Inſpergite vias ſpinis; ſpinæ erunt ſtimuli & calcaria, ut citius & alacrius currat. Opponite nives; ſol eſt Xaverius, qui ſuo calore & radiis illas ſtatim eliquabit, vel certè roſeis & ſanguineis veſtigiis purpurabit. Sic omnes amicorum minas, propoſitaque pericula vicit Xaverius.

§. 2. *S. Xaverius fuit natus & datus à Deo gentibus Orientis: proinde iter Japonenſe nemo potuit illi diſſuadere.*

Cæſar Dux Mutinæ, depicto ſoli inter nubes & nebulas, quas paulatim diſſipat, adſcribi juſſit hoc lemma: *Obſtantia ſolvit*, ſcil. ſuâ luce & calore. Clemens VII. Romanus Pontifex juſſit pro ſymbolo pingi, globum vel ſphæram cryſtallinam, quæ illuminata & accenſa luce radiiſq; ſolis vicina ligna comburit, cum hàc epigraphe, *Fortior ignis in illa.* Alius pictor vitreo globo

§. 3. *S. Xaverius ſol inter nubes, globus cryſtallinus, &c. Varia ſymbola.*

globo incluſit facem, cum hac inſcriptione: *Vt latius illuſtret.* Inter alia ſymbola, etiam invenio papyraceum tubum, gravidum pyrio pulvere, qui dum accenditur, ſurgens in altum multas evomit ſtellulas; additis his voculis: *Dum ardeo, extollor.* Talis ſol in rebus arduis pro Dei gloria, & animarum ſalute ſuſcipiendis, fuit S. Xaverius: omnia obſtantia ſolvit; barbaros Japoniæ populos adire non timuit. Cryſtallinus globus fuit pectus S. Xaverii; ignis in illo latens fortior fuit, quàm ut extingui vel ſuperari poſſet. Fax fuit, quæ, quò magis à ventorum furiis fuit ventilata, eò latiùs Orientem illuſtravit; eo pulvere divini amoris repletum fuit cor S. Xaverii, ut quò ipſe cœleſtibus accenſus flammis arderet magis; eò magis pulcherrimo deſiderio, totum terrarum orbem cuperet radiis Evangelii illuminare, & flammis divini amoris accendere.

§. 4. *S. Xaverius fuit ſpeculum Archimedis.* Capanæus fortiſſimus belli dux, in obſidione alicujus urbis, cùm ſtrenuè ſe defenderet, in clypeo depingi curavit ſpeculum Archimedis, quo quondam Romanas naves accendit; & aureis literis hæc epigraphe depicta fuit: *Cremabo urbem.* Tale ſpeculum fuit S. Xaverius; cavete vobis inferi! Qui Goam nobiliſſimam urbem cremavit, qui cremavit Oram Piſcariam, qui accendit pleraque littora maris Indici, Malacam uſque; Ille jam jam abit, ut Japoniæ regno, idololatriæ nido, eaſdem inferat flammas! Hic certè fuit finis, ob quem S. Xaverius obfirmato animo ſtatuit adire Japoniam.

§. 5. *Apoſtrophe ad S. Xaverium, ut properet in Iaponiam. Iſa. 18, v. 2.* Perge ergo Xaveri! *Ito Angele velox ad gentem convulſam* (his verbis Prophetę alloqui mihi lubet ſanctum Patrē) *& dilaceratam, ad populum terribilem, ad gentem expectantē.* O Xaveri! In Japonia! populi innumerabiles, provinciæ vaſtiſſimæ, regna ampliſſima, quę hactenus à Chriſto nato, nihil de Deo & Salvatore mundi audiverūt, nihil ſciunt de myſteriis Fidei, te expectant, ut illis prædices Evangelium. Viden' Xaveri, ampliſſimum Japoniæ regnum? in illo tot regiones, quia jam albæ ſunt ad meſſem, te operarium expectant. *Ito Angele velox!* Sed quid ego currenti addo calcaria? Tempus eſt, ut cum S. Xaverio navem conſcendam, altoque pelago me committam Japoniam

Digitized by Google

nlam verſus: Fave, ô Stella maris! Fave cœleſtis Cynoſura! Favete Caſtor & Pollux, JESU & MARIA, ſic Concionis meæ cymbam dirigite, ut cum S. Xaverio ad Japoniæ optatum littus, feliciter appellam.

In defectu navis Luſitanicæ, quæ tunc cùm S. Xaverius hæſit Malacæ, in Japoniam ſolveret, ô intrepidum pectus! aſcendit cymbam barbari piratæ, cui ſpe cœleſti plenus, vitam ſalutemque ſuam committere non dubitavit. Tam ſævæ in decurſu itineris ortæ fuerunt tempeſtates, eæ navim agitarunt procellæ, illa ſæpius occurrit inſania ventorum, ut S. Xaverio dubium nullum fuerit, dæmonem quendam ex orco emiſſum, adventum ſuum in Japoniam velle impedire; navis nauclero viſum fuit impoſſibile ante illam hyemem, ingredi Japoniam: & hæc erant reſponſa Idoli, quod barbari homines, cum immani S. Franciſci dolore adorabant. Certum quoque mihi eſt, diabolum omni conatu, conatibus S. Xaverii ſe oppoſuiſſe. Si enim dæmonibus, ut Origenes ait, ſuper omnia tormentorum genera, ſuper omnes pœnas eſt, ſi quem videant Verbo Dei operam dare, & ſcientiam divinæ legis intentis ſtudiis perquirentem, ut alios inſtruat ad ſalutem. In hoc omnis eorum flamma eſt, in iſto uruntur incendio: quæ putas in illos vindicta datur, cùm vident ab aliquo animas hominum ſalvari. Quod putatis, Auditores, Lucifero fuiſſe tormentum, quam pœnam, qualem flammam, quale incendium, cùm vidit S. Xaverium, non paucas animas, ſed integros populos, convertere ad Chriſtum. Quo putatis Luciferum fuiſſe uſtum incendio, cùm vidit Xaverium navigantem in Japoniam? Sicut Xaverii *ſummum deſiderium* (S. Bern.) *& ſummum gaudium fuit, animarum fructus, peccatorum converſio, &c.* ita eadem diaboli ſummum fuerunt tormentum.

§. 6. *S. Xaverius Malacâ abiturus Japoniam, conſcendit navim piraticam.*

Sed nequicquam frendente orco, ipſo feſto Annuntiationis B. Virginis, quod felix, fauſtum, fortunatumque ſit, S. Xaverius attigit Japoniæ littora, & in regno Saxumæ, in urbe Cangoxima, patria Pauli ſui ſocii, quem Goæ baptizaverat, exſcendit, à cognatis Pauli humaniter exceptus. Poſtquam aliquot ſepti-

§. 7. *Nequicquàm frendente Orco ingreditur Japoniam.*

ſeptimanarum pertinaci ſtudio & labore, eam Japonenſis idiomatis peritiam fuit adeptus, ut commodè ab audientibus intelligeretur, publicè cœpit Evangelium & legem Chriſti, myſteriaque Fidei noſtræ populo proponere; & illud ſummâ pariter admiratione, ac voluptate Japones audierunt, piè Chriſtum, ſanctéq; colentibus, beatitudinem propoſitam eſſe in cœlo ſempiternam: cum horrore verò peroranti Xaverio præbuerunt aures, cùm impiis & non credentibus in Chriſtum minaretur ignes ſempiternos; quod etiam Bontzii faciebant, ut populo incuterent timorem Deorum; in quem finem tabulas quoque & imagines proponebant, in quibus depicti erant dæmones, tortores hominum. Itaque intra anni ſpatium, quo Xaverius in regno Saxumæ permanſit, baptizavit duos Bontzios, & octingentos ex plebe: ex baptizatis inſignes aliquot adoleſcentes miſit Goam, ut India videret primitias fructuum, quos in Japonenſi agro collegerat.

§.8. *Alia itinera Xaverii per regna Japoniæ, & ingentes fructus Evangelicæ prædicationis.*

Ex regno Saxumæ penetravit in regnum Figuenſe, & Amangucii intra paucos dies centum baptizavit. Hujus urbis incolæ avidè audiverunt S. Xaverium explicantem myſteria Fidei; ubi ad acerbiſſimos Chriſti cruciatus, indigniſſimamq; ejus necem pro ſalute hominum deventum fuit, à lacrymis ſibi temperare non potuerunt; adeo etiam Barbaris miſerandum viſum fuit, innocentem mori in Cruce! Poſt aliquot menſes, ut Meacum in regiam & Principem in tota Japonia urbem penetraret; pedes, Equiti ſe ſocium, vel potius famulum adjunxit; ultra dies ſexaginta duravit arduum, & difficillimum iter, per montes, per valles, per paludes, per ſpinas, per rupes & ſaxa; tanta verò fuit in Xaverio vis divinæ contemplationis, tanta abundantia cœleſtium deliciarum, ut victis dulcedine ſenſibus, ſubinde in vepres ſe induceret, ſubinde pedes alliderct ad ſaxa, ſubinde languidus planè corrueret, exultans tamen præ gaudio, cùm videret ſpinas, & nives, & ſaxa Japoniæ ſuo ſanguine rubeſcere; præclarum ratus, non tantùm magna agere pro Chriſto, ſed etiam dura pati! Attigit tandem Meacum, ſed quia ſtatim advertit Regiam Japoniæ necdum eſſe albam ad meſſem, rediit Aman-

Digitized by Google

Amanguciuum, ubi Regi perſuaſit, ut per publicos præcones ſubditis licentiam permiſerit, ſuſcipiendi legem Chriſtianam; imò Xaverio aſſignatum fuit cœnobium quoddam Bontziorum, cum facultate erigendi templum; tum intra duos menſes quingentos; intra anni unius ſpatium tria millia Japonum, unus Xaverius ſacris undis eluit.

Cùm gentium Doctor S. Paulus videret ſe cum magno fructu prædicare legem Chriſti, plenus gaudio ſcripſit ad Epheſios: *Mihi omnium Sanctorum minimo data eſt gratia hæc, in gentibus evangelizare inveſtigabiles divitias Chriſti.* Et quis mille quingentis fere annis poſt, divitias illas evangelizavit Orienti? Minimo Xaverio, minimo Societatis JESU Filio, hæc gratia data fuit. Quis ad Japones uſque portavit nomen JESU? Minimo Xaverio hæc gratia data fuit! Quis apud longè remotos Ternatenſes, Machazanos, Magacenſes, Amboinenſes, &c. dirutis quadraginta millibus idolis, ubique erexit victorioſum vexillum SS. Crucis? Minimo Xaverio hæc gratia data fuit! Quis gentes innutritas cædibus, & humano ſanguine potatas regiones, quis homines moribus barbaros, ritu ſacrilegos, animis feros, immanitate crudeles, ſuavi jugo Chriſti ſubjecit? Minimo Xaverio hæc gratia data fuit! Quis animarum milliones ex tartari & diaboli faucibus extraxit, quis tartereum imperium Sathanæ in Japonia invaſit, expugnavit? Minimo Xaverio hæc gratia data fuit.

§. 9. *Minimo S. Xaverio data fuit gratia Japonia prædicare Chriſtum.* *Epheſ. 3. v. 8.*

Hæ erant pretioſæ occupationes S. Xaverii per diem: legere Miſſam, prædicare Verbum Dei, diſputare cum Bontziis, rudibus exponere doctrinam Chriſtianam, juventuti Catecheſin, viſitare ægros, ſolari infirmos &c. totas verò noctes, exemplo Chriſti Salvatoris perſeverabat in oratione, memor moniti, quod legerat in S. Chryſoſtomo: *Iſtud eſt potiſſimum generoſi Doctoris, non ſolùm ſermone, quos imbuit, ac docet, ſed & precibus juvare.* Et hom. 3. de incomp. Dei, *Nihil fructus ex homilia capi poteſt, niſi oratio adjungatur, & ſermoni oratio debet anteire.* Et illius S. Auguſtini de Doctr. Chriſtianâ c. 4. *Prædicator ſit prius Orator, quàm Doctor.* Ut cum S. Paulo dicere poſſit: *Teſtis eſt* Rom. 1. v. 9.

§ 10. *Prædicationi S. Xaverius addidit preces & orationem.*

Digitized by Google

mihi Deus, cui ſervio in ſpiritu meo, in Evangelio Filii ejus, quod ſi-ne intermiſſione memoriam veſtri facio ſemper in orationibus meis. Quàm ferventer S. Xaverius oraverit pro ſuis Japonenſibus, teſtantur ardentes illius preces, & inflammata ſuſpiria. O JESU Chriſte, Deus cordis mei, obſecro te per quinque illa Vulnera, quæ tibi in Cruce noſtri amor inflixit, famulis tuis ſubveni, quos pretioſo ſanguine redemiſti. Et hæc: Te ego Jesu Chriſte, per acerbiſſimos tuæ mortis cruciatus, oro & obteſtor, ut intuearis tuas cicatrices & vulnera, quæ æterno Patri aſſiduè pro nobis oſtentas, eaque velis eſſe ſalubria, &c. Inter orandum Dei amore adeo accendebatur, ut ſæpe vultu inflammato, oculis in cœlum defixis, divinitus à terra elevaretur quaſi in cœlum, ubi erat theſaurus ejus, cor & corpus etiam raperetur. In converſatione etiam & colloquiis, jaculatorias orationes ex inflammato pectore, inter medias turbas emittebat, tantâ effluentis animi dulcedine, ut audientes ad divinum amorem accenderet, quia ipſe totus cœleſti quodam igne exardeſcebat. Inter celebrandum ſępe exuperanti in Deum amore flagrans, à ſenſibus adeo uſque abalienatus ſtetit, ut à miniſtris ſuccuſſione veſtium ad ſe revocari debuerit. Cùm in gradibus Altaris coram SS. Sacramento totis noctibus jaceret, Cor Xaverii non erat aliud, quàm accenſa lampas, plena lacrymis, veluti oleo & balſamo, ardens inflammatis actibus divini amoris; ut, etſi ſomno ad paucas horas obrutus eſſet, vigilans cor ſuaviſſimas illas voces eructaret: *Mi IESV! Dulcis IESV!*

§. 11. *Duplex S. Xaverii ſuſpirium: Satis eſt, & Amplius Domine.*

Proinde S. Xaverio inter ingentes labores, non defuerunt cœleſtes conſolationes; imo tanta illarum copia obruit pectus ejus, ut viſus fuerit aperire veſtes, & auditus dicere, *Domine! ſatis eſt, ſatis eſt!* O admirandam S. Xaverii caritatem! Dum cœlum illi mel propinat, *Satis eſt*, exclamat: *Domine ſatis eſt*; Dum nubes Japonenſes felle pluunt; *Amplius*, ingeminat; *Amplius!* Cùm ſanctiſſima Xaverii anima à tutelari Angelo ad thymum, & roſas, & lilia ducitur, *Satis eſt*, inquit, *Satis eſt!* Cùm ſpinas calcare debet, cùm abſynthium illi propinatur, *Amplius Domine, Amplius!* Cùm cœlum ſerenum illi oſtendit diem, *Satis eſt!* cum dolo-

Digitized by Google

doloribus tormentiſq; tonat & fulminat; *Amplius Domine, Amplius*: exclamat. Ob hæc ſuſpiria puto nobilem pictorem depinxiſſe illam imaginem, in qua S. Xaverius deciduas de nubibus roſas & flores calcat pedibus; delapſas verò ſpinas & cruculas amplo excipit ſinu; aitque cum ſponſa, *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* *Cant. 1. v. 12.*

§. 12. *Ignita ſuſpiria & preces jaculatoria S. Franciſci Xaverii.*

Pia ſuſpiria aliqui SS. Patres vocarunt Amantis cordis voces & clamores; his vocibus dies noctéſq; loquebatur cum Dilecto cordis ſui; imo non loquebatur tantum, ſed clamabat. Si hi gemitus cordis ſint ignita tela, & formoſa jacula, quibus Cor Dei ferit amans anima: Cor S. Xaverii aurea fuit pharetra repleta igneis ſagittis. Si accenſa deſideria ſunt ſuavia vulnera amantis cordis; & Xaverius cum Sponſa dicere potuit, *Mi IESV vulneraſti cor meum*, vel vulneratus caritate ego ſum. *Cant. 4. v. 9* Si denique ſancta deſideria ſint erumpentes ex corde ſcintillæ; & cor S. Xaverii fuerit accenſa fornax, vel caminus divini incendii, quales ex illo putamus erupiſſe ſcintillas? v. g. quales ſcintillæ illa verba S. Xaverii lib. 1. Epiſtolarum, (inveniet qui volet in illis magnam ſimilium verborum copiam.)

§. 13. *Epilogus proponit ferventia aliqua deſideria ad imitationem S. Xaverii.*

Utinam ad laudem & gloriam, quam debemus tanto viro S. Franciſco Xaverio, utinam ad imitationem amantiſſimi Patris, nos minimi ejus filii, ſimilibus deſideriis exardeſcamus; utinam in cordibus noſtris arderent tales igniculi & ſcintillæ; conandum eſt aliquid. O mi ſancte Pater! Lampas fuiſti accenſa! Utinam & omnia corporis mei oſſa forent lampades aureæ! Utinam omnis ſanguis per venas, perque membra diffuſus, balſamum foret & oleum! Et lampades arderent, & balſamum conſumeretur, pro Dei gloria & animarum ſalute; ſicque totus cum S. Xaverio in holocauſtum Divini amoris conflagrarem! O ſancte Xaveri! fortes funiculi caritatis te alligarunt Cruci & Jesu tuo! O ſi omnes meæ venæ, & nervi forent aurea vincula, imò ignea! quibus alteri amori, niſi tuo, ô mi Jesu! Dulcis Jesu! alligari non cupio in æternum! De S. Catharina Senenſi ait Surius: Amoris Chriſti in ea tanta vis fuit, ut cor Virginis à ſummo deorſum crepuerit, ruptiſq; vitalibus venis, ſolâ vi divini amoris

moris ſpiritum reddiderit; ſi hæc eadem gratia contingit S. Xaverio, quod colligere licet ex ultimis ejus ſuſpiriis, JESU! JESU! O mi Xaveri, audi deſiderium indigniſſimi Filii tui; hoc opto! ſic mori! ſic expirare! ſic tum JESUM meum! tecum! amare deſidero, ut hic dulcis, hic fortis amor frangat cor, rumpat venas, expellat cum ſanguine animam, illamque deducat ad Paradiſum, ubi æternum DEUM laudare tecum deſidero.

CONCIO LV.

FESTO IMMACULATÆ CONCEPTIONIS B. V.

De qua natus eſt IESUS, qui vocatur Chriſtus. Matth. 1. v. 16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Regina Eſther electa & cum acceleratione ornata à Rege Aſſuero, fuit pulchra figura Virginis immaculatè conceptę. Immaculatæ hujus Conceptionis prærogativa, eſt gemma pulcherrima in auguſtiſſimâ Coronâ tantæ Imperatricis.

§. 1. *Exordium proponit ardens deſiderium laudandi & amandi Virginem immaculatè conceptam.*

§ 2. *Aliquot analogiæ, propter quas Regina Eſther fuit typus B. Virginis.*

§. 3. *Præſertim immaculata Conceptionis. Sollicitudo Aſſueri, ut Eſther ſtatim ornaretur.*

§. 4. *Major fuit providentia SS. Trinitatis, ut Maria primo momento Conceptionis eſſet mundiſſima.*

§. 5. *Conceptio hæc confertur cum*

cum ortu Palladis, ſive Bellona.

§.6. *Aſtruitur Virginis immaculata Conceptio, ex verſu 28. cap* 8. *Proverb.*

§.7. *Et variis ſymbolis à Coronâ deſumptis. Symbolum Clementis VIII.*

§.8. *Symbolum Henrici II. Regis Galliarum.*

§.9. *Symbolum Henrici V. Regis Angliæ.*

§.10. *Symbolum Henrici VIII. & Iacobi V. Regis Scotiæ.*

§.11. *Symbolum Mariæ Margaretæ Reginæ Navarræ.*

§.12. *Qualis ſit Corona de Amana, de qua loquitur Sponſus Cant.* 4.

§.13. *Proſecutio.*

§.14. *Paratus eſt Auctor effundere ſanguinem, ut ſubſcribat huic Propoſitioni, Maria fuit immaculatè concepta.*

AD literam, David Rex Jeroſolymam in terris, elegantiſſimam urbem; in ſenſu myſtico, Jeroſolymam cœleſtem adeo adamavit, ut dixerit: *Si oblitus fuero tui Ieruſalem, oblivioni detur dextera mea: adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui.* Alia verſio ſic habet: *Si non propoſuero Ieruſalem in principio lætitiæ meæ.* Vel: *Si non propoſuero omnibus aliis urbibus & regionibus.* Hebræi hunc verſum ſic legunt: *Si non aſcendere faciam, vel extollam*, id eſt, ſi non laudem illam regiam urbem, & omni modo deprædicem. Ignoſce mihi Rex ſanctiſſime, & permitte, ut amor meus Jeroſolymæ in terris, Jeroſolymæ in cœlis, præferat illam Virginem, cui cœleſtis Sponſus dixit: *Tota pulchra es amica mea, decora ſicut Ieruſalem.* Te intelligo ô formoſiſſima Maria, hodiernâ luce immaculatè concepta! In primo conceptionis momento fuiſti lilium & roſa inter ſpinas, inter filios & filias Adæ, ſed illæſa à ſpinis. Primo Conceptionis momento fuiſti Deifera arca cœleſtium gratiarum, cui univerſale peccati originalis diluvium nullum intulit damnum. In illo momento, ô feliciſſima Puella! fuiſti terra ſancta & virginea, nulli unquam maledictioni ſubjecta. Illo momento fuiſti cœleſtis Jeruſalem, civitas ſancta, fundata in monte Sion; in quam infernalis Sennacherib originariæ labis telum venenatum projicere non potuit. Hæc gemmea coro-

§.1. *Exordium proponit ardens deſiderii laudandi & amandi Virginem immaculatè conceptam* *Pſ.136.v.5.*

Cant.6.v.3

corona, hoc floridum ſertum, hoc aureum ſceptrum, ſive, hæc prærogativa, hoc privilegium immaculatæ Conceptionis, Uni & Soli, inter omnes creaturas Mariæ debetur, ô Virgo! oblivioni detur dextera mea, adhæreat lingua faucibus meis, ſi ex intimis præcordiis cordis mei non gaudeam de tanto honore Virginis. Si contingat, ſilere linguam meam, ut dum poterit, non laudet, non extollat, non proponat Mariæ immaculatam Conceptionem; hoc volo, hoc opto! Cogit me amor meus erga immaculatam Virginem! Exareſcat! ſi contingat me oblviſci Mariæ; me ejus amori, me Matri pulchræ dilectionis præponere alias creaturas; O Cœli tantum malum avertite! timendum eſt, ne mei obliviſcatur Maria! Sed cavebo ne fiat; ab hodierno Feſto novo amore, novis deſideriis, ex toto corde, &c. conabor amare Mariam! Anathema tenerrimi mei affectus eſſe cupio hanc panegyrin de immaculata ejus Conceptione, ad meos Bambergenſes Auditores, de quibus mihi conſtat, quâ devotione ferantur erga hanc Virginem, & præſertim hodiernum myſterium immaculatæ Conceptionis.

Ne ſileat, vel areſcat lingua mea, ſed irrigata ſucco gratiæ Spiritus S. de myſterio hodierni Feſti eloquatur glorioſa, primo loco oculis veſtris proponam auguſtiſſimam Reginam Eſtherem, ut in illa veluti regio ſpeculo ſpectetis pulcherrimum typum immaculatæ Conceptionis. Dum Eſtherem nomino, fortaſſis aliqui ex vobis cogitant: Aſſuerus Rex *adamavit eam plùs quàm omnes mulieres*: ita Deus Opt. Max. Rex Regum, adamavit Mariam plus quàm omnes creaturas. Aliis forſitan hæc occurrit cogitatio: *Rex Aſſuerus contra Eſtherem extendit virgam auream, quam tenebat in manu; quæ accedens oſculata eſt ſummitatem virgæ.* Aſſuerus cœleſtis, Rex Regum, Reginæ ſuæ Eſtheri Mariæ, totum aureum ſceptrum dominii cœli & terræ tradidit in manus. Rich. à S. Laur. de laud. M. cap. 12. *Summitas virgæ aureæ, excellentiſſima eſt dignitas Mariæ, ex hoc quod facta eſt Mater Dei; hanc ſummitatem deoſculatur, quiſquis de tanto privilegio Mariæ gratulatur. Oſculum eſt ſignum dilectionis, ex qua congratulatio*: Agite Auditores, hoc aureo ſceptro, hâc aureâ virgâ, Ma-

§. 2. Aliquot analogiæ, propter quas Eſther fuit typus B. Virginis.

Eſth. 2. v. 17

Digitized by Google

Maria, in primo momento Conceptionis percuſſit caput ſerpentis; veneremur hoc ſceptrum pio oſculo, & aggratulemur Virgini de tam inſigni victoria. Fallor, niſi aliis placeat comparatio inter Eſtherem & Virginem immaculatè conceptam ob illa verba Aſſueri, *Quid habes Eſther? Ego ſum frater tuus, noli timere, non morieris; non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt.* Aſſuerus legem tulerat, *quod ſive vir, ſive mulier, non vocatus, interius atrium Regis intraverit, abſque ulla cunctatione ſtatim interficiatur.* Ex culpa primi parentis noſtri latum erat decretum, ut quiſquis in hunc mundum naturali via generationis intraret, abſque ulla cunctatione, primo conceptionis momento, interficeretur, & animæ mortem per peccatum originale incurreret; attamen Maria Regina fuit excepta. Ita licèt draco peccati originalis conterat, juguler, ſtranguler, perimat omnes filios Adæ; Maria tamen Regina fuit excepta: ita placuit oculis cœleſtis Aſſueri, ut eam à ſeveriſſimo decreto voluerit eximere. Placent mihi ſuaviſſimæ veſtræ cogitationes de illis cauſis ob quas Eſther fuit typus immaculatæ Conceptionis; ſed ſunt tritæ & ſæpius auditæ. *Eſth. 4. v. 11*

Ex aliis verbis ego concludo amorem peculiarem Aſſueri erga Eſtherem: quàmprimum illa inter ſpecioſiſſimas puellas placuit oculis ejus; momento quo invenit gratiam in conſpectu Regis, præcepit Rex primario ſuo miniſtro, *ut acceleraret mundum muliebrem.* Momento quo Aſſuerus apud ſe ſtatuit aſſumere Eſtherem in Reginam, voluit illam pulcherrimè ornari; juſſit, inquam, non ut curtaret tempus, ſed ut anticiparet. Serarius hîc addit, quòd in Eſthere non tantum voluerit anticipari, quæ ad munditiem, & cultum, & ornatum pertinebant; ſed voluit anticipari regiam pompam, ut ſtatim jam quaſi eſſet Regina, in hoc, quod aſſignari ipſi juſſerit ſeptem pulcherrimas Virgines pediſſequas. Ut enim Regi aſſiſtebant ſeptem ſelectiſſimi Principes; ſic & Reginæ aſſiſtere voluit 7. formoſiſſimas puellas, quibus regia oſtendebatur auctoritas. Ut videas, quàm in Eſthere voluerit Aſſuerus omnia accelerari, & anticipari, quæ neceſſaria erant ad ornatum. Ait autem Livius l. 34. *Munditia, ornatus,* 5. *Præſertim immaculata Conceptionis. Sollicitudo Aſſueri, ut ſtatim ornaretur Eſther.*

&

& cultus, v. g. in particulari, aurea toga, veſtis byſſina, annuli, gemmæ, coronæ, ſerta; *hæc fæminarum inſignia ſunt, his gaudent & gloriantur. Hunc mundum muliebrem appellaverunt Patres noſtri.* Itaque puto Eſtheri ex mandato Regis fuiſſe injectam veſtem byſſinam; ſine mora fuit circumamicta togâ aureâ; cum feſtinatione, nec temporis momento perdito, ejus vertici impoſita fuit pulcherrima corona, quàm citiſſimè fieri potuit, ornata fuit gemmis & annulis: juſſit Aſſuerus hæc accelerari, ut Eſther ſtatim elegantiſſima Regina ſuo lateri aſſiſteret.

§. 4. *Major fuit providentia SS. Trinitatis, ut Maria primo momento Conceptionis eſſet mũdiſſima.*

Ego mihi perſuadeo longè excellentiori modo hæc præſtita eſſe à cœleſti Rege, cum Matre & Sponſa ſua Maria; hanc elegit ab æterno, antequam eſſet, ut in tempore foret Mater Dei; & dubitatis, quin voluerit ita anticipari ejus animæ ornatum, ut nec momento eſſet fœda vel turpis. Quantum fieri potuit, noluit permittere Aſſuerus, ut à tempore, quo Eſtherem elegit in Reginam, vel minima mora temporis intercederet, quin Eſther eſſet ornatiſſima; ita illa ſtatim placuit ejus oculis, ut ſi dicendo, imperando omnia ſimul uno momento, effectui dare potuiſſet, feciſſet; cùm Rex cœleſtis erga Mariam id potuerit, cur negabimus, effuſiſſimum ejus in eam amorem, primo Conceptionis momento talia dediſſe executioni: Iterum, ô Maria, aureum ſceptrum regiæ tuæ Majeſtatis exoſculor, & gratulor. Primo conceptionis momento, auguſtiſſimo tuo vertici, cœleſtis Aſſuerus impoſuit pulcherrimam Laureolam immaculatæ Conceptionis, de hoc tibi gratulamur. Si ingens prærogativa hujus immunitatis eſt veſtitus deauratus; aſſero, cœleſtem Aſſuerum acceleraſſe, anticipaſſe, ut primo momento in illo aſſiſteres dexteræ ejus. Si immaculata Conceptio eſt pretioſiſſima & ſingularis gemma, affirmo, illam cum feſtinatione, quàm citiſſimè fieri potuit! potuit fieri in primo momento! fuiſſe oblatam illi Virgini, quam cœleſtis Aſſuerus, quam SS. Trinitas ab æterno, ab initio viarum adamavit ſuper omnes mulieres. Tu ô Maria, es illa Virgo! tu in prima Conceptione fuiſti cœleſtis Eſther; cui non ſeptem ſelectæ Virgines, ſed integræ turbæ & cohortes aſſiſterent, ſexaginta fortes ex fortiſſimis Iſrael, per quorum

rum ordinatos cuneos, ſerpens infernalis, cum ſpiculo peccati originalis, neque ad ſoleas, vel prima veſtigia pedum tuorum, penetrare potuit?

Sed eſt mirabilis hæc conceptio! ſic eſt! ideone negabimus factam fuiſſe? Fingunt Poëtæ, Bellonam ſive Palladem, armatam cum haſta & clypeo proſiliieſſe de cerebro Jovis. Maria cœleſtis Eſther præparata & concepta fuit ab æterno in cerebro (ſi ita loqui fas ſit) SS. Trinitatis, in veſtitu deaurato gratiæ; non miremur, talem quoque primo conceptionis momento hunc mundum fuiſſe ingreſſam. Talis Eſther, talis Regina, talis Pallas, talis Bellona Maria: concepta fuit, ſive proſiliit in hunc mundum, ex auguſtali camera Divinorum conſiliorum, cum radiantibus armis, cum aurea lorica juſtitiæ, cum galea, & clypeo divinæ protectionis; nimirum in ipſa jam immaculata conceptione, præſidiis gratiarum, & mirabili ſanctitate munita, cum accelerarione, cum anticipatione, ex obumbratione Spiritus S. & quaſi coruſcantibus armis terribilis hoſtibus; quin & paritura fortem bellatorem illum, qui dæmonis univerſas acies profligaturus eſt. Agite, victrici clypeo, pro capite Meduſæ appendite ſerpentem cum contrito capite; ejus haſtæ appendite coronam ex olea & palma, ex cedro de monte Libano, in ſignum glorioſiſſimæ victoriæ. O Bellona cœleſtis, O formoſa Eſther, permitte ut nos ſervi tui, hanc haſtam exoſculemur, & animitus tibi gratulemur de immaculata tua conceptione.

§. 5. Conceptio Mariæ confertur cum ortu Palladis, ſive Bellonæ.

Non ſine cauſa nominavi coronam, cum ipſa B. V. de illa glorietur Prov. c. 8. v. 23. *Ab æterno ordinata ſum*, ſive ut alia habet lectio, *Ab æterno coronata ſum*. Pulcherrimum in hac vocula latet argumentum, pro immaculata virginis conceptione. In Sicilia lex quædam eſt, cujus vi omnes obligantur, ut de fructibus, qui in urbem aliquam inducuntur, ut vendantur, certum pendant vectigal, ſola malogranata, & meſpili ſunt exempta, alioquo reſpectu ad regiam Majeſtatem; eò quod hæc poma in vertice à Matre natura, ornata ſint pulchris coronis, ideoque urbes ingrediuntur veluti Reges & Reginæ, communi patriæ

§. 6. Aſtruitur Virginis immaculata conceptio ex verſ. 23 c. 8. Prov.

Digitized by Google

legi non ſubjectæ. Quid pulchrius in favorem immaculatæ Virginis dici poteſt, ſic eſt, omnes filii Adæ, dum hunc mundum ingrediuntur, ſervi ſunt & vectigales peccati originalis, hoc tributum omnes debent pendere; nullus ab hac lege eſt exemptus, ſolâ & unicâ Virgine Matre excepta, quam veluti Reginam cœli & terræ tota ſanctiſſima Trinitas præordinavit, & coronavit ſuã dilectam Estherem pulcherrimo ſerto, immunitatis à labe peccati originalis. Nunquam nec momento illa fuit ſerva, vel mancipium, vel tributaria in imperio Sathanæ.

§. 7. *Ex variis ſymbolis à corona deſumptis, ſymbolum Clementis VIII.*

Clemens VIII. ſummus Pontifex, in ſuo ſymbolo cryſtallinum globum, coronavit tiarâ Pontificia, cum hac inſcriptione, *Candor illæſus*. O Virgo immaculata, tu in tuâ conceptione fuiſti cryſtallinus ille globus, totus irradiatus lucidiſſimâ luce, & pulcherrimis radiis gratiæ à Spiritu S. Hic ſponſus primo momento te coronavit corona de monte Libano, de monte innocentiæ, cui ego hodie appendo ſchedulam, cui aureis literis inſcripſi, *Candor illæſus*.

§. 8. *Symbolum Henrici II. Regis Gallarum.*

Henricus II. Valeſius Rex Galliæ, Lunam plenam coronavit coronâ Imperiali, cum hoc lemmate, *cum plena eſt, eſt æmula Solis*. Pulcherrima illa luna, cui ſponſus confert ſponſam, ſive B. Virginem, ſimul in primo momento conceptionis fuit pulchra & plena; filia ſolis, in hoc præ omnibus aliis hominibus Filio ſimillima, quod etiam conceptio ejus fuerit ſancta, Filii necesſariò, eſſentialiter, & abſolutè, Matris per privilegium & gratiam, de qua gloriatur cum ait, *ab æterno præordinata & coronata ſum*.

§. *Symb. Henrici V. Regis Angliæ.*

Henricus V. Rex Angliæ, Imperialem Aquilam inter fulgurantes nubes, inter tonitrua & fulmina, ornavit viridi ſerto, ex quercu; quia nec aquilæ, nec quercui nocere poteſt fulmen, epigraphe eſſe poteſt; *ſemper illæſa* Talis aquila fuit B. Virgo, volucrum Regina, coronata quercu, cui peccatum originale, ne leviter quidem nocere potuit. Et ſic coronata fuit ab æterno, in intentionibus divinis, & in tempore, in prima conceptione, cum feſtinatione, cum acceleratione, in virore poſitæ ſunt radices pul-

Digitized by Google

pulcherrimæ hujus arboris, ut illi meritò aggratulemur, & dicamus; Maria! ſemper illæſa!

§. 10. *Symb. Henrici VIII. Regu Angl. & Iacobi V. Regis Scotiæ.*

Henricus VIII. Rex Angliæ, pulchram roſam ſine ſpinis, coronavit coronâ regiâ, additis his voculis, *Rutilans Roſa ſine ſpinis*. Talem credere debemus fuiſſe conceptionem B. Virginis, plantata fuit, non in Jericho, ſed in utero Annæ, velut roſa inter ſpinas, inter alias filias Adæ, ſed ipſa ſine ſpinis, in primo momento conceptionis rutilans fuit flos, cum elegantiſſima Corona. Jacobus V. Rex Scotiæ, inter fluctus maris, & rabiem ventorum pingi voluit Pyramidem; cujus apex eleganti ſerto fuit cinctus, cum his voculis, *adhuc ſtat*. Talis Pyramis ſuper aureas baſes divinæ gratiæ fuit B. Virgo, nulla rabies Sathanæ, nullus impetus fluctuum peccati originalis illam diruere potuerunt. Coronemus lætis ſertis hanc cœli columnam vel pyramidem, & dicamus, ſtetit B. V. nunquam corruit.

§. 11. *Symb. Mariæ Margaretæ Reginæ Navarræ.*

Maria Margareta Valeſia Regina Navarræ in eleganti pictura orientem ſolem cinxit annulo ex luciddiſſimis adamantibus, cum hoc lemmate, *ſimul & ſemper*. Alii, ſic coronârunt Regem florum, Lilium cum inſcriptione, *mirandum naturæ opus* Maria, in primo conceptionis momento fuit electus ille ſol, fortiſſimus ille adamas, qui ſimul ac vivere cœpit in utero matris, ſimul radiavit inſtar ſolis, ſimul lucidiſſima fuit gemma, cui macula peccati originalis non nocuit! non naturæ, ſed gratiæ mirandum opus.

§. 12. *Qualis ſit corona de Amana, de qua loquitur ſponſus, Cant. 4. v. 8.*

Coronam, ſive laureolam hanc, quòd Maria immaculatè fuerit concepta, ſponſus promiſit ſuæ ſponſæ, Cantic. 4. *Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis, de capite Amana.* De mirabili ſponſus loquitur corona; Amana enim idem eſt quod diabolus, vel ſerpens, qualis corona erit hic coluber? ſit potius ſcabellum pedum, ut aliàs pingitur. Veſtis verò tam ſpecioſæ Virginis coronetur floribus, vel gemmis, vel ſtellis, ſed aſſero, cœleſtem ſponſum & Filium DEI ſuæ matri pulchrius ſertum præparare non potuiſſe, ob hanc cauſam; Teſte Plinio,

Digitized by Google

nobiliſſima gemma eſt, quæ vocatur Draconites, ſive Draconita; creſcit illa in cerebro draconis, cui ſi vivo conteratur caput, lapillus ille radiat inſtar ſtellæ. Conſentit Tertullianus lib. de cultu fœm. cap. 6. *Ajunt & de frontibus draconum gemmas erui*: mordens deinde mulierum in gemmis faſtum, hoc objicit. *Hoc quoque deerit Chriſtianæ, ut de ſerpente cultior fiat, ut de capite ejus, cervicibus ſuis, aut ipſi capiti, ornamenta ſtruant.* Colligo itaque ex Tertulliano, gemmam hanc draconitem, erutam

§. 13. *Proſecutio.* ex capite Amana, magnum fœminarum olim fuiſſe ornamentum: quo poſito, ſic diſcurro.

Momento quo B. Virgo in monte Libano, ſive ut ante inſinuavi, monte ſanctitatis & puritatis concepta fuit infernalis ſerpens inſidiatus fuit calcaneo pulcherrimæ Virginis, ut prima ſaltem veſtigia originariæ labis veneno inficeret. Quid moliris infernalis beſtia? qui ſubter virgineos hos pedes latibulum quæris? quid venenatam exeris linguam? fruſtra agis; quod Deus minatus fuit, *ipſa conteret caput tuum*, hoc contigit: de monte Libano hunc mundum fuit ingreſſa, calceata aureis calcea-

Cant. 7. v. 1 mentis, greſſibus tam pulchris, Filia Principis! Regina! Domina mundi! futura Mater Altiſſimi! ut genii cœleſtes pleni ſtupore exclamarint, *Quam pulchri ſunt greſſus tui!* quam felices & fortes? ut contrito ſerpentis capite, Virgo in illo invenerit pulcherrimam illam gemmam, ex qua ſponſus coronam illi formavit, & coronavit, quod ſi non feciſſet, dicere poſſemus; Hoc deeſt Virgini pulcherrimæ, hoc deeſt Matri DEI, ut de ſerpente ſit cultior: quod cupio abeſſe longiſſimè. Inter topazios, ſmaragdos, ſaphiros: inter roſas & lilia, inter ſtellas, ex quibus ſponſus ſponſæ præparavit ſertum, maximè rutilat Draconites. Inter virginis prærogativas prima eſt, quod ab æterno hac

§. 14. gemmâ coronata fuerit, quod primo conceptionis momento

Paratus eſt Auctor effundere ſanguinem, ut ſubſcribat huic propoſitioni. contriverit caput ſerpentis, quod immaculatè fuerit concepta.

Proinde, ſi quid in me eſt ſpiritus, cupio, ut ſpiret Mariam immaculatè conceptam! ſi quid in me eſt vocis, hoc opto, ut loquatur immaculatam Virginem! Si quid in me amoris, hoc deſidero, ut illam amet. Si quid in me eſt gaudii, jubeo, ut gau-

deat de tam eximia Dominæ noſtræ prærogativa. Si quid in me eſt ſanguinis, volo, ut ad ſupremam uſque guttam exhauriatur, ſi opus ſit, illo ſubſcribere huic veritati, Maria immaculatè eſt concepta! ſanguine meo ſubſcribam, nunquam fuiſſe Mariam maledictam, ſed ſemper benedictam (hoc modo fieri poterit elegans epilogus.) *Maria eſt immaculatè concepta.*

CONCIO LVI.

FESTO S. THOMÆ APOSTOLI.

Dominus meus! Deus meus! Joan. 20. v. 28.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AGit præcipuè de infinito & tenerrimo amore Chriſti Domini, erga S. Thomam & alios pœnitentes. Quomodo hi viciſſim cum S. Thoma divino amori debeant reſpondere, ut malum peccati vertatur in bonum.

§. 1. *Thomas, ſignificat abyſſum. Admiranda Dei Iudicia, quod Thomas hoc modo fuerit converſus.*

§. 2. *Quæſtio S. Thomæ Aquinatis, an planè innocentes, an veri pœnitẽtes ſint feliciores.*

§. 3. *Quare Eccleſia pœnitens à ſponſo vocetur pulcherrima.*

§. 4. *Quæſtio §. 2. à S. Gregorio M. explicatur duplici ſimili.*

§. 5. *Amorem Chriſti D. erga verè pœnitentes, ſanctus Augunus vocat blanditias, & delicias; quales expertus fuit S. Thomas.*

§. 6. *Vbi abundavit delictum, per pœnitentiam abundat & gratia.*

§. 7. *Diabolus fuit Thomæ inſidiatus; ſed fortior fuit amor Chriſti, qui illum ex abyſſo infidelitatis extraxit.*

§. 8. *Miſericordia Chriſti D. citò ſuccurrit pœnitentibus.*

§. 9. *De exceſſu & ſuperabundantia amoris Chriſti D. erga S. Thomam & pœnitentes.*

Digitized by Google

§.10. De piis lachrimis S. Thomæ, ex quibus fluxerint fontibus. Deus malum illius vertit in bonum.

§.11. Epilogus. Adhortatio Auditorum ad Pœnitentiam: & brevis repetitio totius Concionis.

§.1. Thomas ſignificat abyſſum. Admiranda ſunt Dei judicia, quod Thomas hoc modo fuerit ſalvatus.

DE nomine ſancti Apoſtoli, cujus Feſtum hodie celebramus, ait Angelicus Doctor: Thomas interpretatur abyſſus; In abyſſo duo ſunt, ſcilicet profunditas & obſcuritas; Abyſſus ergo fuit Thomas, obſcuritate incredulitatis, quam habuit à ſe; Item abyſſus ex profunditate miſerationis, quam habet à Chriſto Domino. Unde dicitur Pſalmiſta: *Abyſſus abyſſum invocat*, Abyſſus ſcilicet profunditatis, divinæ miſericordiæ, ſive amantiſſimus & miſericordiſſimus Filius *Pſ. 41. v. 8.* Dei Chriſtus D. Salvator noſter, ſuaviſſimo modo Thomam ex profundo infidelitatis extraxit; & abyſſus profunditatis obſtinationis, ſcilicet Thomas, tandem invocavit amorem & miſericordiam JESU exclamans *Dominus meus, Deus meus!* Quod, ut S. Gregorius M. ait, *non caſu à divina diſpenſatione geſtum eſt.* S. Thomas addit, *In hoc apparēt potiſſima ſigna altiſſimæ pietatis Dei*, quod divina & ſuaviſſima ejus providentia pro electis ſuis non tantùm permittat varia mala pœnæ, ut ex illis proveniant bona; *Sed! quod adhuc mirabilius eſt, permittit aliquem Sanctum labi in peccatum, propter inſtructionem.* Ut quid enim permiſit, viros ſanctos & juſtos graviter peccare, ſicut quod David adulter *2. Reg. 11. v. 15.* fuit & homicida, quod Magdalena publica in civitate fuerit pec- *Luc. 7. v. 37* catrix, quod Petrus Chriſtum D. negaverit, quod Thomas la- *Matth. 26. v. 70.* pſus fuerit in abyſſum infidelitatis, & tantæ obſtinationis; niſi *Ioan. 20. v. 25.* propter noſtram inſtructionem, niſi quod ex hoc inſtructi cautiores ſimus & humiliores; ut qui ſe exiſtimat ſtare, videat, ne cadat; & qui cecidit, laboret ut reſurgat! *Mirabilia enim ſunt Dei judicia*, ait David: *Homines & jumenta ſalvabis Domine.* Et quo- *Pſ. 35. v. 7.* modo jumenta, incapacia æternę glorię ſalvari poſſunt? S. Hier. explicat myſticum modum loquendi, his verbis: *Quis ſcit utrum Sanctus, qui hominis appellatione dignus eſt, aſcendat in cœlum, & utrum peccator qui jumentum appellatur deſcendat in terrā. Fieri*

ri enim poteſt utrumque pro incerto vitæ hujus & lubrico ſtatu; ut & juſtus concidat, & deducatur ad inferos; & peccator reſurgat, meliùs vivat, & Paradiſi fiat colonus. Iterũ S. Hier. ep. 34. ad Jul. *Et ſancti enim corruunt, ſi fuerint negligentes; & peccatores priſtinum recipiunt gradum, ſi ſordes fletibus lavent*, ſi convertantur ad Dominum, & veram agant pœnitentiam. S. Joan. Chryſ. h. 27. in Matth. *Novimus multos ad ipſius cœli ferè verticem conſcendiſſe, habuiſſe virtutes, deſerta, deviaq; loca coluiſſe, & tamen negligentiâ lapſos, ad vitiorum barathrum deveniſſe.* Econtra ſcimus, graves peccatores per pœnitentiam veniſſe ad cœlos; de quibus Chriſtus D. videtur fuiſſe locutus: *Quia publicani & meretrices præcedunt incolas in regno cœlorum, filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores.* S. Aug. in ſolil. c. 29. *Magna ſunt hæc judicia tua Domine Deus juſte judex & fortis, qui judicas æquitatẽ, & inſcrutabilia facis, & profunda, quæ cum conſidero contremiſcunt omnia oſſa mea. Quod utiq; ſine magno tremore non recolo, ſine multo timore non confiteor.* Ad veritatũ harũ inſtructionẽ nobis hodie proponitur S. Thomas, præſertim pœnitentibus, ut intelligant immenſũ Chriſti D. amorẽ, & quid ibi faciendũ ſit, exemplo S. Thomę.

Matth. 8. v. 12.

Apud Theologos celebris eſt quæſtio, an Deus magis amet planè innocentes, qui nunquam lapſi ſunt in grave peccatũ, an illos, qui quidem peccarunt, ſed poſtmodũ egerunt pœnitentiam. Ex hiſtoria de filio prodigo, quæri poteſt, an hic Patri fuerit gratior, quàm alter filius, qui parentem nunquam offenderat. In particulari hodie de S. Thoma interrogare poſſumus, an felicior & Deo acceptior fuiſſet, ſi non fuiſſet incredulus, ſi ſtatim credidiſſet Reſurrectionem ſui Magiſtri; utraq; pars talis quæſtionis graves pro ſe habet rationes: placet mihi deciſio Doctoris Angelici 1. p. q. 20. ar. 1 ad 4. ubi ait: *Habent ſe ſicut exceſſa & excedentia.* Innocentia integra magnam habet prærogativam. Innocentia, ut ſic loquar, inſtaurata, renovata per pœnitentiã, jactat ſe teſtimonio ipſiuſmet Chriſti Dñi. *Dico vobis, quod majus gaudium erit in cœlo, ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſupra nonaginta novem juſtis, qui non indigent pœnitentiâ.* Quæ verba ſic explicat S. Thomas Aquin. *Dicitur Deus plus gaudere de*

§. 2. Quæſtio S. Thomæ, an planè innocentes, vel veri pœnitentes ſint feliciores.

Luc. 15. v. 13. 14.

Luc. 15. v. 17.

de pœnitente, quia plerumque pœnitentes, humiliores & ferventiores reſurgunt. Patet id hodie in S. Thoma, fuit incredulus, fuit pertinax & obſtinatus, converſus verò ad Dominum, ecce! quâ reverentiâ, quâ humilitate ſe abjecit ad pedes Chriſti, ſubitò ferventiſſimus ejus confeſſor, Dominus meus! Deus meus! cum intimo jubilo Salvatoris.

§. 3. *Quare Eccleſia pœnitens vocetur pulcherrima. Cant. 5. v. 9.* Cant. c. 5. Sponſus ſponſam ſuam vocat, *Pulcherrimam mulierum*; dicunt interpretes laudari à Chriſto Domino ſuam Eccleſiam, tanquam pulcherrimam Sponſam: cum verò in Eccleſia ſint multi innocentes, qui nunquam letaliter peccarunt; plures verò ſint pœnitentes, quæri poteſt an ſermo ſit de Eccleſia innocente, an de pœnitente, an de utraque: reſpondeo cum Gilberto Abbate Serm. 47. in Cant. *Fortaſſe plus accipit pulchritudinis poſt maculam deterſam, quàm deformitatis contraxit ſordibus reſperſa. Benè itaque pulcherrima, & omnem pulchritudinem habere dicitur; plurima in illa ſunt animæ, quod aut maculam nullam admiſerunt, aut quod per ſollicitam & ſinceram confeſſionem illas diluerunt.* Horum numero annumerandus eſt S. Thomas; poſt deterſam maculam incredulitatis, poſt ſollicitam & ferventem confeſſionem de divinitate & humanitate Chriſti reſurgentis à mortuis, *Dominus meus, & Deus meus*! plus accepit pulchritudinis, quàm antea contraxerat deformitatis: quò profundior fuit abyſſus, in quam incidit (abyſſum ſignificat vocula Thomas) eò altius deinde ſurrexit, uſque ad latus & cor Salvatoris; quo antea fuit frigidior, eo deinde ferventior, quo antea durior, eò deinde mollior: incredulus, mox credulus! hi ſcilicet ſunt effectus & fructus veræ pœnitentiæ.

§. 4. *Quæſtio §. 2. à S. Gregor. explicatur duplici ſimili.* Quæſtionem ante propoſitam, an innocentes, an pœnitentes Deo ſint gratiores, explicat duplici ſimili, S. Greg. M. hom. 34. in Evang. ſuper cit. verba Chriſti, *Dico vobis*. Belli dux, duos habet milites, alter nunquam fugit à facie hoſtis, ſed etiam non edidit præclara aliqua facinora, neque magnopere urget hoſtem. Alter, initio militiæ fuit quidem timidus, & fugit aliquoties in prælio, deinde verò, tam generosè, tanto robore irruit in hoſtem, ut ſit illorum terror. Quæri poteſt, quam ex duobus, belli

belli dux amet magis? Habet agricola aliquis duplicem agrum, alter nunquam germinavit tribulos, nec tamen copioſam profert meſſem; alter aliquamdiu fuit plenus ſpinis, ſed illis eradicatis profert fructum centeſimum; quæri poteſt, uter ager alteri ſit præferendus? Sic habent verba S. Gregorii: *Majus ergo de peccatore converſo, quàm de ſtante juſto gaudium fit in cælo; quia & dux in prælio, plus illum militem diligit, qui poſt fugam reverſus hoſtem fortiter premit, quàm illum, qui nunquam tergum præbuit, & nunquam aliquid fortiter geſſit; ſic agricola illam terram amplius amat, quæ poſt ſpinas, uberes fruges profert, quàm eam, quæ nunquam ſpinas habuit, & nunquam fertilem meſſem producit.* Talis miles fuit S. Thomas ſub labaro ss. Crucis, ſub Imperatore Chriſto D. Fugit cùm vidit Magiſtrum capi; & à Sathana deinde deturbatus fuit in abyſſum incredulitatis: ſed ſcimus quàm deinde fortia geſſerit & factus denique glorioſus Martyr. De his pœnitentibus gaudium eſt in cœlo.

Ideo à Chriſto D. S. Thomæ tantus favor fuit exhibitus, ut illum admiſerit ad contactum, & oſcula Vulnerum cum ineffabili ejus gaudio & conſolatione. Si quis fortaſſis miretur ineffabilem in hoc Chriſti D. erga pœnitentem Thomam, caritatem, illum remitto ad S. Auguſtinum, qui cùm admiratus fuiſſet filium prodigum tot ſignis benevolentiæ fuiſſe receptum à Patre; cùm obſtupuiſſet S. Paulum perſecutorem Eccleſiæ, deinde fuiſſe raptum ad tertium cœlum (addamus nos, quis hodie non miretur Chriſtum D. Thomæ offerre ſua ss. Vulnera, ad oſcula, ad contactum) ait: *Hujuſmodi conſolationes exhibitæ ſunt filio prodigo!* Non quod majoris perfectionis ſint fructus, vel quod propterea aliis Sanctis tales pœnitentes debeamus præferre; *Sed ſunt deliciæ quædam, ſed blanditiæ cæleſtis Patris, quæ perfectioribus multis negantur.* S. Petrus Dam. ſerm. de S. Matt. *Conſuevit Deus honorare pænitentes magis quàm innocentes.* Puto ego S. Thomam, momento quo radio veræ agnitionis de Reſurrectione Chriſti irradiatus fuit, procidiſſe in terram, cum amoroſo amplexu, & oſculis pedum. Et permiſit Chriſtus D. has delicias, has blanditias, conceſſit illi, ut oſtenderet ſuum gaudium

§. 5. *Amorem Chriſti D. erga pœnitentes peccatores S. Auguſtinus vocat blanditias, & delicias. Talis fuit expertus S. Thomas.*

Digitized by Google

dium de reperta hac perdita ovicula. Meditantur alii ſanctum Thomam revera tetigiſſe manus, imò digitos ſuos miſiſſe in benedictum latus Chriſti! Quales deliciæ, quales blanditiæ! ut agnoſcamus immenſum eſſe amorem Chriſti D. erga verè pœnitentes animas.

§. 6. *Ubi abundavit delictum, per pœnitentiã abundat & gratia.*

De hac Dei & Chriſti D. caritate erga pœnitentes ait S. Bernardus ſerm. 3. de Evang. 7. panum: *Benigniſſima eſt Divinitatis natura, liberaliter agit, ignoſcit plenariè; ita ut propter fiduciam* (propter dolorem, propter humilitatem,) *peccatorum; ſed pœnitentium, ubi abundavit delictum, ſoleat & gratia abundare*, S. Thomas hodie fuit expertus. Incredulitas fuit graviſſimum ejus delictum, nihilominus quia pœnitet, quia dolet, &c. Chriſtus D. delictum illi non tantùm ignovit, ſed illam gratiam illi dedit, ut cum pulcherrima veræ Fidei profeſſione exclamavit: *Dominus meus, Deus meus*! cum ingenti animi conſolatione.

§. 7. *Diabolus fuit Thomæ inſidiatus, ſed fortior fuit Amor Chriſti, qui Thomam ex abyſſo infidelitatis extraxit.*

Iterum in hoc patuit ingens amor Chriſti D. erga S. Thomam, & quàm fortis & potens ille fuerit; Ob inordinatum amorem Samſonis erga Dalilam, invictus aliàs Heros, eò devenit, ut abſciſſis capillis fortitudinem ſuam perdiderit, vinctuſque fuerit à Philiſtæis. Sed bene advertit S. Petrus Damianus: *Philiſtæi crines Samſon potuêre radere, ſed non evellere; ſic & maligni Spiritus, licèt chariſmata Spiritus S.* ab illis qui labuntur in peccatum, *ad tempus excludant, non tamen prævalent divinæ reconciliationis remedium irreparabiliter abnegare.* Hoc effecere infernales Philiſtæi in S. Thoma, ut illum præcipitarint in abyſſum incredulitatis, in tenebras, in obſcuram noctem, in profundum magnæ triſtitiæ; ſed ad tempus, per octiduum; die octava venit Chriſtus D. pro divinæ reconciliationis remedio, illi offert ſua Vulnera; neque dæmones divinam operationem valuerunt impedire, fortior fuit Chriſti amor: hic extraxit illum ex illa abyſſo, hic eduxit è tenebris, è nocte, in admirabilem lucem radiantem ex divinis Vulneribus, quâ illuminatus exclamat: *Dominus meus! Deus meus!* Tales delicias, tales blanditias exhibet Chriſtus D.

ad-

Digitized by Google

adhuc hodie verè pœnitentibus; præſertim hoc ſancto tempore Adventus, præſertim dum præ foribus eſt lætiſſimum Feſtũ ſuæ in terris Nativitatis. Citò adeſt, ſi à cõtrito aliquo corde invocetur.

De qua celeritate ſuccurrendi pulchrè ait S. Joannes Chryſoſt. hom. 28. in Gen. *Ninivitæ tantâ peccatorum multitudine aggravati; quia magnam & veram pœnitentiam egerant non indiguerunt ampliori; quàm trium dierum ſpatio ad provocandum Dei bonitatem*: hom. 2. in Pſalm. 50. ait: *Non impeditur temporis anguſtiâ miſericordia Dei; & quid dico Ninivitas? Latro in Cruce neque uno die opus habuit, & quid dico, die uno? neque brevi horâ! Tanta eſt Dei erga nos miſericordia! Nam ubi viderit firmum voluntatis noſtræ propoſitum, & ferventi nos deſiderio ad ſe accedere, non retardat, ſed accelerat, dicens: adhuc loquente te, ecce adſum.* Hæ ſunt deliciæ, hæ blanditiæ, hi favores, quos Chriſtus D. exhibet pœnitentibus. Mihi probabile eſt S. Thomam, licèt jaceret in profundo incredulitatis, ſenſiſſe tamen aliquos radios Spiritus ſancti, cum piis cogitationibus & ſanctis deſideriis; ſi ita eſt, ſi Chriſtus D. Magiſter meus verè reſurrexit! O ſi illum videre liceret! O ſi tam eſſem fëlix, ut tangerem cicatrices SS. Vulnerum! O ſi eſſem tam beatus, ut poſſem rurſum audire ſuaviſſimam vocem ejus, & iterum ſuaviter cum illo converſari! O quàm vellem gaudere, ſi ſcirem hoc certum eſſe, illum cum tanta gloria à mortuis reſurrexiſſe. Et ſtatim provocabat bonitatem Jesu; tanta hujus erga Thomam fuit miſericordia, ut non retardarit, ſed accelerarit, dicens: *Thoma ecce adſum, noli eſſe incredulus; Ego ſum! Pax tibi, accede, tange Vulnera mea!* Quid miramur Thomam eodem momento exclamaſſe, *Dominus meus, Deus meus!* Bonitas mea! Miſericordia mea! Jesus meus! Gaudium meum! Conſolatio mea! Quibus verbis Thomas aggravatus magno pondere incredulitatis magnam & veram pœnitentiam egit; ad quam non indiguit longo ſpatio temporis, ſed brevi hora & mora, imò quaſi momento, ferventi deſiderio Chriſtum acceſſit, cum firmo propoſito credendi, amandi, &c. Et Chriſtus D. illum non rejecit. Tanta

§. 8. *Miſericordia Chriſti D. cito ſuccurrit pœnitentibus*

§. 9. *De exceſſu & ſuperabundantia Amoris Chriſti D. erga S. Thomam & pœnitentes.*

Dei erga pœnitentes eſt miſericordia, de qua ſic ait S. Thomas de Villa nova ſerm. fer. 4. Dom. 1. Quadrag quod v.g. Magdalenæ tanta à Chriſto D. fuerit caritas exhibita, quod latroni in Cruce promiſerit Paradiſum; dicamus hodie, quòd Thomas tam ſuavi & mirabili modo fuerit converſus ad Chriſtum D. -- tàlia *profundiſſima & admiranda ſunt myſteria! Non enim potuit aliter, exceſſus ille amoris, & benignitatis Dei in ſuos Sanctos* (pœnitentes) *& nimia familiaritas amicitiæ, & gratia, congruentius niſi hujuſmodi exceſſibus propalari.* Ut Thomæ tam incredulo, JESUS in gloria appareat, ut ſuaviter cum illo loquatur, ut illi offerat ſua vulnera, ut intima cordis illi aperiat; quæ ſuavior familiaritas? quæ major amicitia excogitari poteſt? Quid dicere poſſumus, vel cogitare, niſi quòd fuerit exceſſus & abundantia amoris Chriſti D. erga Thomam? pergit S. Thomas: *Non melius nobis, illa inenarrabilis benevolentia Dei in ſuos, & Sanctorum in illum fiducia, quàm excedendo hujuſmodi apparentibus inſolentiis, declaratur.* Hoc enim intendit amor Chriſti, ut cum magna fiducia ad ſe accedamus. Potuiſſet ſine dubio Thomas cogitare, Egone? Ego incredulus! &c. accedam, ut tangam Vulnera Chriſti? Quem ita offendi? Cujus gloriæ contradixi? Quid ſi ignis contra me erumpat? Abſit, ut ſim tam audax! Talia Thomas cogitare potuiſſet, ſi non habuiſſet præ oculis immenſam Magiſtri ſui caritatem & benevolentiam, illam agnoſcens reſpondet amori, & cum magna fiducia, amore, humilitate, tangens, & amplectens pedes Chriſti, exclamat, *Dominus meus! Deus meus!*

§. 10. *De piis lachrymis S. Thomæ: ex quibus fluxerint fontibus. Deus malum illius vertit in bonum.*

Imò, ut Petrus Cellenſis loquitur lib. de pœn. cap. 12. *De fonte peccatorum, vena exilivit lachrymarum; mirum in hoc artificii Dei ingenium! ut lachryma de venis erumpens peccatorum, humiliter perfuſa, abſorberet omne peccatum*; Cùm certum mihi ſit, Thomam ss. Vulnera fuiſſe exoſculatum, & verba hæc, Deus meus! Deus meus! dixiſſe cum magna copia lachrymarum, præ dolore & amore, & præ abundantia gaudii, cœleſtiſq; conſolationis: duos hodie poſſumus conſiderare fontes: unum lachrymarum ſallentem ex contrito corde & oculis S. Thomæ; al-

alterum ſanguinis ſcaturientem ex benedictis Vulnenbus, in quibus à macula ſui peccati non tantum lotus eſt, ſed ipſum peccatum cooperatus eſt illi in bonum, ex quo humilior, ferventior, timoratior, & cautior factus eſt: ut proinde laudanda ſit divina Providentia, tantoque magis prædicanda, tantò amanda ferventius, quæ malum, quod electis, aut à diabolo, aut aliis hoſtibus paratur, ſemper, ſi volumus, præſto nobis eſt, vertere in bonum. Nonne omnes (Landtſpergius) fatigavit ſuis vexationibus Sanctos Diabolus? Quid autem obtinuit? Nihil profectò, niſi quòd glorioſiores, pulchriores, & rutilantiores fecit eos, ut aurum; fabricavit enim eis coronas invitus, quia Deus, quod ille nitebatur eis inferre ad malum, vertit in bonum. Sic in abyſſo infidelitatis S. Thomas inſtigante diabolo, fuit quaſi duriſſimum ferrum, fuit extinctus carbo; in abyſſo divinæ miſericordiæ, in abyſſis ss. Vulnerum, in ardenti fornace benedicti cordis Chriſti D. mutatus fuit in puriſſimum & ardens aurum. Voluit diabolus illi facere malè, intentio ejus fuit trahere illum in ignem æternum; ſed bonus JESUS in bonum! Abulenſis, *Divinæ bonitati, & ſapientiæ proprium eſt, ut ipſis quoque malis bene utatur.*

Itaque ad hos fontes invito meos Auditores, his diebus qui ſuperſunt ut nos præparemus ad Feſtum Nativitatis Chriſti. Ad fontem veræ Pœnitentiæ, ut in illo laventur corda noſtra, & ſuper nivem dealbentur: in his naſci vult Parvulus de Bethleem: deinde ad fontes ss. Vulnerum, ut in illis accendamur, ad ferventem Dei amorem (poteſt epilogus eſſe brevis repetitio dictorum in tota Concione, ſaltem ſeligantur pulchra aliqua dicta, & applicentur Auditoribus) §. II. *Epilogus. Adhortatio Auditorum ad Pœnitentiam, & brevis repetitio totius Concionis.*

CONCIO LVII.

FESTO NATIVITATIS CHRISTI.

Hoc vobis ſignum: invenietis infantem poſitum in præſepio.

Lucæ 2. v. 22.

SYNOPSIS CONCIONIS.

FUsè explicat hunc Fidei articulum, quod Parvulus de Bethleem ſit homo DEUS, & DEUS homo: quantum propterea ſit diligendus.

§.1. Varia elogia Præſepii.
§.2. Viginti quinque admirandæ combinationes in Parvulo de Bethleem.
§.3. Quænam in hoc Puero arguant Divinitatem, quænam Humanitatem.
§.4. Quomodo Parvulus de Bethleem fuerit germen, & ſimul arbor ſublimis.
§.5. Parvulus de B. eſt ſignum in profundum inferni, & in excelſum ſuprà.
§.6. Et Hinnulus cervorum ſuper montes Bethel.
§.7. Repetitio combinationum §.1.
§.8. Monitum S. Auguſtini, quomodo debeamus conſiderare Parvulum de Bethleem.
§.9. Quando Sponſa eruperit in ardentiſſimos affectus amoris.
§.10. Idem nos faciamus feriis his Natalitiis.
§.11. Suaves affectus erga JESULUM, *qui taliter venit in hunc mundum, ut à nobis ametur.*
§.12. Proſecutio ex S. Chryſologo.

Rec li

§. 1. *Varia elogia Præſepii.*

R*Eclinavit eum in præſepio.* Quis non dicat: ô verè aureum reclinatorium, Præſepe Domini! ſi enim aurum ſignificat amorem, Puer qui in illo jacet, eſt immenſus Amor! Quis non dicat, ô amabile præſepium, in quo recubat amabiliſſimus Puer! Quis non dicat? O opulentiſſimum Præſepium, in quo quieſcit Puer, in quo ſunt omnes theſauri divitiarum Dei. Alii SS. Patres dixerunt: O fulgentiſſimum Præſepium, in quo ſplendidiſſimus Sol mundo eſt ortus! O cœleſte præſepium, in quo Virgo reclinavit Dominum cœli & terræ! O felices paleas! roſis omnibus, liliis omnibus, omnibus floſculis pulchriores; Vos ego complectar (canit ille Poeta) gelidaque in mente locabo, ſubjiciet flammas, qui jacet ignipotens. Alius fortaſſis dicet: O Angelicum Præſepe! in quo quia jacet *Rex Angelorum, ibi Principatus & Poteſtates,* (S. Th. de Villa N. ſer. de partu Virg.) *Cherubini ac Seraphini, ibi Reges & Paſtores, etiam jumentis permixti, communem Creatorem adorant. Nullus contemnit alium, nullus ibi ait, Quis es tu? Et quis ſum ego? Sed mirabili concordia Angelici principatus, ſeu celſitudinis & dignitatis obliti, jumentis aſſociati, non dedignantur Dominum inter ruſticos adorare.* Pia quoque eſt obſervatio venerabilis Bedæ ſuper verba illa, In quem deſiderant Angeli proſpicere; *Non ſolum immortalem Deitatis magnificentiam, ſed & abſumptæ ejus Humanitatis claritatem, ſemper aſpicere gaudent*; Quantò magis æquum eſt, ut nos homines, propter quos potiſſimum natus eſt, deſideremus illum aſpicere & contemplari. Simili deſiderio exarſit ſanctus Chryſoſtomus cùm exclamavit, hom. in c. 2. Lucæ. *O ſi mihi videre liceret illud præſepe, in quo Dominus jacuit! O dulcis dies! & verè dulcis; dulcis hora, quâ Salvator mundi poſitus fuit in Præſepio! Promitto vobis Filioli, & certus ſum, quia in hac die, ſi quis coram præſæpio devotus fuerit, quodcumque petierit dabitur ei.* Venite Auditores, ducam vos hodie ad Præſepe, ut devotio hæc in nobis ſit tenera; hoc præcipuè cognoſcere & credere debemus, quod Puer, qui nobis natus eſt, ſit ſimul Deus & homo. Hic Puer, Deus homo, & hoc modo natus in mundum, ut

pro

pro loco Nativitatis elegerit ſtabulum,&c. juſtiſſimis titulis noſtrum dirigit amorem. Hæc duo proponam hac Concione, in honorem Parvuli de Bethleem.

§. 2. *Viginti quinq; admiranda combinationes in Parvulo de Bethleem. Iſai 9. v.6. Pſ.138. v. 14.*

Natum Puerum Iſaias vocavit *admirabilem*! Admirabilis ſine dubio Puer eſt, in quo Divina immenſitas eſt parva, omnipotentia eſt infirma, æternitas eſt nova, felicitas eſt miſera, ſapientia eſt infans. Quis non dicat cum Regio Pſalte: *Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es; mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcet nimis*! Admirabilis ſine dubio Puer eſt, in quo ſanctitas & innocentia punitur, in quo immortalitas fit mortalis, inviſibile viſibile; in quo incomprehenſibile comprehenditur: in quo divitiæ conjunctæ ſunt cum ſumma egeſtate. *Confitebor tibi Domine Deus*, quia in hoc puero hodie es magnificatus, mirabilia opera tua, anima mea cognoſcet nimis. Admirabilis revera Puer eſt! in quo gloria eſt deſpecta, in quo ſplendor eſt velatus, in quo pulchritudo contempta, in quo Rex Regum eſt ſervus, in quo libertas eſt ligata vinculis. *Confitebor tibi, &c.* Admirabilis Puer eſt! in quo gaudium plorat, fons lætitiæ fluit lachrymis, venuſtas habitat in ſtabulo, Amor jacet in frigore, flamma urit inter nives. *Confitebor, &c.* Admirabilis Puer eſt! in quo fortituo tremit, in quo majeſtas vilis eſt, in quo impaſſibilis patitur, calor friget, verbo, in quo Divinitas humiliatur, uſque in ſtabulum, uſque in præſepe, uſque ad paleas: Hinc cum Regio Pſalte talia miracula libenter cognoſceret anima mea; hinc verò cum S. Aug. ſer. de Nat. cogor fateri veritatem. *Non poſſum vobis*, Audit. *explicare ſermone, quod de admirabili Puero noſtro concepi*, ſtupor enim miraculorum & mirabilium opprimit me: Ideo fit elinguis lingua, memoria immemor, inſenſibiles ſenſus; ſtupent aures, dum audiunt hæc mirabilia: ſtupent oculi, dum eadem vident; ſtupet odoratus, dum percipit Odorem olere divinum; ſtupet guſtus, dum guſtat dulce mel, quo diffluit præſepe; ſtupent manus, dum Puerum Deum hominem contrectant.

§. 3. *Quænam in hoc Pue-*

Hæc ultima verba, origo & fons ſunt omnium, quæ dixi, mirabilium. Hunc Fidei articulum de nato Parvulo, quod Deus ſit

Digitized by Google

ſit & homo, & contrà homo Deus tota vita Chriſti D. nobis in- *ro arguunt*
culcat. Cœlum & terram implet, anguſta eſt illi omnis cœli lati- *Divinita-*
tem, quæ-
tudo, in cœlis tonat, ſub vocis ejus tonitruo angelicæ poteſtates *nam Hu-*
ſubmittunt alas ſuas, quia Deus eſt; jacet in præſepio, cunarum *manitat.*
anguſtiæ illum capiunt, quia homo eſt; Adſunt Angeli de cœlo, & ſuaviſſimâ muſicâ Paſtores trahunt ad præſepe, quia Deus eſt; Parvulus inter cœleſtia gaudia plorat, quia homo eſt. A Paſtoribus veniunt iidem cœleſtes Genii, imò Cherubini & Seraphini ad ſtabulum, cingunt parvuli cunas, & clamant, Sanctus, Sanctus! D. Epiph. or. de B.V. *Virgo in ſpelunca, cœli & terræ Dominum depoſuit in præſepio; ſed Ordines Angelorum circumſtabant Virginem, cum clamore dicentes, Gloria in excelſis Deo*; quia Puer hic Deus eſt; aſſiſtunt tamen & beſtiæ, bos & aſinus, quia Puer hic homo eſt. Paſtores quoque Parvulum adorant, quia Deus eſt; Bethleemitæ non concedunt illi locum in diverſorio, quia homo eſt. In Oriente oritur ſtella, quæ Reges vocat ad incunabula, quia Deus eſt: in urbe Jeroſolyma & vicinia, Rex Herodes quærit illum interficere, quia homo eſt, quia occidi poteſt: Quieſcit hic Puer, & ſedet ſuper alas Cherubim, ſuper pennas ventorum, quia Deus eſt; jacet in ſinu Matris, in præſepio, in palea & fœno, quia homo eſt. Tribus digitis appendit molem terræ, quia Deus eſt: geſtatur in ulnis quia homo eſt. Talia cernimus in Nativitate. Octavo deinde die in Circumciſione, vocatum eſt nomen ejus Jesus, in quo omne genu flectitur, quia Deus eſt: in eadem Circumciſione effundit ſanguinem, patitur tenerrimus puſio dolores, quia homo eſt. In templo agnoſcit Simeon, illum eſſe ſalutare hujus mundi, benedixit illi Anna, quia Deus eſt: redimitur à Matre pullis columbarum, quia homo eſt. Dum ingreditur Ægyptum contremiſcit orcus, corruunt idola, quia Deus eſt; Fugit autem in Ægyptum, quia homo eſt. Duodennis in Templo Hieroſolymitano inſtruit Doctores, quia Deus eſt; audit eoſdem loquentes, quia homo eſt: mendicat cibum, patitur famem, quia homo eſt; paucis verò panibus in deſerto cibat aliquot millia hominum, quia Deus eſt. Jejunat in eremo, & tentatur à Sathana, quia homo eſt: inſer-

viunt ibidem illi Angeli, quia Deus eſt: Judæi vocarunt illum filium Fabri, ut hominem; Vox verò de cœlo vocat illum dilectum Filium Dei; In laboribus fuit à juventute ſua, quia fuit homo: Innumera tribus ultimis vitæ annis patravit miracula, quia Deus eſt. Paſſus denique fuit, & cruci affixus, quia homo. Tertiâ die reſurrexit à mortuis, aſcendit ad cœlos, quia Deus. Dicamus iterum cum Regio Pſalte, *Confitebor tibi Domine, quia mirabilia ſunt opera tua*: Admirabilis Puer nobis natus & datus eſt!

§. 4. Quomodo Parvulus de Bethlẽ fuerit germen, & ſimul ſublimis arbor.

Sic decurſus totius vitæ Chriſti D. nobis proponit infallibilem hanc veritatem: Parvulus de Bethleem, ſive Chriſtus D. Salvator noſter, Deus & homo eſt. Idem nobis declarant pulchra aliqua loca S. Scripturæ, quæ ſimul piiſſimas & excelſas nobis ſuggerunt cogitationes, & ſublimes conceptus & maximas de Puero Bethleemitico. Animæ piæ per Adventum cum Propheta Iſaia millies ſuſpirarunt, *Aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* (*Iſaia. 45. v. 8.*) Germen ſignificat parvulam plantam, arbuſculam, vel floſculum. Talis hac nocte ex utero terræ virginalis germinavit JESULUS! inſtar floſculi! inſtar roſæ, inſtar violæ, inſtar lilii convallium: candidiſſimus, aureus, roſeus, & amabiliſſimus puſio. Cedat lectulus Salomonis præſepio Parvuli de Bethleem; laudat Sponſus flores, quibus lectulus fuit inſtratus, in præſepio jacet floſculus, qui Deus eſt. Ideo de eodem germine ait idem Propheta: *Germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ ſublimis.* (*Iſai. 4. v. 2.*) q. d. Ille floſculus ſimul erit arbor, ſublimis, excelſa, elevata, quaſi Cedrus in monte Libano. Sic diſcurro cum D. Amadæo hom. 3. de Incarn. *Germen Domini in magnificentia & gloria extitit, quando conceptum de Spiritu S. & ortum de radice Ieſſe, in ſummitate virgæ totum effloruit, imò flos fuit; fructus verò terræ ſublimis, quia benedictus fructus ventris Mariæ, Divinitatis celſitudine meruit ſublimari.* Advertitis myſterium? JESULO nihil eſt humilius, nihil depreſſius, nihil ad ſpeciem contemptius; roſa eſt inter ſpinas, lilium & viola in vallibus, quà Puer hic homo eſt; nihil verò illo ſublimius, nihil magis exaltatum, Cedrus eſt in monte Libano, Palma eſt in Cades,

VI-

Digitized by Google

Vitis eſt in collibus Engaddi, quà Puer hic Deus eſt: germen eſt, floſculus eſt, & ſimul celſiſſima arbor. Parvus eſt, & magnus: minimus, & maximus.

Cap. 7. Iſai. dixit Deus ad Achaz. *Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo, in profundum inferni, ſive in excelſum ſuprà.* Dum infernum nomino, non volo vos cogitare de loco, ubi Deus damnatos æternum putat; lætiſſimis his feriis natalitiis de his pœnis ego non cogito; Parvulus de Bethleem neminem cupit damnare, amemus hunc Parvulum, & non eſt quòd timeamus æternam damnationem. Agitur citato loco, de ſigno infinitæ Dei erga nos miſeros miſericordiæ, de ſigno infiniti amoris, de ſigno & infallibili argumento infinitæ liberalitatis. Signum hoc eſt Parvulus de Bethleem. Nobis natus eſt, nobis datus eſt, ut ex inf. miſericordia nos miſeros redimat. Nobis natus eſt, nobis datus eſt, ut de immenſo ejus amore non dubitemus. Verùm! quomodo hic parvus puſio ſignum eſt in profundũ, & in excelſum? Quæſtioni elegantiſſimè reſpondit Guilhelmus apud Delrium in c. 5. Cant. *Eò ipſo quod Deus inclinatus eſt in homine, ſublimatus eſt homo in Deum.* Figura fuit ſcala Jacob, Gen. c. 8. v. 12. Inferior ejus pars tetigit terram, ſuperior cœlum. Et Parvulus noſter de Bethleem, quà Deus fuit homo cœleſtis &c. quà homo, formatus ex ſang. Virginis, verus homo. Floſculus! Arbor! Signum in profundum! Signum in excelſum! Puer parvus! Puer magnus! Minimus! Maximus! Rupertus expendens verba illa Chriſti D. Matth. c. 5. v. 19. *Qui autem minor eſt in regno cælorum, major eſt illo* -- ait -- *Quærendus eſt ille minor in regno cælorum, quis ſit, & citò invenitur: quia ipſe eſt, qui hæc loquitur Chriſtus Ieſus Filius Dei! Minor vel minimus omnium noſtrum, minor cunctis parvulis, humilior humilibus cunctis, miniſtrans, ut minimus* (natus in ſtabulo, ut minimus, jacens in præſepio, ut minimus, fiat p. inductio) *ſed regnans in cælo ut maximus.* Puer omnipotens, ut maximus Deus; Puer ditiſſimus, ut maximus Deus, &c.! S. Aug. in Confeſſ. *Quàm excelſus es Domine in excelſis! Quàm profundus in profundis!*

§. 5. Parvulus de Beth. eſt ſignum in profundum inferni, & in excelſum ſuprà. Iſai. 7. v. 11.

Minimum & maximum hunc Puerum, Deum & homi- §. 6.

Et hinnulus ſervorum ſuper montes Beth l. *Cant. 2. v. 5.* nem contemplata fuit Sponſa, cùm dixit: *Similis eſto Dilecte mi, capreæ, hinnuloq; cervorum ſuper montes Bethel.* D. Bern. hom. 73. in Cant. *Hinnulus eſt, Parvulus eſt! attamen ſuper montes Bethel, attamen excelſior cælis factus. Ex quibus patet, quod non modo in eo, quod ab æterno eſt, ſed etiam in eo, quod in tempore factus eſt* (Puer natus in ſtabulo! Puer jacens in præſepio! Puer vagiens in ſinu Virginis, &c.) *omnem ſibi eminentiam vendicet, ſupra omnem Principatum & Poteſtatem, ſupra omnem denique creaturam, utpote Primogenitus omnis creaturæ.* Iterum S. Bernardus h. 3. in Miſſus eſt. *Et tu quidem, ô Virgo! parvulum paries, parvulum nutries, parvulum lactabis, ſed cogita magnum. Erit enim magnus, quia magnificabit eum Deus in conſpectu Regum, adeo, ut adorent eum omnes Reges, omnes gentes ſerviant ei. Magnificet ergo anima tua Dominum, quia hic erit magnus & Filius Altiſſimi vocabitur; magnus erit, & magna faciet tibi, qui potens eſt.* Sequamur & nos conſilium S. Bernardi. Parvulus Filius datus eſt nobis: nihilominus magnificemus; jacet in ſtabulo, in fœno, magnificemus nos (hoc modo fiat pius affectus) homo eſt ſimul Deus eſt! magnificemus, laudemus, ſuperexaltemus illũ. Ad hunc finem *voluit Deus,* (S. Ber. ſer. 3. in Vig. Nat.) *infirmiora noſtra, abundantiori gloriâ ſublimare; & contraxit ſe Majeſtas, ut quod melius habebat, videlicet ſe ipſum, limo noſtro cônjungeret; miſcerentq; ſe invicem Deus & limus, Majeſtas & infirmitas, tanta vilitas, ſublimitas tanta.*

§. 7. *Repetitio combinationum ex §. 1.* O admirabilem mixturam! repeto mirabilia, quæ ſuperius in Puero hoc conſideravi. Immenſus eſt, quà Deus! parvus, quà homo. Omnipotens eſt, quà Deus! infirmus quà homo. Æternꝰ quà Deus, novus quà homo! ſapientiſſimus quà Deus, infans quà homo: ô admirabilem mixturam! ſanctꝰ eſt quà Deus, punitur quà homo! im̃ortalis eſt quà Deus, mortalis quà homo! Inviſibilis quà Deus, viſibilis quà homo! ditiſſimꝰ quà Deus, pauperrimus quà homo! Dñs eſt, liber eſt, quà Deus, ſervus eſt, ligatus panniculis quà homo: gaudet, beatus eſt, quà Deus, vagit, plorat quà homo eſt! ignis eſt inacceſſibilis quà Deus, friget quà homo! fortis eſt quà Deus, tremit quà homo. Ita ut *in utraq; ſub-*

ſtantia

Digitized by Google

ſtantia(divina & humana) *nullum ſit mendacium*, ait D. Leo ſer. 4. de Nat. S. Aug ep. 3. ad Voluſ. *Non metuendum eſt corpuſculum infantia*(non metuendę ſunt paleę, fiat p. deſ.) Parvul⁹ Deus eſt!

Aliis ſuaviſſimis verbis idem S. Aug. hanc veritatem proponit, v. g. cùm Parvulum videmus jacentē in præſepio, &c. non ita debemus aſpicere, ut ei Incarnatio, vel talis Nativitas, immortalitatem corruperit, ut æternitatem ſuam mutaverit, ut poteſtatem ſuam minuerit, ut adminiſtrationem mundi deſeruerit, ut à ſinu Patris receſſerit! Nam manſit immortalis, factus tamen eſt mortalis: Æternus eſt, natus tamen in tempore: Deus eſt cœli & terræ, Parvulus tamen manet in ſinu Matris, & ſimul quieſcit in ſinu Patris. *Obſtupeſce O homo*(Guerricus Ab. ſer. 3. de Nat) *tanta pro te mirabilia, tanta beneficia pro te exhibita! Cogita quantum te diligat, qui tanta dignatus eſt facere pro te! ut ſic ſaltem eum ames, à quo te agnoſcis ſic amari.* Aggredior his verbis alt. p. Conc. §. 8. *Monitum S. Aug. quomodo debeamus cōſiderare Parvulum de B.*

Poſtquam Sponſus in Cant. Sponſam admiſit ad oſculum oris ſui, ubi illam introduxit in cellam vinariam, ubi eduxit ad vineas, in hortos Malogranatorum, ubi quievit tanquā faſciculus myrrhæ inter ubera ejus, ubi cum ſponſa ſedit ſub umbra pulcherrimæ arboris, ubi dexterâ ſuâ illam fuit amplexatus, ubi illi oſtendit faciem ſuam, ubi illi propinavit lac & mel, ubi illi potū dedit de puteo hortorum, cùm ſimul egreſſi in agrum, commorati ſunt in villis, quando manè ſurrexerunt ad vineas; in his circumſtantiis, tantis dignata favoribus Sponſa erupit in ardentiſſimos affectus amoris: *Ecce tu pulcher es, Dilecte mi, & decorus! Fulcite me floribus, amore langueo. Dilectus meus mihi, & ego illi, ſurgam, & quaram quem diligit anima mea, Tenui eum, nec dimittam. Vulneraſti cor meum, Dilecte mi. Ego dormio, ſed cor meum vigilat. Anima mea liquefacta eſt, ut locutus eſt mihi. Fortis ut mors dilectio mea.* q. d. diligam illum uſque in mortem meam. §. 9. *Quando Sponſa erumperit in ardentes affectus amoris erga Sponſum.* Cant. 1. v. 15.

Animæ piæ, venite hodie mecum in Bethleem ad ſtabulū, ad præſepe, ut contemplemur Puerum admirabilem, Puerum Deum! Hic Puer eſt cœleſtis Salomon & Sponſus, qui nobis offert oſculum, non pedū tantùm & manuū, ſed amabiliſſimi oris. §. 10. *Idem faciamus nos his feriis Natalitiis.*

Parvulus hic quærit ubera noſtra, quærit corda noſtra, ut in illis quieſcat, tanquam faſciculus myrrhæ! Parvulus hic deſiderat amplexus noſtros. Ecce quàm pulchram faciem nobis oſtendit! Non lac & mel nobis propinat in potum, ipſe Parvulus eſt potus & cibus noſter. Si vultis, ſtabulum vinea eſt, Jesulus botrus. Si vultis, ſtabulum hortus pomorum eſt, Malogranatum Jesulus! Si vultis, ſtabulum Palatium eſt, Jesulus Rex eſt! Si vultis, ſtabulum cella vinaria eſt, in qua potamur vino, quod generat Virgines & caſtiſſimam dilectionem. Si vultis, ſtabulum ſancta eſt ſolitudo, in qua delicioſiſſimus Puer, Puer homo Deus! nobiſcum ſuaviſſimè deſiderat converſari; hæ deliciæ ipſius ſunt, & cur non hodie cum Sponſa, & nos in ardentiſſimos erumpimus affectus: O quàm pulcher es, pulcherrime Puſio! O SS. Angeli, ſtipate nos floribus, languemus amore! Dilectus meus, Parvulus de Bethleem mihi, & ego illi, &c. Cur non exclamamus cum S. Auguſtino hom. 36. *Amemus Sponſum, quantò magis deformis nobis commendatur, tantò charior, tantò dulcior factus eſt Sponſa.* Et cum D. Bernardo! *Quantò minorem ſe fecit in humanitate, tantò majorem exhibuit in bonitate; & quantò pro me vilior, tanto mihi carior eſt.*

§. II. *Suaves affectus erga Jeſulum, qui taliter venit in hunc mundum, ut à nobis ametur.*

Parvitas, & excellentia Parvuli de B. S. Petro Chryſologo tam potens motivum fuit, ad inflammandum in cordibus noſtris ejus amorem, ut dixerit, *Infantia!* (talis Nativitas Chriſti, &c.) *quam barbariem non vincit, quam feritatem non mitigat? quam duritiem non reſolvit? quid non amoris expoſtulat? Sic naſci voluit, qui voluit amari.* Cùm ſurrexiſſem nocte Natalis Domini, ſumpſi in manus pium libellum, qui agit de præparatione ad felicem mortem, ut legerem unam aut alteram lineam, de Parvulo de Bethl. incidi in hæc verba: Jesus Chriſtus Filius Dei & hominis (proinde Deus & homo) hodie ex Maria Virgine natus Bethleemi, mundi Salvator, pannis involutus, reclinatus eſt in præſepio. O Homo, ſi hîc non amas, non es homo! Proinde libellus erumpit in ſuaviſſimos hos affectus: O Parvule! O Divine Puer! Ad tuas cunas liquefacti fuerunt Seraphici affectus S. Franc. S. Ignatii, S. Catharinæ Senenſis; ſic cupio lique-

liquefieri meos affectus! O Parvule, oculi tui fuerunt faces, quæ inflammarunt cor S. Joſephi! His facibus cupio inflammari cor meum (&c. ſic de aliis, & præcipuè de B. V.) S. Hieron. Idcirco Deus Pater ſic naſci voluit Filium ſuum, *ut faceret Dilectum ſuum diligi ab hominibus, & diligi non leviter, ſed vehementer.* S. Aug. l. de Catech. *Ama, amorem illius, qui amore tui deſcendit in uterum Virginis, & tibi amorem ſuum amori tuo copulavit, humiliando ſe, ſublimando te, conjungendo lumen ſuæ æternitatis, limo tuæ mortalitatis.* Æternus, quà Deus! Mortalis, quà homo! S. Aug. ſer. de Nat. Domini. *Factus eſt Deus homo, ut homo fieret Deus.*

Sed iterum mihi occurrunt verba S. Petri Chryſologi ſer. 158. *Sæpe quærimus, quare ſic mundum intrat Chriſtus, ut ventris experiatur anguſtias, partus patiatur injuriam, ſuſtineat vincula pannorum, cunabula toleret, lachrymis uberum nutrimenta diſquirat, &c. Et qualiter venire debuit* (ſive quo alio modo) *qui voluit timorem pellere, quærere caritatem? Sic ergo naſci voluit, quia amari voluit, non timeri.* §. 12. *Proſecutio ex S. Chryſologo.*

CONCIO LVIII.

FESTO S. STEPHANI PROTOMARTYRIS.

Ecce video cœlos apertos, & Jeſum ſtantē à dexteris Dei,

Act. 7. v. 55.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Conatur piis animabus imprimere ſuaviſſimam imaginem, & dulcem memoriam Parvuli de Bethleem.

§. 1. *Va-*

§. 1. *Varia elogia S. Stephani.*
§. 2. *Explicatur ex ſacris literis, quid ſit, eſſe memorem præſentis Dei, ſive videre Deum.*
§. 3. *Idem declaratur ex Pſalmis.*
§. 4. *Oportet ſemper habere Deum præ oculis.*
§. 5. *Et continuo cogitare de Chriſto, ut ardenter deſideremus illum amare.*
§ 6. *Ardens deſiderium S. Henrici Suſonis.*
§. 7. *Pulchrum dictum S. Regis Ludovici, & eximia ejus fides de Chriſto Domino.*
§. 8. *Actus fiduciæ & amoris erga Chriſtum Dominum.*
§ 9. *Apoſtrophe S. Auguſtini ad Chriſtum D. & huic ſimilis ad Parvulum de Bethleem.*
§. 10. *Ethnici ſuaſerunt memoriam præſentis Dei, applicantur illorum dicta Parvulo de Bethleem.*
§. 11. *Joſeph noluit peccare, quod ſciret ſe vivere in conſpectu Domini.*
§. 12. *Caveamus nos peccato offendere Jeſulum*
§. 13. *Chriſtus D. cernit omnes cogitationes noſtras: Totus eſt oculus.*
§. 14. *Memoria præſentis Dei generat ſanctiſſima deſideria.*

§. 1. *Varia elogia S. Stephani.* *Act. 6. v. 5.*

EXimia elogia S. Stephani nobis refert S. Lucas in Actis Apoſtolorum, ait enim de illo, quod fuerit vir *plenus fide & Spiritu ſancto*; hic verſus 5. citati cap. Concionatoribus cauſam dedit, ut ſcripſerint eximias homilias, ſermones, conciones, de excellentia Fidei noſtræ, & admirandis effectibus Spiritus ſancti in eximiis viris, heroibus, Martyribus, quorum primus fuit S. Stephanus. Verſu 8. in illo capite ait Evangeliſta: *Staphanus autem plenus gratiâ & fortitudine.* Hanc virtutem, propriam Chriſtianorum, hominis Chriſtiani ſcutum, ſicut & dignitatem gratiæ; plurimi ſancti Patres, in honorem S. Stephani fusè quoque & doctè in ſuis diſcurſibus deſcripſerunt. Sapientia S. Stephani tanta fuit, tam potens fuit ſpiritus, qui ex illo loquebatur, ut etiam ſynagogæ Judaicæ doctiſſimi, Libertini, & Cyrenenſes, & Alexandrini, & illi qui venerant ex Cilicia, & Aſia, cum Stephano diſputantes, non potuerint illi reſiſtere, *videbant enim faciem ejus, tanquam faciem Angeli:* & quia aliter

illi

Digitized by Google

illi reſiſtere non potuerunt, impetum in eum fecerunt unanimiter, & ejicientes eum extra civitatem, lapidarunt illum. Hi lapides veluti pretioſiſſimæ gemmæ, objectum quoque fuerunt pulcherrimarum Concionum, quæ paſſim in diverſis SS. PP. & Concionatorum libris inveniuntur. Plurimi ſatis extollere non poſſunt heroicum illud factum, ſive ardentiſſimam ejus orationem, quâ ad exemplum Chriſti Salvatoris pendentis in Cruce, pro ſuis inimicis oravit: *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum!* Alii S.Script. Interpretes ampliſſimã materiã invenerunt in beatiſſima & ſuaviſſima morte S. Stephani, ut vocetur Obdormitio: cũ enim poſitis genibus dixiſſet, *Domine Jeſu ſuſcipe Spiritũ meum. Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Hæc dicens, *Obdormivit in Domino.* Placent mihi omnia hæc elogia glorioſiſſimi Protomartyris, cùm verò his feriis ego in meis Concionibus non libenter recedam à præſepio mei Jesuli; occaſione illorum verborum, quæ de S. Stephano referunt, quod *intendens in cœlum, viderit gloriam Dei, & Jeſum ſtantem à dexteris Dei, & cœlos apertos, & Filium hominis*, Concione hac oſtendam, quàm utile ſit videre Deum & Jeſum; ſive memorem eſſe Dei nobis præſentis, proinde Parvuli de Bethleem, quoad divinam naturam. Cupio ego, & opto vos omnes videre Parvulum de B. In decurſu Concionis hanc propoſitionem clariùs intelligetis. *Act. 7. v. 57*

Initium hujus Concionis exigit, ut ex ſacris literis declarem, quid ſit, cum S. Stephano videre cœlos apertos, & ſtantem Jeſum à dextera Patris, ſive, quid ſit eſſe memorem præſentiæ Dei. Fecit id Eccleſiaſticus ex inſtinctu Spiritus ſancti his verbis: *Beatus vir, qui in ſapientia morabitur, & qui in juſtitia ſua meditabitur, & in ſenſu cogitabit circumſpectionem Dei.* De primo membro hujus verſus ait S. Bern. in ſententiis: *Moratur ſi quidem in ſapientia, & ſapiens eſt, qui ſemetipſum hic dijudicat, ut æternum Dei judicium evadat.* Deinde *ſapiens eſt, qui meditatur in juſtitia,* id eſt, qui cogitat, quid ex juſtitia debeat Deo, quid proximo, quid ſibimetipſi, & ſollicitus eſt, ut expleat opere omnes partes juſtitiæ. Hæc eſt illa ſapientia, quæ vocatur donum Spiritus ſancti, ſed his modò non inhæreo; mihi ſervit alterum

§ 2. Explicatur ex S. Literis, quid ſit eſſe memorem præſentiæ Dei ſive videre Deũ. Eccleſiaſt. c. 14. v. 22.

membrum citati verſus ex Eccleſiaſtico, ſapiens eſt, *qui in ſenſu cogitabit circumſpectionem Dei*; id eſt, ut ait Hugo Card. *quod Deus circumſpiciat omnia, etiam abſcondita cordis.* Sciunt Philoſophi ex Ariſtotele, animam hominis, quamdiu alligata eſt corpori, non poſſe intelligere res ſpirituales, prout ſunt in ſe ipſis; ſed phantaſia debet illis in imaginatione attribuere eſſe aliquod corporeum, quod nobis deinde ſervit ad rei cognitionem. Sic Angelum nobis imaginamus, velut formoſiſſimum juvenem; diabolos verò veluti leones vel dracones, aliaſque terribiles & truculentas beſtias. Ob eandem rationem ipſum Deum concipimus, veluti Principem magnæ Majeſtatis, ſedentem in ſolio regni ſui; & Eccleſiaſticus pronuntiat illum beatum, qui cogitat, quod Deus ille habeat oculos, qui omnia vident. Ad Hebr. S. Paulus loquitur de eximiis viris V. T. cùm ad Moyſen pervenit, hoc in illo laudat, *Non veritus animoſitatem Regis* (ſcilicet Pharaonis) *inviſibilem enim tanquam videns ſuſtinuit; inviſibilem, id eſt Deum, quem non videbat, tanquam videns, ac ſi eum præſentem ibi cerneret, ſuſtinuit. Id eſt, auxilium ibi expectavit, ac ſi corporeis oculis eum circum ſe videret præſentem, & adjuvantem.* Hoc idem fecit S. Stephanus, cùm ingrueret torrens lapidum. Ita illos excepit, quaſi coram ſe videret Chriſtum Salvatorem ſuum. Et hæc præſentia animavit Stephanum, juxta illud S. Anſelmi, *Miles accuratius pugnare ſolet præſente Rege, quàm abſente.* Et illud S. Joannis Chryſoſt. hom. 26. in ep. ad Hebr. *Sancti ſe ipſos ad grandia pro Deo agenda, & ſuſtinenda excitantes, Deum coram oculis ſuis quaſi viſibilem ſibi proponebant.* O quæ, qualia, & quàm grandia ageremus, quantâ patientiâ, imo quo gaudio exciperemus cum S. Stephano lapides tribulationum, ſi cogitaremus benedictum Parvulum eſſe in cordibus noſtris; vel apertos eſſe cœlos, & cernere Chriſtum Salvatorem noſtrum, quomodo pugnemus; ſed nimis cito devenio in ſtabulum ad Parvulum de Bethleem.

Hebr. 11. v. 27.

§. 3. *Idem declaratur ex Pſalmis.* *Pſ. 15. v. 8.*

Pſalmo 15. Rex David aliis verbis nobis proponit, quid ſit nos eſſe memores præſentiæ Dei, dum de ſe ait: *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper.* Hugo Card. ſic legit: *Providebam*

Digitized by Google

debam Dominum, id eſt, prope videbam. Brixianus ex Hebræo ſic vertit: *Ponebam è Regione mei, Deum tanquam ſpectatorem.* S. Auguſt. *Eligamus nobis fratres* contra ſuſpiciones, & malevolas linguas hominum, *Deum Judicem! Deum teſtem!* O quanta hominis eſt gloria, quanta felicitas, quanta dignitas, quod cùm bene agit, omnium cogitationum, verborum, & operum ſpectatorem, & teſtem habeat Deum! Perge animosè ad locum ſupplicii glorioſiſſime Protomartyr S. Stephane! Omnes paſſus ſpectat & numerat Deus! Pergit animoſus Pugil, vix flexit genua, & decidit imber lapidum. Spectator de cœlis fuit Deus, circumſpexit omnia. S. Stephanus poſitis genibus exclamat: *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum*, &c. Talia dixit, ſic oravit S. Stephanus, quia videbat, quia memor erat, Deum ſuum eſſe ſpectatorem, & teſtem, & adjutorem. O animæ piæ: accurrite vos his feriis ad ſtabulum de B. omnes paſſus videt, & numerat JESULUS, quia ſimul eſt Deus. Eia coram præſepio effundite petitiones, & deſideria cordis! JESULUS videt & audit. Amori JESULI hoc date, ut actu heroico, ignoſcatis inimicis veſtris, ut ſi opus ſit, etiam mori deſideretis pro gloria Dei; Parvulus puer jacet in præſepio, inter paleas, ſed quia ſimul Deus eſt, circumſpicit omnia. Beatus, ſapiens eſt his feriis, qui ſibi ob oculos ponit Parvulum Deum, tanquam ſpectatorem. David dixit Pſ. 24. *Oculi mei ſemper ad Dominum*: dicamus nos his feriis, Oculi noſtri ad JESULUM, oculi noſtri ad ſtabulum, in quo natus eſt, (fiat pia & ſuavis inductio) & excitabimus nos ad grandia. Pſ. 24. v. 15.

Cùm Patres in eremo à S. Antonio peterent ſalutare aliquod monitum, reſpondit illis: *Quocumque itis, Deum ſemper habete præ oculis*: Abbas Iſaias or. 27. t. 2. Bibl. uni ex diſcipulis ſuis dixit: *Attende tibi diligenter, & conſidera Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum pro nobis mortuum eſſe, noſq; ſanguine ſuo redemiſſe, ut ipſe tibi non amplius vivas, ſed Domino qui pro nobis mortuus eſt. Cogita igitur ſemper, te ante oculos ejus verſari, & cor tuum obſerva.* Accomodemus hæc feriis natalitiis, & S. Stephano de quo dicitur, quòd apertis cœlis viderit Jeſum ſtantem, &c. Animæ piæ his feſtis cogitare, & quærere ſolent, Ah! quid faciemus

§. 4. *Oportet Deum ſemper habere præ oculis.*

Digitized by Google

ciemus, ut his diebus ſimus devoti, ut non nobis, ſed Deo vivamus: hoc ego hodie ſuadeo cum S. Ant. Quocumq; itis, quidquid agitis, in templo, domi, cùm oratis, cùm legitis, &c. JESULUM natum in B. jacentem in præſepio, habete præ oculis; cogitate parvum, ſed divinum Puerum circumſpicere omnia; hoc ſuadeo cum Abbate Iſaia, Attendite vobis diligenter, & conſiderate Filium DEI Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, pro nobis ex Maria Virgine natum eſſe, in ſtabulo; pro nobis, jacere in præſepio, &c. cogitate ſemper, nos ante oculos ejus verſari; & ideo cuſtodite corda veſtra, cuſtodite oculos &c. ſapiens eſt, qui meditatur hanc circumſpectionem.

§. 5. *Et continuò cogitare de Chriſto Salvatore, ut ardenter deſideremus illum amare.*

In devotiſſima & affectuoſiſſima epiſtola, quam S. Henricus Suſo ex ordine S. Dominici, ſcripſit ad Religioſam Virginem, inter alia, hoc monet & illi ſuadet, ut omni cura conetur cordi, memoriæ, & imaginationi ſuæ inſculpere pulcherrimam quandam Ideam Jeſu Salvatoris, *Vult*, inquit, *& deſiderat cœleſtis Sponſus poni ſuper cor, velut ſignaculum & ſigillum: vult, ut quantum fieri poteſt, continuo de illo cogitemus, ut omni hora ad illum ſuſpiremus, ut in omnibus cum ardentiſſimo amore deſideremus illi placere*: in hoc ait conſiſtere ſummam hominis perfectionem & ſanctitatem. Beati in cœlo hoc agunt, ut contemplentur, ut ament, ut laudent Deum; & in terris major hominis beatitudo eſſe non poteſt, quàm videre, amare, & laudare Deum. Id quod tam ardenter deſideravit S. Auguſtinus in medit. cap. 34. *Da mihi ut amem te ſemper, quantum volo, quantum debeo, ut tu ſolus ſis, ſola intentio, & omnis meditatio mea; te mediter per dies ſine ceſſatione, te ſentiam per ſoporem in nocte.* Vultis Auditores, ut vobis aperiam intimas cogitationes, & deſideria cordis mei, hodierno feſto S. Stephani? fuit ille tam beatus, ut conſtitutus in terris viderit Jeſum in gloria ſua; O Parvule de Bethleem, da tu nobis his diebus hanc gratiam, ut amemus te ſemper, quantum volumus, quantum debemus; ut tu O beatiſſime Puer, ſis noſtra intentio, noſtra meditatio; ut cogitemus de JESULO, ut loquamur de JESULO, ut cantemus de JESULO

Digitized by Google

ſulo, ut ſuſpiremus ad Jesulum ſine ceſſatione; imo ut & noctc vigilent corda noſtra, & diligant Jesulum.

Verba illa, *quantum volumus*, in memoriam mihi revocant allud deſiderium ejuſdem S. Henrici; ponebat ſibi ob oculos in cœlis Seraphinum perfectiſſimum, qui ardentiſſimè amaret Deum; deinde cogitabat aliquem eſſe in terris, qui præ omnibus intenſiſſimè amaret Deum; utriuſque amorem deſiderabat infundi cordi ſuo, ut utroque ardentiſſimè Deum amaret. O mi Jesule! quanto amore te jacentem in præſepio amarunt Seraphini! illo amore & nos volumus te amare; (hoc modo poteſt urgeri ſuavis affectus amoris erga Jesulum) talia in nobis exardeſcunt deſideria, ſi videamus Jesulum; ſi dulciſſimam ejus foveamus memoriam, ſi ſuaviſſimam ejus imaginem nobis intimè imprimamus. §. 6. *Ardens deſiderium S. Henrici Suſonis.*

S. Ludovicus Rex Franciæ, cùm Sacerdos, porrigendo illi in ſupremo morbo SS. Hoſtiam, pro viatico, ex piiſſimo Rege quæreret: Rex Auguſtiſſime, crediſne hic realiter eſſe præſentem Chriſtum Jeſum Salvatorum tuum? cum lachrymis, cum ſuſpiriis, cum gemitibus, qui omnes circumſtantes ad lachrymas commoverunt, reſpondit: *Minus id apud ſe habere dubii, quàm ſi videret Chriſtum in ea forma, quâ aſcendit in cælos.* Puto in corde piiſſimi Regis vivis coloribus fuiſſe depictam pulcherrimam ideam, formam, & imaginem Chriſti gloriosè aſcendentis ad cœlos. Inter actus eximiarum virtutum, in quibus his Feſtis nos exercere debemus, eſt actus Fidei. Objecta occurrunt difficilia, quæ in heſterna Concione inſinuavi; quod idem Puer ſit omnipotens & debilis, æternus & novus, &c. Crediti'ſne hoc Auditores? non eſt neceſſe, ut vos loquamini; reſpondebo ego nomine omnium: Ita! ita! minus de his nobis eſt dubii, quàm ſi videremus Chriſtum in ea forma, quâ prodiit ex utero Virginis! quâ à Virgine Matre fuit involutus pannis! quâ ab illa fuit reclinatus in præſepio! quâ illi Angeli accinuerunt Gloria in excelſis Deo! quâ illum adorarunt §. 7. *Pulchrum dictum S. Regis Ludovici, ſive, eximia ejus fides de Chriſto D.*

Digitized by Google

Paſtores. Viva memoria & imaginatio Parvuli de B. generat actus nobiliſſimarum virtutum.

§. 8. *Actus fiducia & amoris erga Christum D.*

Animæ piæ! ponitiſne ſolidam fiduciam in meritis Christi Salvatoris noſtri? Deſideratiſne ex toto corde illum amare? hoc ex vobis hodie quærunt Angeli, hoc quærunt Paſtores, hoc petit præſepium, hoc S. Joſeph, hoc interrogat B. V. an ametis Parvulum de B.? Iterum ſiletis? Sed adverto ex oculis veſtris, licentiam mihi datis, vultis ut omnium nomine reſpondeam; O S. Angeli, ita amamus natum nobis Salvatorem! quaſi videremus illum in illa forma, qua natus eſt, &c. iterum locus pro p. deſcriptione.

§. 9. *Apoſtrophe S. Aug. ad Chriſtum D. Huic ſimilis ad Parvulum de Bethl.*

In meditatione Paſſionis, S. Auguſt. in ſolil. c. 13. tandem ſuaviſſimis his verbis alloquitur Chriſtum D. *Tam caro pretio reduxiſti me de exilio, redemiſti me de ſervitio, retraxiſti me de ſupplicio, ſignaſti me ſanguine tuo, ut memoriale tuum ſemper eſſet apud me, & nunquam recederet à corde meo, qui pro me non receſſit à Cruce.* Quidni ego hodie ſimilibus verbis alloquar Parvulum de Bethleem; O mi Parvule! ſic naſci voluiſti! in frigore! in ſumma paupertate! voluiſti reclinari in præſepio, jacuiſti in ſtramine, &c. ut hoc ſtabulum, ut præſepium, ut panni, &c. eſſent memorialia tua apud me; Hoc à vobis peto Audit. ut nunquam recedat à cordibus noſtris, qui pro nobis Parvulus natus eſt in Bethleem. Hoc peto, ut oculi noſtri ſemper ſint ad JESUM. Hoc opto, ut cum S. Stephano videamus Jeſum, & cogitemus, quòd ipſe videat nos.

§. 10. *Ethnici ſuaſerunt memoriam præſentis Dei. Applicantur illorum dicta Parvulo de Bethleem.*

Dicta aliqua Ethnicorum, fortaſſis meis Auditoribus in hoc meo diſcurſu non diſplicebunt. Marcus Tullius Cicero, cùm fratri ſuo ſuaſiſſet fugam vitiorum, & amorem virtutis, ait: *Id facillimè facies, ſi me, cui ſemper uni magis placere voluiſti, tecum eſſe ſemper putabis, & omnibus his rebus, quas dices, & facies, intereſſe.* Sapientiſſimus Seneca, ep. 10. ad Lucilium, *Accipe utilem & ſalutarem clauſulam, quam te affigere in animo volo. Aliquis vir bonus eligendus eſt, ac ſemper ante oculos habendus, ut ſic tanquam illo ſpectante vivamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus. Magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis aſſiſtat.* Iterum Cicero

Digitized by Google

Cicero l. 3. de legibus; *Homines exiſtimare oportere, Deos omnia cernere, & Deorum omnia eſſe plena, & ita fore omnes meliores, ſi Deo teſte & ſpectatore ſe agere omnia cenſerent.* Fortaſſis in aliis Concionibus hæc eadem verba allegavi, ſed certus ſum, pro Feſtis Natalitiis, me illis uſum non eſſe. Itaq; hoc moneo, his ſanctiſſimis Feſtis fugiendum eſſe omne peccatum mortale, hoc Chriſtum infantulum expellit ex cordibus noſtris: moneo amplectendam eſſe virtutem, hæc ad nos trahit JESULUM. Hæc duo faciemus facillimè, ſi JESULO placere deſideremus, ſi putemus illum eſſe nobiſcum, ſi cogitemus, ipſum, ſaltem quoad naturam divinam, quia Deus eſt, omnibus rebus, quas dicimus, quas facimus, intereſſe. Auditores dilectiſſimi, accipite utilem & ſalutarem clauſulam, quam vos affigere animis veſtris volo. Parvulus de Bethleem his diebus ante oculos ſemper habendus eſt, ut ſic tanquam illo ſpectante vivamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus, magna pars peccatorum tolletur, ſi &c.

Mementote Joſephi, cùm Gen. 39. eſſet in præſentiſſima occaſione peccandi, hac cogitatione ſe & impudicam adulteram vicit, *Quomodo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum*, alii legunt, *coram Deo meo*. q dicceret, ait S. Joannes Chryſoſt. hom. 62. in Gen. *Quid putas? etiamſi fecerimus, ut res clàm ſit omnibus, oculum tamen illum, qui dormitare nequit, latere non poterimus, quem ſolum timere oportet.* Ah filii Veneris! diſcurriſtis toto anno per prata vanitatis, & voluptatum, &c. quæſo non facite his diebus in JESULUM veſtrum, coram JESULO veſtro, ſive in conſpectu ejus. (hoc modo fieri poteſt efficax dehortatio à vitiis.)

§. 11. Ioſeph noluit peccare, quòd ſciret ſe vivere in conſpectu Dei. Gen. 39. v. 9

Nolo ad longum narrare mirabilem Converſionem S. Pauli, revoco vobis tantùm in memoriam verba, quibus Chriſtus D. cœlo illum fuit allocutus, *Saule, Saule, quid me perſequeris?* q. d. inquit S. Chryſoſt. hom. 9. in Acta, *Quid mali, quid aut magnum, aut parvum tibi feci, quod hæc facis? Ego ſum Jeſus quem tu perſequeris: quaſi dicat, Ne putes tibi cum hominibus ſolis eſſe certamen.* O impii! quid agitis, Filius Dei jacet in præſepio; quid perſequimini? quare cum hoc Puero eſt vobis certamen?

§. 12. Nec nos peccato offendamus Parvulum. Act. 9. v. 5.

Digitized by Google

tamen? quid fecit, &c. (fiat patheticus affectus.)

§. 13. *Chriſtus D. cernit omnes noſtras cogitationes, totus eſt oculus.*

Sed non cupio hac Concione terrere impios; puto omnes peregiſſe ſeriam Confeſſionem, puto omnes eſſe bonæ voluntatis; conſolari proinde cupio illos, qui his Feſtis ſerviunt JESULO. Antequam id faciam, ex cap. 5. S. Marci mihi occurrit Hœmorrhoiſſa fœmina, quæ in turba venit retro, & tetigit veſtimentum Chriſti, vix tetigerat, aitque cum aliqua indignatione Chriſtus Dominus: *Quis tetigit veſtimenta mea?* ubi pulchrè S. Chryſologus ſer. 34. *Retro! ibi faciem quam declinavit, invenit; erat totus oculus, qui poſt ſe ſupplicem ita videbat.* Jam conſolari poſſum illos, qui his Feſtis mille concipiunt ſanctas cogitationes de JESULO, totus eſt oculus, omnia cernit. Bene illis, qui occultis ſed ardentiſſimis ardent deſideriis amandi JESULUM! totus eſt oculus, videt omnia, &c. (iterum locus pro pulchro affectu) cap. 31. Job his verbis ſe fuit conſolatus, *Ipſe conſiderat vias meas, & cunctos greſſus meos dinumerat.* Addit Gloſſa, *Vt ne minutiſſima quidem cogitationes, & verba tenuiſſima, ejus judicio, indiſcuſſa remaneant.* Ita nobis quoque cum Jobo ſentiendum eſt; Ibimus fortaſſis his diebus ad varia templa, ut ad honorem JESULI viſitemus præſepia, vel potius SS. Sacramentum; vias noſtras conſiderabit JESULUS, numerabit greſſus noſtros. Fortaſſis piiſſimæ & multæ nobis occurrent cogitationes, de, de, de, &c. Minutiſſimas obſervabit & remunerabit Parvulus.

Job 31. v. 4.

§. 14. *Memoria præſentis Dei generat ſanctiſſima deſideria.*

Denique hoc addo, memoriam præſentis Dei, in cordibus noſtris generare ſanctiſſima deſideria: idem experiemur, ſi his diebus à memoria noſtra non recedat Parvulus de Bethleem. Cùm S. Stephanus vidit Jeſum, ait, *Suſcipe Domine ſpiritum meum*, &c. S. Gregorius è vita monaſtica extractus ad dignitatem Pontificiam, hæc ſcripſit ad Theotiſtam ſororem Imperatoris: *Alta quietis mea gaudia perdidi--conabar antè quotidie extra mundum, extra carnem fieri, cuncta phantaſmata corporis ab oculis mentis abigere, & ſuperna gaudia videre, & non ſolum vocibus, ſed medullis cordis, ad Dei ſpeciem anhelans dicebam ex Pſ. 26. Tibi dixit cor meum, exquiſivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.* O ſi & nos his diebus exiremus nonnihil extra hunc mundum,

Digitized by Google

dum,&c. O ſi ingrederemur ſanctiſſimam ſolitudinem ſtabuli Bethleemitici! O ſi illa gaudia videremus! O ſi cerneremus illam ſpeciem formoſiſſimi Puelli! ſine dubio anhelaremus, ſine dubio diceremus,& vocibus,& medullis cordium, hanc faciem requiramus,mox quiſque diceret cum S. Bernardo; Jeſum quæram in lectulo, clauſo cordis cubiculo, privatim & in publico, quæram amore ſedulo,&c. (ſelige aliquot ſimilia ardentia deſideria ex Jubilo S. Bernardi.

CONCIO LIX.

FESTO S. JOANNIS EVANGELISTÆ.

Diſcipulus ille, quem diligebat JESUS.

Joan. 21. v. 20.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRima ejus pars proponit graves & fundamentales rationes, propter quas obligamur amare Deum, & Chriſtum D. Salvatorem, præſertim Parvulum de Bethleem. Altera agit de qualitatibus & effectibus illius amoris. Miſcentur pii diſcurſus de dulciſſimo corde JESULI.

§. 1. *Plurima nos invitant ad amorem Dei, & Parvi de Bethleem.*

§. 2. *Variæ rationes, propter quas Deus in carne amandus eſt.*

§. 3. *Communicata enim illi ſunt attributa divina.*

§. 4. *Præferendus eſt omnibus aliis creaturis.*

§. 5. *Devotio S. Catharinæ Senenſis per ferias Natalitias.*

§. 6. *Deum amamus ob infinitam*

tam ejus amabilitatem: propter eandem amare debemus Parvulum de Bethleem.
§. 7. *Diſcurrit eodem modo de ſanctitate.*
§. 8. *Deus & Chriſtus D. Salvator noſter, volunt à nobis amari.*
§. 9. *Qualitates amoris erga Parvulum de Bethleem.*
§. 10. *Suadet exercitium nobiliſſimarum virtutum, Contritionis, doloris, &c.*
§. 11. *Generat dulcem Jeſuli memoriam.*
§. 12. *Et deſiderium quieſcendi in corde ejus.*

§. 1. *Plurima nos invitant ad amorem Parvuli de Bethleem.*

MOris eſt, ut his diebus nobis invicem apprecemur felicia, & fauſta Natalitia; ut eadem, talia ſint omnibus meis Auditoribus, opto & precor ex intimis viſceribus cordis mei, in Chriſto Jeſu! in Chriſto Jeſu, dico cum S. Paulo; ut enim his diebus felices & beati ſimus: an verò ter quater infelices, & infeliciſſimi! inde pendet, an amemus, vel non amemus Chriſtum Salvatorem noſtrum, & conſequenter ſummum bonum & Deum noſtrum. Nemo ſubmurmuret, iterumne Concionator noſter aget de amore? & de quo dulciori objecto ſuaviſſimis his feſtis, vel utilius, vel affectuoſius agere poſſum, quàm de amore Dei, & Chriſti Salvatoris? ad quem amorem omnes creaturæ nos invitant. Quocumque oculos noſtros intendimus, videmus monumenta, quæ nos monent, ut Deum amemus: imò quocumque cogitationes vertimus, occurrunt illecebræ hujus amoris. Aſpice cœlos, amoris ſunt patria! motus eorum obſerva, amoris ſunt agitationes! vide ſtellas, amoris faces ſunt! ſolem intuere, amoris radius eſt: lunam pallidam conſidera, amoris ille color eſt, amor pallet! de cœlis deſcende ad elementa; Ignis, amoris ardor eſt! in aëre, venti ſunt amoris ſuſpiria! mare æſtuans, amoris fervor eſt! maris ſtrepitus; amoris murmur eſt! in terris, Amor halat ex floribus, viret in herbis, ſapit in cibis, placet in pulchris. Terra germinans, aura ſpirans, æquor fluctuans, ignis ardens, monitores ſunt, ut Creatorem amemus. Amorem cantillant garrulæ aves, clamant amorem omnes creaturæ. O quàm Deus venatur no-

ſtrum

Digitized by Google

ſtrum amorem, cui capiendo orbe toto, in cœlis, in terris, tot poſuit laqueos. Sed, quâ ego ratione, hæc referre poſſum ad Parvulum de Bethleem, de quo me hodie dicturum heri promiſi? Elegantiſſimè ſtabulum cœlum eſt in terris, & aula amoris, ut in illa amemus illum Parvulum! aſpicite agitationes cunarum, à B. Virgine, à S. Joſepho, à Paſtoribus, ab Angelis, ſunt agitationes amoris! Intuemini Parvulum jacentem in præſepio! eſt ſol amoris, qui nos monet, ut amemus. Videtis lucidiſſimos Parvuli ocellos? ſtellulæ ſunt, ſunt faces amoris, quæ nos monent, ut diligamus. Infantuli auditis vagitus, gemitus? ſunt ſuſpiria amoris. In corde Infantuli latet, & ardet ignis amoris; ex omnibus ejus membris halat amor; in genis & labiis rubet amor; in fœno viret amor, in paleis pallet amor. Totus Puſio eſt vivum monumentum amoris. Ecce! quonam, in exordio me rapit Amor? Aggrediar ipſam Concionem, ut ſuaviſſimam materiam fuſius vobis exponam, quid ſit amare Jeſulum, quid ſit recumbere ſuper pectus ejus. Proinde non ero immemor S. Joannis Evangeliſtæ, cujus feſtum hodie celebramus.

§. 2. *Variæ rationes propter quas amandus eſt.*

S. Joannes Evangeliſta, dilectus à Jeſu, & viciſſim ejuſdem ardentiſſimus amator, me ducit in hunc labyrinthum amoris: tantus fuit mutuus ille amor inter Dominum & ſervum, Magiſtrum & Diſcipulum, Patrem & Filium, Amicum & amicum, ut Chriſtus D. permiſerit Joannem recumbere in pectore ſuper cor ſuum. Hunc locum, hanc ſedem, hunc thronum quietis, gaudii & felicitatis, dulciſſimum cor Jeſu, ſive ejus erga nos amorem, quæro hac Concione; ſed hoc moneo, non inveniemus, niſi cum S. Joanne viciſſim Parvulum de Bethleem ex toto corde diligamus. Et cur non diligemus? Novas, miras, raras, ſuaviſſimaſq; cauſas amandi nobis præbet dies nova, dies mirabilis, dies ſuaviſſima, quâ Chriſtus Filius Dei ex Maria Virgine fuit natus homo; & in qua Verbum Patris in carne apparuit mundo, in ſpecie & elegantiſſima forma Parvuli de Bethleem.

§. 3. *Communicata enim*

Amavimus hactenus Deum ob infinitam omnipotentiam, ob incomprehenſibilem ſapientiam, ob immenſam bonitatem, ob

Digitized by Google

Illi ſunt attributa divina.

ob ineffabilem amabilitatem, & reliqua omnia attributa infinitæ perfectionis. Nativitas verò Chriſti D. novum & tenerum exigit amorem, ut omnipotentem, ut ſapientiſſimum, ut amabiliſſimum Deum amemus in illa Carne, & ſanctiſſima Humanitate, quam aſſumpſit; Parvulum in præſepio amare debemus, quia ob divinam naturam, infinito amore dignus eſt, quia Puer, ſed ſanctus eſt! ſanctitate divina! quia Puer, ſed bonus eſt, bonitate divina! & ſummum noſtrum bonum! quia Puer, ſed miſericors eſt, miſericordiâ divinâ: quia Puer, ſed amabilis eſt, amabilitate divina! quia Puer, ſed pulcher eſt, pulchritudine divina & infinita! O mira, & miranda, Deus omnipotens Puer eſt in carne humana! ut ſuavius, ut tenerius à nobis ametur.

§. 4. *Praferendus eſt omnibus aliis creaturis.* *Ioan. 4. v. 10.*

Hoc apprehenſione noſtra firmiter æſtimare, judicare, & credere debemus, Puerum hunc æſtimandum eſſe ſuper cœlum, ſuper terram, ſuper Angelos & homines, & ſuper omnia creata, tam facta, quàm poſſibilia. Samaritanæ dixit Chriſtus D. ad fontem, *Si ſcires donum Dei, & quis eſt, qui loquitur tibi.* O ſi & nos ſciremus quale donum ſit Deus parvulus infans, nobis datus, nobis natus! O ſi ſciremus, quis ſit ille Parvulus jacens in præſepio! ille Parvulus involutus panniculis, quis ſit! hæc ſcientia vel cognitio, vel fides neceſſariò ſe effundit in actus tum interiores, tum exteriores; quales ſunt attentiſſimè hunc Parvulum intueri, magni æſtimare, devotè colere, profundè adorare, humillimè ſubeſſe, ſummè venerari, laudare, benedicere, magnificare, prædicare infinitam Jeſu Pueri excellentiam & Majeſtatem, denique affectuoſiſſimè illum amare, ſed aptior locus pro aureo actuum horum exercitio eſſe non poteſt, quàm latus, pectus & cor benedictiſſimi Infantuli! hoc quæramus cum S. Joanne Evangeliſta.

§. 5. *Devotio S. Catharina Senenſis per ferias Natalitias.*

S. Catharina Senenſis, cum magna ſuavitate ſolita fuit, variis actibus devotionis, intimum penetrale cordis ſui, veluti pulchram aulam adornare, in qua deinde, excluſis omnibus creaturis, cum Dilecto ſuo Sponſo Jeſu, ſola ſuaviſſimè agebat, illum laudando, amando, ſe humiliando, offerendo ſe totam, ad omne obſequium. Idem his feriis faciunt animæ ſanctæ, Jesu-

Digitized by Google

lo offerunt ſe totas, & corda ſua, ut illi præparent præſepium. Placent mihi hæc pia deſideria. Si Parvulum hunc adhuc ardentius volumus amare, ſi ſuavius cum illo agere, &c. cum S. Joanne per ardentiſſimum amorem, quæramus non tantùm ſtabulum Bethleemiticum, non tantum præſepium, &c. ſed quæramus pectus Parvuli, quæramus intimum penetrale cordis JESULI. O qualis dulcedo! hîc amare JESULUM, hîc quieſcere, &c.

§. 6. *Deum amamus ob infinitam ejus amabilitatem, ob eandem amare debemus Parvulum de B.*

Quia tantus plerumque eſt amor, quanta eſt, quâ ducitur cognitio, & quâ menſuratur æſtimatio; ut Parvulus de Bethleem, ita ameretur, & nos tenemur, ametur, ejuſdem luculentior cognitio, & æſtimatio concipienda eſt: v. g. prima præcipuaque amandi Dei ratio ipſe Deus eſt, ſive infinita ejus amabilitas, & bonitas. Si ergo credimus natum Infantulum, Deum eſſe, proinde infinitè bonum & amabilem; ſi intellectus fidei lumine illuſtratus huic veritati aſſentiatur, quomodo voluntas reluctari poterit, ut non amet? Infinita bonitas Dei, infinitus ejus amor, ſive Deus, ab æterno, non ſe tantum amavit, ſed etiam hominem in tempore futurum; quanti eſt, vel momento, ab infinito amore diligi, cujus amor nullo eſt pretio æſtimabilis; S. Joanni excellentius elogium dari non poteſt, quàm quòd fuerit diſcipulus, quem dilexit Jeſus; dilexit verò nos Deus, non uno momento, ſed tota æternitate; æternitas hujus amoris eſt latitudo, longitudo, & extenſio: Æternus hic amor, in tempore fuit benevolus & liberaliſſimus; numera ſi potes, omnia temporis momenta, quibus vixiſti! tot æterni amoris reperies beneficia liberaliſſimi Dei. Si hic Deus in tempore eſt hic Puer, qui jacet in præſepio; ſi cordi hujus Infantuli ineſt hic amor, ſi intellectus hoc cognoſcat, ſi voluntati hanc veritatem proponat ut certam, ut infallibilem; quomodo fieri poterit, ut illa non erumpat in amorem. O ſterile ſolum, maledicto obnoxium, ſi fœcundiſſimus amor hujus Parvuli, in cordibus noſtris non pariat amorem.

§. 7. *Diſcurrit eodem modo*

Ratio amandi Deum, eſt infinita ejus ſanctitas, ſanctus eſt Deus, quia ejus eſſentia eſt prima radix & origo omnis ſanctitatis,

de ſanctitate. tis atque puritatis; principium ejus efficiens, formale, exemplare & finale; ſanctitas hæc tam eſt perfecta, ut nihil ei addi vel demi poſſit; à qua omnes creaturæ intellectuales ſanctificantur, & pulchritudinem ſuam accipiunt. Sanctitas illa regula eſt omnis ſanctitatis, & præcipuum objectum, quod Seraphini ſtantes ante thronum SS. Trinitatis æternum laudabunt, clamantes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*: Fides verò Catholica aſſerit infinitam hanc ſanctitatem per unionem hypoſtaticam, ita eſſe communicatam, ut Parvulus de B. quia Deus eſt, eſſentialiter quoque & per ſubſtantiam ſit prima radix & origo omnis ſanctitatis; A Chriſto Deo homine, à Verbo quod *Caro factum eſt*, cooperante Spiritu ſancto ſanctificantur Angeli, & homines electi ad gloriam. Sine timore, cum profundiſſima reverentia procumbere poſſumus coram cunis hujus Parvuli, & clamare, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, JESUS, in quo nomine omne genu flectitur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Si intellectus fidei lumine illuſtratus, his propoſitionibus de ſanctitate Infantuli aſſenſum præbeat, ſi in illo luceat fax hujus cognitionis, quomodo ſe opponere poterit voluntas, ut non amet?

Ioan. 1. v. 14. *Apoc. 4. v. 8. Iſ. 6. v. 5. Phil. 2. v. 10.*

§. 8. *Deus & Chriſtus D. Salvator noſter volunt à nobis amari.*

Ratio amandi Deum eſt, quia gaudet & deſiderat amari ab homine; eſt quidem ſibi ſufficientiſſimus, nulliuſque extra ſe alterius ad felicitatem ſuam indiget, tamen vult amari, perinde atque ſi eſſet amor noſter aliquod felicitatis infinitæ complementum. Infinita ſunt illius erga nos beneficia, Pater eſt, Dominus eſt, Rex eſt, nec aliud exigit tributum, quàm amorem. Imperium ejus, lex ejus, amor eſt & caritas. Amanti promittit hæreditatem gloriæ æternæ; non amantibus paravit infernum! Ita odit non amantem ſe, ut puniat morte æterna. Ita amat diligentes ſe, ut exiguum amorem remunerare velit immensâ gloriâ. Et Parvulus de B. quia Deus eſt, amari vult ab homine; Puer hic ſibi ſufficientiſſimus eſt, &c. ipſe Dominus & Rex eſt, *Dicite Filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, &c.* in regno amoris aliud à nobis non exigit, quàm amorem. Parvulus hic, quia Dominus eſt cœli & terræ, claves habet cœli & inferni: ſi intellectus talia viva fide apprehendat, & credat, quomodo non amabit?

Matt. 21. v. 5.

Digitized by Google

bit? N.B. Si opus ſit, ut dilatetur hæc materia, hoc modo per alia attributa diſcurri poteſt, ſed procedamus ad alteram partem Concionis.

Cœleſtis & divinus hic amor erga Parvulum de Bethleem, non eſt ſterilis, ſed fœcundus. Amor hic credulus eſt, credendo omnia mirabilia, quæ fides docet de hoc Puero. Amor hic ſpei plenus eſt, ut audeat ſperare culparum omnium veniam, & omnia ad ſalutem neceſſaria ſubſidia. Amor hic hilaris eſt, nihil extra hunc Puerum ſit illi volupe, in quo ſcit ſe poſſidere omne bonum, Amoris hujus gaudium, ejus ſolatium, ejus delicium eſt cor JESULI; cui ſervit, cui orat, cui cantat, &c. cum jucunditate. Amor hic gratus eſt, quidquid amans eſt, quidquid habet, quidquid poteſt, agnoſcit ſe habere à Deo, & mutua liberalitate, liberaliſſimo Benefactori reddit, & offert omnia. Amor hic caſtus eſt, in Virginis utero JESULUS incarnatus eſt, ex Virgine naſci voluit, Matrem habere voluit Virginem; proinde amari non amat, niſi amore virgineo & caſtiſſimo. Amor Parvuli de Bethleem fortis eſt, amando vincit dura & aſpera. Pacificus quoque eſt, Pax amoris germana eſt, ſimul atque Parvulus natus eſt in terris, ſimul in terris, & quidem Angelico præconio pax fuit proclamata. Amori & huic Parvulo, Principi pacis, non niſi in pace locus eſt: tollenda ſunt odia, rixæ. Importunus quoque eſt hic amor, inſtat, urget, obteſtatur, pulſat ad fores Cordis JESULI donec exaudiatur. §. 9. *Qualitates amoris erga Parvulum de B.*

Ex his qualitatibus hujus amoris, ſine dubio advertitis alios utiliſſimos hujus amoris effectus. Amor erga Parvulum de B. deteſtatur omnia peccata, quæ mundiſſimis ejus oculis ſummopere diſplicent, quæ deteſtatio radix eſt ferventiſſimæ contritionis, ut coram præſepio aliquo erumpamus in ferventes actus doloris, ex corde contrito & humiliato; additis calidis ſuſpiriis, Heu me! Mi JESULE, cur unquam offendi te! Contritio eſt veluti aurea clavis, quæ nobis aperit aureas portas dulciſſimi Cordis, aurei JESULI. Deteſtatio peccati, & dolor, atque contritio, ex motivo puriſſimi amoris erga hunc Parvulum, generant præterea curam & ſollicitudinem, ut in ſatisfactionem pœnæ of- §. 10. *Suadet exercitium nobiliſſimarum virtutum, Contritionis, doloris, propoſiti, emendationis, &c.*

Digitized by Google

offerat varios actus, mortificationes, orationes & eleemoſynas; talis ſatisfactio v.g. eſt in honorem Parvuli, cum patientia ferre frigus, morbos, dolores, &c. Hic amor erga Parvulum mavult deinde non vivere, quàm illum iterum offendere, præſertim peccato lethali. Si hujus reus eſt amor tuus, noli cogitare, fore, ut tibi pateat aditus ad cor benedicti Parvuli. Ne amor inpoſterum facile iterum peccet, & offendat Cor noſtri Parvuli, neceſſe eſt, ut faſtidiat creaturas; ne illis nimium affigat cor ſuum: nihil! nec divitias, nec aurum, nec argentum, nec honores, neque voluptates, plus quàm Deum debemus amare. Omnibus carior nobis ſit Parvulus de Bethleem, & dulciſſimum ejus cor. Ibi ditiores latent theſauri! Inde ſcaturiunt rivuli purioris lætitiæ!

§.11. *Generat dulcem Jeſuli memoriam.*

Innocens juventus coram præſepio, Parvulo jacenti in præſepio ſolet offerre poma, pyra, nuces, alioſq; fructus; ô quàm dulces fructus creſcunt in cordibus noſtris; actus ſcilicet nobiliſſimarum virtutum, qui ſummopere recreant cor & oculos benedicti Parvuli de Bethleem, ſed radix horum fructuum eſt ejus amor. Hic amor his diebus nobis imperat piam & aſſiduám Dilecti noſtri memoriam; Cor Salvatoris noſtri nunquam ceſſat, nec unico momento, de nobis cogitare; nec unico puncto temporis ceſſat ſuum erga nos amorem teſtari; viciſſim ſi illum amamus, nunquam ceſſabimus de illo cogitare, conabimur, ut omnes noſtræ cogitationes, omnia verba, omnia opera, dies noctéſque noſtrum teſtentur amorem. Quod fiet ſi amor noſter, in cogitationibus, &c. per ſinceram intentionem deſideret placere Cordi JESULI, & illud in omnibus pro modulo noſtro oblectare. Amor noſter pondus eſſe debet, quod nos trahat, nos moveat, nos dirigat, velut aliquod horologium, cujus Index ſemper reſpiciat Jeſum. Rota hujus horologii, rota eſt memoria, rota eſt intellectus, rota eſt voluntas, rotæ ſunt cogitationes, deſideria, & affectus; ſi omnia moveantur, & dirigantur ad Deum, & Parvulum, hoc eſt, recumbere, quieſcere, ſuper Cor Jeſu!

§12. *Et deſide-*

Amor erga Parvulum de B. & deſiderium quieſcendi in cor-

Digitized by Google

cordeejus; memor eſt amantium ſymbolum eſſe voluntatum *rium quie-* conſenſionem; & proinde illi placet, quidquid placet Dilecto; *ſcendi in* diſplicet, quidquid diſplicet. Hic amor ſibi perſuadet & certus *corde ejus.* eſt, nihil Dilectum noſtrum velle poſſe, quod non ſit ad ejus gloriam, & ſuam ſalutem. Hinc Amoris, coram præſepio, dulcia reſonant ſuſpiria; JESULE fiat voluntas tua! dum vivo! in paupertate! fiat voluntas tua, &c. (eſt locus pro p. induct.) Sic cantillans Amor recumbit ſupra pectus JESULI! quieſcit in corde ejus; ibi dormit, tamen vigilat; ut ſemper Dilectum ſuum ſuaviſſimè & frequenter alloquatur; ex abundantia enim cordis os loquitur. Si cor noſtrum plenum eſt amore Parvuli de B. de quo frequentius, libentius, ſuavius loquemur, quàm cum illo, & de illo: O ſuaves linguas, quæ fluunt lacte & melle, quod hauriunt ex dulciſſimo fonte benedicti Cordis JESULI. Finire cogor, gaudeo me oſtendiſſe vobis varias vias, per quas devenire poteſtis ad illum hortum deliciarum, qui viret in corde JESULI. Porrexi vobis claves, quibus illam auream arcam omnium theſaurorum aperire poteſtis. Nominavi vobis fructus, quibus oblectare poteſtis Cor Jeſuli. Monſtravi vobis floridum lectulum, in quo cum S. Joanne dormire poteſtis, quem diligere debet anima noſtra.

CONCIO LX.

FESTO CIRCUMC. D. N. JESU CHRISTI.

Et vocatum eſt nomen ejus IESVS. Luc. 2. v. 21.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRior ejus pars varias adducit cauſas, propter quas Parvulus de Bethleem, octavo die poſt Nativitatem, in Circumciſio-

ne pretioſum ſanguinem effudit: pars poſterior guttas illius cruoris, veluti cœleſtes carbunculos diſtribuit Auditoribus pro ſpirituali xenio.

§. 1. *Propoſitio Concionis.*

§. 2. *Varii affectus admirationis, & quaſtiones ſuper myſterium Circumciſionis.*

§. 3. *Variæ ejus afferuntur rationes: inprimis à Regibus & Principibus.*

§. 4. *A Sacerdotibus, & Religioſis.*

§. 5. *A Nobilitate.*

§. 6. *A Theologis, Iuriſperitis, Medicis, & Philoſophis.*

§. 7. *Ab Aſtrologis.*

§. 8. *A Magiſtratu Politico & Eccleſiaſtico, à Conjugatis, divitibus, pauperibus, &c.*

§. 9. *Qualis gemma ſit carbunculus.*

§. 10. *Proſtrena offert illuſt. Principi, Horologium Pompeji M. ornatum pulcherrimis carbunculis.*

§. 11. *Offert Reverendiſſimo Capitulo & Clero, Menſam S Sophiæ; cum pretioſis carbunculis.*

§. 12. *Offert Religioſis carbunculum Hyacinthum.*

§. 13. *Concionatoribus & animarum Paſtoribus Carbunculum Accrophylactem.*

§. 14. *Nobilitati Carbunculum duplicem.*

§. 15. *Doctis & utrique Magiſtratui varia Emblemata in carbunculis.*

§. 16. *Conjugatis Carbunculum Regis Pyrrhi.*

§. 17. *Divitibus Carbunculum Dar.*

§. 18. *Viduis Carbunculum Regis Chinarum.*

§. 19. *Iuventuti Carbunculum Amyanthum.*

§. 20. *Morituris Carbunculum Mariæ Filiæ Caroli V.*

§. 1. *Propoſitio Concionis.*

IN prima mea Concione Anni hujus novi 1667. In prima ejus parte varias adducam cauſas, ob quas Parvulus de Bethleem octava die poſt Nativitatem, ſecundùm legem Judaicam fuerit circumciſus; dum hoc contigit, *Vocatum eſt nomen ejus IESVS*: hoc glorioſum, hoc admirabile, hoc ſuaviſſimum Nomen, effuſo delicato Sanguine debuit mereri. Guttas pretioſiſſimi hujus cruoris, intuebor & conſiderabo, veluti cœleſtes

Digitized by Google

ſtes carbunculos, quos in altera parte hujus Concionis cogito offerre meis Auditoribus pro ſpirituali ſtrena, in ſignum benevolentiſſimi affectus, quo precor, ut Reverendiſſimo & illuſtriſſimo Principi N. Dño noſtro Clementiſſimo, ut Rev. & Perilluſtri Summæ Ædis Capitulo, Dominis noſtris Gratioſis, ut Sacerdotibus & toti Clero, Collegiatarum Eccleſiarum Prælatis & Canonicis, Prædicatoribus, Parochis, Vicariis; ut Ordinibus Religioſis, ut Nobilitati, ut Academiæ & omnibus Doctis, ut Illuſt. Principis Conſiliariis, Urbis Senatoribus & Conſulibus, ut toti Bambergenſi Reip. ut omnibus Conjugatis, ut Viduis, ut Adoleſcentibus & Virginibus, ut Divitibus & Pauperibus, ut denique mihi, & hoc anno morituris, Annus hic 1667. ſit feliciſſimus & fortunatiſſimus. Hoc nobis tribuat liberaliſſimus Parvulus de B. in cujus honorem, ſine alio exordio ordiar Concionem.

Ante octiduum die Nativitatis (utar verbis S. Petri Chryſologi) *pavit cœlum, ſtupuit terra, mirata fuit natura admirabilem partum puriſſimæ Virginis & Matris.* Objectum admirationis præcipuum fuit, & eſt, & erit in omnem æternitatem, Deus Infans! Infans Deus! Meo judicio, hodiernâ die celebramus Myſterium, quod adhuc magis mirantur omnes creaturæ, dum Infans ille Deus! proinde puriſſimus, innocentiſſimus, impollutus, impeccabilis, ſive Agnus Dei, in quo non eſt macula, & qui tollit peccata mundi, circumciſus innocentiſſimum effudit ſanguinem. Circumciſio Abrahamo & electo populo imperata fuit, ut veluti Baptiſmus per effuſum ſanguinem, in parvulis Hebræis originariam emundaret maculam; cujus cùm Parvulus noſter capax non fuerit, quare debuit circumcidi? Poteſtne fons limpidiſſimus purgari? poteſtne nix candidiſſima dealbari? vel ſol ſplendidiſſimus illuſtrari? quid opus eſt, templum ſanctiſſimum expiari? vel aurum ſine ſcoria corrigi? vel ſpeculum ſine macula, & candor lucis æternæ detergi? Facilè poteſtis advertere, quonam tendant hæ quæſtiones. Parvulus de Bethleem eſt fons omnis puritatis & ſanctitatis, eſt agnus candidus, inſtar nivis, eſt ſplendidiſſimus ſol, eſt ſacratiſſimum templum,

§. 2. *Varii affectus admirationis, & quæſtiones ſuper myſterium Circumciſionis.*

aurum optimum, ſpeculum ſine macula, candor lucis æternæ, ſplendor & figura Patris; cur ergo circumciditur, ut cogitare poſſemus, illum debuiſſe purificari? alta, profunda, magna latent ſacramenta & myſteria! quæ ut aliquo modo evolvam, inquiro cauſas hujus cruentæ circumciſionis, & audire illas cupio ab illis, quibus promiſi ſpiritualem ſtrenam.

§. 3. Variæ ejus afferuntur rationes. In primis à Regibus & Principibus

Dicite Principes, Reges, Imperatores, & Orbis Monarchæ, quare innocens hic Puer debuit circumcidi? omnium nomine reſpondet Principum, Regum, Cæſarumque Regina & Imperatrix: quia Filiolus meus Rex Regum eſt, & Dominus Dominantium, ut oſtendat ſe amare ſuos ſubditos, cito, vix natus, pro illis ſanguinem voluit effundere. Emblema Odoardi Regis Luſitaniæ fuit Pelicanus, ex cujus pectore fluit ſanguis cum hac epigraphe, *Pro Grege*; hoc emblemate hodie ornandæ ſunt cunæ JESULI, Pelicanus eſt, innocentem fundens ſanguinem pro grege, pro toto humano genere, Filius meus, ait Maria, hodie accepit glorioſiſſimum nomen JESU, id eſt, Redemptoris; hoc nomen, in quo Principum, Regum, & Imperatorum flectuntur genua, ſine vulnere & ſanguine illi imponi non potuit; quamdiu fuit ſine vulnere & ſanguine, fuit ſine nomine; circumciſus, vulneratus, roſeus à ſuo cruore, vocatus eſt JESUS, id eſt Rex Regum, & Dominus Dominantium, cœlique terræque, Angelorum, hominumq; Imperator.

§. 4. A Sacerdotibus & Religioſis.

Dicite Sacerdotes, & diverſorum ſanctiſſimorum Ordinum Religioſi, quare Puer hic debuit & voluit circumcidi. Illi reſpondere poſſunt: Puer hic eſt ſummus Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, ideo par eſt, ut offerat ſacrificium & quidem cruentum, in odorem ſuavitatis coram divina Majeſtate. Figura fuit Noë, qui poſt diluvium egreſſus ex arca, mactavit duas aves, quas in erecto altari pro holocauſto accendit, quo ita placatum fuit Numen, ut in ſignum pacis poſuerit Iridem in nubibus. Verus Noë, ſive conſervator mundi eſt filius Dei, egreſſus ante octiduum ex arca virginei corporis, hodie in templo Patri cœleſti in holocauſtum ſe offert, ut ſit gratius, fecit illud cruentum, ideo ſanguinem fudit, fructus ſacrificii pulcherrii

rima iris,ſive glorioſiſſimum nomen Jesus,hęc eſt reſponſio Sacerdotum. Religioſi dicent circumciſum eſſe, ut oſtenderet ſe exemplar pulcherrimarum virtutum,ut obtemperandi exactam legem ſua admirabili obedientia ſtabiliret. Sic cenſet Epiphanius, ut importunam carnis moleſtiam compeſcendam, & caſtimoniam rigidè colendam eſſe ſuaderet. Ita ſuffragatur Ambroſius, ut altiſſimæ in ſe demiſſionis omnibus præberet exemplum. Sic S. Bernardus, ut denique inſignem doceat patientiam,& erga proximum caritatem. Ita S. Auguſt. Pulcherrimæ cauſæ ob quas Puer debuit circumcidi. Placet reſponſio.

Et quia de cruore & ſanguine agitur, quid judicatis fortiſſimi belli Duces, & Sago Nobiles? Anne ſanguinem fudit generoſiſſimus Pugil,ut oſtendat ſanguinolenta præludia majoris certaminis,ingenteſque animos, quibus jam tunc hoſtes noſtros opprimeret? Verùm quis pugnæ modus, ubi Imperator eſt imbellis puer, cujus ſagum, panniculi: balteus, faſciæ: tympana, gemitus: globi, lachrymæ: tela, ſuſpiria: falcatus, currus, præſepe, ſonipedes, aſellus & bucula? cùm nihilominus Puer hic vicerit, novæ victoriæ magis applaudimus. Venit in hunc mundum hic Puer, ut luctetur cum potentiſſimis hoſtibus, cum poteſtatibus tenebrarum,cum Morte,Inferno & peccato; dum Puer pugnam orditur & aggreditur, fortiſſimus ſimul Pugil ſe inungit oleo & balſamo pretioſi ſui ſanguinis; viam ingreditur ſanguineam ad palmam triumphi, quem contra ſuos hoſtes obtinebit. §. 5. *A Nobilitate.*

Bambergenſis Academia, & præter illam aliæ celeberrimæ Univerſitates (loquar clariùs) eximii Theologi, excellentiſſimi Juriſperiti, expertiſſimi Medici, ſubtiliſſimi Philoſophi, Aſtrologi,pulcherrimas afferent rationes,ob quas judicant,Parvulum de B. debuiſſe circumcidi. Theologi dicent cum Regio Pſalte, *Copioſa apud eum redemptio*, ideo non tantum in fine, ſed exordio ſtatim vitæ ſanguinem, redemptionis lytrum Patri ſuo offerre voluit. Juriſtæ dicent: Puer hic eſt fidejuſſor,qui omnium debita in ſe ſuſcepit, quibus cùm necdum ſatisfacere poſſit, quia id non placet Patri, pro pignore futuræ ſolutionis ei of- §.6. *A Theologis Iuriſperitis, Medicis, & Philoſophis.* *Pſ.129.v.7*

offert ſanguinem, daturus deinde totum in Cruce, pro complemento ſatisfactionis & ſolutionis. Medici hanc afferent cauſam: Propter exuberantem amoris in nos calorem, & febrim, ad refrigerandum ſanguinem, ſanguinis effuſio fuit neceſſaria; feſtinatâ hujus miſſione ardori amoris, & deſiderio patiendi pro genere humano nonnihil fuit ſatisfactum. Aliquis intercidit error Domini Medici; crevit potius amoris incendium, non extinguendum niſi tunc, cùm in cruce lancea ultimam guttam ex divino corde exhauriet. Dicent alii Medici, morbus humani generis aliâ medicinâ, quam ſanguine Filii Dei curari non potuit; in quo uti poſſunt emblemate Ferri, in quo equus marinus acuta arundine ſibi ſecat venam, cum hoc lemmate, *Ex vulnere ſalus*. Pari ratione, ex vulnere JESULI in Circumciſione, cum divino ſanguine cœpit fluere ſalus mundi, ſanguis divini Infantuli in Circumciſione incepit curare lepram, quâ totum humanum genus infectum erat. Quid cenſent Philoſophi? Dicent hoc ſanguineum vulnus manifeſtiſſimum eſſe ſignum, quo oſtendit ſe Filium Dei, veram, germanam, realemque carnem aſſumpſiſſe, contra Apollinarem, Valentinianum, alioſq; aſſeclas, qui putarunt ejus corpus ab aëre fuiſſe emendicatum, vel deciſum de cœlo.

§. 7. *Ab Aſtrologia.* Aſtrologi ſic poterunt diſcurrere; ſol manè rutilans & ſanguineus portendit pluviam veſpertinam: cùm ſol juſtitiæ oriens ſanguine rutilet, cogitare poſſumus ejus occaſum in cruce fore mixtum cum copioſa ejuſdem ſanguinis pluvia, quantos ſanguinis imbres dabit vitæ veſpera, ſi aurora ejus cruore tam multo rubet. Sed, gaudete mortales! JESULUS rubens in ortu, ſimul promittit imbres gratiarum. Antequam cœlum pluat, ſtillare ſolet parvis guttis, guttas quoque ſanguinis effundit hodie JESUS infans, daturus in paſſione imbrem. Sanguinei Cometæ frequenter aſſolent orbi annuntiare Regum obitus, regnorumque minas: colligo ex hodierno cruore Infantuli, qui præ ſtellis clarius lucet ex ortu, ejuſq; mortem fore planè crudelem & cruentam, ſed quæ ſecum trahet ruinam regni Sathanæ. Vopiſco teſte, natus fuit aliquando vitulus (dicamus hodie Agnus)

Digitized by Google

gnus) diſtinctus rubris maculis, inſtar tygridis; dixeruntSapientes, portendi Aureliano imperium, & factus fuit deinde Imperator. Ante octiduum in ſtabulo Bethleemitico natus fuit Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, hodie rubet pulcherrimis guttis pretioſiſſimæ purpuræ; colligamus ex illis imperium Chriſti D fore feliciſſimum.

Judices, Conſiliarii, uterque Magiſtratus, Eccleſiaſticus & Politicus dicent, Puerum debuiſſe circumcidi, ut tanquam legislator pateretur legem, quam tulerat, conſentiente Apoſtolo, *Miſit Deus Filium ſuum factum ſub lege.* Conjugati dicent: voluit nos docere patientiam, quâ portari debet jugum Matrimonii. Divites, monet nos ut ſimus liberales; Pauperes, ſic nos fecit divites. Ex ore Virginum & Juventutis audire mihi videor voces Sponſæ, Dilectus noſter parvulus, candidus eſt, & rubicundus. Candidus, formoſus inſtar lilii, in præſepio hodie rubicundus inſtar roſæ in panniculis ſanguine tinctis: jam factus ſponſus ſanguinis, erga ſponſam munificè liberalis, quot enim guttas ſanguinis effudit, tot pretioſos illi obtulit carbunculos, ingentis pretii lapillos.

§. 8. A Magiſtratu Politico & Eccleſiaſtico, à Conjugatis, divitibus, pauperibus, à juventute, &c. Gal. 4. v. 4.

Gemma hæc, vulgò carbunculus, ſic dictus, quod ignito carboni ſit ſimilis, etiam nocte pulcherrimis radiis refulgens. In ſacra Scriptura frequenter ejus fit mentio, præſertim Exodi 28. Eccleſiaſtici 32. Ezech. 28. Non permittit tempus, ut hic in medium adducam lapidis hujus qualitates, perfectiones, virtutem & operationes; neque ut proferam analogias, quæ ſunt inter guttas divini ſanguinis, & hanc gemmam. Præcipuum fundamentum eſt hiſtoria, quæ refert magnum peccatorem in agone coram ſupremo Judice ſic fuiſſe liberatum. B. V. ex latere Filii accepit aliquot guttas ſanguinis, quæ converſæ in carb. & impoſitæ, &c. Aggredior alteram Concionis partem, ut meis Auditoribus varios carbunculos pro ſpirituali ſtrena diſtribuam.

§. 9. Qualis gemma ſit carbunculus. Exod 28. v. 18. Eccl. 32. v. 7. Ezech. 28. v. 13.

Inter ſpectacula, in triumpho Pompeii M. Roma cum ſtupore ſpectavit ingentē aureum montem & in illo ſaxa, rupes, arbores, flores, fontes, varia animalia, ex gemmis artificioſiſſimē elaborata, teſte Plinio. In vertice montis ſtetit elegans horologium,

§. 10. Pro ſtrena offert Illuſt. Principi horologium Pomp. M. or-

natum pulcherrimis carbunculis gium, in aurea turri, cujus baſis, columnæ, aliæq; partes, lucidiſſimi fuerunt carbunculi. Probabile eſt, horologium tam pretioſum, à magno Rege dono fuiſſe oblatum Pompeio Magno, qui tanti illud æſtimavit, ut in ſuo triumpho Romanorum oculos illius aſpectu voluerit oblectare. Scio magnis Principibus talia horologia eſſe gratiſſima, itaq; ſi mihi eſſet tale, ornatum lucidiſſimis carbunculis, illud ego hodie pro ſtrena offerrem Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo Domino D. Philippo Valentino, Epiſcopo Bamb. S. R. I. Principi Dño noſtro Clementiſſimo, ſed uni lateri carbunculi pulcherrimi, vellem prius inſculpere intimum deſiderium cordis mei, quod ita ſonat: Utinam novus hic annus Illuſt. N. Principi ſit feliciſſimus. Alterius lateris hæc foret epigraphe, Vivat, imperet hoc anno feliciter Ph. Valentinus, neque hoc tantùm, ſed multis aliis. Utinam magni hujus horologii director Deus 20. 30. annis protrahat hoc horologium, donec P. Val. plenus meritis inſigni triumpho deducatur ad aureos montes æternæ gloriæ. Cùm verò tale horologium non habeam; cogor diſcurſum meum nonnihil immutare: ſcio excelſam mentem magni alicujus Principis, à viris doctis conferri cum aliquo horologio, cujus rotæ ſunt principales virtutes, principalis v. g. prudentia! principalis fortitudo! principalis clementia! principalis amor erga ſubditos: quale horologium, cùm reperiam in excelſo, nobiliſſimo, & principali animo clementiſſimi noſtri Principis; quis mihi vertet vitio, ſi illud ornare deſiderem cœleſtibus carbunculis; ſive, ſi optem ut guttulæ pretioſi ſanguinis, quem Parvulus de B hodie effudit, principales illas virtutes adhuc magis exornent; excellentius votum pro ſtrena offerre non poſſum, præſertim ſi addam emblema Publii Sempronii Truditani, in quo binæ conjunctæ manus tenent cor, ex lucidiſſimo carbunculo ſculptum, unius lateris lemma ſunt binæ hæ voculæ, *Pax & Concordia*, pro epigraphe partis alterius Aurifaber affectuoſiſſimam hanc voculam inſculpſit Amor, O JESULE! per ſuaviſſimum hoc nomen, quod hodie tibi impoſitum eſt, per guttas pretioſi tui ſanguinis, hoc concede,

ut

Digitized by Google

ut annus hic Illuſtriſſimo Princ. ſit pacificus, ſit felix, ut amet, ut ametur. Pax! Concordia! Amor!

Toto orbe celeberrimum fuit templum S. Sophiæ in urbe Conſtantinopolitana, inter Regum dona in Baſilicæ illius theſauro fuit menſa, ex ſolido auro, omnis generis pretioſis gemmis ornata; munus Auguſtiſſimi Imperatoris Juſtiniani, hoc fuit peculiare, in limbo ſive circuitu menſæ, radiantibus carbunculis hæc verba fuerunt deſcripta. *Tua de tuis offerimus, ſervi tui, Chriſte, Juſtinianus, & Theodora, ea tu propitius accipe, Fili! Dei Verbum! qui noſtri cauſâ carnem aſſumpſiſti, & cruci affixus fuiſti, nos in tua rectâ fide conſerva, intercedente S. Deiparâ V. Maria.* Reverendiſſimo & Nobiliſſimo S. Ædis Capitulo, Rev. N. Præpoſito, Rev. N. Decano, reliquiſq; Capitularibus Dñis Noſtris Grat. Adm. Rev. Clero; in aliis Collegiatis Eccleſiis; præſertim Sacerdotibus, pro ſtrena offero *auream hanc menſam*: Aurea menſa ſunt illorum corda, quoties in ſacrificio Miſſæ, vel Communione aureus & Angelicus Panis, ſive Corpus Chriſti Jeſu illis imponitur. Sacerdotum corda & linguæ, floridus ſunt lectulus, ſunt præſepium, in quod reclinatur Parvulus de B. Ut aurea hæc menſa ſit pretioſior, ut lectulus ille floridior, ut panniculi mundiores, liberali manu illis offero cœleſtes carbunculos, ſive guttas pretioſiſſimi Sanguinis Jesuli; hinc omnis decor & pulchritudo ſanctitatis, virtutumque in Clero. Iiſdem carbunculis, vel illis guttis hæc addo verba: O Jesule! Gratioſis N. Dominis, toti Clero largire annum hunc novum felicem & fortunatum. *§ 11. Offert Rev. Capitulo & Clero Menſam S. Sophiæ, cum pulcherrimis carbunculis.*

Sunt carbunculi, qui vocantur hyacinthi, eò quòd nonnihil candicent, ſed tamen habeant rubeas ſtellulas, carbunculorum purpuræ planè ſimillimas; hoc habent mirabile hi lapilli, qualis eſt aura, talis illorum ſplendor eſt & lux, mutantur cum cœlo (pulchrè hoc deſcribe) hinc lapilli vel carbunculi hujus epigraphe ſic habet: *Progenies cœli*! Eſt aliàs hoc lemma avis quæ vocatur Paradiſiaca: *Neſcit contagia terræ*, eo quod volucris hæc nunquam in terras devolet. Tales gemmæ ſunt Religioſi S. Benedicti; Progenies cœli; tales gemmæ ſunt SS. Patres de Mon- *§ 12. Offert Religioſis carbunculum Hyacinthum.*

te Carmelo,&c.(fiat inductio per Ordines Religioſos) cupio, opto, pro anno felici, ut candicent magis, ut rubeant magis, &c. unde candor? unde rubor? niſi à guttis ſanguinis Chriſti; has veluti cœleſtes carbunculos offero pro ſtrena omnibus Religioſis.

§. 13. *Offert Concionatoribus, & animarum Paſtoribus carb. Aurophylactem.*

Inter carbunculos ille lapillus eſt mirabilis, qui vocatur Aurophylax; qui appoſitis theſauris, accedente fure, edit clangorem inſtar tubæ; unde in ſymb. hoc ibi additum lemma, *Fidelis Cuſtos.* Adverto: jam cogitant divites; hic carbunculus noſtra erit ſtrena! ut cuſtodiat noſtros theſauros. Sed habete patientiam! pretioſior theſaurus ſunt animæ, quas Filius Dei ſuo ſanguine redemit! Animarum Paſtores, Concionatores, vobis pro ſtrena offero hunc carbunculum, lucidum guttis ſanguinis JESULI, ut tanti theſauri ſitis fideles Cuſtodes.

§ 14. *Nobilitati Carb. duplicem.*

Ne puteris Auditores, divitem meam ciſtulam ob pretioſiſſimos carbunculos eſſe exhauſtam. Carbunculus eſt, qui dicitur Alectoria, reperitur rariſſimè in ventriculis galli gallinacei pugnaciſſimi volucris, candicat inſtar cryſtalli, rubet inſtar carbunculi; hæc ejus virtus eſt, ut illos, qui illam geſtant, reddat animoſos fortes; Milo Crotonienſis dicitur talem geſtaſſe in annulo. Jam cogitant Nobiles, Aulici, &c. hic carbunculus præcipuè intinctus guttis ſanguinis Chriſti nobis debetur pro ſtrena; noſtrum eſt pugnare, (eſt locus pro p. deſcriptione) & in animo habeo illum offerre; ſed addo alium carbunculum, qui dicitur Andrometaſdes, in coloribus priori eſt ſimilis, ſed hoc habet peculiare, quod rubræ maculæ, ſive longæ veluti lineæ, & tranſverſæ teſſalatæ, &c. & quod ſit frigidiſſimæ naturæ, ut ſedet iram, &c. Cum Andrometaſde Nobilitati offero Alectoriam, generoſi ſpiritus laudabiles ſunt, Pro Deo, Pro Religione, & Cæſare (fuit hoc lemma Imperatoris Ludovici) Henricus II. Rex Galliæ curavit pingi Galeam cum corona, additis his voculis, *Pro ara & regni cuſtodia.* Ut ad hoc animet Nobilitatem, offero Alectoriam; ut temperem iras, cùm iraſci neceſſe non eſt, addo Andrometaſdem; utrumque lapillum intinxi guttis ſanguinis JESULI, ut ſint gratiores.

Tem-

Digitized by Google

§. 15. *Offert Doctis & utrique Magiſtratui in carbunculis p. emblema.*

Tempus eſt, ut reliquos carbunculos nominem tantùm. Niſi fallor, poſt Nobilitatem de cauſis Circumciſionis reſponderunt viri docti, & Magiſtratus utriuſque Politici & Eccleſiaſtici Aſſeſſores, in gratiarum actionem offero, carbunculum Regis, qui in illo juſſit ſculpi Virum armatum (quid miramini me hoc dicere, vidimus oculis talem virum in Jaſpide in Hiſpania, in civitate Burgos) qui dexterâ tenet gladium, in ſiniſtra librum cum cruce, & hoc lemmate, *Arma Regia.* Vos Dñi Conſiliarii, Conſules, &c. in veſtris manibus ſunt hæc arma, in veſtris manibus ſunt arma principalia; inſcribite illis, quod Eugenius in carbunculo ſupra bilancem inſcripſit, *Redde cuique ſuum.* Facite hoc ſanguineis guttis Chriſti, annus hic erit vobis feliciſſimus!

§. 16. *Offers Conjugatis carbunc. Regis Pyrrhi.*

Pyrrhus Rex habuit Carbunculum, in quo natura vivis coloribus & lineis expreſſit Apollinem cum novem Muſis, curioſi oculi obſervare potuerunt citharam, cum qua Apollo depingi ſolet. Cithara apud Doctos eſt ſymbolum unionis & amoris: ideo Renata Duciſſa Lotharingiæ in carbunculo, in annulo ſculpi juſſit talem citharam, & coronam cum hoc lemmate, *Cor unum, & anima una.* Non eſt opus, ut plus dicam; hic carbunculus pro ſtrena debetur Conjugatis, hoc ego addo, pro ſtrena, ut & hic carbunculus rubeat guttis pretioſiſſimi ſanguinis JESULI!

§. 17. *Divitibus carb. Dar.*

Eſther c. 1. mentio fit carbunculi, qui ab Hebræis vocatur *Dar*, ajunt Rabbini hoc nomen huic gemmæ inditum, quod à mercatoribus, à divitibus, à Princ. geſtetur, mutetur in Deſor, id eſt, liberalitatem. Offero hunc carbunculum divitibus & pauperibus; illis, ut cum JESULO ſint liberales, ut diſtribuant carbunculos: Pauperibus, ut contenti ſint his lapillis, ſciunt ipſi optimè, in qua platea, ubi, &c. habitent carbunculi.

§. 18. *Viduis carb. Regis Chinarum.*

Referunt hiſtoriæ, in regio throno Regis Chinenſis eſſe carbunc. qui tum maximè fulget, cum frigidiſſima aſpergitur aqua. O triſtes Viduæ! non deſunt, &c. vobis pro ſtrena offero hunc carbunculum: ſed, hic lapillus refert B. V. colligentem guttulas ſanguinis Filii ſui, hoc facite, &c.

Digitized by Google

§.19. *Iuventuti carb. Amyanthum.* Inter carbunculos alia eſt ſpecies, quæ vocatur Amyanthus; hic carbunculus nullas patitur ſordes, lemma eſt, *Semper pulcher*, adeo ut projectus in carbones excandeſcat; dicunt non eſſe certius remedium contra Venerem, & veneficia. O Virgines! O Juvenes! &c. (poteſt fieri p. applicatio.)

§.20. *Morituris carb. Mariæ filiæ Car. V.* Auditores cariſſimi, nolite dubitare, aliqui ex nobis hoc anno morientur! quid intereſt. Sed ſolliciti ſimus, ut in pectore geſtemus Carbunculum Mariæ filiæ Caroli V. cui illa inſculpi curavit, quinque Vulnera Salvatoris, cum hoc lemmate, *Sola ſpes mea.* Hanc offero Morituris ex Sodalibus.

CONCIO LXI.

FESTO EPIPHANIÆ.

Apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera.

Matth. 2. v. 11.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Offert JESULO myrrham mortificationis.

§. 1. *Adoratio Magorum eſt myſterium plenum admiratione.*
§. 2. *Quid ſit mortificatio.*
§. 3. *Quænam ejus objecta.*
§. 4. *Paſſiones ſunt noſtri hoſtes; quomodo proinde ſint tractandi.*
§. 5. *Digreſſio ad præſepe.*
§. 6. *Amor proprius præſertim eſt mortificandus.*
§. 7. *Mortificatio eſt odium ſui: grata Jeſulo myrrha.*
§. 8. *Mortificatio eſt gladius.*
§. 9. *Videtur illi conjuncta crudelitas.*
§. 10. *Sed potius eſt pietas.*

§. 11. Cru-

§. 11. *Crudelitatem hanc piam ſuadet nobis Eccleſiaſticus.*

§. 12. *Paſſiones radicitus ſunt evellendæ. Mortificatio eſt circumciſio quædam.*

§. 13. *Mortificatio eſt ventus urens, exſiccans venas mortis.*

§. 14. *De Mortificationis neceſſitate.*

§. 15. *Mortificatum eſſe, & Chriſto confixum eſſe Cruci, idem ſunt.*

§ 16. *Eſt virtus Deo gratiſſima.*

ADventum Magorum in ſtabulum, his verbis admiratus fuit S. Auguſtinus, & iiſdem gaudium ſuum declarat, quod illorum adventu & adoratione, ſicut & illorum pretioſis muneribus Parvulus de Bethleem ſummopere fuerit magnificatus, ſer. 2. de Epiph. *In præſepi tunc jacebat, & Magos ab Oriente ducebat: abſcondebatur in ſtabulo, & agnoſcebatur in cælo, ut agnitus in cælo, manifeſtaretur in ſtabulo*; adeò ut à Regibus terræ adoretur. An non hoc mirabile? Coram Parvulo, in ſinu pauperis Matris, in ſtabulo! in genua ruere purpuratos potentes hujus mundi, & eundem adorare! Fuit hoc objectum admirationis S. Hieronymo, cum dixit ep. 17. ad Marcellam. *Ecce in hoc parvo terræ foramine cælorum Conditor natus eſt, hic involutus pannis, hic inventus à Paſtoribus, hic adoratus à Magis.* Idem myſterium admiratus fuit S. Fulgentius, ſer. 5. de Epiph. *Quis eſt iſte Rex Judæorum? pauper & dives! humilis, & ſublimis! qui portatur ut Parvulus*! à Magis-- *adoratur ut Deus*! *Parvulus in præſepio, immenſus in cælo, vilis in pannis, pretioſus in ſtellis*! Tantæ ſimul ſuavitatis eſt myſterium hodierni feſti, ut bene dixerit S. Leo ſer. 2. de Epiph. *Agnoſcamus dilectiſſimi, in Magis adoratoribus Chriſti, vocationis noſtræ, fideiq; primitias, & exultantibus animis beatæ ſpei initia celebremus.* Exultantes animos demonſtrabimus, ſi & nos procidamus coram Parvulo de Bethleem; ſi & nos aperiamus theſaurum cordis noſtri; ſi & nos offeramus aurum, agnoſcentes in Chriſto regiam poteſtatem; ſi offeramus thus, agnoſcentes Divinam Majeſtatem; ſi myrrham, ob ejus mortalitatem. Ita piè S. Gregor. hom. 10. *Aurum offerimus, ſi ſapientiæ lumine ſplendemus; thus, ſi ora-*

§. 1. *Adoratio Magorum eſt myſterium plenum admiratione.*

tionis ſtudio recolemus; *myrrham, ſi carnis vitia mortificamus*. Aliàs ago de hoc myſtico auro, & ſpirituali incenſo orationis; proponam vobis in hac Concione quomodo, & quàm myrrham mortificationis debeamus offerre dilecto JESULO.

§. 2. *Quid ſit mortificatio* Mortificationem, de qua S. Paulus ait: *Semper mortificationem Jeſu Chriſti* (dicamus hodie, mortificationem Jeſu Parvuli, jacentis in ſtramine, &c.) *in corpore veſtro circumferentes*; *2. Cor. 4. v. 10.* Et Regius Pſaltes, *Propter te mortificamur tota die*; hanc inquam *Pſ. 42. v. 22* mortificationem Chriſtus Salvator noſter vocat abnegationem, *Matth. 16. v. 24.* dum ipſemet ſacro ſuo ore dicit: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat* (addit) *crucem ſuam*: ut mortificatio, *Ioan. 12. v. 25.* abnegatio & crux, idem ſint. Joannes vocat Odium: *qui non odit animam ſuam in hoc mundo, perdet eam*. S. Paulus appellat ſer- *1. Cor. 9. v. 27.* vitutem, *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo*, pro caſtigo, alii legunt, *lividum facio*; alii, *ſubigo, coërceo, contundo*; quaſi loqueretur Apoſtolus de rebelli & contumaci ſervo, qui ſubigi, coërceri, & fuſte contundi debet; quale mancipium plerumq; *Gal. 5. v. 24.* eſt corpus noſtrum. Ad Galatas ait, *qui carnem ſuam crucifixerunt*. Ad Coloſſ. mortificationem vocat, expoliationem; *expo- Coloſſ. 3. v. 9. liantes veterem hominem*. Climacus definit mortificationem eſſe inimicitiam animæ, adverſus ſuum corpus. Quam S. Chryſoſt. hom. 56. in Matth. hoc ſimili declarat. *Si intelligis, quid ſit alium abnegare, vel mortificare, vel odiſſe, vel coercere, vel crucifigere, quem odiſti; tum rectè percipies, quid ſit te ipſum abnegare, vel mortificare. Si quis videat hoſtem ſuum cadi virgis, ligari vinculis, contundi, affligi; non triſtatur, non auxiliatur, non flectitur ad miſericordiam; hoc modo tractate corpus veſtrum, & circumferetis mortificationem Jeſu in corporibus veſtris*. Ita profectò S. Benedictus tractavit corpus ſuum, cùm illud abjecit in ſpinas; S. Franciſcus, cùm illud volutavit in nivibus; S. Ignatius cum collo tenus diu ſtetit inter gelidas aquas; S. Hilarion, cùm dixit ad carnem ſuam; *fame ego te conficiam, ne luxuriam-- & libidinem-- cogites*.

§. 3. *Quænam ejus objecta.* Præcipuum objectum hujus mortificationis, odii, crucifixionis, & abnegationis ſunt inordinatæ paſſiones & illicita deſideria.

Digitized by Google

deria. Immortificatus enim eſt, ſecundùm S. Hieronymum, *qui facit quæ cogitat.* Vel juxta mentem Davidis Pſalm.72. *qui* Pſ.72. v.7. *tranſit in affectum cordis.* Eccleſiaſticus ait, *qui it, -- poſt concu-* Eccleſ.18. v.30. *piſcentias ſuas.* Doctor gentium, *qui obedit illis.* S. Joan. Chryſoſt. hom.66. in Joan. Rom.6.v.13 *Ambulant in cupiditatibus animæ ſuæ.* Numer. Num.15. v.39. *ſequuntur cogitationes ſuas, & oculos; per res varias fornicantes.* Ad Rom. ait S. Paulus, tales à Deo traditos eſſe *in paſſiones ignominiæ.* Rom.1. v.26. Eccleſiaſticus paſſiones vocat, *extollentiam oculorum, concupiſcentias* carnis, *animum irreverentem, & infrunitum*, Eccleſ.23. v.5. Alii legunt, *effrenatum,* Alii, *impudentem.* Græci, *inſatiabilem.* De his paſſionibus patheticè loquitur David: *Miſerere mei Deus,* Pſ.55.v.1.2 *quoniam conculcavit me homo* (vetus ſcilicet & paſſionibus mancipatus) *tota die impugnans tribulavit me: conculcaverunt me inimici mei tota die, quoniam multi bellantes adverſum me.* Inter hos bellantes dux & acerrimus, domeſticusq; hoſtis eſt caro noſtra, cui ſe jungunt mundus & diabolus, cum variis concupiſcentiis; contra quas niſi & nos pugnemus, niſi illas coerceamus, niſi contundamus; facillimè vincimur.

§.4. Subdit Regius Pſaltes modum, quo ipſe ſe oppoſuit tot & tantis hoſtibus, inquiens: *Diligam te Domine fortitudo mea.* Eſt Paſſiones ſunt noſtri hoſtes: quomodo proinde ſint tractandi. ille Pſalmus triumphale Canticum, quo gloriatur, & Deo gratias agit, quod eripuerit eum è manu inimicorum ſuorum, ſed ideo non fuit ſecurus, ſed ait, v.38. *Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos; confringam illos, nec poterunt ſtare.* Varii Pſ.17.v.1. variè & pulchrè legunt hunc verſum. D. Hieronymus, *Cadam* v.38. *illos, nec poterunt ſtare..* Felix. *Vulnerabo, percutiam-- & non poterunt ſurgere.* Campenſis, *Sic vulnerabo eos, ut ſubſiſtere non poſſint, corruent ſubtus pedes meos.* Idem Campenſis, *Proſternam quotquot conabuntur ſurgere contra me.* Chald. paraph. *Comminuam eos ut pulverem ante faciem venti; ut lutum platearum delebo eos.* Pro delebo, ponunt alii, *exinaniam, evacuabo, effundam eos.* Chald. *conculcabo eos.* Prout David loquitur de exterioribus hoſtibus, ſic nos loqui oportet de hoſtibus internis, de paſſionibus.

§.5. Si coram præſepio, in ſtabulo Bethleemitico comparere velli-

Digitized by Google

Digreſſio ad Præſepium.

velimus, veluti victorioſi Reges, ut victrices corollas & laureolas, de hoſtibus reportatas ante pedes JESULI proſternamus, hoc agamus, ſuperbiam, v.g. inordinatum appetitum excellentiæ oportet comprehendere, confringere, conculcare & ſic vulnerare oportet, ut coram pedibus noſtris ſtare non poſſit; hâc victoriâ delectatur JESULUS. Bellat contra te effrenis libido? comprehende, &c. (hoc modo fieri poterit pulchra inductio) Difficultates, quæ in his præliis occurrunt, ſunt guttulæ myrrhæ probatiſſimæ, quam JESULUS à nobis deſiderat.

§. 6. *Amor proprius præ ſertim eſt mortificandus. Quid ille ſit, ſive, ejus effectus 2. Timot. 3. v. 1.*

Paſſionum omnium radix eſt amor proprius. Indomita, effrenis, rebellis beſtia. S. Paulus ſic ait: *Erunt homines ſe ipſos amantes.* Peſſimæ hujus radicis peſſima germina & fructus exponunt diverſæ lectiones & expoſitiones horum verborum S. Pauli. Græca ſic habet: *Erunt cupidi, amatores pecuniæ, avari.* Item. *Erunt elati, faſtuoſi, arrogantes, jactabundi, ſuperbi, blaſphemi, non obedientes.* Item. *Erunt ſine affectione, ſine pietate, ſine viſceribus compaſſionis, ſine pace, criminatores, incontinentes, proditores.* Vatablus. *Præcipites, & temerarii.* Theophylactus. *Leves & inſtabiles, voluptatum amatores.* S. Anſelmus. *Non quærent, niſi propria lucra, proprios honores.* Dion. Carthuſ. *Erunt ſe amantes, amore carnali, privato, & peſſimo; quærent ſolum bona delectabilia, & utilia, non honeſta.* Ecce quot paſſiones, quot inordinati affectus, quot concupiſcentiæ, quæ debent mortificari, abnegari, coërceri, contundi, confringi, crucifigi. Sed hæc verba horret caro, horret ſenſualitas, horret pars hominis inferior. Sic eſt; ſed ideo illæ mortificationes, ſunt ſurculi, vel guttulæ myrrhæ odoratiſſimæ, quam cum Regibus, ipſi Reges, amoris proprii, & paſſionum domitores, Parvulo JESU debemus offerre.

§. 7. *Mortificatio eſt odiũ ſui; grata Jeſulo myrrha. Ioan. 12. v. 25.*

Chriſtus Salvator noſter hanc myrrham mortificationis, prout antea inſinuavi, vocat Odium ſui; *qui amat animam ſuam, perdet eam, & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* Quæ verba S. Gregorius M. hom. 37. in Evang. ſic expoſuit: *Tunc bene animam noſtram odimus, cùm ejus carnalibus deſideriis non acquieſcimus, cùm appetitum frangimus,*

cùm

Digitized by Google

cum ejus voluptatibus reluctamur. Elegans eſt ſimile S. Chryſoſtomi. *Quemadmodum quos odio habemus, nec vocem quidem audire, nec videre, æquo animo patimur; ita & anima, ſiquid præter Dei voluntatem imperet, rejicienda eſt.* Jugulandæ, immolandæ, vulnerandæ ſunt omnes hæ inordinatæ cupiditates; ex his vulneribus, cum hoc ſanguine fluit odoratiſſima myrrha. Tales immolationes ſunt victimæ, hoſtiæ & ſacrificia Deo & Jeſulo gratiſſima, & ſuaviſſimi odoris.

In veteri teſtamento Spiritus ſanctus aliis verbis nobis 6. 8.
proponit auream praxin mortificandi noſtras paſſiones. Per *Mortificatio eſt gladius.*
Moyſen enim ait Levitis, *Ponat vir gladium ſuper fæmur ſuum.* *Exod. 32.*
Gloſſa Interlinearis ait, *ſuper voluptates carnis, — & occidat unuſ-* *v. 27.*
quiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum. Cumque Iſraelitæ viginti tria millia hominum occidiſſent, ne crudele factum putarent, ait: *Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino.* Septua- *v. 29.*
ginta Interpretes. *Impleviſtis hodie manus veſtras Domino.* Paraph. Chald. *Obtuliſtis oblationes veſtras hodie coram Domino.* Hoc agite Auditores coram præſepio; gladium mortificationis ponite ſuper voluptates, ſuper deſideria carnis; Carnis? quæ ſocia, quæ ſoror, quæ amica noſtra eſt? Pergite, occidite, jugulate; hoc modo veſtras manus conſecrabitis JESULO, Ita illas implebitis optimâ myrrhâ, coram Parvulo. Ita afferetis oblationes gratiſſimas. D. Ambroſius in ep. ad Romanos. *Ille eſt verus Levita, Dei ultor & vindex, qui carnem, & paſſionum, ac vitiorum corpus interimit; ut ſervet animam, ut jam non ſit caro peccati, ſed Dei; quis enim magis frater, aut proximus eſt anima, quàm caro.*

Sed inquies, verba hæc, & multò magis talia facta, macta- §. 9.
re, jugulare, crucifigere, contundere, &c. præ ſe ferunt quandam *Videtur illi*
ſpeciem crudelitatis. Quis non cogitat crudelem & avidum *conjuncta*
vindictæ fuiſſe Invictiſſimum Ducem Joſue, quando urbem Je- *eſſe crudelitas.*
richo ferro & igni funditus delevit, ſoloque æquavit? quando *Joſu. 10. v. 26.*
expugnatam urbem Hay combuſſit; nec unico habitatore in vivis relicto? quod ejus Regem egerit in Crucem; *v. 31.*
quod alios quinque Reges, Adoniſedech Regem Jeruſalem, Oham Regem Hebron, Pharam Regem Jerimoth, Japhia Regem

Digitized by Google

Lachis, Dabir Regem Eglon, ſuſpenderit; Macedam ſimiliter cœperit, & percuſſerit in ore gladii, Reges illius & omnes habitatores interfecerit. Quæ iſta inhumanitas? quod Iran, ſive Horam, Regem Gazer cum omni populo percuſſerit uſque ad internecionem? ſic urbes Eglon, Hebron, Dabir, omneſq; Reges Aſedoth expugnarit, & omne, quod ſpirare poterat, interfecerit? Pari crudelitate Tabin Regem Aſſor, cum Jobab Rege Madian, Semero, Achſaph, & Regibus Aquilonis, qui habitabant in Montanis, & in planitie contra meridiem: Cananæum item, Amorrhæum, Ethæum, Pherezæum, Jebuzæum, Hevæum cum turmis ſuis, populo multo nimis, ſicut arena, quæ eſt in litore maris, interfecit, contrivit, delevit, ipſos equos ſubnervavit, & currus eorum igni combuſſit.

§. 10. *Sed eſt pietas.* *1. Cor. 10. v. 11.*

Hæc & alia juxta literam, quæ occidit, crudelitatis ſpeciem præ ſe ferre videntur; ſed quoniam teſte Apoſtolo, *omnia in figura contingebant illis*, & propter nos ſcripta ſunt, quæ Judæus ſolum legit; Chriſtianus verò (teſte Origine hom. 13. in Joſue) intelligit eſſe myſteria. Quid enim quinque illi Reges aliud ſignificant, quàm quinque ſenſus humani corporis, qui debent ſuſpendi in patibulo vel cruce mortificationis, neque ante deponi, ante occaſum ſolis, id eſt vitæ. Macedan ſignificat incendium, iram, vel horam, aut civitatem, concipientem mille informes partus concupiſcentiarum; tale incendium debet extingui, muri hujus civitatis ſunt dejiciendi, nulli licitum eſt parcere. Eglon idem eſt quod vitulus, ſive juvenculus iniquitatis; ejus collo ſtatim apponendus eſt culter mortificationis. Hebron ſonat tranſgreſſionem, Dabir loquacem, Jabia prudentiam carnis, Semeron amaritudinem, Cananæus *commutatum in malum*, Amorrhæus *rebellem*, &c. Ecce hoſtes, quos perimere, trucidare, conculcare, extinguere, flammis comburere, non eſt crudelitas, ſed eſt pietas Deo, ſed eſt virtus mortificationis, redolens optimam myrrham, licèt in amaro creſcat ſurculo.

§. 11. *Crudelitatē hanc piam ſuadet nobis*

Hanc crudelitatem nobis ſuadet Eccleſiaſticus, inquiens, *Servo malevolo tortura & compedes.* Nahum, *Intra in lutum, & calca, & ſubigens tene laterem.* Malevolus, rebellis ſervus eſt caro,

Digitized by Google

ro, tortura illi, & compedes: ſpiritui contradicit ſenſualitas? tortura illi. Reluctatur corpus, ut jejunet, ut oret; tortura illi (ſic de aliis ſenſibus & paſſionibus) lutum illarum calcandum & ſubigendum eſt. *Turpanda* (dixit S. Hieron. ad Paulam Romanam) *eſt facies, quam contra Dei præceptum purpuriſſo, & ceruſſa, & ſtibio ſæpe depinxiſti.* Affligendum eſt corpus, quod multis vacavit deliciis: longus riſus perpeti compenſandus eſt fletu. Mollia linteamina, & ſerica pretioſiſſima, cum aſperitate cilicii ſunt commutanda. *Eccleſiaſtici c. 33. v. 28. Nahum 3. v. 14.*

§. 12. *Paſſiones radicitus ſunt evellendæ. Mortificatio eſt circumciſio. Pſ. 7. v. 10.*

Paſſiones omnes, quantum fieri poteſt, radicitus ſunt evellendæ, juxta mentem S. Davidis: *Conſumetur nequitia peccatorum, & diriges juſtum, ſcrutans corda & renes Deus*; quibus verbis innuuntur intimæ radices voluptatum & laſciviæ, intima iræ atque indignationis germina, quæ in corde verſantur, abſconditiſſimæ radices concupiſcentiæ: pullulantes quoque inde conſenſus & actus, contra quos in vet. Teſtamento præſcripſit circumciſionem, de qua S. Ambroſius l. 1. de Abraham c. 4. *Nonne evidenter circumciſio carnis præceptum eſt caſtimoniæ, ut aliquis reſecet libidinem carnis, & indomitas luxu ac laſcivia refrænat cupiditates.* Etenim circumciſionis vocabulo id præſcribitur, ut omnis impuritatis fœtor abſtergatur, & incendium libidinis auferatur. Unde Dominus apud S. Matth. reum notat, *qui viderit mulierem ad concupiſcendũ eam &c.* Circa quę ait Nicęn. de vita Moyſis: *Dominus ut ab hac peſte longè nos abduceret, cupiditatem ipſam, quæ videndo irrepere ſolet, quaſi radicem voluptatis evulſit.* Ita alii multi SS. PP. de paſſionibus & inordinatis affectionibus loquuntur: ſunt venenatæ fibræ, radices, & ſurculi, quæ cultro mortificationis debent evelli, & reſecari; ex his ſciſſuris effluit odorata myrrha abnegationis. *Matth. 5 v. 28.*

§. 13. *Mortificatio eſt ventus urens, ſiccans venas mortis. Oſea 13. v. 15.*

Propheta Oſeas ait, *Adducet urentem ventum Dominus de deſerto aſcendentem, & ſiccabit venas ejus, id eſt mortis.* Venæ mortis nil aliud ſunt, quàm luxuriantis carnis illecebræ; ſed quid illas exſiccat? quis eſt iſte ventus tam potens, ut obſtruat illas ebullientes venas? Scio Gillibertum Abb. dixiſſe ſer. 15. in Cant. *Quis alius mortis deſiccavit venas, niſi Chriſtus D.* Ego aſſero i-

Digitized by Google

dem de mortificatione. Vena v.g. mortis ebullit & fluit ex oculis; ventus urens illas exſiccans eſt mortificatio. Sic de aliis paſſionibus.

§ 14. *De mortificationis neceſſitate.* Denique aſſero hanc mortificationem paſſionum nobis planè eſſe neceſſariam, Teſte Galfrido. *Vt homo plenam de ſe ipſo capiat victoriam*, inquit, *vincat neceſſe eſt naturam*, *vincat conſuetudinem*, *vincat vitam ſuam.* Oportet eam reſtringere, non extinguere; reprimere, non opprimere. Serviat ergo, ne ſæviat, ancilletur, ne dominetur. Alioquin, qui ſecundùm eam vixerit, morietur. Vincat quoque malam conſuetudinem, ſcilicet illam, quæ de corruptione naſcitur; grave illud eſt, nec facile te ipſum viceris, niſi & vitam propriam odio habueris.

§. 15. *Mortificatum eſſe & Chriſto confixum eſſe Cruci, idem ſunt.* *Gal. 2. v. 19* In illum ſtatum mortificatio debet hominem conſtituere, ut dicere poſſit cum S. Paulo: *Chriſto confixus ſum cruci* (dicamus his feriis natalitiis, Cum Jesulo jaceo in ſtramine) *vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.* q. d. Ego per mortificationis ſtudium Chriſto confixus ſum cruci; exinde mundi voluptates ac deliciæ mihi ſordent, ſurdus ac cœcus, imo & mortuus ad illas ſum; ad crucem & mortificationem Jeſu, unicè vivo. Audi S. Gregorium Nazianzenum orat. 12. de monachis ſic loquentem: *Horum opes ſunt in paupertate; profeſſio in peregrinatione, gloria in contemptu, potentia in infirmitate, fæcunditas in cælibatu qui deliciis minimè ſtudere, pro deliciis habent; qui regni cæleſtis causâ* (addamus hoc tempore, ad imitationem Jesuli) *humiles ſunt, qui in mundo nihil habent, & ſupra mundum exiſtunt, qui in carne, extra carnem vivunt, qui pro portione Dominum habent, qui propter regnum inopiâ laborant, & propter inopiam regnant.* Elegantioribus verbis ego mortificationis, & neceſſitatem, & eſſentiam, & effectus, & fructus proponere non poſſum. Facit illa nos Reges, & in copia atque abundantia ſubminiſtrat nobis myrrham, quam Jeſulo offeramus.

§. 16. *Eſt virtus Deo & Jeſulo gratiſſima.* Finio denique hanc Concionem verbis piiſſimi viri Ludovici Bloſii lib. de inſtit. Spirit. cap. 2. Nil Deo gratius offerri poteſt, abnegatione propriæ voluntatis, quia homini nihil eſt carius ipsâ voluntate: & ideo quando quis propter Deum (vel

Digitized by Google

in gratiam & amorem JESULI) ſenſualitati, voluntatiq; propriæ, etiam minimis in rebus reluctatur, ac ſe mortificat, v.g. ſi florem non carpat, &c. rem ipſi Deo (& JESULO) magis gratam facit, quam ſi multos mortuos ad vitam revocaret. (Fiat pulcher epilogus ex ſurculis myrrhæ, quæ Parvulo de Bethleem à nobis offerri poſſunt.

Concionem LXII. pro Feſto Purificationis B. M. V. inveniet benevolus Lector in fine.

CONCIO LXIII.

FESTO S. MATTHIÆ APOSTOLI.

Venite ad me omnes, qui laboratis.

Matth. 11. v. 28.

SYNOPSIS CONCIONIS.

JUgum Chriſti ſuave eſt, ſervi ejus ſunt beati, licèt aliud mundus judicet, in quo filii hominum miſerè decipiuntur.

§. 1. *Chriſto D. perſpectæ ſunt omnes noſtræ miſeriæ.*

§ 2. *Jugum Chriſti eſt ſuave, licèt mundus aliud judicet.*

§. 3. *Felix, qui Jeſum ſecum habet.*

§. 4. *Vir bonæ conſcientiæ non poteſt eſſe miſer.*

§. 5. *In quo mundus rurſum decipitur.*

§. 6. *Quod ex triplici loco Scripturæ oſtenditur.*

§. 7. *Alter locus.*

§. 8. *Tertius locus.*

§. 9. *Servi Dei in hoc mundo ſunt beati.*

§. *10. Deceptio & error Labani, Gen. 31.*
§. *11. Chriſtus Dominus offert aliquas conſolationis.*
§. *12. Iacob ſub dio ſuaviter quieſcit.*

§. 1. *Chriſto D. perſpectæ ſunt omnes noſtræ miſeria.*

NEmo magis cognitam atque perſpectam habet miſeriam hominum, quàm Chriſtus Dominus: in duobus potiſſimum, primò quoad corpus, quod plerumque premitur & vexatur laboribus, affligitur tribulationibus, moleſtatur doloribus. Deinde quoad animam, quæ in pluribus premitur onere & pondere peccatorum, & pravarum cupiditatum. Quantum verò ſit pondus peccati, alibi ſæpius declaro; tam eſt grave, ut humeros Filii Dei uſque ad terram potuerit deprimere: tam eſt grave, ut milliones animarum deprimat in barathrum inferni. Utroſque vocat ad ſe Chriſtus Dominus: *Venite ad me omnes*, primò laborantes, id eſt illos, qui temporalibus affliguntur miſeriis, quoad corpus, paupertate, fame, morbis, aliisq; ærumnis; & promittit illis refectionem, auxilium & ſolatium, ut illas miſerias ferant faciliter, vel ſaltem patienter; ſecundò vocat oneratos, onere ſcilicet peccati, & his promittit liberationem, quaſi diceret, Securi eſtote, ſi me accedatis reficiam vos. Conditionem tamen ponit, ut tollant jugum ſuum, ſcilicet mandatorum Dei; prout aliàs dixit Adoleſcenti,
Matth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Et ne hoc videatur difficile, cum magno myſterio utitur illâ voculâ *Iugo*. Jugum enim propriè portatur, vel trahitur à duobus; ut ſciat ſervus Chriſti, ſe ſub jugo Crucis non eſſe ſolum. Jugum eſt quod fertur cum ſocio, ſocium autem ſe offert ipſe Chriſtus Dominus, imò prior ſolus tulit. Quiſquis amore Dei patitur tribulationes, non eſt ſolus, Chriſtus ſe adjungit ſocium, ut juvet, ut ſoletur, ut reficiat. Proinde ſtatim vocat jugum ſuum ſuave, & portatoribus promittit requiem, ſive vitam beatam, etiam in hoc mundo. Quia hæc veritas valde abhorret à ſenſibus mundanorum, illam hac Concione latiùs deducam, ut omnes agnoſcant jugum Chriſti eſſe ſuave.

§. 2. Paradoxum videtur vanis filiis hominum, cùm Chriſtus Do-

Digitized by Google

Dominus ait, *jugum ſuum eſſe ſuave, & onus leve*, quod illi putant eſſe graviſſimum & amariſſimum. Dum enim juſtorum internam conſolationem non penetrant, & externam vident miſeriam, paupertatem, inopiam, decipiuntur, putantes illos vitam agere miſerrimam, & miſerabilem eſſe illorum ſortem: quia non intelligunt gratiam, miſericordiam, providentiam & amorem, quem Deus & Chriſtus Dominus habent erga ſuos, quæ omnia nobis promittit ſuaviſſimis illis verbis, *Ego reficiam vos.* Ideoq; ipſi miſerè decipiuntur; nam vitam vivit beatiſſimam, qui, licèt ſit oneratus jugo mandatorum Dei, vel jugo Crucis, ſub illo tamen à Chriſto Domino reficitur, & conſolatur. Horum enim mens *eſt quaſi juge convivium*: quæ verba explicans D. Greg. l. 13. mor. c. 12 inquit, *quod quaſi continuatio refectionis eſt ipſa tranquillitas ſecuritatis & bonæ conſcientiæ, & aſſiſtentia Chriſti Domini.* Foris videntur perire fame, ſiti, ambulare in melotis; ſed intus non ſemel vel bis, ſed ſemper & continuò convivantur, & exſatiantur; tum dulcedine Dei, & ſuavitate Salvatoris, tum pace & tranquillitate conſcientiæ, *qua*, ut inquit S. Bern. libro de conſcientia, *nihil in hac vita jucundius, nihil ſecurius poſſidetur & ſubdit*, premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa ſemper erit ſecura, & quieta, non ut mare fervens & æſtuans, ſicut impius; ſed ſicut rivulus placidè fluens, & currens ad Creatorem ſuum, & in ſuaviſſimum ſinum, imo ipſum Cor dulciſſimi ſui Salvatoris, apud quem eſt refectio, ſolatium, lætitia; hoc Chriſtus D. promittit in hodierno Evangelio ſuaviſſimâ illâ invitatione, *Venite ad me omnes, ego reficiam vos.*

Iugũ Chriſti eſt ſuave licet mundus aliud judicet.

Prov. 15. v. 15.

§. 3. *Felix qui Ieſum ſecum habet.*

Elegantiſſimè S. Aug. ſer. 25. in Joannem. *Ille malè vivit* (verbi gratiâ; aliquis dives epulo, aliquis tyrannus ergà pauperes) *& tamen judicio hujus mundi eſt felix, quia eſt dives. Ille juſtè vivit* (v. g. aliquis Lazarus) *& laborat*; hic habetur pro miſerrimo in hoc mundo; *Sed non indignetur juſtè vivens & laborans; intus habet, quod felix ille non habet, non ergo triſtetur, non maceretur, non deficiat. Felix ille habet aurum in arca, iſte Deum,* (& JESUM) *in conſcientia*; Compara nunc aurum & Deum, arcam & conſcientiam (ſolatia mundi, & refectionem JESU, voluptates

ptates Veneris, & delicias cœli) Ille illud habet, quod petit, iſte Deum habet qui perire non poteſt, & ibi habet, ubi auferri non poteſt. Hæc jugum Chriſti faciunt ſuave, & onus ejus leve; Ex hac radice totum illud, quod mundus amarum, inſulſumque judicat, illis fit appetibile, dulciſſimumque.

§. 4. *Vir bonæ conſcientiæ non poteſt eſſe miſer.* Eleganter de hac re, ſuo more, diſcurrit Salvianus l. 1. de gubernatione Dei. *Nemo aliorum ſenſu miſer eſt, ſed ſuo. Et ideo non poſſunt, cujuſquam falſo judicio eſſe miſeri; Qui ſunt verè ſuâ conſcientia beati.* Addit rationem beatitudinis, & ſimul pulcherrimè deſcribit jugum Chriſti. *Nulli enim, ut opinor, beatiores ſunt, quàm qui ex ſua ſententia & voto agunt. Humiles ſunt* (Servi Chriſti) *hoc volunt. Pauperes ſunt, paupertie delectantur; ſine ambitione ſunt, ambitum reſpuunt. Lugent, lugere geſtiunt. Infirmi ſunt, infirmitate lætantur.* Concludit ex hoc diſcurſu. *Quicumque tales ſunt, verè beati dicendi ſunt.* Quia inter quælibet dura, nulli beatiores ſunt, quàm qui hoc ſunt, quod volunt. Labor itaque, jejunium, paupertas, & humilitas (verbo jugum Chriſti) non ſunt oneroſa tolerare volentibus, ſed nolentibus. Itaque qui amore Chriſti libenter patitur, beatus eſt, & ideo jugum ejus ſuave. Ipſe reficit illum.

§. 5. *In quo mundus rurſum decipitur.* Ex his patet fons deceptionis, quâ mali decipiuntur, dum putant juſtos hic eſſe infelices; ex ſenſu enim proprio metiuntur vitam ſervorum Chriſti, & illud verè oneroſum, amarumque putant, quod eſt contra ſenſum illorum, unde ſic concludunt: Si nos talia experiremur, eſſemus infelices, in tanta paupertate, & non vident, quod tolerantia horum non faciat miſerum, ſed renitentia, ſive repugnantia ad aliquid patiendum. Da illis voluntatem, da guſtum, da deſiderium, da amorem Chriſti, da illis ſolatia cœli, ferent illa libenter, & erunt beatiſſimi. Jugum Chriſti erit illis ſuave. Salvianus. *Sive enim gravia hæc ſive levia, animus tolerantis facit*; nam ſicut nihil eſt tam leve, quod ei non grave ſit, qui invitus facit; ſic nihil eſt tam grave, quod non ei, qui id libenter exequitur, leve eſſe videatur, præſertim ſi Chriſtus D. adſit, ſi ſit comes, ſi allevet onus.

§. 6. Triplici loco S. Script. hæc deceptio impiorum pulchrè ex-

explicatur. Quis non miſeros putavit ſanctiſſimos illos tres pueros, dum projecti fuerunt in igneam fornacem? & tamen fuerunt feliciſſimi, tum quia pro Deo libenter voluerunt uri; volentes fuerunt injecti: tum quia in ipſiſmet flammis intimum præſentaneumque conſolatorem habuerunt, quem aſtantes prorſus ignorabant, *Angelus autem deſcendit in fornacem, & excuſſit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis, quaſi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contriſtavit, neque quidquam moleſtiæ intulit.* Et Nabuchodonoſor obſtupuit, cum Optimatibus, quod ignis illos non tetigiſſet. Mirantur & hodie peccatores, & meritò, dum vident aliquem juſtum in medio igne tribulationis, in tanta lætitia, quia neſciunt, quo auxilio, quibus amoris & conſolationis nexibus intus in corde ſuos teneat Chriſtus D. quàm ſuave ſit jugum ejus, quomodo ſuos ſoletur.

Quod ex triplici loco S. Script. oſtenditur.

Dan. 3. v. 49.

§. 7. Judicum 6. Gedeon mediâ nocte vellus planè ſiccum in medio ſicciſſimæ terræ expoſuit; manè autem *Conſurgens Gedeon expreſſo vellere, concham rore implevit.* Sic impii cum vident ſervos Chriſti in mediis afflictionibus, in terra arida, ſicca, & inaquoſa, in monte Calvariæ ſub cruce jacentes, putant illos ſicciſſimos, aridos, ſine omni ſolatio. Sed errant, intus pleni ſunt rore cœleſtium conſolationum, pleni rore admirabilis dulcedinis. Stillant de ſanctiſſima Cruce, de manibus Sponſi paucæ guttulæ myrrhæ, vel pretioſi ſanguinis, & vellus plenum eſt rore, cor juſti ſuperabundat gaudio, cum gaudio tales portant dulce jugum Chriſti.

Alter locus. Iud. 6. v. 38.

§. 8. Nunquid miſerabilis videbatur Jacob illâ nocte, qua egreſſus fuit de domo Patris ſui; ſolus ibat, pergebat in terram alienam, nihil habens præter baculum. Cogitur dormire humi, ſuper lapidem, triſtis & deſolatus, viaticum fecit jejunium; undique ſolitudine, atque pavore circumdatus. Quis non crederet miſerum? at non ſic, illâ ipsâ nocte adfuit illi Dominus, illâ ipsâ nocte fuit recreatus incredibili ſolatio, vidit Angelos, audivit illam promiſſionem, *Terram, in qua dormis, tibi dabo & ſemini tuo, &c.* Par planè hodie eſt conditio ſervorum Chriſti, hunc mun-

Tertius locus.

Gen. 28, v. 13.

Digitized by Google

mundum habent pro exilio: per arctam viam pergunt ad terram benedictionis, deducuntur per viam crucis ad montem Calvariæ, onerantur jugo mortificationis, in fame, siti, in laboribus, in vigiliis, in ærumnis multis. Quis non putat illos miſeros? & ſunt beatiſſimi, quieſcunt, dormiunt ſecurè; adſunt Angeli, adeſt Chriſtus D. hic ſuaviter alloquitur, hic ſolatur, hic reficit, hic jugum Crucis reddit leviſſimum, & dulciſſimum. Sunt quaſi *triſtes ſemper gaudentes.* Quemadmodum enim (D. Chryſ. hom. 13. in ep. ad Rom.) *ferrum ab ignis aſſiduo uſu, & ipſum quoque in ignem evadit, propria in natura remanens, ſic ſervorum Chriſti caro, in illam demum efficientiam mutatur, tota ſpiritualis, undique crucifixa, atque una cum Sponſo ſuo,* &c. Tale erat corpus S. Pauli, qui dicebat, *Vos autem non eſtis in carne, ſed in ſpiritu*, unde omnes ille delicias, voluptateſque ridebat; flagellis autem, fame, & ergaſtulis delectabatur, nec dolebat, illa dum tolerabat. Jugum Chriſti fuit illi ſuave.

§. 9. *Servi Dei in hoc mundo ſunt beati.* Hanc vitam beatam & jucundam ſervorum Chriſti, ſive Crucifixionem ſuaviſſimè depingit D. Arnoldus Abbas Bonævallis in ſer. de 7. verbis Domini, primo T. Bibl... ubi dum agit de dimenſionibus Crucis, ait: *Reſtat altitudo, quæ eſt bona ſpei confidentia* (bonæ conſcientiæ ſecuritas) *quæ Crucifixos mundo cæleſtibus invehit, & ex bona conſcientiæ teſtimonio ſecuros, certosq; illos gloria conſociat* (altiſſima eſt illis confidentia) *jam jamq; bonis illis manum intentat, jam guſtat, jam os aperit, jam delibat, jam converſatur cum Angelis, jam illa proſequitur agmina, jam agnoſcit, jam liqueſcit, jam amat, jam jubilat, jam lætatur, & delectatur, hilareſcit & quieſcit, intelligit & diligit.* Pulchrius ſuave jugum Chriſti depingere non poſſum.

§. 10. *Deceptio Labani. Gen. 31. v. 26.* Alius hic locus occurrit ex ſacra Scriptura elegantiſſimus. Cùm Jacob cum duabus uxoribus Rebecca & Lia (quæ tamen libenter id fecerunt) clam fugiſſet ex domo Labani, hic illos fuit inſecutus, & aſſecutus Jacobum, his verbis cum illo expoſtulavit *Quare ita egiſti, ut clam me abigeres filias meas quaſi captivas.* Quis in hoc ſtatu non judicaſſet illas infelices? Nullo modo tamen tales fuerunt, quia cum viro amantiſſimo libentiſſimè deſeruerunt

Digitized by Google

ſeruerunt paternas ædes, libenter ſe dederunt itineri. Non autem miremur Labanum ſic fuiſſe locutum, quia ſi ipſe à ſua domo, à ſuis deliciis debuiſſet abire, æſtimaſſet ſe captivum. Idem planè hodie contingit, dum Chriſtus Dominus ſuas ſponſas ſecum deducit ad montem Calvariæ, per viam paupertatis, per ſpinas dolorum, per ſemitam Crucis. Mundani putant, hanc paupertatem eſſe vincula, quibus ducuntur quaſi captivæ, putant illud eſſe graviſſimum. Tale illis eſſet, ſi cogerentur eſſe pauperes; ſed quia ſervi Chriſti libenter ſequuntur, libenter affliguntur, nullo modo ſunt captivi, ſed liberi ſub ſuaviſſimo jugo. (Ita de aliis diſcurre.)

Contingit his, quod accidit Samaritanæ, hæc venit ad fontem ſitibunda, affert hydriam ut hauriat aquam, quam bibat. Interim dum loquitur cum Chriſto, obliviſcitur ſitis, obliviſcitur hydriæ, ſine illa cucurrit ad urbem. Pulchrè Rupertus hic. *Continuò ſitim ſuam, propter quam venerat haurire aquam, præ gaudio aquæ vivæ, quam invenerat, oblita eſt.* Idem hodie contingit. Multos in via crucis, ſub jugo mortificationis affligit ſitis, multæ occurrunt diverſitates; ſed quia Chriſtus Dominus occurrit, quia ſe ſocium jungit, quia hic offert vivas aquas cœleſtium conſolationum; anima pia omnium obliviſcitur. Nam Dei conſolatio ejuſmodi eſt naturæ, ut etſi in tribulatione, etſi in neceſſitate quis ſit, nec tribulationem ſentiat, nec neceſſitatem percipiat. Quid ſi præterea in via crucis Chriſtus ſocius aperiat fontes ſanctiſſimorum vulnerum, imo dulciſſimi Cordis, ſi inde anima triſtis hauriat aquam vivam? Quid mirum ſi obliviſcatur ſitis corporalis & aliarum neceſſitatum? Hæc eſt ſuavitas jugi Chriſti, hanc promiſſionem continent ſuaviſſima verba Chriſti. *Venite ad me omnes, & ego reficiam vos.*

§. 11. Chriſtus D. offert ſuis aquas conſolationis. Ioan. 4. v. 7. 8.

Iterum conſideremus Jacobum in ſuo itinere ex domo paterna, quam durè fuit habitus? qui non invenit ubi quieſcere poſſet, niſi lapides. Quis non dixiſſet, verè Jacob eſt in laboribus, eſt illi malè, eſt miſer. Sed ſi ſomnum ejus attendamus, ſi viſionem, ſi locum, ſi alias circumſtantias, inveniemus lapides illos molliores fuiſſe quovis pulvinari. Quod pulchrè conſideravit

§. 12. Iacob ſub dio ſuaviter quievit. Gen. 28. v. 11.

ravit

ravit S. Hieron. de conſol. ad Julian. ep. 34. *Iacob ditiſſimi Patris filius, ſolus & nudus in ſolo baculo pergit in Meſopotamiam, jacet laſſus in itinere, & qui delicatiſſimè à Rebecca Matre fuit educatus, lapide ad caput pro pulvillo utitur*, ſed pergit S. Hier. *Vidit ſcalam à terra uſque ad cœlum, & aſcendentes per eam Angelos, & deſcendentes, & deſuper innitentem Dominum, ut laſſo manum porrigeret, & aſcendentem ſuo ad laborem provocaret aſpectu.* Nihil pulchrius. Aſpexiſti lapides, aſpice Angelos. Horruiſti duram terram, attende ſcalam; juſtum è terra in cœlum ſublevantem. Terrent labores, conſolatur te Deus, & Chriſtus Salvator, qui ſuo aſpectu te animat; imo adeſt, tecum eſt, ut te ſoletur. Fiat ex his affectuoſus epilogus.

EXHORTATIO

FESTO S. JOSEPHI SPONSI B. VIRG.

Ite ad Joſeph. Gen. 41. v. 55.

SYNOPSIS.

SUpponit S. Joſephum eſſe magnum Sanctum, proindè proponit tria motiva, ad peculiari cultu & amore proſequendum eundem Sanctum.

§. 1. *Quatuor eximii favores Pharaonis erga Joſephum.*

§. 2. *In quibus Joſeph ille fuit figura S. Joſephi Sponſi B. Virginis.*

§. 3. *S. Joſeph exaltatus eſt ſuper omnes Sanctos.*

§. 4. *Annulo deſponſationis cum B. V. gloriatur ſolus S. Joſeph.*

§. 5. *Torques peculiaris, pendens ex collo ſancti Joſephi, eſt* JESUS. *S. Joſeph eſt magnus ſan-*

ſanctus & potens Advocatus.
§. 6. *S Joſeph in terris fuit ſolatium & præſidium B. Virginis.*
§. 7. *Et eſt ſolatium ſuorum clientum.*
§. 8. *In quo Auctor cum S. Thereſia appellat & vocat ad experientiam.*
§. 9. *Præſertim Sodales Chriſti Jeſu in Cruce agonizantis.*
§. 10. *Animat omnes cum B. Virgine, ad peculiarem cultum S. Joſephi, & ut omnes illum eligant in Patronum.*

LIber Geneſis refert aliquas peculiares gratias, & regios favores, quibus Pharao Rex Ægypti honoravit Joſephum, Salvatorem Ægypti: Primum fuit, quod Pharao conſtituerit Joſephum ſuper univerſam terram Ægypti, primum poſt ſe. 2. Quod tulerit annulum de manu ſua, & ipſi dederit. 3. Quod torquem aureum circumpoſuerit collo ejus. 4. Quòd cum ſubditi quoque Regis inciperent fame premi, clamaretq́ proinde populus ad Pharaonem, petens alimenta, Pharao illis dixerit, *Ite ad Joſeph, quæ dixerit facite, ipſe ſalvabit vos.* §. 1. *Quatuor eximii favores Pharaonis erga Joſephum.* *Gen. 41. v. 41.*

In his omnibus feliciſſimus ille Joſeph in V. T. fuit figura Sponſi B. Virginis S. Joſephi in N. T. ſed moneo, nemo cogitet in communi, de pretioſiſſimo annulo & torque Divinæ gratiæ, vel de gemmis virtutum & donorum Spiritus ſancti, quibus omnes electi à Deo ornantur & honorantur: ad literam, ſuo modo exaltatio illius Joſephi, & modo peculiari fuit figura exaltationis, & ſublimis honoris, quo S. Joſeph Sponſus & Conjux B. Virginis fuit exaltatus, & honoratus à Deo. §. 2. *In quibus Joſeph ille fuit figura S. Joſephi Sponſi B. V.*

I. S. Joſeph ſuper omnes Principes, Proceres & incolas, non Ægypti, ſed cœleſtis Jeroſolymæ in regno cœlorum; hoc eſt, ſuper Patriarchas, ſuper Prophetas, ſuper Apoſtolos, ſuper Confeſſores; pergo plus ultra, ſuper Angelos, & Archangelos, &c. ſuper Cherubinos & Seraphinos, in altiori quodam ordine, ut loquuntur ſcholæ, Primus, non à Pharaone, ſed Rege Regum Chriſto Jeſu, & Regina ſua ſponſa & Conjuge, fuit conſtitutus & exaltatus S. Joſeph. Ita ſentiunt, ita loquuntur illi Doctores, §. 3. *S. Joſeph exaltatus eſt ſuper omnes ſanctos.*

Digitized by Google

& Clientes, quorum opinio eſt, ſanctum Joſephum in gratia & gloria, poſt ſuam Sponſam, ſuperare omnes reliquos ſanctos. Me indignum ipſius famulum quod attinet, fateor, me tam alta, tam ſublimia de ſancti Joſephi excellentia nunquam cogitare ſine peculiari ſolatio; quo majora & plura conſidero de excellentia ſancti Joſephi, eo majus percipio gaudium. Æſtimo, amo, colo, veneror omnes ſanctos in cœlis, ſuper omnes amo, colo, veneror ſanctum Joſephum. Anathema demiſiſſimi hujus mei affectus & ſenſus, eſſe cupio, viridem corollam, quâ in altari cernitis coronatam eſſe ejus ſtatuam.

§. 4. Annulo deſponſationis B. V. gloriatur ſolus S. Ioſeph.

Pretioſiſſimus annulus, quem Deus nulli prorſus Sanctorum, dedit in manus, niſi ſancto Joſepho; ſymbolum eſt deſponſationis, ſive nuptiarum, in quibus pulcherrimus, ſpecioſiſſimus & amabiliſſimus ſponſus ſanctus Joſeph, pulcherrimæ & amabiliſſimæ Virgini Mariæ fuit deſponſatus. Hoc annulo, hoc titulo ſponſi, Conjugis tantæ Virginis præ omnibus Sanctis & Angelis, gloriari poteſt ſolus ſanctus Joſeph. Reliqui Sancti, & Angeli, Patriarchæ, &c. ſunt ſervi, famuli, & filii adoptativi B. Virginis, & ſodales tantæ Matris, tantæ Reginæ: ad literam, verè, realiter, ſolus ſanctus Joſephus fuit ſponſus, ſolus ſanctus Joſephus meus fuit Vir Mariæ. Prout titulus Matris Dei ſoli Virgini attribui poteſt, ſic elogium ſponſi & Conjugis hujus Matris debetur ſoli ſancto Joſepho. Itaque gemmæ pretioſiſſimi hujus annuli, aureis literis meritò inſcribere poſſumus: Soli!

§. 5. Torques peculiaris dependens ex collo S. Ioſephi eſt Ieſulus. S. Ioſeph eſt magnus ſanctus, & potens noſter Advocatus.

Elevate oculos in amabiliſſimam ſtatuam mei ſancti Joſephi! (cum ſaccaro & melle in ore, dicô, mei ſancti Joſephi!) elevate inquam oculos, ut in ejus pectore de ejus collo videatis pendentem nobiliſſimum torquem aureum, cum gemma pretii infiniti. Vocula hæc, infinita, vobis inſinuat illam gemmam eſſe JESULUM, Deum Infantem! Tantus ſcilicet theſaurus, tam ſanctæ Matri! Mariæ! tam ſancto Patri! ſancto Joſepho fuit traditus ad cuſtodiam. Neque ad cuſtodiam tantum! unum ex ſummis privilegiis B. Virginis, ad cujus conſortium & participationem nulli licet anhelare ſanctarum fœminarum, frui Virgineo lacte, lactare Deum Infantem! Cùm probabiliſſimum ſit,

præ-

Digitized by Google

præter lac maternum, Patrem ſanctum Joſephum alios paulatim congruentes cibos eidem ſubminiſtraſſe; ideoque à ſanctis Patribus dicatur Nutritius JESU, meritò hoc privilegium vocare poſſumus torquem, quo ſolus inter alios Sanctos ornatus eſt ſanctus Joſeph. Deus meus! O ſanctiſſima Trinitas! ago tibi gratias pro omni donorum theſauro, quam in ſanctum meum Joſephum effudiſti. Gratias tibi ago JESULE, quod meum ſanctum Joſephum elegeris in Nutritium. Gratias tibi ago, ô Maria, pro omni benevolentia, & amore, & honore, quo ſanctum Joſephum tuum ſponſum fuiſti complexa, Non poſſum hac exhortatione ſatisfacere meo deſiderio, quo ardeo, ut vobis exponam excellentiam mei ſancti Joſephi: Itaque aperite mihi corda veſtra, ut illis ſaltem inſcribam hanc Maximam: S. Joſephus eſt magnus Sanctus! & proinde apud ſanctiſſimam Trinitatem, apud Filium ſuum Jeſum, apud Sponſam & Conjugem ſuam, potens Advocatus! cùm eſtis triſtes, *Ite ad Joſeph*! (fac pulchram inductionem) eſt potens Advocatus!

Permittite Auditores meo affectui, & devotioni erga ſanctum Joſephum, ut hanc exhortationem nonnihil protraham, cùm aliàs deſit occaſio de illo loquendi; rogabo vos pauciſſimis, ut peculiariter ametis & colatis ſanctum Joſephum. Pius libellus, quem habeo, ait ſanctum Joſephum fuiſſe in terris, in feliciſſimo illo conjugio cum Matre Dei, ſolatium atque præſidium B. Virginis. Dubium non eſt, fuiſſe v.g. Virgineo illi cordi malè, cùm in ſtabulo in tanta paupertate peperit primogenitum ſuum. Sed ſolatium ipſius fuit ſanctus Joſeph! Malè fuit Virgini, dum cum Filiolo fugere debuit in Ægyptum, cùm rediit in Galilæam, cum in Jeruſalem perdidit ſuum Filiolum. Solatium & præſidium fuit ſanctus Joſeph. Creſcente Parvulo ſollicita Mater fuit ſollicita de Filio nutriendo, veſtiendo, &c. ſolatium & præſidium fuit ſanctus Joſeph. Ut nihil dicam de illo ſolatio, quod B. Virgo percepit ex jucundiſſima converſatione cum ſuo ſponſo; præſertim cùm Mater adverteret, ſuum Parvulum libenter portari à ſancto Joſepho, libenter quieſcere

§. 6. *S. Joſeph in terris fuit ſolatium & præſidium Mariæ.*

in ejus brachiis, ſuaviter cum illo ludere, &c. O cœleſtes! O divinas delicias!

§. 7. *Et eſt ſolatium ſuorum clientum.* Auditores mei amantiſſimi, Vita noſtra, eſt vita miſera & laborioſa! in arduo itinere ſumus viatores! non eſt mirum, ſi ſubinde quæramus aliquod ſolatium, vultis, ut ego oſtendam vobis fontem ſolatii alicujus tenerrimi? Ite ad Joſeph! hunc peculiariter amate & colite! Libellus meus ait: *S. Joſepho conceſſum eſt, omnes piè ad ſe confugientes, defendere, fovere, & paterno affectu proſequi!* Quia Pater fuit, ſaltem nutritius Salvatoris mundi, ſimul factus eſt Pater omnium hominum, qui ſunt fratres Chriſti. Pater eſt ſanctus Joſeph! ſuaviſſimus Pater! Pater eſt! amabiliſſimus Pater! Pater eſt! benigniſſimus Pater! Si ab illo Audit. vultis foveri, ſi in ejus ſinu & amplexibus quieſcere, Ite, amate Joſeph. Patrem, qui ſcit, quomodo ſuos filios diligat & ſoletur.

§. 8. *In quo Auctor cum S. Thereſia appellat ad experientiam.* S. Thereſia, cum gloriata fuiſſet, ſe quidvis obtinere per interceſſionem ſancti Joſephi, rogavit omnes per amorem Dei, ut is, qui credere non vult, probet. Aſſero ego, peculiarem cultum & amorem S. Joſephi eſſe fontem peculiaris alicujus ſolatii in hac lachrymarum valle; rogo vos Sodales amantiſſimi, per amorem Jeſu, ite & probate. Vultis v. g. in Confeſſionibus veſtris peculiare aliquod ſolatium, intimam contritionem; ite ad ſanctum Joſeph, rogate illum, ut ſit Comes (fiat p. inductio per varia bona opera, &c.) Rogo præſertim Conjugatos, ut pro ſolatio S. Joſephum eligant Patronum.

§. 9. *Præſertim Sodales Chriſti Agonizantis.* Vos denique Sodales mei amantiſſimi rogo per amorem Jeſu Crucifixi, ut ſi pro agone veſtro ſolliciti ſitis de peculiari aliquo ſolatio, pro illis anguſtiis, ut ametis & colatis S. Joſephum. Libellus meus ait, *Feliciſſimæ mortis, prototypum fortunatiſſimum eſt beatiſſimus Ioſeph, qui in agone ſuo cum aſſiſtentibus Ieſu & Maria, ſuaviſſimè fuit allocutus* (cui &c. deſcribi poterit. p. Mors S. Joſ.) Itaque ſanctum Joſephum amemus & colamus, ut olim cum ſimili ſolatio expiremus inter manus & brachia JESULI & MARIÆ.

§. 10. Finio. Cum B. V. & S. Joſeph, S. Thereſiam ſuis manibus in-

induerunt candidâ togâ, B. Virgo animavit ſanctam, ut pergeret in peculiari amore & fiducia, quam collocarat in S. Joſephum: animavit præterea, & illam fuit cohortata ad propagandum hunc honorem & amorem! Sodales amantiſſimi, per Dei gratiam, ſentio ſtimulos ſimiles in corde meo. Ex hoc momento incipiam adhuc ardentius amare meum S. Joſephum. Sentio præterea inſtinctus, ut vobis ſuadeam eundem cultum, ut rogem vos, ut pro Patrono peculiari eligatis ſanctum Joſephum. Agite, ſi ſimiles inſtinctus ſentitis, ſi hactenus non ita æſtimaſtis, & coluiſtis ſanctum Joſephum, ſi non fuit peculiaris veſter Patronus, ille potens Patronus Agonizantium, jam dicite mecum ſancte Joſeph! Mariæ Sponſe! agonizantium Advocate! clientum B. V. & amatorum Jeſu Crucifixi Protector fideliſſime! ego P. K. te coram ſanctiſſimo Sacramento, coram Jeſu & Maria, in Dominum, Patronum, Patrem & Advocatum pro felici morte te eligo; firmiterque ſtatuo ac propono, me nunquam te derelicturum. Suſcipe nos ergo, ſimulq; ſuſcipe protectionem hujus Congregationis, &c. O ſancte Joſeph dirige nos, & adeſto nobis in hora mortis, Amen.

Animat omnes cum B. V. ad peculiarem cultum S. Ioſep. & ut eundem eligant in Patronum.

CONCIO LXIV.

FESTO ANNUNTIATIONIS B. V.

Ave gratia plena, Dominus tecum.

Lucæ. 1. v. 28.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit varia mirabilia myſteria Incarnationis, de Maternitate Dei gratulatur Mariæ; & ſuadet frequentem uſum ſalutationis Angelicæ.

Digitized by Google

§.1. *Maria ab æterno electa, & præparata fuit, ut eſſet Mater Dei.*
§.2. *Quàm mira annuntiaverit Gabriel, & quibus verbis ſalutaverit Virginem.*
§.3. *Quid ſignificet vocula Ave.*
§.4. *Præbuit tandem Virgo ſuum aſſenſum.*
§.5. *Cum incredibili merito, & gratiæ augmento. Arca fuit figura B. Virginis.*
§ 6. *Proſecutio.*
§.7. *Quanta ſit ſolennitas in die Annuntiationis.*
§. 8. *Proſecutio ex conglobatis circumſtantiis, vel mirabilibus Incarnationis.*
§.9 *Varia Emblemata myſterii Incarnationis.*
§.10. *Alia.*
§.11. *Qualis Mater ſit Maria.*
§.12. *Vna ex præcipuis praxibus amandi Mariam, eſt gratulari illi, de Maternitate, cum magno fructu.*
§.13. *Et quidem per ſalutationem Angelicam.*

§. 1. *Maria ab æterno electa, & præparata fuit, ut eſſet Mater Dei.*

ANtequam Deus Opt. Max condereт primum hominem Adamum, pro infinita ſua bonitate, providit eidem de jucundiſſimo loco habitationis, qui fuit Paradiſus voluptatis, in quo poſuit hominem de limo & terra creatum. Pari ratione pro Adamo ſecundo & cœleſti, Filio Dei, Verbo Patris, dum tempus ab æterno præſtitutum adfuit, ut fieret homo, & quidem parvus Infans, prius alius in terris præparatus fuit paradiſus, in quo, ut reliqui homines novem menſibus habitaret; id eſt, electa, concepta, nata, & in templo educata fuit Virgo, quæ eſſet Mater Verbi incarnandi; Virgo! omni paradiſo pulchrior & cultior! ut S. Bernardus loquitur hom. 1. ſuper *Miſſus eſt. Non noviter, nec fortuitò fuit inventa, ſed à ſæculo electa, ab Altiſſimo præcognita, & ſibi præparata, ab Angelis ſervata*, Angelorum ſoror & Regina, *à Patribus præfigurata, à Prophetis promiſſa, --- tot gemmis ornata virtutum, geminoq; mentis pariter & corporis decore præfulgida, ut ſpecie & pulchritudine ſua cœleſtibus cognita, cœli civium in ſe provocarit aſpectum, ita ut & Regis animum in ſui concupiſcentiam inclinaret, & cœleſtem nuntium ad ſe de ſupernis educeret.* Quod feliciſſimâ hodiernâ die, læ-

lætante cœlo, gaudente terra, peractum eſt, dum Archangelus Gabriel optatiſſimæ legationis nuntius à ſanctiſſima Trinitate ad Virginem miſſus fuit, ut ipſa conſentiente, tantum Incarnationis Verbi myſterium, in terreſtri paradiſo, in Virgineo ejus utero perageretur. Planè mihi perſuadeo, veſtræ in Virginem pietati & amori fore jucundiſſimum, audire aliqua de ſuaviſſimo hoc myſterio, & præſertim de illius Virginis dignitate & pulchritudine, quæ ex millibus electa fuit ut eſſet Mater Dei.

Eleganter ait S. Hieronymus ſer. de Aſſ. *Quod natura non habuit, uſus neſcivit, ignoravit ratio; quod mens non capit humana, pavet cœlum, ſtupet terra, creatura omnis, etiam cæleſtis miratur, hoc totum eſt, quod per Gabrielem Mariæ divinitus nuntiatur*; illis verbis, *Ecce Virgo concipies in utero, & Filius Altiſſimi vocabitur*, & ſanctus Bernardus hom. 2. ſuper *Miſſus*. *Accurrite adite Virginalem thalamum, ingredimini ſi poteſtis pudicum ſororis noſtræ cubiculum.* (piis, ſanctis, caſtis cogitationibus ingredi poſſumus) *Ecce Deus mittit ad Virginem, ecce affatur Angelus Mariam; apponite aurem parieti, auſcultate quid nuntiet ei, ſi fortè audiatis unde conſolemini.* Audietis ex ore Archangeli has voces; *Ave*, hæc vocula ſignificat ſalutem, gaudium, aggratulationem, Audietis, *Maria*, hoc nomen ſonat Domina, ſonat illuminata, ſonat mare, ſonat ſtella maris &c. Audietis *Gratia plena!* gratiæ plenitudo complectitur bonorum & chariſmatum omnium abundantiam! Audietis *Dominus tecum*; verbo, audietis Gabrielem petentem à Virgine, ut velit eſſe Mater Redemptoris mundi; & quas voces, quæ nomina, quæ verba, quas compellationes, quam ſalutem, quod gaudium, quod myſterium, mens vel humana, vel Angelica concipere poteſt, quæ nobis eſſe poſſint ad majorem conſolationem!

§. 2. *Quàm mira annuntiaverit Gabriel, & quibus verbis Virginem ſalutaverit.* *Luc. 1. v. 31.*

Nam: *cùm dixit Angelus Ave* (S. Fulgentius de laud. V.) *oſtendit ex integro iram excluſam primæ ſententiæ, & plenæ benedictionis gratiam ſubſtitutam.* Dummodo Virgo conſentiat, ut fiat Mater Dei. O Virgo amabiliſſima, dic ſtatim, *Ecce Ancilla Domini.* Cùm Angelus dixit Ave, ait S. Bern. *protulit verbum Redemptionis, verbum miſericordiæ, verbum ſalutis!* O Virgo, aperi

§ 3. *Quid ſignificet vocula Ave.*

peri virginea labia, profer verbulum Fiat, ut in tuo utero fiat homo, qui nos redimat, qui misericordiam afferat ex alto, qui ſalvet, non jam populum Iſrael, ſed mundum, & totum humanum genus. Cùm Gabriel Archangelus dixit *Ave*, fauſtiſſimum Auroræ affert nuntium, adeſſe ſolem Juſtitiæ, ut inſtar pulcherrimi Sponſi, virginalis uteri ingrediatur thalamum, & humanæ naturæ deſponſetur. Reſponde ergo jam Virgo ſacra (S. Aug. ſerm. 17. de Nativitat.) *Eia age reſponde; aſſenſum tuum Angelus praſtolatur; Dominus in porta eſt, Angelum, quem moraris, exſpectat. O Maria! ſaculum omne captivum tuum deprecatur aſſenſum!* ſanctus Bernardus ſic ait: *O Domina! reſponde verbum, quod terra, quod inferi, quod exſpectant & ſuperi. Ipſe quoque omnium Rex & Dominus, quantùm concupivit decorem tuum, tantùm deſiderat & reſponſionis aſſenſum; cui placuiſti in ſilentio, jam magis placebis ex verbo, reſponde itaque citius Angelo, imò per Angelum Domino. Reſponde verbum, & ſuſcipe Verbum. Profer tuum, & ancipe Divinum. Emitte tranſitorium, & amplectere ſempiternum. Aperi Virgo beata cor fidei, labia confeſſioni, viſcera Creatori; Ecce deſideratus gentibus, foris pulſat ad oſtium.*

§. 4. *Præbuit tandem Virgo ſuum aſſenſum.*

Itaque Virgo ſentiens ſuam mentem, ex obumbratione Spiritus ſancti novæ lucis cœleſtibus radiis illuſtrari; cor verò inſolito caritatis ardore liquefieri, ſincero devotionis affectu, fixis humi genibus, oculiſque in cœlum ſublatis dixit, *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum*. Et eodem momento *Verbum caro factum eſt*, & Virgo, Mater Dei! O verbum Virginis abbreviatum, ſed omnipotens! nam quod tot precibus, à tot ſæculis, tot ſancti Patres, ſancti Reges ac Prophetæ, obtinere non potuerunt, hoc Virgo benedicta unico obtinuit verbo. O quàm verbum hoc fuit profundum, quàm ſanctum, quàm dulce, quàm prudens! quod cœlum & terram implevit lætitiâ, exhilaravit Angelos, oblectavit totam ſanctiſſimam Trinitatem!

Ioan. 1. v. 14

§. 5. *Cum incredibili merito & gratia augmento.*

Quem verò illo temporis articulo ſenſum fuiſſe Virginis arbitramur? quem cordis affectum? quomodo arſerit animo, cùm immenſus illæ divinæ caritatis ignis, totus intra ejus viſcera

ſcera ſe abſcondit? quanta mentis elevatio, quantæ admiratio-nes, quanti raptus, quæ demiſſio, quæ gratiarum actio, quæ obſe-quiorum oblatio, quæ amoris incendia? è cœlo verò, quæ gra-tiarum chariſmata putamus cum Spiritu ſancto, & Verbo in ute-rum Virginis de cœlo deſcendiſſe? Ut in arca, aurea urna cum manna, tabulis legis, & virga Aaronis aſſervaretur, oportuit il-lam ex lignis ſetim componi, interius, exteriusque veſtiri & or-nari auro puriſſimo; quid dicemus de arca viva & animata, de Virgine quæ in ſuo utero Filium Dei concepit? ſancti Patres di-xerunt eodem momento, quo facta eſt Mater Dei, factam ſimul fuiſſe arcam novæ gloriæ, in qua Spiritus Dei quievit. S. Bern. Arcam pretioſiſſimam, quæ excepit ſanctitatis theſaurum. Chryſippus. Arcam à Spiritu ſancto deauratam. Buth. Arcam fœderis Dei nobiſcum. S. Bonav. Arcam! virtutum gemmis or-natam, ex imputribilibus lignis factam, Teſtamenti tabulas, frondentem virgam, & ſuaviſſimum in ſe manna continentem. S. Laur. Juſtinianus.

Arca fuit fi-gura B. Vir-ginis.

Nec eſt cur miremur tam eximia Virginis Matris elogia, & privilegia in Incarnatione Verbi illi collata; neque gratiæ plenitudinem, quæ ſeſe in Virginem infudit, cùm ſcholaſtici Do-ctores doceant illam ſuo conſenſu, ſive illo voluntatis actu, quo conſenſit in admirandum hoc myſterium, illa demiſſione, qua ſe vocavit ancillam, illa liberalitate, vel illo concurſu, quo Spiritui ſancto tribuit guttas puriſſimi ſui ſanguinis, ad efformationem divini Corpuſculi, plus meruiſſe, quàm omnes creaturas, tam Angelos, quàm homines, in cunctis actibus, motibus, ac cogita-tionibus ſuis. Neque enim decuit, ut quando cor Patris eructa-vit Verbum bonum, & Verbum illud de ſinu Patris egrediens, in cor & ſinum Matris Virginis ſe recepit, ut inquam illud hoſpi-tium, illam aulam, illud templum, illam regiam, illum paradiſum & hortum concluſum ingrederetur, ſine plenitudine gratiæ, & chariſmatum, quibus par erat ut ornaretur Virgo Dei Mater. Ave Maria! gaude Virgo! ſalve Mater! *O quàm familiaris facta es Domino, quàm proxima! imò quàm interna fieri meruiſti! quan-tam inveniſti gratiam apud Deum! in te manet, & tu in eo.* Sanctus

§. 6. Proſecutio.

 Ber-

Bernardus in cap. 12 Apocalypſeos. *Verbum caro factum eſt!*

§. 7. *Quanta ſit ſolennitas in die Annuntiation.* *Itaq; hodie* (ſanctus Bonav. in l. medit. vitæ Chriſti) *eſt ſolennitas Dei Patris, qui nuptias fecit Filio ſuo, in deſponſatione humanæ naturæ, quam hodie Filius ſibi univit inſeparabiliter. Hodie eſt ſolennitas nuptiarum Filii, & dies natalis ejus in utero, ſed poſtea erit ex utero. Hodie eſt ſolennitas ſancti Spiritus, propter hoc opus mirificum, & ſingulare ipſius Incarnationis, quod eidem attribuitur, & hodie incepit oſtendere benignitatem ſingularē humano generi. Hodie ſolennitas eſt glorioſæ Dominæ noſtræ, quæ à Patre in Filiam, à Filio in Matrem, à Spiritu ſancto in Sponſam eſt recognita & aſſumpta. Hodie eſt ſolennitas totius Curiæ cœleſtis, quia inchoatur eorum reparatio. Hodie eſt multò magis ſolennitas humanæ naturæ, quia ejus ſalus incepta, & redemptio, & totius mundi reconciliatio, & ſublimata eſt, atque deificata.*

§. 8. *Proſecutio ex conglobatis circũſtantiis, vel mirabilibus Incarnationis.* Hodie denique eſt illa ſolennitas, in qua *Verbum caro factum eſt*! id quod erat ſumma votorum, apex noſtræ gloriæ, dignitatis humanæ, & potentiæ divinæ, Non plus ultra: amoris prodigium, altitudo ſapientiæ, profunditas & abyſſus conſiliorum Dei, finis operum, & initium viarum Domini, miraculorum miraculum, ſacramentorum ſacramentum, mirabilium mirabiliſſimum, gratiæ inundatio, naturæ ſtupor, ut jam Deus homo, & homo Deus admirabili commercio conjuncta ſint, talia in omnem æternitatem permanſura. *Verbum Caro factum eſt*: itaq; ſol juſtitiæ, ſol infinitæ pulchritudinis, non jam in cœlo, ſed in utero Virginis poſuit tabernaculum ſuum. Hodie ſolem quærite, non inter aſtra, ſed in terra, & horto virginalis uteri. Ideo hyems tranſiit, imber abiit & receſſit, nec unquam Ver amœnius floruit, quàm hodie, cum in loco florum, in Nazareth, in concluſo Virginis horto, inter lilia & areolas aromatum, germinavit & effloruit flos campi, & lilium convallium, è paradiſo deliciarum à Spiritu ſancto, in virginalem uterum tranſplantatum.

§. 9. *Varia emblemata myſterii Incarnationis.* Ite hodie pictores, ite architecti, columnas & pyramides hodie erigite honori magnæ Matris. Emblemata myſteriis plena non deerunt; ſi vultis, pingite auream arcam ornatam gemmis; hoc ego apponam lemma: *Pretioſiora latent*. Latet enim in

Digitized by Google

in utero Virginis Verbum Incarnatum. Pingite magnetem attrahentem ad ſe ferrum; in honorem ego inſcribam, *Facit utraque unum.* Quemadmodum enim hinc jacet ferrum, hinc magnes, & tamen utrumque natura occulta vi, veluti quodam glutine ſimul unit, & ſtringit; ita in utero Virginis duæ naturæ, divina & humana, illa infinita, hæc finita; illa ab æterno, hæc in tempore, illa immortalis, hæc mortalis; nihilominus operante Spiritu ſancto, admirabili unione ſibi invicem conjunctæ ſunt; ne miremini! ferrum fuit Deus, Maria magnes.

Ite! pingite, vel ſculpite concham maris, cum pretioſiſſima margarita; addi poteſt hæc epigraphe, *Cœlo fœcunda parente*; Nam è cœleſti rore lugente ſole gignitur in concha margarita. In myſterio Incarnationis, ros fuit Verbum, ſol Spiritus ſanctus, concha Virgo Mater! Si alicui placuerit depingere cryſtallinum vitrum, vel feneſtram irradiatam à radiis ſolis, additis his voculis, *Clauſum tranſit*, ſine omni damno vitri; erit mihi hoc vitrum, ſimul ſpeculum repræſentans myſterium Incarnationis; quemadmodum enim ſol lucidiſſimis ſuis radiis, pellucidum corpus, ſine damno penetrat & tranſit, ita clauſum Virginis uterum, etiam ſalvâ virginitate intravit, & totam irradiavit. Quod in alio emblemate ingenioſus Poeta exprimere voluit, nimirum in ſpeculo, in quo collecti radii ſolis ſarmenta inflammant, additâ hâc cauſâ, *Vis major in arcto eſt.* Quemadmodum enim in ſpeculo ſimul coacti radii ſolis, excitant calorem & ignem, à quo etiam ligna accendi poſſunt; ita Virgo Mater in ſuum uterum de cœlo traxit ignem, à quo totus mundus beato incendio inflammabitur. In alio emblemate depictum aliquando vidi ſpeculum, in illo imaginem ſolis; ſupra ſpeculum legi has voculas, *In parvo totus*; licèt enim ſol ſua magnitudine in immenſum ſuperat terram, & nihilominus in parvo ſpeculo totus repræſentatur in parva figura; ita hodie totus ſol juſtitiæ concluſus eſt intra ſpatium Virginalis uteri. Judicate, quid mirabilius ſit, an quod Virgo comprehendat Deum, & condat ſinu.

§. 10. *Alia.*

Hodie denique eſt illa ſolennitas (ut unico verbo omnem Mariæ dignitatem & excellentiam comprehendam) qua facta

§. 11. *Qualis mater ſit Maria.*

eſt

eſt Mater Dei! Qualis Mater? Reſpectu Dei, Mater Chriſti, Mater Creatoris, Mater Salvatoris, Mater Sempiterni, Mater Altiſſimi, Mater Unigeniti Filii Patris, Mater Verbi, Mater luminis & ſplendoris, Mater exaltata ſupra omnes choros Angelorum. Reſpectu ſui, qualis Mater? Mater divinæ gratiæ, Mater puriſſima, Mater caſtiſſima, Mater inviolata, Mater amabilis, Mater admirabilis. Reſpectu noſtri, qualis Mater? Mater vitæ, Mater ſalutis, Mater pulchræ dilectionis, Mater miſericordiæ, Mater gratiæ, Mater veniæ, Mater conſolationum, clemens, pia, dulcis Mater, Mater Orphanorum, Mater ſanctæ Spei!

§.12. *Vna ex precipuis praxibus amandi Mariam, eſt gratulari illi de Maternitate, cum magno fructu.*

Cum hac dignitate Matris Dei, nihil rebus in humanis ſublimius eſſe poſſit, demptâ ſolâ Incarnatione Filii, æquum eſt, ut hunc titulum magni æſtimemus, & de illo intimè illi aggratulemur. Non ſine fructu id fecit Carolus filius S. Brigittæ, didicerat à piiſſima matre ſua, hanc formulam alloquendi Virginem: Dilecta mihi Regina! mallem apud inferos eſſe, à peccato lethali immunis, quàm videre, ferreque minimam tuæ gloriæ imminutionem, præſertim in dignitate maternitatis; hæc enim fuerat phraſis Brigittæ: Mater cariſſima facilius ferrem me in abyſſum inferni rapi, ut tamen Dilecti Filii tui gratiâ non exciderem, quàm te non eſſe Dei Matrem. Hæc inquam praxis Carolo multum contulit; nam in articulo mortis inter graves tentationes, ubique Virgo & Mater miſericordiæ illi adfuit. Illa ipſamet in fugam dæmones egit, eoſq; prohibuit lectulum ægroti accedere, eumq; tentare. Illa Principis hujus animam ſervatori & judici ſtitit: id quod dæmones Chriſto conqueſti ſunt. Sed Dei Mater reſpondit: Fili mi, cur ei auxilium negarem, qui perpetuò meam felicitatem, & omnia honoris mei incrementa ſibi gratulatus eſt, ita quidem, ut ſe paratum ſæpius offerret, ad ſufferenda gravia ſupplicia, quàm ut tantillum de gloria mea decederet. S. Brigittæ apparens dixit: Filia! certò tibi perſuade, quod Maria, quam tu impensè amas, millies majorem tui curam habitura ſit, quàm tui parentes, maritus, liberi, amici, imò omnes creaturæ, potens, pia, clemens Mater eſt Maria! ipſi ait Filius ex

3. lib. 2. v. 20. lib. Reg. *Pete Mater mea, neque enim fas eſt, ut avertam faciem*

meam

meam. Proinde omnia poteſt impetrare, ſi tamen illam amemus,&nomen ejus invocemus.

Sed non eſt oratio, quâ majori devotione ipſam invocemus, quâ majori affectu & teneritudine ipſi de omni dignitate, præſertim Maternitatis gratulari poſſimus, vel quæ ipſi ſit gratior & acceptior, quàm ſalutatio Angelica; proinde hujus frequentem uſum vobis ſuadeo Auditores,hoc agite, dicite millies Virgini AVE, quot Ave,tot lapides pretioſos, tot gemmas, tot ornamenta aſpectu jucũdiſſima offertis Virgini,ad auguſtiorem coronæ Marianæ majeſtatem. Dicite frequenter, & ferventer magnæ Matri, Ave. Hoc Ave, ſuaviſſima eſt harmonia & melos, illi perſimile, quod hod. die Archang. Gabriel,& aliàs ſæpe Angelici Phonaſci illi decantârunt. Illorum vos implicate choris,ut & noſtrum Ave ſuaviter ſonet in auribus Virginis. Dicite millies Ave, quot Ave, tot fragrantiſſimas roſas offertis Dominæ; teſtis eſt ille Religioſus, qui vidit Dei Matrem fulgida in ſpecie aſſiſtere recitanti Roſarium,duobus comitatam Angelis, qui roſas pulcherrimas è precantis ore excipiebant,eaſque capiti Reginæ ſuæ imponebant. Aliàs oranti Roſarium aſtitit Angelus,qui in aureum filum roſas 10. deinde aureum lilium inſeruit, ex quibus coronam quam texerat ſalutantis capiti Angelus impoſuit, longè lateq; diffuſo liliorum & roſarum ſuaviſſimo odore. Coronemus quotidie virgineum caput hâc roſeâ coronâ, ut ipſa æternum coronet nos coronâ miſericordiæ Filii ſui. Dicite illi Ave. Cùm S. Gertrudis Angelicam ſalutationem ſine numero repeteret,vidit ſingulas ſalutationes ab Angelis, velut aureos nummos ex theſauro cordis & oris ſui,Deiparæ offerri. Quiſquis aureos amat colligere nummos,innumerum Ang. ſalutationum colligat numerum. Dicite Virgini frequenter *Ave,* quoties Ave dicitis, toties amplexum & caſtum oſculum offertis Mariæ, & ipſa viciſſim ſuos clientes amplexu miſericordiæ ſtringit,materniq; oris oſculo dignatur. Dicamus Ave,quot Ave corde & ore dicimus,tot ſplendidiſſimos radios, tot ardentiſſimas flammas, tot ignitiſſimas ſagittas & jacula in cor Virginis,ex pharetra cordis noſtri,& labiorum chorda vibramus; &

§. 13. *Et quidem per ſalutationem Angelicam.*

Digitized by Google

vicissim quot Ave, tot ſoles, quibus irradiemur, tot flammæ amoris, quibus ardeamus, tot jacula, quibus confixi amore Virginis colliqueſcamus, donec huic amori ſuaviſſimè immoriamur.

CONCIO LXV.

FERIA II. PASCHATIS.

Nonne hæc oportuit pati Chriſtum.

Luc. 24. v. 26.

SYNOPSIS CONCIONIS.

MEmoria Chriſti patientis, & ejuſdem reſurgentis debet nos conſolari in noſtris tribulationibus.

§. 1. *Pertranſivit gladius animam B. Virginis; ſed tranſiit, Imber abiit, &c.*

§. 2. *Triſtitia Paſſionis mitiganda eſt, memoria gloriæ Reſurrectionis.*

§. 3. *Chriſtus Dominus dum viveret, frequenter fecit memoriam Reſurrectionis: idem nobis faciendum eſt cum S. Paulo.*

§. 4. *Et S. Petro Chryſologo.*

§. 5. *Origine & Machabæis.*

§. 6. *Et SS. Martyribus, qui inter graviſſimos dolores ſe conſolati ſunt memoriâ Chriſti patientis.*

§. 7. *In Cruce cum Chriſto mori debemus, ut cum illo reviviſcamus.*

§. 8. *Si Chriſtus pati debuit, quantò magis nos.*

§. 1. Pertranſivit gladius animam B. Virginis: ſed trãſiit, abiit imber.

MEminiſtiſne Prophetiæ, quâ ſenex Simeon adeo afflixit cor dulciſſimæ Matris, cùm illi dixit in templo: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius?* Bene dixit *pertranſibit* (ait Hugo Card. in cit. caput) *id eſt, perfectè*

Digitized by Google

fectè tranſibit, quia totus dolor eliminatus eſt per gaudium Reſurrectionis. Magno dolore ante triduum, ſpinæ pertranſierunt caput Salvatoris; pertranſierunt! totus dolor hodie eliminatus eſt per gaudium Reſurrectionis. Manus & pedes pertranſiverunt clavi; pertranſiverunt! totus dolor, &c. Lancea pertranſivit latus & cor. Tranſiit, &c. ſpinæ, clavi, lancea, crux, virgæ, vulnera, pertranſiverunt animam & cor B. Virginis; pertranſiverunt! totus dolor eliminatus eſt per gaudium Reſurrectionis. O dulciſſima Virgo! his diebus Chriſtus de cruce tibi dixit, de Joanne, *Ecce Filius tuus.* Verba illa pertranſiverunt medium cordis tui! ſic eſt, pertranſiverunt hodie, ô Mater! Ecce iterum Filius tuus Jesus! reſurgit è ſepulchro inſtar ſolis, *Ecce Filius tuus*! reſurgit domitor mortis, victor inferni, *Ecce Filius tuus*! &c. Audiviſti his diebus blaſphemias erga Filium tuum, quæ fuerunt ſagittæ acutæ in corde tuo, ſed pertranſiverunt! hodie à morte reſurgenti occurrunt Angeli cum choris, carminibus & tympanis ſe mutuò incitantes, Agite exultemus Domino, jubilemus Deo ſalutari noſtro. (S. Athan.) Ecce Mater, hic Filius tuus eſt. Cant. 2. *Surge, propera columba mea, formoſa mea, & veni, jam hyems tranſiit, imber abiit, & receſſit.* Floſculus refloruit! homo mortuus reſurrexit, *Ecce! hic Filius tuus eſt*, Flos gloriæ. Non dubito cor Matris impletum fuiſſe ingenti gaudio, ſed bene monet S. Maximus hom. 2. de Paſchate. *Exultemus & lætemur & nos. Communis enim omnium, communis eſt noſtra lætitia. Communis planè, quia omnes illo reſurgente ſurreximus. Omnium enim revixit ſaluti, qui pro omnium peccatis addictus eſt Paſſioni*: Ecce! Redemptor noſter intravit in gloriam ſuam; ſed per paſſionem, ſed per mortem, ſed per crucem. Per idem oſtium & nos debemus intrare in gloriam. Memoria exempli Chriſti patientis, memoria reſurgentis & gloriæ, in omni tribulatione nos debent conſolari, & animare.

Luc. 2. v. 35

Cant. 2. v. 10.

§. 2. *Triſtitia Paſſionis mitiganda eſt memoria gloriæ Reſurrect.*

Naturæ noſtræ conforme eſt, ut paſſionem Domini formidemus; quis non horreat flagella, ſpinas, Crucem? pati, flagellari, ſpinis coronari, crucifigi, occidi? quàm amara & aſpera hiſce diebus fuerunt verba? ſed ſequamur conſilium S. Hieronymi,

nymi, *& triſtitiam paſſionis, Reſurrectionis gloria mitigemus.* De S. Felicitate ſeptem Martyrum Matre ait S. Petrus Chryſologus ſer. 134. *Diſcurrebat lætior inter confoſſa cadavera, quam inter cunabula chara filiorum, quia internis oculis tot cernebat bravia, quot vulnera! quot tormenta, tot præmia! quot victimas, tot coronas!* Aliter fieri non poteſt; in hoc mundo non poſſumus evitare ſpinarum vulnera; quæſo aſpiciamus & roſas, quæ creſcunt ex ſpinis. His diebus caput Chriſti fuit coronatum ſpinis, hodie diadema aureum & gemmeum in capite ejus: cùm nos premunt tormenta, ſpectemus bravia; cùm ſumus victimæ in ara Crucis, oculos quoque conjiciamus in coronas, quæ nobis præparantur. Hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam. Sic coronatum fuit caput, non decet aliter coronari membra.

§. 3. *Chriſtus D. dum viveret frequenter facit memoriam reſurrection. Idem nobis faciendum eſt cum S. Paulo.*

S. Joannes Chryſoſtomus hom 44. in S. Joannem obſervavit, Chriſtum D. frequentius in ſuis Concionibus, in colloquiis cum ſuis Apoſtolis & Phariſæis, meminiſſe Reſurrectionis, & ait: Et nobis ſemper dicamus, Reſurrectio eſt: Et omni fræno vehementius, abſurdos affectus cogitatio hæc cohibebit. Dico ego, cum patimur, &c. NNN. dicamus Reſurrectio, Reſurrectio! ſcio quòd Redemptor meus vivit, & ego viſurus ſum in carne mea, ſed in tantam gloriam intravit per paſſionem, me alia via non decet; ſed ad reſurrectionem, ad reſurrectionem: hæc cogitatio nos conſolabitur. Triſtitiã paſſionis mitigare debemus gloria reſurrectionis, ut loquitur Apoſtolus: *Aſpicientes*
Heb. 12. v. 2 *in Auctorem Fidei, & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem, confuſione contempta.* Addit S. Thomas, *Propoſito ſibi gaudio æternæ vitæ ſuſtinuit Crucem.* Triſtitiam paſſio-
1. Cor. 4. v. 11. nis mitigavit gloria reſurrectionis, ut gloriatur S. Paulus, *Eſurimus, ſitimus, nudi ſumus, colaphis cædimur, laboramus, perſecutionem patimur, ſuſtinemus, blaſphemamur*; ſimilia refert pluribus locis; ecce triſtitiam paſſionis. Ex variis dictis S. Pauli ſcimus illum cum Apoſtolis talia pertuliſſe cum patientia, imo cum gaudio pro amore Chriſti. *Ibant gaudentes,* &c. Unde tanta pa-
Act. 5. v. 41. tientia? unde gaudium in tormentis? de ſe ipſo ait: *In omnibus*

tri-

Digitized by Google

tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur; dejicimur, non perimus, ſemper mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris (p. ut patiamur v. 14.
cum Chriſto) *ſcientes, quoniam qui ſuſcitavit Jeſum, & nos cum Jeſu ſuſcitabit, propter quod non deficimus, -- id enim quod in præ- v. 17.
ſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum æterna gloriæ pondus operatur in nobis.* Ecce lætitiam reſurrectionis, quâ Apoſtolus triſtitiam paſſionis mitigavit. S. Cyrillus Alexandr. l. 10. in Joannem c. 23. *Dulces admodum ſunt labores, cum merces copioſa proponitur.* Pungit ſpinea corona? dulcis tamen eſt, ſi cogitemus mutandam in auream. Gravat crux, dulcis tamen eſt, ſi mercedem ſpectemus, &c. Hæc Chriſtum pati oportuit, & ita intrare in gloriam!

§. 4. Et S. Petro Chryſol.
Puto S. Petrum Chryſologum hâc eâdem memoriâ Reſurrectionis & gloriæ mitigaſſe ſuos labores, ait enim, *Fratres, ſemper de Reſurrectione libet dicere; jugiter de reſurrectione delectat audire; quia mori nunquam libet, vivere ſemper delectat. Reſonet ergo in ore noſtro Reſurrectio ſemper; ſemper Reſurrectio ad noſtræ mentis tranſmittatur auditum: ut mors, quæ noſtros ſemper obſidet ſenſus, cum terrore ſuo, cum lamentis ſuis à noſtris ſenſibus effugetur.* Agricola, ut non ſentiat labores agriculturæ, cogitet de meſſe. Mercator, ut non horreat tempeſtates, cogitat de auro, de illo delectat audire. Ut miles animosè pugnet, in auribus ejus reſonat Victoria. Agricolæ, vinitores ſumus in vinea Domini, cogitemus de meſſe gloriæ, quæ erit in reſurrectione. Sumus mercatores, &c. ſumus milites, &c. Reſonet Reſurrectio.

§. 5. Origine & Machabæis.
De Jobo ait Origenes l. 2 in Job. *Ipſe ſedebat ſuper acervum ſtercoris, plus ſibi de ipſis vermibus atque putredine, quàm olim de regni gloria complacens: nam omnium illorum finem, poſt hæc omnia, quæ glorioſa ſunt, carnis mors exſpectat; & poſt omnem putredinem, atque vermem, Reſurrectionem carnis ſperat, dicens,*
Scio quod Redemptor meus vivat. Hoc fuit ſolatium fortiſſimo- Job 19. v. 25
rum Machabæorum, quorum unus dixit Antiocho: *Tu quidem* 2. Mach. 7.
ſceleſtiſſime in præſenti vita nos perdis: ſed Rex mundi defunctos v. 9.

(conciſos, combuſtos, &c.) *in æterna vita reſurrectione ſuſcitabit*, &, *ſupra modum mirabilis Mater, & bonorum memoriâ digna*, filiis triſtitiam paſſionis his verbis mitigabat, *Spiritum vobis iterum cum miſericordia reddet, & vitam.* Quod ita placuit Ruperto Abbati, ut dixerit l. 9. de vict. verbi c. ult. *Nobis igitur quorum fidei ſumma, Reſurrectio mortuorum eſt per Ieſum Chriſtum, non abs re, inter omnes Sanctos veteris Teſtamenti, iſti venerandi*, (& imitandi) *ſunt, qui in ſuis pretioſis mortibus* (p. hoc in tantis tormentis) *tam pium atque clarum S. Reſurrectionis teſtimonium cecinerunt.*

§. 6.

Et SS. Martyribus qui inter graviſſimos dolores ſe conſolati ſunt memoriâ exẽpli Chriſti patientiæ. Rom. 8. v. 17.

S. Leo ſer 9. de Quadrag. ſuper verba Apoſtoli, *Si compatimur, & conglorificabimur*, ait, *Certa atque ſecura eſt expectatio promiſſæ beatitudinis, ubi eſt participatio Dominicæ paſſionis*: Per oſtium Crucis Chriſtus D. intravit in gloriam, antequam in illam intraret, ipſe paſſus eſt; quæ cogitatio in tribulationibus nos debet conſolari, & confortare: exemplo illius invicti Martyris, ex quo cum Sapor quæreret, quomodo ſibi fuiſſet in graviſſimis tormentis, reſpondit; *Praſto mihi conſolatio una omnium dulciſſima, ex ſacroſancto illo ligno, cui affixus Dominus meus Ieſus Chriſtus, ſuis doloribus noſtros languores ſanavit.* De S. Euphemia Martyre, impoſita horribili rotæ, ait Simeon Metaph. gravemq. ſenſum doloris percepit, ſed mens in Chriſti vulneribus profundè defixa, dolores ſprevit; cùm infirmæ Matronæ diceretur, ut peteret à Deo mitigationem graviſſimorum dolorum, arrepto Crucifixo reſpondit, Abſit patiar libenter pro eo, qui pro me libentiſſimè majores incomparabiliter dolores paſſus fuit: & ita intravit in gloriam. Patiendo ſimus participes Dominicæ Paſſionis, ſed & gloriæ. Præceſſit Chriſtus, ut ſequamur, neque dignus eſt illius gloria, qui crucem non fert, & ducem ſuum ſequitur. S. Auguſt. recuſat eſſe membrum in corpore glorioſo, qui pati cum capite renuit. S. Bernardus, *Non eſt magnum, ſi compatitur membrum capiti, cum quo & glorificandum eſt.* De S. Pacomio ait cit. Metaph. Suſtinebat lætus (graviſſima tormenta) memor clavorum, quos Chriſtus Dominus pro nobis ſuſtulerat. S. Maria de Ognes, ſe verberabat frequenter ad vulnera uſque,

Et

Digitized by Google

Et ex vulneribus ſanguis eliciebatur, quem Sanguinis Chriſti memoria dulcem ſibi reddebat. S. Ludwinæ in graviſſimis doloribus hoc ſuaſit pius Sacerdos; Chriſtum pro te vulneribus conciſum intuere, aſpice in Cruce pendentem, clavis confixum: Nil dubita, quin ex aſſiduo illius conſpectu, refectione aſſidua perfrueris. Petrus Bleſſenſis opuſc. de Job. Stat Martyr afflictus quidem, ſed invictus, videnſque ſanguinem ſuum ex diverſis corporis partibus ebullire, non ſua, ſed Redemptoris vulnera attendit. Dolores corporis lacerati non ſentit: quod non facit ſtupor, ſed amor: nec deeſt dolor, ſed pro Chriſto contemnitur. Omnes verò SS. Martyres, & omnes illi qui hactenus (S. Amb. verbis utar) conſortio paſſionis uſi ſunt, conſortio Paradiſi donati ſunt, juxta illud S. Pauli. *Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini morti ejus, ſimul & Reſurrectionis erimus.* Sed ad glorioſam Reſurrectionem non eſt alia via, quàm via mortis & Crucis. *Rom. 6, v. 5.*

§. 7. *In Cruce cũ Chriſto mori debemus, ut cum illo reviviſcamus.*

Aurea monita præſcribit S. Gregorius Nazianzenus in orat. de Nativitate Chriſti. In omnibus te Chriſto comitem adjunge, -- *ſi cum illo ductus fueris ad Herodem, nec verbum reſponde: ſi flagello caſus fueris, plura require. Fel guſta, ſpineâ coronâ cingere, coccinum indue, alapas accipe: denique ſimul cum Chriſto in Crucem ſuffigere, ſimul morere; ut ſimul quoque reviviſcas, & & gloriâ fruaris, ac regnes.* Quod Chriſtus D. S. Brigittæ dixit, omnibus dicit; *Si caput meum punctum eſt, & inclinatum in Cruce pro te; tuum quoque debet inclinari ad humilitatem.* Viden' mi Chriſtiane! Oculi Crucifixi ſunt pleni lachrymis; & tui flere debent; aures ejus repletæ ſunt blaſphemiis, & tacuit: tuæ quoque audire debent opprobria, & lingua tacere (hoc modo fieri poteſt ſuavis & affectuoſa inductio) denique in Cruce mortuus eſt; in eadem tu debes mori, ut cum eodem reviviſcas, & gloriâ fruaris, ac regnes. *Chriſtus pro nobis paſſus eſt, relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.* Rupertus Abbas explicans illa verba Joannis. *Cum* (paſtor) *proprias oves emiſerit, ante eas vadit. Quomodo ante eas? Patiendo pro illis, relinquens exemplum patiendi, & aperiens aditum Paradiſi: aſcendit ergo in Crucem Paſtor*

l. 1. Rev. c. 11. *Ioan. 10, v. 11.*

Digitized by Google

ſtor bonus, ſicq́; aſcendit ſuper cœlos, pandens iter ante eos. Sanctus
Heb. 2. v. 9. Paulus ait: *Videmus Jeſum propter paſſionem mortis, gloria & honore coronatum, ut gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem, decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, per Paſſionem conſummari:* Si & nos aliquando gloriâ & honore volumus coronari, per paſſionem debemus conſummari. Cum emphaſi S. Paulus uſus eſt verbo, *Guſtaret.* Nam guſtavit (ait Doctor Angelicus) ſicut medicus medicinam, ne infirmus abhorreat, ſed ſecurius bibat; ita ipſe guſtavit mortem, ut quia - cœlum intrare non poſſumus, niſi per mortem, nullus quoque mortem refugiat; ſed ſoletur ſe exemplo Chriſti, qui etiam in Cruce mori debuit. Phocion & Tudippus juſſu Imperatoris ſimul deducti fuerunt ad mortem; cùm Tudippus ingemiſceret, ſuſpiraret, alter illi dixit: *An tibi non ſatis eſt* (ſolatii, &c.) *cum Phocione mori?* tam glorioſo, & celeberrimo duce? Talia in tribulationibus nobis ingerit Chriſtus D. de Cruce; An tibi non ſatis eſt cum Chriſto pati, NNN. cum illo mori; & quidem, ut deinde reviviſcas, & coroneris? Sanctus Quintinus Surius (31. Oct.) cùm ferreis catenis crudeliter cæderetur, cùm vulneribus infunderetur ardens pix; dixit Tyranno: *An tu ignoras, hac omnia non tam ſupplicio mihi, quàm refrigerio eſſe: Patior hæc pro nomine Domini mei Jeſu Chriſti.* S. Aquilina ad Tyr. *Peto ut ferocem te oſtendas: quo cognoſcas, vires noſtras Chriſti ſanguine roboratas, nullis ſuppliciis frangi poſſe.*

§. 8. *Si Chriſtus D. pati debuit, quantò magis nos?*

Thomas de Kempis de Paſſ. *Non es major Domino tuo ſerve piger & inutilis, nec innocentior Chriſto; ſi ille tanta pro te pertulit, quid pro te ipſo facies? & quid illi dignè referes? ſi ſic etiam derelictus eſt, & contemptui traditus, qui filius erat cariſſimus, quid gravaris, ſi aliquando derelinqueris, & deſpiceris, qui tam indignus es ſervus? -- & ut mercedem æternæ gloriæ recipias. Aliter non obtinebis; Chriſtum Dominum oportuit pati, & ita intrare in gloriam.*

CON-

CONCIO LXVI.

FERIA III. PASCHATIS.

Pax vobis; ego ſum, nolite timere.

Lucæ 24. v. 36.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Paſſio & Reſurrectio Chriſti ſunt fontes pacis, & veri gaudii.

§. 1. *Explicatio harum vocularum*, Pax vobis.

§. 2. *Paſſio Chriſti eſt fons manans dulces & amaras aquas; ſive eſt cauſa triſtitiæ & lætitiæ.*

§. 3. *Chriſtus D Sponſæ eſt faſciculus myrrhæ, & botrus Cypri.*

§. 4. *Mel in ore leonis occiſi à Samſone, fuit figura Reſurrectionis Chriſti.*

§. 5. *Palæſtina eſt ſaxoſa; tamen abundat melle. Applicatio ad Paſſionem & Reſurrectionem Chriſti.*

§. 6. *Magdalena apud pedes Chriſti invenit lachrymas, & doloris, & gaudii: triſtitiæ, & lætitiæ.*

§. 7. *S. Petrus ſimiliter fuit fons manans amaris, & dulcibus lachrymis.*

§. 8. *Poſt triſtitiam paſſionis, quæramus & nos Paſchalem lætitiam: ſed in paradiſo, qui Chriſtus eſt: & præſertim in glorioſis ejus vulneribus.*

§. 9. *Affectuoſa revelatio facta S. Mechtildi. Fructus peculiaris devotionis erga SS. Vulnera.*

Digitized by Google

§. 1. *Explicatio harum voculæ, Pax vobis.*

VErba hæc eleganti diſcurſu ponderavit ſanctus Petrus Chryſologus ſer. 81. *Bene*, ait, *dixit Chriſtus D. Pax vobis*; q. d. Terra, quæ in morte mea tremuit, jam quieſcit, non moventur amplius montes, diſceſſerunt tenebræ, vidiſtis, quàm ſerena luce hodie ortus ſit Sol, quieta ſunt elementa, per mortem meam pacata ſunt omnia, &c. vobis quoque ſit pax & quies: nam illa non erat in cordibus Apoſtolorum, ſed potius tempeſtas quædam triſtiſſimarum cogitationum, de Reſurrectione ſui Magiſtri, quam libenter audiebant, ſed necdum credebant: cogitationibus lætis ſe opponebant triſtiſſimæ, v.g. ſolabantur ſe dicentes, fortè reſurget, quem vidimus ſanare tot ægros; ſed heu! vidimus eum virum dolorum, & ſcientem infirmitatem. Reſurget, quem vidimus ſanaſſe leproſos; ah! vidimus eum quaſi leproſum. Vidimus ſiccis pedibus calcantem mare; heu! vidimus ejuſdem pedes affixos Cruci; quomodo reſurget. Reſurget; vidimus illum ſuis manibus multiplicantem panes, illuminantem cœcos, aperientem aures ſurdorum; Ah! & illas manus vidimus perforatas; quomodo reſurget. Reſurget; vidimus illum in monte Thabor radiantem inſtar ſolis; heu! occubuit in cruce; quomodo reſurget? In hoc prælio fidei atque credulitatis, & deſperationis ſtetit Jeſus in medio eorum, & ait, Pax vobis, ceſſet hæc lucta, *Ego ſum!* ego ſum crucifixus ille, ille mortuus, ille ſepultus. Sed hodie ſum ego ex mortuis vivus, ex infernis ſum ſupernus. Ego ſum; quem mors fugit, inferna tremuerunt, tartarus Deum me confeſſus eſt; adhuc illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, ait: *Ego ſum, videte illas manus, &c.* ſed glorioſas. Cedant nebulæ dubiorum, & triſtitiæ, Pax vobis! quies vobis! gaudium vobis! quod & contigit. Omnium Apoſtolorum corda repleta ſunt ingenti gaudio: conturbatio in gaudium, & dubitatio in admirationem fuit converſa. Hoc agunt Paſſio & Reſurrectio Chriſti; cauſant illa triſtitiam, hæc lætitiam, quod latiùs exponam hac Concione.

Matth. 17. v. 2. — *Ioan. 20. v. 20.*

§. 2. *Paſſio Chriſti eſt fons.*

Dulciſſimum quidpiam eſt, meminiſſe Paſſionis Chriſti D. quærit Apoſtolus, *Nunquid fons de eodem foramine emanat*

dul-

dulcem & amaram aquam? quaſi diceret; ordinariè hoc fieri non ſolet, ad pulchritudinem tamen univerſi, ait Plinius l. 2. c. 10. In Troglodytis, fons ſolis appellatur dulcis, & circa meridiem maximè frigidus: mox paulatim tepeſcens ad noctis medium, amaritudine infectatur. Philoſophia Conimbricenſis ait in Meteor. c. 9. In Troglodytis lacum eſſe, qui ter die fit amarus, ſalſuſq́; ac deinde dulcis: toticſq; etiam nocte. Meo judicio myſticè, talis fons eſt cor illius, qui meditatur Chriſti paſſionem. Superiori ſeptimana *planximus eum planctu, quaſi ſuper Vnigenitum*, affectuoſis luctibus planximus Crucifixum; hinc amaræ lachrymæ: hodie gaudemus & exultamus illum vivere; hinc lætitia & jubilus in cordibus noſtris. Affectuoſis laudibus applaudimus reſurgenti; ſpinæ, clavi, lancea his diebus diruperunt petram cordis noſtri, *& fluxerunt aquæ*, -- ſalſæ, amaræ; ſed torrens amaritudinis hodie verſus eſt in torrentem voluptatis. Idem fons de eodem foramine emanat amaram, & dulcem aquam. Ante triduum ex meditatione Paſſionis diſtillarunt lachrymæ, hodie dulceſcunt. Tum doluimus de Paſſione, hodie gaudemus de Reſurrectione.

manant dulces & amaræ aquæ: ſive eſt cauſa triſtitia & lætitia.

Iacob. 3. v. 11.

Zach. 12. v. 10.

Pſ. 104. v. 4

§. 3. In ſeptimana Paſſionis, imò per totam Quadrageſimam, Dilectus noſter fuit nobis *Faſciculus myrrhæ, inter ubera noſtra*, in cordibus noſtris fuit commoratus. Hinc quoque amaritudo, fel, & acetum in cordibus noſtris ſenſimus; clavi, ſpinæ, ſanctiſſima Crux, diſtillaverunt in nos myrrham: ſed in glorioſa Reſurrectione, in tanta gloria, Dilectus noſter nobis eſt *Botrus Cypri, de vineis Engaddi.* Et quæ eſt convenientia inter myrrham & maturam uvam? illa eſt herba amariſſima, hæc, dulciſſimus potus. Myrrha mortificat, uva lætificat, in myrrha quaſi fel, in uva mel. S. Bernardus rem pulchrè exponit, *Ille, qui modò fuerat faſciculus myrrhæ, id eſt, qui mentē Sponſæ paſſionum ſuarum amaritudinibus amaricaverat; ſubitò fit botrus Cypri, continens in ſe vinum jucunditatis & lætitiæ.* Ex eodem fonte fluunt aquæ amaræ & dulces: prout Chriſtus Dominus prædixerat Apoſtolis. *Triſtitia implevit cor veſtrum: plorabitis & flebitis vos, & contriſtabimini. Sed mox, triſtitia veſtra vertetur in gaudium: myrrha*

Chriſtus D. ſponſæ eſt faſciculus myrrhæ, & botrus Cyp.

Cant 1. v. 12 v. 13.

Ser. de Vit.

Ioan. 16. v. 6.

rba in botrum Cypri. Dion. Carthuſ. *Non ſolùm Apoſtoli, ſed cuncti Electi nunc in hoc mundo plorant & flent, amore dilecti ſuper omnia Jeſu Chriſti, &c. ſed Electorum triſtitia in gaudium convertitur. Hinc ſcriptum eſt Tob. 5. 22. Poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt fletum exultationem infundis.*

§. 4. *Mel in ore leonis occiſi à Samſone fuit figura Reſurrect. Chriſti.* *Jud.14.v.8.* Sacer textus narrat quòd fortiſſimus Samſon obviam leonem laceraverit in partes, veluti agnellum; cùm poſt paucos dies illac pertranſiret, *Ecce examen apum in ore leonis erat, ac favus mellis*; quâ occaſione Philiſtæis propoſuit illud ænigma: *De comedente exivit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo.* Ex mente S. Paulini ep. 4. in glorioſa Reſurrectione impleta fuit hæc figura: *Chriſtus ipſe Leo eſt*, laceratus & occiſus in Cruce, ſed in ore mortui mel invenimus. *Quid enim dulcius Dei verbo*, Quid dulcius in hod. Evangelio illis voculis, Pax vobis; quæ vox ſuavior, quàm illa Chriſti D. *Ap.5.v.5.* *Ego vici mortem, &c. Et quid fortius Dei dextera*, quâ cum virga Crucis portas inferni confregit? O dulciſſime, ô fortiſſime Jeſu! tuam mortem hiſce diebus ſpectavimus cum magna amaritudine; ô dulciſſime Redemptor, hodie guſtamus mel; dulciſſima tua lingua eſt plena melle, glorioſa tua Vulnera plena melle, Jeſu ſuaviſſime, cor tuum eſt plenum melle, & ex illo veluti melleo fonte, mellei rivuli in noſtra fluunt corda: ut guſtemus, & videamus, quàm ſuavis ſit Dominus, in glorioſa ſua Reſurrectione. Hinc fit, ut cùm animæ piæ, Domini Jeſu Paſſionem (quæ licèt acerbiſſima, amariſſimaque fuerit, tota tamen dulcedine caritatis plena eſt) adeo profundè viſceribus animarum ſuarum inſigunt, tam ardenti ſuavique affectu illam ruminent, ut illa fiat illis mel in ore, melos in aure, jubilus in corde.

§. 5. *Paleſtina eſt ſaxoſa; tamen abũdat melle. Applicatio ad paſſion. & Reſurr. Chriſti.* Deuteron. 32. de populo Jud. dicitur, *ut ſugeret mel de petra, oleumq́ de ſaxo duriſſimo*, & David Pſ. 80. *Cibavit eos ex adipe frumenti, & de petra melle ſaturavit eos.* Literaliter hæc verba ſic intelligenda ſunt, Terra promiſſionis, ſive Palęſtina licèt eſſet montoſa & ſaxoſa, tamen cavernæ petrarum, & arbores erant plenæ apibus ob dulciſſimos fructus, & ſuaviſſimos flores, quorum erat copia, & ex quibus apes colligebant magnam copiam mel-

mellis. Theodoretus putavit ad literam ſermonem eſſe de petra, ex qua Moyſes eduxit aquam, quæ fuit dulciſſima, & ſitibundo populo inſtar mellei potus. In ſenſu myſtico Chriſtus D. glorioſè à mortuis reſurgens eſt illa petra; his diebus in paſſione percuſſa, perforata, ex quibus foraminibus hodie fluunt aquæ melleæ dulciſſimarum conſolationum: ex glorioſis Chriſti Vulneribus fluit mel, quod ſuperat omnes delicias hujus mundi: quot Vulnera, tot inexhauſti fontes, & ſcaturigines cœleſtis dulcedinis. S. Bernardus ſer. 61. in Cant. *Foderunt manus ejus, latusq́ lancea perforaverunt, & per has rimas licet mihi ſugere mel de petra, oleumq́ de ſaxo duriſſimo; id eſt, guſtare & videre, quàm ſuavis eſt Dominus. Clavis reſerans, clavus penetrans factus eſt mihi, ut videam voluptatem Domini.* S. Auguſt. in Man. c. 21. Copioſa redemptio data eſt nobis in Vulneribus Jeſu Salvatoris; ſed magna quoque multitudo dulcedinis, & plenitudo gratiæ eſt in illis, ut hodie cum Davide Chriſto D. reſurgenti dicere poſſimus ex Pſ. 30. *Quàm magna multitudo dulcedinis tua Domine*: his diebus fuit magna multitudo dolorum in paſſione: ſed ex eodem fonte manat aqua amara & dulcis; hodie in Reſurr. in eodem Chriſto, & in nobis, eſt magna multitudo gaudii & lætitiæ. Et ubi eſt major materia gaudii, & exultationis, ait S. Bonavent. Stim. d. amoris p. 1. c. 5. quam circa Chriſti paſſionem (præſertim quatenus tranſiit, permanentibus tamen fructibus) quâ ab omni poteſtate liberamur, à culpa & pœna abſolvimur, in Dei Filios adoptamur, & Chriſto (tam glorioſo Sponſo) in matrimonium jungimur, quâ nobis gratia datur, cœlum aperitur, gloria offertur, & datur. Chriſtus D. poſt ſuam paſſionem glorioſus reſurrexit. S. Bernardus ſerm. de euntibus in Emaus. *Quid poteſt eſſe ſuavius tali conſolatione? quid imprimi poteſt humano cordi dulcius? Ponite hæc ſuper corda veſtra, gaudete & exultate, quia ſurrexit Dominus verè.*

Meminiſtis haud dubiè, quibus lacrymis, quo dolore, quibus planctibus die Paraſceves Magdalena compoſuerit pedes Chriſti D. de Cruce depoſiti; Plagæ illæ pedum fuerunt fontes & cauſa amariſſimarum lachrymarum. Acuti clavi perforarunt *§. 6. Magdalena apud pedes Chriſti invenit lachrym. &c.*

cor & oculos Magdalenæ, ut ferè tota liquefacta fuerit in lachrymas, præſertim ad pedes Chriſti; die Reſurrectionis manè cum aliis mulieribus currit ad ſepulchrum ungere eoſdem pedes; dum non reperiunt cadaver, recedit nonnihil à ſepulchro Magdalena, circumſpicit, luſtrat oculis omnes angulos horti, aſpicit umbras arborum, areolas florum, an non fortaſſis videat alicubi, quem diligebat anima ejus. Apparet illi Chriſtus D. ſed in ſpecie Hortulani, & proinde Magiſtrum non novit, ſed hortulano ait: *Si tu ſuſtuliſti eum, dic mihi, ego eum tollam. Dicit ei Jeſus, Maria.* Et videns Magdalena, quod eſſet JESUS, exclamat, *Rabboni*; & ſtatim voluit ruere in amplexus pedum. Quid agis Magdalena? iterumne ad illos fontes lachrymarum? iterum ad illas plagas? iterum quæris clavos, quibus pungatur cor tuum. Contrarium contigit, in Reſurrectione invenit apud Chriſtum fontes lætitiæ. Chriſtus D. momento fugavit omnem triſtitiam, implevitq; illam cœleſti conſolatione, ut exultans cucurrerit ad Apoſtolos cum lætiſſimo nuntio, Magiſter noſter ſurrexit à mortuis verè, non eſt amplius in ſepulchro, meis oculis illum vidi. In iiſdem oculis Magdalenæ, in eodem fonte, in eodem corde his diebus aquæ triſtes, hodie dulciſſimæ; his diebus luctus, planctus, ſuſpiria; hodie voces confeſſionis, laudis & exultationis.

Ioan. 20. v. 15.

§. 7. *S. Pet. quoque fuit fõs manans amaras, & dulces lachrymas.*

Nunquid fons de eodem foramine emanat amaram & dulcem aquam? Omnino talis fons fuit cor S. Petri, in antro ſuo pœnitentiæ inter luctus & ſuſpiria flevit amarè; tum ob graviſſimam culpam, quâ Magiſtrum ſuum negaverat, tum ob atrocia tormenta, quæ videbat pati illum, quem ardenter amabat. Oculi S. Petri fuerunt propterea fonticuli amariſſimarum lachrymarum. Hodie momento omnis amaritudo converſa fuit in dulcedinem: neque dubito, cum Chriſtus D. Petro apparuit, ipſum præ gaudio dulciſſimas effudiſſe lachrymas.

§. 8. *Poſt triſtitiam paſſionis queramus & nos*

Cùm de præſentibus Auditoribus meis non dubitem, quod his diebus fuerint participes Dominicæ paſſionis, quod cum Magdalena & S. Petro amarè fleverint, ex animo opto, ut his ſanctis feriis etiam ſint participes Paſchalis gaudii, quo ani-

mæ

mæ piæ propter glorioſam Chriſti Reſurrectionem recreantur. Sed non quæramus conſolationem alibi, quàm apud Chriſtum, & quidem in glorioſis ejus Vulneribus, quæ in hodierno Evangelio ſuis monſtravit Apoſtolis. S. Bern. ſer. 1. Nativitat. Domini. *Paradiſum habemus multò meliorem, & longè delectabiliorem, quàm primi parentes habuerunt, & paradiſus noſter Chriſtus D. eſt,* -- præſertim glorioſè reſurgens à mortuis. Quinque oſtia hujus paradiſi ſunt quinque Vulnera glorioſi Corporis, per quæ nobis patet aditus ad omnem felicitatem. Hoc nobis promiſerat per Iſaiam. *Ad ubera portabimini, & ſuper genua blandientur vobis. Quomodo ſi cui Mater blandiatur, ita ego conſolabor vos.* Et quomodo Chriſtus D. in hodierna apparitione triſtibus Apoſtolis magis blandiri potuit, quod majus illis exhibere ſolatium, quam majorem benevolentiam, & caritatem, quàm quod ſua Vulnera, veluti ubera plena lacte cœleſtium conſolationum illis præbuerit? Verè oſtendit ſe dulciſſimam & amantiſſimam Matrem. Neque nobis deerunt ſolatia; participes erimus Paſchalis gaudii, cum jubilo cantabimus Alleluia, dummodo his feriis ardentiſſima devotione proſequamur ſacroſancta & benedicta Vulnera, quæ Chriſtus D. à mortuis reſurgens in glorioſo Corpore retinere voluit.

paſchalem lætitiam. ſed in paradiſo, qui Chriſtus eſt, & præſertim in glorioſis Vulnerib. ejus.

Iſ. 66. v. 12.

§. 9.

Affectuoſa revel. facta S. Mechtild. Fructus peculiaris devotionis erga ſacroſ. Vulnera.

S. Mechtildi (in rev. c. 4.) apparuit aliquando B. Virgo, illâ formâ, quâ depingi ſolet ſedens ſub Cruce, & in ſinu tenens mortuum, & de Cruce depoſitum corpus Filii ſui, & dixit illi; *Accedens oſculare ſalutifera Vulnera dilectiſſimi Filii mei, quæ pro tuo ſuſcepit amore, & in oſculo gratias illi age.* Oſculare Filia plagam manus dexteræ, in illa invenies neceſſaria auxilia ad tuam ſalutem. Oſculare plagam manus ſiniſtræ, ibi ſemper invenies tutum refugium. Oſculare plagam pedis dexteri, & ſiniſtri: in illis ſanctis Vulneribus reperies remiſſionem omnium peccatorum. Cum ardentiſſimo denique affectu oſculare plagam benedicti lateris & cordis; in illo accenderis flammis amoris erga Filium meum; ex illo veluti fonte ſuper te fluent rivuli, imò torrentes cœleſtium deliciarum; ab illo ubere ſuges lac & mel veræ dulcedinis: quæ omnia videtur expertus fuiſſe S. Bonav.

quan-

Digitized by Google

quando in Stimm.d amoris,exclamavit, *O Vulnera! corda ſaxea vulnerantia! & mentes congelatas inflammantia! & pectora adamantina liquefacientia præ amore! Vita, dulcedo, & ſpes noſtra.* Animæ piæ,quæritis has flammas? quæritis hanc dulcedinem? eſtote apiculæ,volate in hunc paradiſum, volate per has roſas, de plaga in plagam; & ſic conficite favos cœleſtis cujuſdam dulcedinis, in qua cum jubilo cordis, Chriſto D de immenſa gloria gratulabimur,& celebrabimus jucundiſſimum Paſcha in terris; donec in cœlis æternum cantemus lætiſſimum Alleluia, Deo noſtro,& Agno,cui ſit honor & gloria in ſæcula, Amen.

CONCIO LXVII.

FESTO SS. APOST. PHILIPPI & JACOBI.

Dicit ei Philippus; Domine, oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis. Joan. 14. v. 8.

SYNOPSIS CONCIONIS.

OFfert Auditoribus Majalem potum, ex variis herbis & floribus compoſitum, ad procurandam veram Cordis lætitiam.

§. 1. *Symbolum Caroli Regis Neapolis.*

§. 2. *In Majali potu, ſuccus arboris Indicæ, Maguei, occidit vermes: talis arbor eſt Pænitentia.*

§. 3. *Flos Agnus occidit ſerpentes, reſiſtit Veneri; talis flos eſt Agnus Dei, cujus ſanguis ſedat libidinem.*

§. 4. *Flos cordis ſanat ſcabiem & lepram. Cor Jeſu ſanat invidiam.*

§. 5. *Pulvis floris nocturni pellit fri-*

frigus ex humano corpore: memoria mortis acediam ex anima.

§.6 *Roſa refrigerat ardores corporis: amor Jeſu extinguit ignes cupiditatum, præſertim avaritiæ.*

§.7. *Hedera pellit tumores corporis: Humilitas tollit ſuperbiam.*

§.8. *Violæ curant ulcera linguæ & gutturis.*

§.9. *Arbor aurea, creſcens in Indiis, eſt Symbolum Pietatis.*

§.10. *Heliotropium reſignationis.*

§.11. *Oliva, Hyacinthus, &c. Symbola ſunt aliarum virtutum.*

§.12. *Epilogus offert pulcherrimo Jeſu Coronam, ex omnibus his Floribus contextam.*

Carolus Rex Neapolis pro ſymbolo elegit emblema ſive picturam, in qua in edito & ſaxoſo colliculo ſtetit crux; in vertice coronata pulcherrimo faſciculo roſarum, cum hac epigraphe: *In patientia ſuavitas*; quaſi diceret, Ex ſpinis creſcunt roſæ. Si vultis, ornemus hoc ſymbolo glorioſum vexillum SS. Crucis, ſed mutate unam voculam, & dicite, *In cruce ſuavitas.* Si lubet, ſcribite, in roſis ſuavitas; ſenſu myſtico, pulcherrimæ roſæ ſunt glorioſa Vulnera Chriſti reſurgentis à mortuis: in his roſis, in his Vulneribus ſuavitas! in pedibus ſuavitas, &c. Tempore Paſſionis in Cruce fuit ignominia, contemptus, dolor, &c. In glorioſa reſurrectione in Cruce eſt ſuavitas! in Cruce honor, & verum Paſchale gaudium. Aureis characteribus ideo illam ornavit S. Paulus, Chriſtus factus eſt obed. &c. Nam in nomine Jesu, &c. Patientia, qua Chriſtus Salvator Crucem tulit, illos protulit fructus, ut veriſſimè quoque dicere poſſimus, *In patientia ſuavitas.* Memini me victricem Crucem, in qua glorioſiſſimus meus Patronus S. Apoſtolus Philippus, animam ſuam poſuit pro Chriſto Salvatore, in aliqua Panegyri hujus Sancti, ſimili faſciculo pulcherrimorum florum exornaſſe; in quibus ſuavitas, in quibus lætitia, in quibus gaudium! Itaque modo varios ex his floribus injiciam Majali poculi, quem meis Auditoribus propinabo, ut illo exhilarati Ma-

§. 1. *Symbolum Caroli Regis Neapolis.*

Digitized by Google

jum vivant lætiſſimum & jucundiſſimum; ſive, ut hoc jucundiſſimo tempore anni in lætitia & jucunditate ſerviant Deo, cum imitatione virtutum, quarum heroica exempla in ſpeculo ſanctiſſimæ Crucis, S. Philippus nobis proponit.

§. 2. *In Majali potu ſuccus arboris Maguei occidit vermes. Talis arbor eſt Pœnitentia.*

Duplicis generis flores & herbæ reperiuntur; quibuſdam natura illas indidit qualitates, quæ ſanant morbos, curant vulnera, & omnis generis pellunt infirmitates. Alii flores & herbæ, licèt hanc vim non habeant, illas tamen perfectiones, vel in forma, vel in colore, vel in odore, vel in naturali pulchritudine, acceperunt à natura, ut ob illas, nobiliſſimarum virtutum ſint pulcherrima ſymbola. Utriuſque generis flores & herbas meo Majali potui injeci. In India creſcit quoddam virgultum inſtar Aloë, Hiſpani illud vocant Maguei; cujus floſculi valde amant rorem matutinum, ſuccus valde amarus illius eſt virtutis, ut ſtatim enecet creſcentes in corpore humano vermes, qui ſæpe illos cauſant dolores, ut dies noctesque homini nulla quies eſſe poſſit. Periculoſiores ſunt illi vermes, qui creſcunt in anima: de quibus S. Ambroſ. ait l. 7. in Luc. & ſuper illud Marci. *Vermis eorum non moritur, eò quòd irrationabilia animæ peccata, mentem rei, ſenſumq; compungunt, & exedunt viſcera conſcientiæ, quæ tanquam vermes ex unoquoque naſcuntur, tanquam ex corpore peccatoris.* Corpore humano ſcatente vermibus nihil eſt turpius, nihil his beſtiis inquietius, pungunt, rodunt, lacerant. Turpior adhuc, & inquietior eſt anima, quæ vermibus ſcatet; peccatum mortale vermis eſt, quod peccatorem vero gaudio momento privat. Meminiſtis Cucurbitæ, quæ domunculam, &c. lætabatur, &c. ſed manè miſit Deus vermem, &c. Jonas ſymbolum eſt hominis cum bona conſcientia, &c. Vermis verò, &c. Ut ideo nobis jucundiſſimus hic menſis Majus ſit lætus, ante omnia hi vermes debent occidi. In monte Calvariæ, ſub arbore Crucis crevit floſculus; amarus quidem, ſed quia reſperſus fuit pretioſiſſimo rore Divini ſanguinis, illam habet virtutem, ut vermes animæ momento interficiat. Floſculus hic vocatur Pœnitentia, folium eſt contritio, humilis agnitio peccati, &c. folium eſt intimus dolor de offenſo Deo, folium eſt confeſſio, in qua ſub abſolu-

Luc. 17. v. 2. Marc. 9. v. 43.

Digitized by Google

ſolutione à Sacerdote prolata, anima reſpergitur ſanguine Chriſti, in quo peccatorũ vermes ſtatim ſuffocantur; & hinc vera in corde quies. In hoc floſculo ſuavitas! in contritione ſuavitas, &c. Hos floſculos injeci potui meo Majali; Agite Auditores, bibite ex illo ſuperhos floſculos in lætitia; lętiſſimus vobis fluet mẽſis Majus. *Quis cibus? Quis potus ſuavior?* (quærit D. Ambr. in Pſ. 45.) *quàm is quem animus ſibi bene conſcius, & mens innocentis bibit & epulatur. Nam ſecura mens quaſi juge convivium.* Prov. 15. v. 15.

§. 3.

Flos gnus occidit ſerpentes, reſiſtit Veneri; talis flos eſt Agnus Dei, cujus ſanguis ſedat libidinem.

Mirabilis floſculus eſt, qui vocatur Agnus; ſic dictus quòd ſuis foliis, & pulcherrimis candidis floſculis præ ſe ferat ſpeciem Agni. Vidiſtis haud dubiè ſubinde tales Agnellos formatos ex candido butyro; hoc natura fecit in hoc floſculo; referunt Auctores, olim mulieres Athenienſes flores & folia hujus virgulti impoſuiſſe maritali lecto, eò quòd hic flos, hic Agnus fuget ſerpentes, & illicitæ Veneri reſiſtat. Serpens inimicus Paſchali gaudio, impedimentum graviſſimum veræ lætitiæ, & fons triſtitiæ, ſive ventus urens, aut ſtimulus ardens in humano corde, in anima, eſt libido. Voluptas prætèrita (D. Chryſoſt. conc. 4. de Lazaro) *quovis ſtimulo acrius pungere conſuevit peccatorem.* Vidiſtis ſine dubio depictum aliquando pomum Adami, quod rodit ſerpens, imo venenato capite totum penetravit, &c. tale pomum eſt voluptas, &c. ſimul ſerpens, &c. Sed, homo voluptuoſus foris abundat (S. Ambroſius l. 1. off. c. 12.) deliciis affluit, odoribus fragrat! nihilominus in amaritudine vitam exigit. *Vides convivium illius? interroga conſcientiam ejus. Intueris lætitiam? introſpice ulcera & vibices animæ ejus, cordiſq; mæſtitudinem.* Talibus etiam Majus menſis lætus eſſe non poteſt. Potu Majali opus eſt. In monte Calvariæ ſub arbore Crucis reperio florem, qui vocatur, & eſt Agnus. Quid dico, ſub Cruce? pendet in Cruce. Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi! Ecce Agnus immolatus in ara Crucis! ecce Agnus, in cujus ſanguine loti ſumus. Calix ejus, ô quàm præclarus eſt! propinatur in illo nobis *Vinum germinans Virgines.* Ecce Agnum candidum & Zach. 9. v. 17. rubicundum in amara paſſione! Ex pectore hujus Agni ſalit fons puritatis; ſolus odor hujus floris, inſtar unguenti optimi fugat

gat ſerpentes, & mox enecat inordinatum amorem voluptatum! Hic floſculus, hic agnus confringit ſtimulos carnis. Folia hujus floris injeci meo Majali potui; Auditores, bibite in lætitia hoc vinum, bibite in lætitia cœleſte hoc nectar! in hoc vino, in hoc ſucco, puritas, caſtitas, & quod inde ſequitur, ſuavitas. Utinam hic Agnus, hic floſculus pendeat inter ubera noſtra, & menſis hic Majus nobis erit lætiſſimus.

§. 4. *Flos cordis ſanat ſcabiē & lepram. Cor Ieſu ſanat invidiam.*

Acoſta refert, in Inſula Malabar creſcere arbuſculam cum pulcherrimis foliis; flores ait eſſe ſimiles floribus pomorum aureorum; ſed longè odoratiores: ex his floſculis proveniunt fructus in magnitudine & forma, ſimillimi humano cordi; ſi mihi liceret his floſculis nomen imponere, vellem appellare floſculos cordis. Succus horum florum & fructuum, certiſſima eſt medicina contra ſcabiem & lepram. Ut ſcabies & lepra materialis corpori humano, ſic ſpiritualis ſcabies & lepra animæ, invidia, odium, diſcordia, moleſtiſſimi ſunt morbi. His ſcabioſis & leproſis dicere poſſumus cum Tullio; *Vos miſeria, vos ærumna premunt: putatis vos beatos & florentes, in veſtris divitiis, &c. ſed invidia vos torquet, dies noctéſque cruciamini, ſtimulant vos odia veſtra, exanimat vos hoſtium veſtrorum proſperitas; urget vos metus; quocumque aſpicitis, furias cernitis, quæ vos reſpirare non ſinunt.* Ut illis menſis Majus ſit lætus, majali potu, & forti opus eſt, qui ſanet hanc leproſam ſcabiem. In monte Calvariæ ſtat Pomus aurea ſanctiſſimæ Crucis; candidiſſimi floſculi ſunt lilia convallium; inter flores hujus amœniſſimæ arboris, meos oculos ante omnes, & inter omnes rapit Floſculus Divini cordis; floſculus hic eſt ipſum Cor Jeſu Crucifixi: Cor dulciſſimum! cor mitiſſimum! cor manſuetiſſimum! O Floſculum Cordis! aliquibus foliis inſcripſi illa verba Chriſti, *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Succum hujus floſculi, delicatiſſimas guttulas divini ſanguinis ex hoc amabiliſſimo floſculo miſcui cum vino Majalis mei calicis. Auditores, bibite in lætitia, ſcabies invidiæ, lepra odii, mox ſanabitur, diligētis etiam inimicos veſtros, & cum gaudio exclamabitis, in hoc floſculo pax, in

Luc. 23. v. 34.

hoc

hoc floſculo amor, in hoc floſculo concordia, unio, dilectio, proinde ſuavitas, & verum Majale gaudium.

§. 5. *Pulvis floris nocturni pellit frigus ex humano corp. Memoria mortis acediam ex anima.*

Euſebius facit mentionem Floris nocturni; dicunt hunc florem tota nocte eſſe hilarem, tum enim explicat ſua folia, tum ſurgit in altum; nocte ſuaviſſimos exhalat odores, quàmprimum verò manè irradiatur à radiis ſolis, triſtatus claudit folia, mœret, languet: pulvis radicis in hoc flore eſt naturæ calidiſſimæ, & proinde injectus potui ſanat paralyſes, & membrorum languores, qui proveniunt ex nimio frigore. Hic morbus in corpore humano, hoc frigus eſt ſymbolum Acediæ; quo morbo affecti homines languent in cultu divino; deſipit illis virtus, tædio ſunt omnia, quæ ſapiunt cœlum. His dicere poſſumus ex Deut. *Dabit vobis Dominus animam conſumptam mœrore; deficientes oculos*; -- animam languidam. His quoque menſis Majus lætus eſſe non poteſt, niſi calido aliquo potu Majali ſuam curent paralyſin. Flos nocturnus dici poteſt Memoria mortis. Ah vanas roſas; O vanos filios hujus ſæculi! in tenebris hujus mundi lætantur, rubent, videntur olere ſuaviter; momento quo in hora mortis irradiantur à radiis ſolis Juſtitiæ, in præſentia ſupremi Judicis, triſtantur, mœrent, emoriuntur. Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. De quo aliquid injeci meo potui Majali; bibite in lætitia, inter gaudia, inter honeſtas etiam recreationes, ſubinde mementote vos morituros, (poteſt fieri inductio per 5. ſenſus) hæc memoria pellet frigus, hic potus in cordibus veſtris accendet calidum deſiderium ſerviendi Deo. In hac ſervitute ſuavitas! Quiſquis in menſe Majo Deo ferventer ſerviet, vivet in lætitia.

Deut. 28. v. 65.

§. 6. *Roſa refrigerat ardores corporis. Amor Jeſu extinguit ignes cupidit. præſertim avaritiæ.*

Pari ratione morbi, in corpore humano orti ex exceſſu nimii caloris, acres cauſant dolores. Talis morbus in anima eſt avaritia, & nimia cupiditas divitiarum. D. Chryſoſt. conc. 1. de Laz. *Explica mihi divitis illius conſcientiam, & videbis intus gravem tumultum, jugem metum, tempeſtatem, turbationem.* Cogitationes divitum plerumque ſunt carnifices, quę illorum mentes ſuſpendunt in equuleo. Deſideria illorum ſunt rotæ, à quibus dies noctesque cum jugi inquiete circumvolvuntur. O-

 mnium

Digitized by Google

mnium horum dolorum & curarum radix eſt nimium accenſa cupiditas divitiarum. Hic ardor frigido aliquo potu majali debet temperari, & refrigerari. Teſte Dioſcoride, roſæ refrigerant tum virides, tum ſiccæ; experientia docet id verum eſſe, præſertim in febribus, & inflammationibus oculorum. Ex roſis, quibus Carolus Rex coronavit Crucem Salvatoris; imò ex pentaphyllis roſis SS. Vulnerum Jeſu reſurgentis, aliqua folia injeci meo potui Majali. Agite Auditores, bibite in lætitia! amorem divitiarum convertite in amorem Salvatoris; Jeſum ardenter hoc jucundiſſimo tempore amate; hic amor ex cordibus veſtris eliminabit inordinatum amorem creaturarum, & inebriati hoc roſaceo vino, exclamabitis: O dulcem Majalem potum! in his roſis ſuavitas! apud Jeſum vera eſt lætitia: lætiſſimum Majum facit amor Jeſu!

§. 7. *Hedera pellit tumores corpor. Humilitas tollit ſuperbiam.*

Morbus corpori humano moleſtiſſimus eſt nimius tumor, ille præſertim, qui vocatur tympanites. Tympanites animæ eſt ſuperbia; in eademque radix ſummarum afflictionum, & impedimentum veræ lætitiæ. Ambitione quid inquietius? Inter medicinas contra quoſcumque tumores corporis, non ultimum locum tenet hedera. Vidiſtis, quomodo in ſylva forti alicui quercui adhæreſcat hoc virgultum, tam tenaciter, ut vix ulla vi ab arbore avelli poſſit. Fortis quercus in monte Calvariæ eſt ſanctiſſima Crux: illi, qui memores ſuæ imbecillitatis, fragilitatis, nihileitatis, per ramos profundiſſimæ humilitatis Cruci & Christo D. fortiter adhærent, inſtar hederæ ad quercum Crucis, inter ventos & tempeſtates ſemper virent. Hedera virens eſt ſymbolum Chriſtianæ humilitatis, quæ ſuperbiæ & ambitioni, è diametro opponitur. Aliquot folia invenietis in meo Majali potu: bibite in lætitia! hoc menſe Majo eſtote humiles, adhærete Cruci, & fatebimini: In humilitate ſuavitas.

§. 8. *Violæ curãt ulcera linguæ & gutturis.*

Si fortaſſis aliqui hoc Majali tempore vexentur ſuppurationibus, & ulceribus in collo, in gutture, & lingua: tale ulcus eſt detractio: talia ulcera ſunt blaſphemiæ, impura verba, &c. ut & his proſit Majalis meus potus, aliis herbis & floribus addidi violas, quarum ſemen tantæ eſt efficaciæ, ut ulcera non tantum

curet,

Digitized by Google

curet, ſed & ſcorpiones, atque ſerpentes occidat. O quis mihi dabit, ut huic civitati offeram talem potum, in quo tot ſcorpiones & venenati aſpides perimantur. *Floris campi*, vel ut alii legunt, *Lilii campi*, alii *Violæ campi* folia, ut dixi, huic potui injeci; bibite in lætitia, ut hoc menſe Majo læti dicere poſſimus: In Viola, in lingua pura & caſta, vera ſuavitas! *Cant. 2. v. 1*

Nimis diu hæſi inter areolas florum, qui morbos curant: nominabo tantum aliquos alios, qui ob nobiliſſimas operationes, Majalem noſtram lætitiam in ſuavi hauſtu ſummopere augebunt. In Hiſpaniola creſcit arbor, quæ aureas habet radices, cujus folia & flores rectà ſurſum eriguntur in cœlum, fructus ſunt dulciſſimi. Addunt, in cavernis ſub terra, in quibus latent radices hujus arboris, ſæpe reperiri puriſſimum aurum. Alexander Neapolitanus refert, in quibuſdam montibus ad Danubium creſcere vites, in quibus inventa; & Regibus atque Imperatoribus oblata fuerunt folia ex ſolido auro. Menola addit, id contigiſſe Schemnitii, in urbe Pannoniæ. Similia miracula naturæ reperies apud Fulgoſium, & Mizaldum l. 2. mirabilium c. 1. fortaſſis Virgilius propterea mentionem fecit aurei virgulti. Somniant aliqui, ſub terra, & montibus, in quibus tales vites & arbores creſcunt, latere aurifodinas; unde probabile eſt circa Bambergam non eſſe auriferos colles, cùm tales vites non reperiantur. Arbor tamen aurea, & aurea vitis nobis eſt ſanctiſſima Crux, de qua pependit botrus Cypri. Sub hac arbore, ſub ejus umbra, in monte Calvariæ, aureum creſcit virgultum, quod dicitur Pietas, Radix eſt aurea, ejus rami ſunt ſanctiſſima deſideria, aurea folia ſanctæ cogitationes, de paradiſo; aurei flores, amor Jesu, amor Mariæ, amor Cœlitum. Dulciſſimi fructus ſunt actus virtutum, & opera bona. Aliqua aurei hujus virgulti folia, flores & fructus impoſui Majali hauſtui. Auditores bibite in lætitia. Hoc jucundiſſimo tempore date vos devotioni, incumbite orationi, experiemini, in hoc aureo flore ſuavitas! In illa anima vera lætitia, in cujus horto creſcit & viret aureus floſculus Pietatis. *§. 9. Arbor aurea creſcens in Indiis, ſymb. eſt Pietatis.*

Reperietis quoque in meo Majali potu, inter tot herbás *§. 10.*

Digitized by Google

Heliotrop. Reſignationis. & flores, aliqua folia Heliotropii, & tuliparum: gyrant ſe hi flores ſecundùm curſum ſolis, etiam inter nubila, unde ſymbola ſunt animæ, quæ in omnibus ſequitur ductum divinæ voluntatis, Talis flos fuit Sponſa, cùm dixit: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Talis flos, reſperſus guttis & ſucco ſanguinei ſudoris, fuit Chriſtus D. in horto Oliveti, cum ſic oravit, Pater, non mea ſed tua fiat voluntas. Talis flos fuit B. Virgo, cum reſpondit Angelo, *Luc. 1. 38.* *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Flos talis fuit, qui Heliotropio in pulchra areola hanc addidit epigraphen, *Soli & ſemper.* Auditores, bibite in lætitia, & millies cum S. Gertrude dicite, Fiat Dei voluntas. In hoc flore, in hac virtute, in reſignatione ſumma ſuavitas, & vera in terris beatitudo. Hæc virtus cauſat Majum, & ver perpetuum.

§. II. *Oliva, Hyacinthus, &c. ſymbola pulcherrimarum virtutum.* Oliva fructifera ſymbolum eſt miſericordiæ; Roſa inter ſpinas, Patientiæ; hyacinthus cœleſtium deſideriorum, Poma citrea, qualia plerumque injiciuntur Majalibus vitris, ſymbola ſunt Caritatis erga Deum & proximum. Granadilla, Amoris, Paſſionis, & Crucis. Omnibus his ſymbolis nobiliſſimarum virtutum, quarum pulcherrimum ſpeculum fuit S. Apoſtolus Philippus, ornare deberem ejus Crucem; ſed modo, moneo tantum, me aliqua folia de oliva, de roſa, de ſpinis, de hyacintho, de granadilla, cum pulcherrimo pomo citreo injeciſſe Vitro, in quo tam ſalutarem Majalem hauſtum vobis præſento; bibite in lætitia, eſtote miſericordes erga egenos, in patientia poſſidete animas veſtras, cœleſtia quærite, diligite Deum & proximum, cum S. Philippo amate Crucem; & non negabitis, in his reperiri ſummam ſuavitatem, & veras Majales delicias.

Epilogus offert pulcherrimo Ieſu coronã ex omnibus his floribus contextam. Finio. Vidi aliquando inter picta Emblemata, ſertum ſive coronam contextam ex pulcherrimis floribus, cum hoc lemmate: *Pulcherrimo.* q. d. Pulcherrimus coronetur his floribus: eodem ardeo deſiderio, ut ex omnibus herbis & floribus, quibus hac Concione uſus ſum, ſancti Angeli, & cœleſtis Flora ac Sponſa, Maji Præſes, hortorum omnium Regina, Beatiſſima Virgo Maria, contexant pulcherrimum diadema, illudque offerant

rant

Digitized by Google

rant pulcherrimo Regi: pulcherrimo Sponſo: pulcherrimo Jesu, glorioſè à mortuis reſurgenti.

CONCIO LXVIII.

FESTO ASCENSION. CHRISTI D.

Dominus quidem Jeſus, poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dexteris Dei.

Marci 16. v. 19.

SYNOPSIS CONCIONIS.

CHriſtus D. in glorioſa Aſcenſione ad cœlos, fuit pulcherrimus, quoad Corpus, quoad Animam, & quoad Divinitatem. Quàm potens in animis, oculiſque hominum ſit pulchritudo.

§. 1. *Peccatum Adami clauſit Paradiſum; Chriſtus D. in ſua Aſcenſione aperuit.*

§. 2. *Chriſtus D. deſcendit, & aſcendit.*

§. 3. *Vulnera Chriſti D. aſcendentis ad cælos fuerunt pulcherrima.*

§. 4. *Idem dicendum de toto Chriſti Corpore glorioſo.*

§. 5. *Ex pulchritudine omnium creaturarum, devenire aliquo modo poſſumus in cognitionem pulchritudinis Chriſti.*

§. 6. *Ipſa quinta eſſentia omnium harum pulchritudinum nihil eſt ad pulchritudinem Chriſti.*

§. 7. *Pulcherrimus inprimis eſt Chriſtus Dominus quoad Corpus.*

§. 8. *Pia & ſuavis Viſio S. Thereſiæ.*

§. 9. *Fuit deinde, & eſt pulcherrimus*

cherrimus quoad animam.
§. 10. *Ob Divinitatem.*
§. 11. *Pulchritudo fortis eſt ad permovendos animos.*
§. 12. *Alii ejus effectus.*
§. 13. *Accendit Cor.*
§. 14. *Epilogus.*

§. 1. *Peccatum Adami clauſit paradiſum: Chriſtus D. in ſua Aſcenſione aperuit.* Gen. 3. 24.

CUm Dominus Deus emiſiſſet Adamum de Paradiſo voluptatis; *Collocavit ante portas illius Cherubim, & flammeum gladium atque verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Variè ſentiunt Interpretes de hoc igne. Lyranus & Toſtatus putant undique in circuitu paradiſi ex terra erupiſſe flammam, veluti aliquod cingulum. Procopius ait, poſita fuiſſe in circuitu ignea ſpectra, terribili forma, qualia terriculamenta ſolent poni in hortis, ad terrorem illorum, qui ingredi volunt. Docent alii, poſitos fuiſſe Angelos in humana forma, cum igneis gladiis, qui nulli quoque mortalium permiſerunt aditum. Videri poſſunt ſimilia apud P. Corn. à Lapide, alioſq; Interpretes in Geneſin. Perinde mihi modo eſt, quocumque modo ab egreſſu Adami fuerit locus ille ita cuſtoditus, ut nullus mortalium hactenus potuerit ingredi; adeo vigilem firmamque cuſtodiam, ex ferro & igne, Chriſtus Salvator noſter hod. die ſuſtulit. Ignem namque pretioſiſſimâ lateris ſui undâ nxtinxit; aciem verò gladii, vulneribus in corpore ſuó exceptis hebetavit, Crucem convertit in clavem, atque ita cuſtodiâ illâ ſublatâ, via denuo mortalibus patefacta eſt ad paradiſum cœleſtis gloriæ, per quam hodiernâ feſtivitate, non ſolum ipſe, ſed omnis cum eo captivorum turba, periter ingreſſa eſt, & beatarum mentium choris ſociata. Prævolârunt SS. Angeli, præambulones & nuntii tanti triumphi, qui ubi ad cœli fores pervenerunt, exclamarunt: *Attollite portas Principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & intrabit Rex gloriæ.* Hæſère quidem Principes attoniti, obſtupuit Cherub, Regis gloriam non ignorantes, ſed admirantes virtutem viciſſim quæſiverunt, Quis eſt iſte Rex gloriæ, cui, cui portæ ab origine mundi humano generi clauſæ, nec ulli mortalium hactenus patefactæ, aperiendæ ſunt. Sed reſponderunt priores chori; *Dominus fortis & potens, Dominus*

Pſ. 23. v. 9.
v. 8.

minus potens in prælio: qui videlicet inermis & nudus Crucis ſuæ baculo ſerpentis caput contrivit, ferreas inferorum ſedes confregit, ſpolia inde Sanctorum eripuit, & diaboli regnum evertit. Sed cum illum Dominum ſanguineis vulneribus rubentem cernerent, Hugo, *membris cruentatis*, iterum quærunt ſtupefacti Angeli ex Iſ. *Quis eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra? Quis eſt iſte adeo formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine virtutis ſuæ?* adeo pulcher & decorus, ut Sponſa loquitur, Iſ. 63. v. 1. *Ecce tu pulcher es, Dilecte mi, & decorus.* De Christo D. Salvatore noſtro hæc dici, advertit S. Aug. præf. in Pſ. 44. *Ubique Sponſus pulcher occurrit. Pulcher Deus, Verbum apud Deum; pulcher in utero Virginis, ubi non amiſit Divinitatem, ſed aſſumpſit humanitatem. Pulcher natus Infans Verbum: quia & cum eſſet infans, cùm ſugeret, cum manibus portaretur, cœli locuti ſunt, Angeli laudes dixerunt, Magos ſtella direxit, adoratus eſt in præſepi. Pulcher ergo in cœlo, pulcher in terra, pulcher in miraculis, pulcher in paſſione, & in Cruce, pulchrior deinde in glorioſa Reſurrectione*, hodie in admirabili Aſcenſione pulcherrimus. Quomodo, & quo fructu Pulchritudinem Chriſti D. aſcendentis ad cœlos conſiderare debeamus, hac Concione Auditoribus meis proponam. State interim, & cum Apoſtolis cœlum fixis oculis aſpicite, q. cerneretis. Cant. 1. v. 15 Act. 1. v. 11.

Veriſſimum eſt, quod de Chriſto aſcendente in cœlos dixit mellifluus S. Bernardus ſer. 18. ex parvis. *Deſcendit ſiquidem, quo inferius non decuit; aſcendit, quo altius non potuit!* Gradus, quibus deſcendit, iſti fuerunt. I. A ſummo cœlo, uſque ad carnem. II. Uſque ad Crucem. III. Uſque ad mortem, --- & in ſepulchrum; imo quoad SS. Animam, ad limbum uſque. *Vidimus deſcenſum, videamus & aſcenſum*, pergit S. Bernardus. Et ille quoque triplex eſt. *Primus gradus fuit, gloria Reſurrectionis. Secundus, poteſtas judicii. Tertius, conſeſſus ad dexteram Patris. Et de morte quidem meruit reſurrectionem; de Cruce, judicii poteſtatem, ut quoniam in illa injuſtè judicatus eſt, de illa, juſti judicis obtineret cenſuram. Ipſam verò ſervi formam, id eſt, carem in qua paſſus & mortuus eſt, reſuſcitatam evexit ſuper omnes cœlos, & ſuper*

§. 2. Chriſtus D. deſcendit, & aſcendit.

Digitized by Google

per omnes Angelorum choros, uſque ad dexteram Patris. Quo altius non potuit! Quo profundius aqua de altiſſimo monte deprimitur & delabitur, eo deinde altius in pulchro aliquo fonte, per tubos & canales ſurgit in altum. Tempore Paſſionis, Chriſtus D. in valle Joſaphat, bibit de torrente Cedron, in Reſurrectione, & hodie in admirabili Aſcenſione, idem Salvator noſter eſt fons gloriæ in monte Libano. In monte Calvariæ, cùm penderet in Cruce, diximus cum Iſaia *Non eſt ſpecies ei, neque decor, vidimus eum, & non erat aſpectus, -- deſpectum & noviſſimum virorum, virum dolorum, -- quaſi abſconditus vultus ejus, & deſpectus; vidimus, quaſi leproſum, & percuſſum, & humiliatum à Deo.* In alia ſcena hodie cernimus illum virum. Speciosum præ filiis hominum, Primum ad dexteram Patris, exaltatum à Deo, honoratum ab Angelis. Ad Eph. 1. *Conſtituens illum ad dexteram ſuam in cæleſtibus, ſuper omnem Principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & ſuper omne nomen, quod nominatur, non ſolùm in hoc ſæculo, ſed in futuro.* Vulnera, quæ in glorioſo Corpore adhuc reſervata cernimus, non ſunt amplius ad dolorem, ad mortem, ad deformitatem, ſed *ipſi* (Rup. Abb.) *ad gloriam, --* ad decorem, ad pulchritudinem; *nobis ad gratiam, ---* ad gaudium, ad conſolationem, *inimicis ad crudelem conſcientiam --* ad terrorem, ad lanienam. S. Th. 3. p. q. 54. a. 4. *Vulnera, quæ permanſerunt in Corpore Chriſti, non pertinent ad corruptionem, & defectum, ſed ad majorem cumulum gloriæ, --* & pulchritudinis.

Iſ. 53. v. 2.

§. 3. *Vulnera Chriſti aſcendentis ad cœlos, fuerunt pulcherrima.*

Non miremini Auditores, me, dum de pulchritudine Chriſti aſcendentis ad cœlos agere volo, ſtatim initio loqui de glorioſis cicatricibus Vulnerum; ducit me eò idem S. Thomas, qui ait, In Reſur. & præſertim hodie in Aſcenſione ad cœlos, dum in monte Oliveti ſe ſtitit ante Diſcipulos, dum Matri & ipſis ultimum valedixit; *In locis clavorum ſpecialis quidam decor apparebat.* Ideoq; puto veriſſimum eſſe, quod dicit piiſſimus Bloſius, inter pulcherrima Empyrei ſpectacula, infra Deum nihil illuſtrius, nihil magnificentius, nihil glorioſius ſacris JESU ſtigmatici Vulneribus ſpectari: *Hæc, ait, quinque Vulnera ſanctiſſima plus pulchritudinis, decoris, & claritatis, toti cæleſti Curiæ conferunt*

Digitized by Google

runt, quàm alia omnia, quæ in vita perenni, excepta Divinitate, habentur. Cauſam addit Beda c. 24. in Luc. *Vt perpetuum gloriæ ſuæ circumferat triumphum.* Hanc pulchritudinem aliqui Interpretes putant objectam fuiſſe oculis Abacuc, cùm exclamavit, *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jeſu meo*, ſive ut habet Chaldaica lectio, *in Factore Redemptionis meæ.* S. Auguſtinus in conſideratione Vulnerum in corpore patibili & mortali, præ nimia conſolatione erupit in hæc verba, in Manuali cap. 21. *In Vulneribus Jeſu Christi Salvatoris noſtri, magna multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, & perfectio virtutum.* Dum hodie animæ piæ eadem conſiderant in corpore glorioſo & immortali, agnoſcunt, in iiſdem eſſe multitudinem, excellentiam, & perfectionem omnis decoris & pulchritudinis. Abac. 3. 18.

Tantane pulchritudo fuit in Vulneribus? quid cogitamus, quid dicemus de pulchritudine oculorum, frontis, labiorum, &c. & totius glorioſiſſimi corporis? Quid de *corona pulchritudinis*? Quid de *corona victoriæ*? Quid de *diademate Regni Eſther*? Quid de *corona exultationis*? Quid de *corona vitæ?* quâ non jam in terris illum coronavit Mater ſua, ſed in cœlis æternus Pater. *Vt rei novitate* (ait S. Hieron) *perterriti, imò rapti in ſtuporem Cælites*, videntes Jeſum Crucifixum, *gloriâ & honore coronatum*, quæſiverint, *Quis eſt iſte?* in tali curru triumphali, qui fuit aurea nubes, ſupra ſtellarum, ſoliſq; pulchritudinem, pulchra; Regius Pſaltes ait: *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium.* S. Hieronymus vertit: *Currus Dei innumerabilia millia Angelorum.* Paraphraſis Chaldaica. *Currus Dei venti ardentes, duo millia Angelorum ducunt illum, Divinitas Dei ſedet ſuper illos.* Donec ſolium occupavit, quod perduellis Angelus appetierat, juxta illud Iſ. *In cælum conſcendam, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis, exaltabo ſolium meum, & ero ſimilis Altiſſimo.* Sicq; tandem impletus fuit verſus Pſalmiſtæ, *Aſcendit ſuper cælos cæli, in ſole poſuit tabernaculum ſuum.* Job dixit: *Si habes brachium ſicut Deus, aut ſimili voce tonas, circumda tibi decorem, & in ſublime erigere, & eſto glorioſus, & pretioſis induere veſtibus, &c.* Hoc hodie fecit Christus D. Elevat ſe ut

§. 4. Idem dicendum de toto Christi Corpore glorioſo. Ezech. 16. v. 12. Eccleſ. 1. 11. Apoc. 2. 10. Cant. 3. 16. Pſ. 67. v. 18. Iſ. 14. v. 13. Pſ. 67. 34. Iob. 40. 4.

Digitized by Google

Deus; circumdatus eſt decore, ut Deus; erigitur ut Deus; eſt glorioſus, ut Deus; ſed illorum decorem, &c. quis exprimet, quis explicabit?

§. 5. *Ex pulchritudine omniũ creaturarum, aliquo modo pervenire poſſumus in cognitionem pulchritud. Chriſti D.*

Creaturarum in mundo pulchritudo aliquam fortaſſis facem nobis præferet; ſed advertere oportet, inter creaturas, quæ pulchræ dicuntur, varios eſſe gradus & differentias. Ab ipſo cœleſti Sponſo, pulchra vocatur luna, hoc ſenſu pulchræ quoque ſunt ſtellæ, pulchri cœleſtes globi, cum reliquis aſtris, præſertim Sole, qui luce, claritate & pulchritudine, ſidera reliqua omnia longè ſuperat: ſimilem pulchritudinem & elegantiam cum oblectatione vident oculi noſtri, in gemmis, in cryſtallo, in auro, in argento, in palatiis, & ſimilibus objectis oculorum. Valde tamen imperfecta eſt hæc pulchritudo, cum ſol NN. ſint tantum, non verò vivant. Ut proinde excellentior longè ſit illa pulchritudo, quam cernimus in floribus, in herbis & arboribus, quæ non tantum ſunt, ſed vivunt, vegetantur, & creſcunt; ſed deſideratur in illis anima ſenſitiva, qualis eſt in animalibus, & corpore humano, cum nobiliſſimis potentiis, & operationibus, quales ſunt ſentire, videre colores, audire ſonos, percipere odores, animare corpus, in pulcherrima membra diviſum: Hæ quoque pulchritudines valde adhuc ſunt imperfectæ, niſi accedat anima rationalis in homine, creata à puriſſimis Dei manibus, ſubſtantia ſpiritualis, immortalis, imago Dei, prædita intellectu, & voluntate, libera, fons pulchritudinis, quæ in humano corpore oculis noſtris patet. Formoſiſſimæ fœminæ, ſic teſtante ſacra Scriptura, fuerunt Sara, Rebecca, Judith, Eſther, Abigail; poſtquam anima rationalis in morte illarum corpora reliquit, ſunt putredo, vermes, cinis, nihil! cum illarum animæ in Reſurrectione carnis, in illa corpora redibunt, radiabunt ut ſoles. Sed pulchritudo animæ rationalis phyſica, ut adæquatam perfectionem ſuam obtineat, requirit moralem, quæ conſiſtit in gratia ſanctificante, per quam anima Divinæ fit particeps naturæ, Sponſa Spiritus ſancti, templum ſanctiſſimæ Trinitatis, Regina in veſtitu deaurato aſſi-

ſtens

Digitized by Google

ſtens throno cœleſtis Regis. Animam rationalem in pulchritudine longè excedit natura Angelica, v. g. aliquis Seraph NN. imò minimus Angelus, cui dici poteſt ex Ezechiele: *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & perfectus decore, in deliciis Paradiſi Dei, omnis lapis pretioſus operimentum tuum, Sardius, Topazius, Jaſpis, carbunculus, &c.* Decies centena millia, millia millium horum ſpirituum ſunt in cœleſti Paradiſo. His addite Cœlitum omnium choros, Patriarchas, Apoſtolos, &c. Deum bonum! quanta in cœlis erit gloria! quanta Electorum pulchritudo! Ex mente ſanctorum Patrum, & Doctorum, qui docent B. Virginem Dei Matrem omnes Angelos & Sanctos ſuperaſſe in gratia & ſanctitate, conſequenter fatentur (ego jubilo tripudio rem ita ſe habere) gloria, & pulchritudo Mariæ, major eſt, quàm Cœlitum omnium.

Ezech. 28. v. 12.

§. 6. *Ipſa quinta eſſentia omnium harū pulchritudinum nihil eſt ad pulchritud. Chriſti D.*

Mox veniam ad Angelorum, & Sanctorum omnium Caput, ad Chriſtum Dominum, hoc prius agite, cogitate vos eſſe aurifabros, cogitate ardere veſtras fornaculas; itaque Solis, Lunæ, Stellarum, gemmarum, florum, &c. hominum, Angelorum, B. Virginis gloriam & pulchritudinem conjicite in ignem, urite, inflammate, ut colliqueſcat in unam maſſam, &c. quid habebitis? vitrum ad cryſtallum, vel adamantem, guttulam ad fontem, rivulum ad mare, arenulam ad montem, ſcintillam ad ignem, radium ad lucem inacceſſibilem, ſi illam cum pulchritudine Chriſti Domini comparare velitis; verbo, pulchritudinem perfectionis finitæ ad infinitam, qualis eſt in Chriſto Domino, nempe divina, & proinde (ut ſanctus Dionyſius loquitur) per eſſentiam, immutabiliter, cum perfectione infinita, ut ſit cauſa, & regula, & fons, & origo reliquarum pulchritudinum omnium.

§. 7. *Pulcherrimus inprimis eſt Chriſtus D. quoad corpus.*

Ad tria capita reducamus omnia priora. Ad pulchritudinem humani corporis, ad pulchritudinem animæ, & pulchritudinem Divinitatis; & aſſero, Chriſtum Dominum in ſua Aſcenſione fuiſſe pulchrum quoad corpus; pulchriorem,

quoad

Digitized by Google

quoad animam; pulcherrimum, quoad Divinitatem, cui ſanctiſſima ejus Humanitas fuit, & eſt conjuncta in Perſona Chriſti. Corpus cujuslibet Sancti in cœlis, luce, colore, pulchritudine ſuperabit ſolem; horum Corporum poſt Carnis Reſurrectionem numerus, in cœlis erit innumerabilis; his omnibus pulchrius erit Corpus Mariæ; pulchritudine infinita & divina adhuc pulchrius eſt glorioſum Corpus Chriſti Salvatoris, qui diſcurſus, quæ conſiderationes, in hac pulchritudinis abyſſo non ſubmergentur? Quidquid pulchritudinis exterioris, quam oculis cernimus, eſt in gemmis, quidquid elegantiæ in floribus (fiat iterum brevis, & pulchra gradatio, uſque ad B. Virginem) nihil eſt, ſi comparetur cum pulchritudine Chriſti, nam finiti ad infinitum nulla proportio. Cum itaque radians gemma, ſuo fulgore oculos noſtros perſtringit, cogitemus, pulchrior eſt Jesus (eſt locus pro affectuoſa inductione.)

§.8. *Pia & ſuavis viſio S. Thereſia.* Sancta Thereſia narrat de ſe in vita ſua cap. 28. Chriſtum Dominum monſtraſſe ſibi aliquando in cœleſti ecſtaſi, ſolas benedictas manus glorioſi Corporis; ſed addit, impoſſibile ſibi eſſe, ut exprimat, quàm fuerint pulchræ, quàm lucidæ, quàm elegantes; paucis poſt diebus, cœleſtis Sponſus ſanctiſſimæ huic Virgini oſtendit ſolam faciem; præ ſtupore faſſa fuit, ſe de illius pulchritudine nihil poſſe loqui; poſtquam Chriſtus Dominus alia vice illi apparuit in forma, & cum pulchritudine illa Corporis, ſive talis, qualis aſcendit ad cœlos, ait, fuiſſe ſibi viſum tam pulchrum, ut nihil poſſit in mundo excogitari, quod vel minimè accedat ad pulchritudinem glorioſiſſimi Corporis Chriſti Domini, & addit: Etſi alia gaudia in cœlo non eſſent, hoc ſufficeret. Mi Jesu! gratulor tibi millies: gaudeo, &c. Sed in hac lachrymarum valle hæc audimus tantum, credimus tantum, &c. O ſi aliquando coram oculis noſtris liceat te videre de facie ad faciem, &c. (fiat pulcher affectus, &c.) Si hæc ex toto corde deſideremus, faciamus, quod fecit S. Thereſia, quod omnes Sancti faciunt, amemus Jesum!

De

Digitized by Google

De pulchritudine ſanctiſſimæ Animæ, unicum hunc & paucis verbis propono diſcurſum, & ex ſuppoſitione ſuperius inſinuata, pulchritudinem animæ ſupernaturalem conſiſtere in gratia ſanctificante. Aſſerunt verò Theologi, gratiam minimam, quam homo juſtus meretur, v.g. actu d. amoris, & gloriam in cœlis illi reſpondentem, majoris eſſe pretii, & qualitatem pulchriorem, quàm eſſe poſſit totus hic mundus materialis, licèt montes eſſent adamantes, arenæ maris carbunculi, &c. Conjicite in cumulum, vel colligite gratiam omnium Sanctorum, quam in hoc mundo auxerunt, tot ſanctiſſimis actibus, &c. Iterum de Beata Virgine, &c. Excedit omnes Chriſtus Dominus, imò unicus ejus actus, v. g. amoris, vel oblationis, quam primo momento Conceptionis exercuit ejus ſanctiſſima Humanitas in Utero Virginis, magis placuit Deo, quàm, &c. proinde ſi iterum ſilere cogor, hoc poſſum exclamare, Vivat pulcherrimus Jesus! §9. *Fuit deinde & eſt pulcherrimus quoad animam.*

Ob pulchritudinem Divinam, æternam, & increatam, quæ eſt in Chriſto Domino ob unionem hypoſtaticam, ſanctus Gregorius Nyſſenus in orat. de Aſcenſione Domini, illum vocat epitomen, & compendium omnium creaturarum, quæ pulchræ ſunt. Et hoc eſt, quod dicit ſanctus Paulus ad Epheſ. 1. cap. quod voluerit Deus omnia inſtaurare in Chriſto, *quæ in cœlis, & quæ in terris ſunt.* Sanctus Hieronymus pro inſtaurare, legit *recapitulare*, conformiter ad textum græcum, quod Irenæus l. 3 c. 18. explicans ait, ideo in Chriſto omnia recapitulata eſſe, quia continet omnium perfectiones, quoad naturam humanam, quoad Divinam vero omnia excedit. Præterea Chriſtus eſt recapitulatio omnium operum Dei, viſibilium, & inviſibilium, quia omnium dotes, gratias, perfectiones, unus in ſe complectitur, & quidquid uſpiam excellens eſt, & laude dignum; quidquid aut præclarè dictum, aut geſtum, quidquid ſpecioſum, inter cœleſtes Spiritus ſanctum, glorioſum, illuſtre, id multò excellentiore ratione, breviorique compendio habemus in §.10. *3. Ob Divinitatem.* *Eph. 1. 10.*

Chriſto; ut meritò, hodierna præſertim Feſtivitate, quâ talis cœlos ingreſſus eſt, cum jubilo & gaudio exclamemus, Vivat pulcherrimus JESUS!

§11. *Pulchritudo fortis eſt ad permovendum animum.* Ut ex hoc diſcurſu de Chriſti pulchritudine fructum hauriamus, advertamus I. magnam pulchritudinis eſſe potentiam; Xenophon dixit, tria eſſe fortia, *Fortitudinem, Sapientiam, & Pulchritudinem*; ſed vir fortis debet laborare, movere brachia, pugnare, ut vincat. Vir ſapiens, ſapientiam, quâ moveat, non invenit ſine labore. Pulchritudo vincit ſine pœna, dum tantum ſe oſtendit & monſtrat, facit inſultum, pugnat, urget, vincit, triumphat: Jacob vidit pulchritudinem Rachelis, & non dubitavit parenti ejus laborare 14. annis, ut obtineret illam. In libro Judith dixerunt milites ad Holofernem: *Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, ut non pro his meritò pugnare contra eos debeamus.* Hæc ſunt hodie vota mea, ut pulchritudo Chriſti, & illa gloria, quam nobis quoque promiſit, nos moveat, ut contra Dæmon. Mundum, & hoſtes Chriſti fortiter pugnemus, & tam formoſo Regi toto corde ſerviamus.

Gen.29.30. *Judith. 10. v.18.*

§.12. *Alii ejus effectus.* II. Pulchritudo, poſtquam occupavit oculos, ex oculis aggreditur cor, illudque occupat. Ex corde aſcendit in memoriam & imaginationem, ut de re pulchra, quam amamus, libenter cogitemus; movet quoque linguam, ut de eodem objecto loquatur, ut erumpat in tantæ pulchritudinis laudes. Ideo hinc illæ voces Sponſæ ad Sponſum: *Tu roſa, tu lilium, tu flos campi, tu ſol pulcher, &c.* Sed videtur ſe corrigere dum ait, *Ecce tu pulcher es, &c.* q. d. Erravi! quæſivi hactenus alibi pulchritudinem. In roſis, erravi! *Tu pulcher es, tu roſa es,* &c. Sic de reliquis. Utinam hodie hæc in nobis operetur pulchritudo Chriſti (eſt locus pro ſuavi affectu.)

Cant.2.v.1. & c.2.v.15. *Cant.1.14.*

§.13. *Accendit cor.* III. Pulchritudo accendit corda flammis amoris; quo collimat dictum Arnobii l. 2. ad fœminas deditas nimio cultui corporis, *Anne idcirco Deus mulieres fecit, ut gemmas, margaritas compararent, ut, &c. diſpendio caſtitatis, & ita aſpicientium oculis faces pararent.* De Judith dicitur, *in ſpecie faciei ſuæ diſ-*

diſſolvit eum, ſcilicet Holofernem (p. locus) Nihil mihi hodie negotii eſt cum facibus alicujus Aſmodæi. Cogito de amore caſto, puro, quo animæ ſanctæ amant Chriſtum D. in gloria ſua, in pulchritudine. Fax, quæ nos accendat, eſt pulchritudo SS. Vulnerum in manibus & pedibus; fax eſt cor, &c. faces ſunt ardentes oculi, &c. O ſi ego modò Auditorum meorum corda poſſem accendere.

Ut dicere poſſim cum S. Auguſtino tr. 9. in ep. 1. S. Joan. *Anima noſtra fœda eſt per iniquitatem, amando Deum pulchra efficitur. Qualis amor eſt, qui reddit pulchram amantem. Deus autem ſemper pulcher eſt, amavit --- ut fœdos mutaret, & ex deformibus pulchros faceret. Quomodo erimus pulchri?* (pro hoc Feſto) *amando eum, qui ſemper eſt pulcher, quantum in te creſcit amor, tantum creſcit pulchritudo, quia ipſa caritas eſt animæ pulchritudo.* Ut inpoſterum fortiſſimè adhæreamus pulcherrimo Sponſo, Joanna Filia Alphonſi V. Regis Portugalliæ, ob pulchritudinem à tribus Regibus petita in ſponſam, repudiavit omnes, ut Chriſti eſſet ſponſa. Cum Lud. XI. Galliæ Rex accepit das Contrefal, ruit in genua, benedicens Deum pro tam pulchra creatura. §. 14. Epilogus.

Sed finio. Benedic Sanctiſſimæ Trinitati ob pulchritudinem Chriſti D.

FINIS
Partis tertiæ Alvei quarti.

Digitized by Google

Digitized by Google

ALVEI QVARTI,
SIVE
CONCIONUM
IN
Feſta à Pentecoſte uſque ad Adventum,
PARS IV.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONCIO LXIX.

FERIA II. PENTECOSTES.

Sic Deus dilexit Mundum.

Joan. 3. v. 16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoſequitur alias rationes, propter quas Spiritus ſanctus viſibilis deſcendit in terras.

§. 1. *Optat ſibi Auctor igneam linguam, ut de Spiritu S. dicat ardenter.*
§. 2. *Cur deſcenderit viſibilis in forma ignis.*
§. 3. *Quod variis figuris Veteris Teſtamenti fuit conforme.*
§. 4. *Proſecutio.*
§. 5. *Varia Spiritus ſancti operationes.*
§. 6. *Pium Auctoris deſiderium.*
§. 7. *Alia figura ex Ezechiele.*
§. 8. *Cur ignis Spiritus ſancti, in quorundam cordibus nihil operetur.*
§. 9. *Quibus modis cœleſtis hic ignis in terram detrahi poſſit.*
§. 10. *Alia rationes, ob quas Spiritus ſanctus deſcenderit in forma ignis.*
§. 11. *Præſertim in igneis linguis.*
§. 12. *Alia operationes ignis Spiritus, ſancti.*
§. 13. *Epilogus.*

JUſtiſſimam habeo cauſam, ut cum Eccleſia ex intimo corde dicam, *Veni S. Spiritus*, ut tuis ignibus me accendas. Cum enim Cicero l. 2. de Oratore dixerit, *Ardeat Orator, ſi judicem velit accendere*, & mihi in animo ſit hac Concione accendere omnes meos Auditores ignibus Divini amoris, facilè ad-

§. 1. *Optat ſibi Auctor igneam linguam ut de Spiritu S. dicat ardenter*

adverto neceſſarium eſſe, ut ego prius ardeam; Veni proinde ſancte Spiritus, cùm ſine te ardere non poſſimus. *Vnde mihi hoc*(ut loquar cum Origine h.1.in Pſ.38. *ut lingua ignis veniat in cor meum; & de lingua ignea ego quoque proferam ſermonem, ut ex me, vel ſermonibus meis, accendatur ignis in cordibus Auditorum.* Veni ô ſancte Spiritus! tu ſolus hanc igneam linguam in cor meum mittere potes, tu ſolus cor meum potes accendere; accende itaque cor, accende linguam, accende omnia verba mea, ut ita eundem ignem in Auditorum meorum cordibus poſſim accendere. De ſancto quodam Abbate ait D.Ephrem, cum concionaretur, *in ore ejus conſpecta fuit lingua ignea*; talem linguam videtur habuiſſe S. Vincentius Ferrarienſis, *eloquium enim illius* (ut vita refert) *tam fuit ignitum, ut Auditorum corda quaſi converteret in cineres humilitatis & pænitentiæ.* Lingua ſancti Antonii de Padua, poſtquam triginta duobus annis mortuus jacuiſſet in ſepulchro, aperto tumulo, reperta fuit plena ſucco,& rubicunda inſtar accenſi carbonis, quam cùm vidiſſet S.Bonaventura,accepit in manus ſuas, & dixit, *O Lingua benedicta! quæ Deum toties benedixiſti, atque alios benedicere docuiſti!* O ſancte Spiritus, talem mihi hodie concede linguam, ut doceam meos Auditores, te quoque benedicere, & laudare. Excitabitur in vobis, ut ſpero, hoc deſiderium, ſi attentè & devotè audiveritis reliquas cauſas,ob quas Spiritus ſanctus Feſto Pentecoſtes ſupra Apoſtolos deſcendit in forma ignis. Illis duabus, quas heri vobis expoſui, addam modo:

§.2. *Cur deſcenderit viſibilis in forma ignis.*

Eleganter dixit S.Leo ſerm 3. de Pent. *Diviſit opus noſtræ Redemptionis miſericordioſa Trinitas,ut Pater propitiaretur,Filius propitiaret, Spiritus ſanctus igniret.* Et S. Greg. Magn.hom.30. in Evang. *Ignis frigus pellit, & calefacit; ſic Spiritus ſanctus ab omni corde, quod replet, torporem excutit, & in deſiderium æternitatis accendit.* *Iſto igne*(ait ſanctus Auguſt.in Pſ.69.)*inflammati Apoſtoli,cæperunt ire per mundum, & inflammare,& incendere in circuitu per mundum univerſum,inimicos ejus.* Cùm itaque operationes Spiritus ſancti ad extra, igneæ ſint, meritò in igne de cœlo deſcendit in hunc mundum. Dùm Dominus apppa-
rere

rere voluit Moyſi,& cum illo loqui,ait textus; *Erat ſpecies gloriæ Domini, quaſi ignis ardens in vertice montis*, ut totus rubus inde ardere viſus fuerit: ut Moyſes poſtmodum populo dixerit, *Ignis conſumens Dominus Deus noſter.* Pari ratione in hodierna apparitione Spiritus ſancti ſpecies gloriæ ejus, fuit quaſi ignis; qui non aliquem rubum,ſed Apoſtolorum corda ardere fecit. *Exod.24. v.17. Deut.4.24. & c.9.v.3. Act.2.v.3.*

§.3. *Quod variis figuris V. Teſt. fuit conforme.*

Neque deſunt aliæ figuræ, ſecundum quas apparitio Spiritus ſancti hodierna die debuit fieri in igne. Propheta Daniel ait, *Thronus ejus flammæ ignis, rota ejus ignis accenſus, fluvius igneus rapiduſq; egrediebatur à facie ejus.* Talis Spiritus ſanctus ab æterno proceſſit à Patre & Filio, pariter ergo, inſtar ignei fluvii ſupra hunc mundum effundi & diffundi debuit. S. Joannes ait: *Et accepit Angelus thuribilum, & implevit illud de igne Altaris, & miſit in terram, & facta ſunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terræ motus magnus.* Si cum doctiſſimis Interpretibus per hunc Angelum intelligere velimus Chriſtum D. quærere poſſumus,quid intelligatur per altare, quid per thuribulum, quid per prunas? & reſpondere; altare illud à S. Joanne viſum in cœlis, fuiſſe figuram ſanctiſſimæ Crucis, in qua Agnus Dei, pro Redemptione generis humani, æterno Patri immolatus & oblatus fuit. *Thuribulum verò*, inquit Rupertus, *eſt ſanctiſſima Humanitas Chriſti D. ſive Corpus immaculatum, de Spiritu ſancto conceptum; vas & receptaculum ipſiuſmet Divinitatis.* In ignitis prunis nobis repræſentatur ille fervor, & ardor caritatis, ex quâ pro nobis in Cruce mori voluit; quo ſenſu piè loquuntur, qui apertum Chriſti latus,& vulneratum ipſius Cor vocant aureum thuribulum, plenum prunis caritatis; quarum ſcintillæ delapſæ in corda noſtra, excitant illos igniculos amoris, quo Chriſtum Crucifixum complectimur. Piè dicunt alii, linguam Chriſti pendentis in Cruce fuiſſe tale thuribulum; igneæ prunæ, accenſi carbones fuerunt, v. g. ignea illa verba, *Pater ignoſce illis, &c.* *Dan.7.v.9 10. Apoc.8.5. Luc 23.34.*

§ 4. *Proſecutio.*

Ad rem meam, modo aſſentior illis ſanctis Patribus, qui per hunc ignem, quem Filius Dei ſumpſit de altari ſanctiſſimæ Crucis,intelligunt Spiritum ſanctum,cujus adventum per mortem Crucis promeruit; unde Chriſtus plerumque, cùm egit de

Digitized by Google

Ioan. 16. 7. Spiritu ſancto ſimul mentionem fecit ſuæ mortis. *Si ego non abiero, Paracletus non veniet ad vos; ſi autem abiero, mittam eum ad vos.* Theophylactus hæc verba ſic explicat: *Si ego non morior pro mundo, & eo ad Patrem, dato ſacrificio --- in altari Crucis, & propitiatione pro peccatis, Paracletus mundi non veniet.* Joannes Ioan. 7. 39. Evangeliſta ait: *Nondum erat Spiritus datus, quia nondum erat Jeſus glorificatus.* Ut hoc ſenſu dubium eſſe non poſſit, Chriſtum D. fuiſſe Angelum, qui de altari Crucis accepit ignem Spiritus S. & in hunc mundum effudit.

§. 5. *Varia Spiritus S. operationes.* Effectus decidentium prunarum, quarum in Apoc. citat. loco fit mentio, non defuerunt in ignea apparitione Spiritus ſancti. Deſcendit Spiritus ſanctus, & ecce tonitrua, ſive voces Apoſtolorum, quibus terruerunt ſynagogam, & totam Jeroſolymam concuſſerunt, illum prædicantes, quem Judæi Cruci affixerant. Deſcendit Spiritus ſanctus, ecce fulgura, ſive ſplendores miraculorum, quibus novam doctrinam confirmarunt. Deſcendit igneus Spiritus ſanctus, & ecce, terræ, ſive cordium motus, mutationeſque, ut uno die, paucis horis milleni aliquot fuerint converſi, crediderintque in Chriſtum. Deſcendit Spiritus ſanctus, & Apoſtolorum corda replevit prunis divini amoris, ut illo toti exarſerint. Jam fugite, tartarea monſtra; poſtquam Triumphator & Victor inferni, inſuper divinum hunc ignem miſit in terras; cujus victoria erit, ut Apoſtoli illo accenſi, novi & ignei Hercules, idola, & idololatriam redigant in cineres. Inter hodiernas cœleſtes flammas nata eſt Chriſti Eccleſia, mortua idololatria, & ſepulta ſynagoga. Deſcendit Spiritus ſanctus, & ecce ſalutaris ventus de cœlo detulit in mundum pluviam, & imbres gratiarum. Deſcendit Spiritus ſanctus, & Apoſtoli novis linguis cœperunt loqui magnalia Dei. Et quid à Jeſu noſtro glorioſè aſcendente ad cœlos expectandum erat, niſi talia tonitrua, talia fulgura, tales motus, tales prunæ, talis ventus, tales pluviæ; verbo, niſi Divinus ignis Spiritus ſancti? Deus, qui in nube aſcendit, deſcendit hodie rurſum in igne.

§. 6. *Pium Auctoris deſid.* Utinam & hodie Divinus & igneus ille Spiritus labens de cœlo, obſtinatorum peccatorum corda concuteret! utinam im-

Digitized by Google

impii percellerentur hoc fulgure! Utinam frigidorum pectora inflammarentur ab his prunis! Utinam ab hoc igne comburerentur tot ſcelerum idola! Utinam vanitatum roſæ converterentur in cineres! Utinam igneus imber lavaret, quod eſt ſordidum! utinam rigaret, quod eſt aridum: utinam ſanaret, quod eſt ſaucium! flecteret, quod eſt rigidum, foveret, quod eſt frigidum! Nunquid plurimas advertitis cauſas, quare Spiritus ſanctus in has terras deſcenderit in igne?

§.7. *Alia figura ex Ezech. c. 10. v. 2.*

Viſioni huic ſancti Joannis, in qua diutius hæſi, planè ſimilis fuit illa Ezechielis, in qua vidit *virum lineis indutum veſtibus, cui dixit vox de cælo, Ingredere in medio rotarum, quæ ſunt ſubtus Cherubim, & imple manum tuam prunis igneis, & effunde ſuper civitatem.* Vir hic, à puriſſima Virgine, obumbrante Spiritu ſancto, indutus candida veſte innocentiſſimæ & ſanctiſſimæ Humanitatis, fuit Chriſtus Salvator noſter; feſto Aſcenſionis, poſt devictam mortem; glorioſè ingreſſus fuit cœleſtem Jeroſolymam, in medio rotarum, in pennis Cherub, in alis Seraphim, delatus uſque ad dexteram Patris, ibi vulneratas manus implevit prunis igneis, inde Spiritum ſanctum effudit ſuper totum mundum. Itaque igneus ille Spiritus, in forma ignis deſcendere voluit. Quæſo animæ piæ, & nos hodierna feſtivitate, ab iiſdem glorioſiſſimis manibus non exſpectemus, niſi has prunas, niſi hos ignes Divini amoris, & in illis, ſive cum illis Spiritum ſanctum.

§.8. *Cur ignis Spiritus S. in quorundã cordibus nihil operatur*

Sed doleo, in quorundam cordibus Cœleſtem hunc Ignem operari nihil poſſe, ob hanc cauſam: Cum Germanici Magni Caligulæ cadaver publicè in foro in imperatoria pyro cremaretur, omniaque membra ac oſſa jam eſſent favilla & cinis, cor ejus repertum fuit integrum, illi ardentes flammæ nocere non potuerunt: diſſecto corde, repertum in illo fuit frigidiſſimum venenum & toxicum, quo ſublato, ipſum quoque cor ſtatim fuit combuſtum. Et miramini Auditores, deſcendente hodie Spiritu ſancto in forma ignis, aliquorum corda nihilominus eſſe tam frigida? Videte, inſpicite, an non lateat in illis aliquod toxicum ſuperbiæ. (hoc modo fieri poterit acris invectiva)

Digitized by Google

va) ſi deſideremus, ut in nobis operetur igneus ille Spiritus, prius per Confeſſionem tolli debet toxicum cujuſvis peccati mortalis; tum accendemur, tum ardebimus igne Spiritus ſancti.

§. 9. *Quibus modis cœleſtis hic ignis in terram detrahi poſſit.*

Remoto hoc veneno aliis modis facilè in corda noſtra de cœlo detrahere poterimus ignem Spiritus ſancti. Ignis materialis, licèt naturâ ſuâ ſurſum tendat, cogitur tamen deſcendere deorſum, & aqua ſurſum, contra naturalem elementorum horum inclinationem. I. Metu vacui. II. Cum in ſubjecto apto poſita eſt ultima diſpoſitio ad introductionem formæ ignis; docet id experientia in extincta face, vel lucerna adhuc fumigante, cui ſi ignis applicetur, fumoſa exhalatio eundem mox concipit, & accenditur.. III. Detrahitur deorſum ignis potentia alicujus vi attractivâ, cum v.g. à vento, vel alio impetu depellitur deorſum. Itaque, ſi ignem cœleſtem Spiritus ſancti volumus in nos deſcendere, laboremus, ut corda noſtra ſint vacua, & evacuata ab omni inordinato amore creaturarum, &c. 2. Ut ſint plena ſuavi fumo ſanctorum deſideriorum, quæ in nobis ponunt certiſſimam diſpoſitionem ad recipiendam formam ignis Spiritus ſancti. 3. De vi attractiva, quæ eandem habet virtutem, & vim ad detrahendum ignem Spiritus ſancti, loquitur ſanctus

Pſ. 118. 131. David, cùm ait: *Os meum aperui, & attraxi Spiritum*, id eſt, ferventer oravi, & venit ſuper me Spiritus Domini. Et ob hanc cauſam, ut orationes noſtræ ſint accenſæ, & ferventes, Spiritus ſanctus deſcendit in forma ignis.

§. 10. *Aliæ rationes ob quas Spiritus S. deſcendit in forma ignis.*

Aliam pulchram rationem mihi ſuggerit ſanctus Gregor. M. hom. 30. in Evang. *Linguis igneis apparuit Spiritus, ut omnes, quos repleret, ardentes pariter, & loquentes faceret; nam otioſus eſt ſermo doctoris, ſi præbere non valeat incendium amoris*; S. Bernardinus ait feſto Pent. c. 5. *Venit Spiritus ſanctus in hunc mundum, ut transveheret mentes Apoſtolorum à terrenis ad cæleſtia, --- à ſe ipſis ad Deum; unde venit cum vento vehementi, ipſe Spiritus vehemens, ſecum vehens mentes illorum, quos veluti ab amore proprio eradicavit*; non fuit hoc ſatis, Venit, venit, ut eveheret ulterius ad ſpirituales & divinos ardores, ut illos accenderet igne divini amo-

Digitized by Google

amoris; quid congruentius, quàm quod ad hos fines deſcenderit in forma ignis?

Qui induit formam linguarum, non ſine magno myſterio; ſanctus Auguſtinus ait l.10. Confeſſ. c.37. *Quotidiana fornax eſt lingua humana.* Et ſanctus Jac. cap.3. *Lingua eſt ignis inflammata à gehenna.* S.Ber.ſer. 24. *Lingua inflammata à gehenna, quia diſſidii verba ſcintillat, & talis flamma de inferis eſt: nam flamma quæ de ſurſum, pudica eſt, pacifica eſt.* Quid itaq; dicam de illis linguis, quæ ſpargunt diſſidia & rixas inter conjuges? inflammatæ ſunt à gehenna; Quid de illis impudicis? idem de illis dicite. S. Antiochus in Bibl. P P. *Quiſquis laſciva profert verba, is ſcintillas projicit libidinis:* (ſic de linguis blaſphemis, &c.) Ut hæc fornax extingueretur, ut infernales hæ flammæ reprimerentur, &c. neceſſe fuit Spiritum ſanctum venire in hunc mundum, & quidem in ſpecie ignis, ad ſignificandam efficaciam quam habet, ad inflammandum linguas noſtras, aliis flammis, ut linguis loquamur novis, ut loquamur magnalia Dei, ut ſermones habeamus de rebus divinis, &c. §.11. *Præſertim in igneis linguis.* *Iac. 3. v. 6.*

Verùm ego modò non intendo de lingua tantum agere; totus homo ab igne Spiritus ſancti debet accendi: hæc eſt natura ignis, ut quamcumque materiam corripit, vertat in ignem, ita Spiritus ſanctus, qui eſſentialiter ignis & amor eſt, quaſcumque occupat mentes & homines, totos in Dei amorem vehementer accendit; accendit memoriam, &c. (poteſt fieri pulchra inductio) neque (quæ alia eſt proprietas ignis) latere vel abſcondi poteſt, adeo ut aqua v. g. licèt natura gravis ſit, & deorſim naturali impetu feratur, ſi tamen igni admota vehementem ignis calorem concipiat, naturæ ſuæ oblita ſurſum nititur, neque intra vaſis anguſtias contineri poteſt, ſed foras erumpit. Pari ratione Apoſtolica pectora, ubi hoc cœleſti igne exarſerunt, in quas laudis & confeſſionis voces non eruperunt? ut ad rei magnitudinem tota Jeroſolyma fuerit attonita. Quod alio ſimili declarat ſanctus Thomas, cum ait Chriſtum D. eſſe caput Eccleſiæ, Spiritum verò ſanctum cor; ſicut enim animantis cor occulto & inviſibili motu atque impulſu, vitalem calorem, vitaleſque ſpiri- §. 12. *Alia operationes ignis Spiritus S.*

Digitized by Google

tus,in omnia corporis membra effundere nunquam intermittit; ita Spiritus ſanctus myſtici hujus corporis, ſive Eccleſiæ igneum cor, omnia ejus membra, preſertim illa, quæ caritatis nexu Capiti ſuo conjuncta ſunt, agitare, movere, incendere, & ad pietatis, virtutiſque ſtudia incitare, &c. non deſiſtit. Ideo quoties nos ſanctis votis & deſideriis, piiſque conatibus agitari ſentimus, huic divino Spiritui gratias agere debemus, qui nos ad divinum amorem in omnibus accendit. Paſſim apud ſanctos Patres, & Concionatores reperiuntur igneæ Spiritus ſancti operationes, quas ut ſignificaret, in forma ignis deſcendit. Addo adhuc unam, & finio.

§.13. *Epilogus.* Cœleſtis hujus ignis operatio fuit, ut ſanctus Gregorius loquitur, *quod æternis exæſtuarint Apoſtoli deſideriis.* Utinam talia in nobis hodie accendat Spiritus ſanctus. Ludovicus Rex Siciliæ & Jeroſolymæ fundavit Ordinem Equitum, quos vocavit *Viros bonorum deſideriorum de Spiritu ſancto.* Huic congregationi hodie adſcribo nomina omnium meorum Auditorum. (per brevem repetionem Concionis, collige deſideria, quibus his feſtis ardere debemus, & fac pulchrum Epilogum.)

CONCIO LXX.

FERIA III. PENTECOSTES.

Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant. Joan. 10. v. 10.

SYNOPSIS CONCIONIS.

SEptem analogiæ inter ignis materialis operationes, & ſeptem Dona Spiritus ſancti, ſunt totidem rationes, ob quas

Digitized by Google

quas viſibilis in terras deſcendit in forma, & ſpecie ignis.

§. 1. *Variæ proprietates ignis nobis explicant ſeptem Dona Spiritus ſancti.*
§. 2. *Propoſitio Concionis.*
§. 3. *Ignis purificat.*
§. 4. *Præter alios modos, quibus purificantur & mundantur animæ noſtræ.*
§. 5. *Id excellenter præſtat ignis Spiritus ſancti, per donum Timoris Domini.*
§. 6. *Ignis eſt fortis, ut etiam à ventis magis accendatur; talis in nobis eſt ignis Spiritus ſancti, per Donum Fortitudinis.*
§. 7. *Diverſo modo hic ignis à multis concipitur.*
§. 8. *Ignis illuminat, quod Spiritus ſanctus facit per Donum ſcientiæ; & ſimul ardet.*
§. 9. *Ignis avaritiæ ardet, ſed non lucet.*
§. 10. *Idem veriſſimum eſt de igne luxuriæ.*
§. 11. *In igne Spiritus ſancti utrumque conjungitur, ardor, & lumen.*
§. 12. *Spiritus ſanctus eſt lux.*
§. 13. *Ignis flectit & mollit dura, id facit Spiritus ſanctus per Donum Pietatis.*
§. 14. *Ignis materialis varia immutat; idem agit ignis Spiritus ſancti per donum Intellectus.*
§. 15. *Proſecutio.*
§. 16. *Per donum Sapientiæ ignis Spiritus ſancti nos avellit à terrenis, & elevat ad cæleſtia.*
§. 17. *Penetrat intima cordis per donum Conſilii.*
§. 18. *Epilogus eſt brevis repetitio Concionis.*

§. 1. *Variæ proprietates ignis nobis explicant ſeptem Dona Spirit. S.*

Binis Concionibus vobis in communi propoſui varias cauſas, ob quas Spiritus ſanctus viſibilis de cœlo in terras deſcenderit in forma ignis. Si in particulari ſeptem illius dona velimus conſiderare, inter illa, & proprietates ignis, pulcherrimas inveniemus analogias, & congruentias, propter quas Divinus ille Spiritus dicitur *ignis*. Ignis purgat & mundat ſordida; hoc facit Spiritus ſanctus per donum *Timoris Domini*; Ignis durat; idem facit *Fortitudo*, quæ eſt donum ſancti Spiritus. Ignis illuminat; illuminat quoque Spiritus ſanctus per

Digitized by Google

donum *Scientiæ*. Ignis dura mollit & liquefacit; id in obſtinatis hominum cordibus operatur Spiritus ſanctus per donum *Pietatis*. Ignis mutat ſapores & colores; nigra facit rubea vel candida; amara reddit dulcia; mirabiliores longè mutationes in homine cauſat Spiritus ſanctus per donum *Intellectus*. Ignis incendit & ſurſum agitur, omnia quæ illi applicantur & conjunguntur, ſui ſimilia facere contendit; ſic etiam Spiritus ſanctus per donum *Sapientiæ*, quam mentem occupaverit, rerum cœleſtium amore incendit, dulcedinis ſuavitate liquefacit, ad ſuperna elevat, & ſui tandem ſimilem, id eſt, ſpiritualem, ſanctam atque divinam (quatenus homini licet) efficere conatur. Denique ignis, præſertim ſi tonitrua & fulgura, ſi fulmina & coruſcationes accedant, intima terræ ſcrutatur & penetrat; quem effectum in ſenſu myſtico dono *Conſilii* adſcribere poſſumus.

§. 2. *Propoſitio Concionis.* Ut in hac quoque Concione hujus divini Spiritus percipiendi atque poſſidendi cupiditate incendam, eximia hæc dona eorumque virtutes & beneficia latius explicabo, ſub incepta metaphora proprietatum ignis, ut hoc triduo hanc veritatem veſtris mentibus imprimam, non ſine magnis myſteriis Spiri-
Act. 2. v. 3. tum ſanctum in terras delapſum eſſe in forma ignis. Oporteret, ut Spiritus ſanctus donis plenus eſſet, quiſquis de hac tanta re verba facere cogitat, quò de plenitudine cordis ſui eructaret verbum bonum. Experiar tamen, & quæ mihi Spiritus ſanctus ſuggeſſit, in medium proferam. Adeſte vos animis, auribuſque ut quicunque Spiritum ſanctum percepiſtis, admirabiles ejus operationes clarius cognoſcatis.

§. 3. *Ignis purificat.* Hanc qualitatem natura indidit igni, ut ſuo calore res immundas purget & mundet, fortius quàm aqua. Experientia id docet, ſordidum linteum non mundabitur, ut decet, ab aqua frigida, ſed calida. Immundam ſpumam ex carnibus non expellit aqua, ſed calor ignis. Aurum, argentum, aliaq; metalla non purificantur niſi per ignem; ſumma & pulcherrima puritas in variis objectis provenit à calore & igne. Deus Opt. Max. pro ſuo infinito erga hominem amore, quem vult eſſe purum, ſanctum, & immaculatum, de variis quoque mediis eidem providit, vel

fon-

Digitized by Google

fontes inſtituit, ut in illis lavetur, mundetur, & ſupra nivem dealbetur.

Habemus inprimis ſanctiſſimum Sacramentum Baptiſmatis, quod ab Apoſtolo vocatur, *Lavacrum generationis Spiritus ſancti*, in quo anima liberatur à turpiſſima macula peccati originalis, imò peccatorum actualium immunditie, ſi homo poſt quam adultus, in illa lapſus eſt, Sacramentum illud ſuſcipiat. Pro relapſis poſt Baptiſma Chriſtus Salvator noſter inſtituit Sacramentum Pœnitentiæ, per quod in ſanguine Chriſti, veluti ſalutari balneo, iterum lavamur; præſertim, ſi addantur calidæ lachrymæ, hauſtæ ex fonte cordis contriti & humiliati. Vim mundandi animas præterea habet aqua Verbi divini, ut Chriſtus D. ipſe dixerit: *Vos jam mundi eſtis, propter ſermonem, quem locutus ſum vobis.* Ut modo nihil dicam de aquis tribulationum, quibus ſacra Scriptura, & ſancti Patres eandem operationem attribuunt: faciunt enim, ut ſæpe peccata præterita agnoſcamus, & deteſtemur, futura verò fugiamus, in quibus puritas animæ conſiſtit.

§. 4. Præter alios modos, quibus purificantur & mundantur animæ noſtræ.

Tit. 3. v. 5.

Ioan. 15. v. 3.

Verùm quia ex imbecillitate humana, loti in Sacramento Baptiſmatis, mundati in balneo Pœnitentiæ, purgati à lachrymis contritionis, potati & irrigati aqua Verbi divini, & fluctibus tribulationum, nihilominus quotidie & facillimè relabimur in peccata præterita, & præſertim venialia; inſuper nobis providit, de medio omnium efficaciſſimo, dum in cordibus noſtris accendit ignem Spiritus ſancti, cum hic ardet, & veluti bullit in nobis, veluti ex cruda & immunda carne minimæ etiam ſordes pelluntur; patuit hæc vis ignis Spiritus ſancti ſtatim in Apoſtolis, de quibus probabile eſt, quod poſt deſcenſum Spiritus ſancti confirmati in gratia, nunquā deinde peccaverint, ne venialiter quidem. Hunc effectum cœleſtis hujus ignis Deus promiſerat per Iſaiam, *Convertam manum meam ad te, & excoquam ad purum ſcoriam tuam.* Scoria propriè eſt immuda illa ſpuma, quam ignis egerit ex argento, dum ab eodem excoctum liqueſit; pari ratione cor hominis ſancti ita excoquitur, & purificatur ab igne Spiritus ſancti, præſertim per donum Timoris Dei, ut dicere poſſit

§. 5. Id excellenter præſtat ignis Spiritus per donum Timoris Domini.

Iſ. 1. v. 25.

Digitized by Google

Pſ.16. v. 3. cum Davide, *Igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas.* Efficitq; ſalutaris hujus timoris ardor, ut quis millies malit mori, quàm iterum fœdari, & Deum offendere. O nos felices! ſi hoc feſto Pentecoſtes, ſalutaris ignis hujus doni Timoris in corda noſtra de cœlo delapſus ſit: laboremus, ne rurſum extinguatur.

§. 6. *Ignis eſt fortis, ut etiam à vētis magis accendatur. Talis in nobis eſt ignis Spiritus S. per donū Fortitudin.*

Ignis eſt fortis, non facilè cedit, à ventis plerumque magis accenditur; pari ratione, licèt ſpirent venti tentationum, licèt inſurgant procellæ perſecutionum, licèt murmuret Sathan, qui ignem Spiritus ſancti concepit, ab eo roboratus per donum Fortitudinis, non facilè vincitur, ſed ab illis ventis, flamma divini amoris in iiſdem magis accenditur; neque ullos timet hoſtes. Videmus hunc effectum in S. Petro, de quo ſanctus Gregor. in Act. *Ecce Petrus gaudet in verberibus, qui prius in verbis timuit, qui prius inquiſitus vocem ancillæ timuit, nunc poſt Adventum Spiritus ſancti principum vires--- ridet.* Figuram hujus operationis reperio in ſacris literis. Vidit Propheta Ezechiel magnum ignem repræſentantem ſimilitudinem currus & quatuor animalium; ante biduum inſinuavi omnia fuiſſe ignea, & ipſa animalia: modo hoc adverto; quòd venerit ab Aquilone vehemens turbo, qui ignem per currum & animalia adeo incendit & inflammavit, ut dicat ſacer textus currum & animalia fuiſſe ignem

Ezech. 1. 13. *quaſi carbonum ardentium.* Hoc præſtitit vehemens turbo, ut ſciamus idem fieri in homine, quem Spiritus ſancti ignis per donum Fortitudinis ſemel accendit, vento tribulationum & tentationum, ad Deum amandum magis exardeſcunt, & fiunt fortiores. S. Greg. l. 26. moral. ſic loquitur: *Sanctorum mentes æternitatis præmia præſtolantes, vires ex adverſitatibus ſumunt: Electorum deſideria* (à Spiritu ſancto accenſa) *dum premuntur, adverſitate proficiunt; ſicut ignis flatu premitur, ut creſcat! & unde extingui quaſi creditur, inde amplius roboratur.* Hic eſt igneus effectus doni Fortitudinis, quâ Spiritus ſanctus nos accendit, animat, & roborat.

§. 7. *Diverſo modo hic ignis concipitur.*

Sed attendere oportet, qua ratione cœleſtem hunc ignem concipiamus. Aliqua candela v.g. facilè accenditur, & à mo-

Digitized by Google

à modico vento facillimè extinguitur. Fortis aliqua quercus ignem tam citò non concipit, verum ignis in illa ſemel accenſus, non tam facilè reſtinguitur. Idem videmus in metallis, eâdem differentiâ accipimus Spiritum ſanctum. Aliqui ardent, ut candelæ, quas modicus ventus tentationis vel tribulationis extinguit. Oportet nos eſſe robuſtas quercus, ut ignis, quo ardemus, non tam cito emoriatur; verùm ad hoc ipſum, ut tales arbores ſimus, vel ſolidum aurum, hoc ipſum donum Spiritus ſancti eſt neceſſarium. Ex hoc quoque puncto facilè poteſtis advertere, an acceperitis Spiritum ſanctum.

§. 8. *Ignis illuminat, quod Spir. s. facit per donum ſcientiæ, & ſimul ardet.*

Tertia proprietas ignis eſt, quod illuminet; quod Spiritus ſanctus in homine præſtat per donum Scientiæ. Circa hanc ignis proprietatem, modo hoc præcipuè adverto, in igne materiali ſubinde ſeparari ardorem à lumine; v. g. in materia nimis terreſtri, in carbonibus Leodienſibus eſt vehemens ardor ignis, qui tamen non valde lucet, neque illuminat; fortiſſimè tamen urit & calefacit cum denſiſſimo fumo, quem exhalant iſti terrei carbones cùm accenduntur. Pari ratione ignis in linguis madidis, aquoſis & viridibus ardet quidem, ſed non eſt clarus, ſed permixtus craſſo fumo. Econtra in aliis ſubjectis, v. g. ſtramine, fœno, ſtuppa, ignis valde lucet, ſed ardor eſt exiguus. Perfectior ergo eſt ille ignis materialis, qui & ardet & lucet. Eaſdem prorſus differentias & qualitates reperio in igne ſpirituali, vel interiori, quo ardent corda hominum.

§. 9. *Ignis avaritiæ ardet, ſed non lucet.*

In quorundam v. g. cordibus ardet ignis concupiſcentiæ erga divitias, ſive avaritiæ: ſubjectum ejus capax eſt cor terrenum, quod, quia ſemper concupiſcit aurum, illo ardet igni, de quo Rex Salomon ait, *Ignis, qui nunquam dicit, ſufficit.* Et Ecclesiaſticus, *Anima calida, quaſi ignis ardens, non extinguetur donec aliquid glutiat.* Hic ignis ardet, ſed non lucet, plenus denſo fumo, qui avarorum oculos excœcat; de quo igne ait David, *Supercacidit ignis, & non viderunt ſolem.* Hic eſt ille fumus, quem ſanctus Joannes in Apoc. vidit exhalari ex puteo abyſſi. Avaritia ignis eſt ardens, non lucens, ſed excœcans. Ignis Spiritus ſancti ardet, lucet, & illuminat.

Prov. 30. 16 *Eccl. 23, 22.* *Pſ. 57. v. 9.*

Alio-

Digitized by Google

§10. *Idem veriſſimum eſt, de igne luxuria.* Aliorum corda ſunt humida, & paluſtria ob humorem deliciarum hujus mundi; in his plerumque ardet ignis luxuriæ, ut ait Job. *Ignis eſt uſque ad conſummationem devorans, & omnia eradicans germina.* S. Hier. exclamat, *O ignis infernalis luxuria! cujus materia gula, flamma, ſuperbia, cujus ſcintillæ, prava colloquia, cujus fumus infamia, cujus cinis inopia, cujus finis gehenna.* *Iob 31. 12.* *Ioël 2. v. 5.* Joël hujus meminit circumſtantiæ. *Super capita montium* (id eſt, divitum, ſuperborum, &c.) *exiliunt flammæ ignis devorantis.* Hoc lugendum eſt! tales! tales! NN. frequenter ardere, hoc infernali igne; hic quoque ignis ardet, & non lucet.

§. 11. *In igne Spir. S. utrumque conjungitur ardor & lumen.* In igne Spiritus ſancti utrumque conjungitur, juxta illud Iſaiæ, *Erit lumen Iſrael in igne, & Spiritus ejus in flamma, & Dominus! cujus ignis in Sion, & caminus ejus in Ieruſalem*; ecce iterum conjunguntur lumen, vel illuminatio, & ardor. Sion, idem eſt, quod ſpecula, in qua intellectus illuminatus dono ſcientiæ pervigil attendit, quid agendum, quid omittendum ſit: *Iſ. 10. v. 17. c. 31. v. 9.* per caminum verò in Jeruſalem, id eſt, in civitate pacifica, ſignificatur inflammatio affectus ad pacificam dilectionem, quæ neceſſario lumini Spiritus ſancti eſt conjuncta. Spiritus ſanctus accendit, & ſimul per hoc donum illuminat. S. Baſil. de Spir. ſancto. *Sicut corpora illuſtria, perlucidaque, contacta radiis ſolis, fiunt & ipſa ſplendida, & alium fulgorem ex ſe præferunt; ſic & animæ Spiritu ſancto afflatæ, illuſtratæ, & illuminatæ, fiunt ſpirituales, cœleſtes, divinæ.*

§. 12. *Spiritus S. eſt lux.* Illuminatio hujus doni pellit tenebras mentis. Cum Deus Gen. 1. creavit terram, *fuerunt tenebræ ſuper faciem ejus*, ſed quamprimum Deus dixit, *fiat lux*, facta eſt lux ſuper univerſam terram. *Gen. 1. v. 2. v. 3.* Denſiores tenebræ erant in mentibus Apoſtolorum; ſed miſſus de cœlo ignis Spiritus ſancti fugavit tenebras, & clariſſima luce totum mundum illuminavit, juxta illud ſancti Pauli,
2. Cor. 4. 6. *Deus, qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ, claritatis Dei, in facie Chriſti Ieſu*; dum Spiritum ſanctum miſit in hunc mundum, cujus operationes per lucem clariſſimè exprimuntur. Lux eſt qualitas nobiliſſima, proles & filia ſolis; tertia Perſona in ſanctiſſima Trinitate

Digitized by Google

nitate eſt Spiritus nobiliſſimus, à Patre & Verbo, à ſole Juſtitiæ procedens. Lux eſt qualitas pulcherrima, quia omnia oculis noſtris proponit pulchra; pulchrior eſt Spiritus ſanctus. Lucis præterea jucunditas, puritas, utilitas, fœcunditas & efficacia; omnia ſignificant Spiritum ſanctum eſſe ignem jucundiſſimum, puriſſimum, fœcundum & efficacem, &c.

Quarta proprietas ignis eſt, ut dura flectat & emolliat, hoc in nobis operatur flamma Spiritus ſancti per donum Pietatis. Nullus aurifaber ex pretioſo metallo, ex auro vel argento efformabit pulchrum vás, ſine igne. Ad elegantem formam, ornatum, & ſanctitatem animæ, neceſſe eſt, ut voluntas inclinetur & flectatur in omnibus ad Dei voluntatem; divina gratia illam ſic flectit in camino tribulationis; ita hunc mundum appellat ſanctus Auguſtinus, *Totus mundus iſte fornax eſt ſupremi Artificis*; & addit: *ibi juſti tanquam aurum, ibi impii tanquam palea, ibi tribulatio ſicut ignis, ibi Deus ut artifex: ibi pius laudat Deum, ibi aurum rutilat, impius Deum blaſphemat; inde juſtus, quaſi vas auri ſolidum, ornatum omni lapide pretioſo* tandem reponitur in menſa cœleſtis gloriæ: inde tandem impius tanquam vas perditionis & ignominiæ, projicitur in ignem æternum. Scorias verò, quas ſubinde in nobis relinquit fornax tribulationis, planè conſumit & excoquit caminus Spiritus ſancti, tum corda noſtra ſimul liquefacit veluti aurum, ut per donum Pietatis, ſimul diffluunt in omnes modulos Divinæ voluntatis.

§. 13. *Ignis flectit & mollit dura: id facit Spirit. S. per donum Pietatis.*

Eccl. 30 10.

Progredior ad alias proprietates ignis; quod mutet colores & ſapores; quod inſipida reddat ſapida, amara dulcia: carnibus crudis quis delectatur? ſapiunt coctæ vel aſſatæ ab igne. Colorem quod attinet, niger carbo fit lucidus; pannus candidiſſimus, aduſtus, fit niger, &c ſimiles in anima hominis mutationes cauſat donum Spiritus ſancti, quod dicitur Intellectus. Intellectus hominis depravatus, ambulans in tenebris, putat hominis beatitudinem, & felicitatem conſiſtere in bonis hujus mundi; ideo in illis quieſcit & delectatur. Sapiunt cepæ, allia, & ollæ Ægypti. Sapit quidquid ſapit carnem & mundum. Intellectus verò quamprimum illuſtratus à Spiritu ſancto, qualis

§. 14. *Ignis materialis varia immutat: idem agit ignis Spir. S. per donum intellectus.*

Digitized by Google

mutatio? Deſipit mundus,deſipiunt terrena; ut dicat cum Eze-
Ezec. 3. 14. chiele: *Spiritus levavit me,& aſſumpſit me, & abii amarus in indignatione Spiritus mei*; ideoq; cœleſtia tantum ſapiunt: quod eleganti ſimili declaratur; ſalmoni piſci natanti in mari, aqua ejus ſalſa videtur dulcis, quia dulciorem non guſtavit; ſi verò contingat illum è mari aſcendere in fluvios,in Rhenum,in Mœnum, ubi dulces reperit aquas, adeo illis delectatur, ut ad mare non redeat. Pari ratione carnalis homo, quamdiu moratur in ſalſo mari voluptatum, quamdiu non guſtat dulcedinem aquarum Spiritus ſancti, hoc mare videtur illi dulce; ſi vero contingat eundem calefieri igne Spiritus ſancti, ſi ejuſdem lumine illuminetur Intellectus; talis mox priores voluptates deteſtatur, in indignatione Spiritus, nec aliud quærit, vel deſiderat, niſi quod cœlum ſapit. Utinam hæc omnes intelligerent, ſaperent, & viderent.

§. 15. *Proſecutio.* Mutationem colorum,v.g. in nigris,& accenſis carbonibus, varii ſancti Patres applicant huic eidem igni, & Apoſtolis:
Pſ.17. v. 9. nam cùm eſſent tepidi,frigidi in amore cœleſtium, *Ignis exarſit, & carbones ſuccenſi ſunt ab eo*, imò, ut heri dixi, Inflammati ſunt. Sed de his alibi.

§. 16. *Per donum Sapientiæ ignis Spir. S. nos avellit à terrenis & elevat ad cœleſtia.* Sequitur proprietas ignis, quod tendat ſurſum. Eodem tendit anima inflammata igne Spiritus ſancti per donum Sapientiæ. Hic eſt pulcherrimus ordo, & quaſi aſcenſus inter dona Spiritus ſancti. Quamprimum Spiritus ſanctus hominis mentem occupat, peccatorum tenebræ ipſius luce fugatæ evaneſcunt. Ipſe enim eſt ſplendidiſſima lux & omnium remiſſio peccatorum. Deinde non contentus peccata omnia eliminaſſe,& ab æternæ mortis ſupplicio hominem liberaſſe; ne iterum in eadem peccata relabatur,mentem ejus ſpiritualibus armis inſtruit,& roborat; tum 3. virtutum ornamentis illam decorat, infundens gratiam, quâ intellectum & voluntatem, cæteraſq; animæ vires munit,& armat; idoneaſq; & potentes reddit, tum ad flagitia omnia repellenda, tum ad omnia virtutis & pietatis opera exequenda; & ita denique eandem mentem jugi ſemper afflatu & impulſu ad bene operandum incendit, ut ab immodera-

to

Digitized by Google

to rerum terrenarum amore avulſa, evolet ad cœleſtia. Neque enim fieri poteſt, ut quiſquam ſimul ſit, & ad terrena per amorem depreſſus, & in cœlum mente ſublatus; cùm hæc duo ſibi invicem adverſentur. S. Gregor. *Sæculares mentes, quantum ſe foris per deſideria dilatant, tantùm ad receptionem Spiritus ſancti ſinum cordis anguſtant.* Vera ſapientia à Spiritu ſancto infuſa cor dilatat. Cùm ex ſancto Baſilio quæſitum eſſet, *qua ratione quis mentem ſuam ita præparare poſſet, ut hoſpite Spiritu ſancto dignus haberetur, reſpondit: quamdiu mandata Domini non ſervamus, nec tales ſumus, ut Veritas de nobis dicat, Vos de hoc mundo non eſtis, nequaquam debere nos exſpectare, ut Spiritu ſancto digni efficiamur.* Sed res valde difficilis eſt, ab immodico rerum præſentium amore animum vindicare, quarum ſpeciem oculis uſurpamus, quarum fructu paſcimur, quarum dulcedine oblectamur, & ſine quarum uſu vitam non ſuſtentamus, ſic eſt, ſed illis qui non acceperunt Spiritum; ſi hic donum ſuæ ſapientiæ in cordibus noſtris diffundat, eadem ſapientia ignis & flamma, quæ mentes noſtras à terrenis avellit, accendit, & accenſas rurſum elevat, ut tota cœleſtibus deſideriis ad Deum amandum, & quærendum cœleſtia inardeſcat.

Denique ignis materialis valde ſubtilis & efficax eſt, ut intima & profunda terræ ſcrutetur & penetret. Sic ignis Spiritus ſancti penetrat intima cordis, ſcrutatur angulos omnes conſcientiæ, ne quid ſordidum remaneat, & tum ſanctiſſima ſuggerit conſilia, & inflammatos generat affectus, ad amandum Deum. Utriuſque hujus operationis mentionem fecit Ezechiel. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & dabo vobis cor novum. Et ſpiritum meum ponam in medio veſtri, -- & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis, & operemini.* Si vultis, advertere poteſtis, me hac Concione propoſuiſſe vobis plurimas cauſas, & igneas operationes, ob quas Spiritus ſanctus viſibiliter deſcendit in forma ignis.

§.17. *Penetrat intima cordis per donum Conſilii.*

Ezec.36.25

Finiam paucis verbis piiſſimi Ludovici Granatenſis Conc.2. in Feſto Pent. *Talem unumquemque eſſe conſtat, qualem intra*

§.18. *Epil. & breve recapit. Conc.*

Digitized by Google

intra ſe ſpiritum geſtat. Unde quemadmodum ſpiritus malus ſimiles ſibi facit, quos inhabitat, ſuperbos, rebelles, elatos, in malo obſtinatos, nequitiâ plenos. Sic etiam qui à divino ſpiritu aguntur, illiuſq; vim & Numen participant, illius etiam puritatem, benignitatem, & innocentiam imitari contendunt. Gaudeo proinde, ſi intra vos geſtetis ſpiritum timoris Domini; hic vos impediet, ne unquam Deum graviter offendatis (hoc modo in Epilogo fiat brevis repetitio Concionis) vel repete per conglobationem omnes dictos effectus, v.g. Ignis Spiritus ſancti alta humiliat. O ſancte Spiritus fac hoc in cordibus noſtris. Ignis Spiritus ſancti obſcura illuminat; ô Spiritus ſancte & meum & Auditorum corda illumina. Ignis Spiritus ſancti liquefacit; O ſancte Spiritus fac ut hodie fluat ex oculis noſtris, &c. Ignis, &c. confirmat; ô fac ut ſimus columna, &c. Secernit; ô fac, &c. Mutat; ô muta nos, &c. Surſum rapit; ô rape. Terret; ô terre, ne malo ſed bono adhæreamus.

CONCIO LXXI.

FESTO CORPORIS CHRISTI.

Caro mea verè eſt cibus, & Sanguis meus vere eſt potus.

Joan. 6. v. 16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRima parte multis agit de neceſſitate & excellentia Fidei, quæ requiritur ad cultum Venerabilis Sacramenti: in altera, de adoratione, gratiarum actione, & Veneratione Chriſto in ſacroſancta Euchariſtia nobis præſenti, debitâ.

§. 1. Sa-

§. 1. *Sacramentum Euchariſtiæ in via comprehendi non poteſt, niſi per fidem.*
§. 2. *Arcanum hujus myſterii reſerat ſola Fides.*
§. 3. *Variis ſimilibus declaratur neceſſitas Fidei, ad cultum Venerabilis Sacramenti. Fides hæc eſt radix.*
§. 4. *Aliud ſimile S. Auguſtini; eſt aureus baculus.*
§. 5. *Aliud ex epiſtola S. Petri; eſt lucerna.*
§. 6. *Fides eſt mater virtutum, quibus colimus ſacroſanctam Euchariſtiam.*
§. 7. *Elogia hujus Fidei.*
§. 8. *Aliud.*
§. 9. *In fide erga ſanctiſſimum Sacramentum, imitemur fidem Magorum erga* JESULUM.
§. 10. *De mirabili modo, quo Chriſtus D. nobis adeſt in Euchariſtia.*
§. 11. *Propter quod eſt laudandus extraordinaria ſolennitate.*
§. 12. *Proceſſiones Corporis Chriſti comparantur cum Romanis triumphis.*
§. 13. *Celebratur idem triumphus à Sanctis in cœlis.*
§. 14. *Vnde habeat originem hic verſiculus, Laudetur ſanctiſſimum Sacramentum.*
§. 15. *Non poſſumus illud ſatis laudare.*
§. 16. *Invectiva in irreverentes erga ſanctiſſimum Sacramentum.*

QUod Theophylactus de Deo quæſivit, *Quis enim poteſt capere, quantus ſit Deus*; ego hodie interrogo, non homines tantum, ſed ſpiritus Angelicos, de ſanctiſſimo Sacramento Euchariſtiæ, quis poteſt capere, quantum hoc ſit myſterium? Olim in templis Ægyptiorum alicui parieti, vel columnæ legebantur inſcripta hæc verba: *Ego ſum, quod fuit, quod eſt, quodque futurum eſt: velum meum nemo unquam revelavit*, quæ verba meo judicio clarius exponit Iſaias, *Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Salvator*. Hebraicè. *Tu es Deus abſcondens ſe*. Hoc Chriſtus D. Deus homo, propriè fecit in inſtitutione Euchariſtiæ, in qua ſub velo accidentium, in parvulo circulo concluſit & abſcondit infinitam ſuam Majeſtatem. Quod velum nemo unquam revelavit: quis poteſt capere,

§. 1. Sacramentum Euchariſtia in via comprehendi non poteſt, niſi per fidem.

Iſ. 45. v. 15.

re, ſub ſpeciebus parvæ hoſtiæ, quantus ſit Deus. Proinde bene monet Euthymius in ſanctum Joannem, *Oportet namque non ſimpliciter eò intueri (id enim eſt carnaliter intelligere) ſed aliud quidpiam imaginari, & interioribus oculis ea aſpicere, tanquam myſteria.* Interioribus oculis, ſub hoc velo aſpicere nos oportet Chriſtum D. tantum quantus eſt, talem qualis eſt, in cœlis ſedens ad dexteram Patris. Interioribus intueri nobis licet glorioſa ejus Vulnera, imò ipſam Deitatem, & tres Perſonas ſanctiſſimæ Trinitatis; ſed ſub velo, quod nemo unquam revelavit.

Cant. 2. v. 3. Sponſa comparat Dilectum ſuum arbori, & gloriatur de dulcedine fructuum illius arboris; addit tamen hoc contigiſſe, vel guſtaſſe ſe illos fructus ſub umbra, quæ ex mente Origenis, ſymbolum eſt obſcuritatis, in tam tremendo myſterio, in quo ſub velo quodam Deus ſe abſcondit, quod nemo unquam revelavit; id eſt, Intellectus humanus, vel Ratio nunquam comprehendet hoc abſconditum Sacramentum. Vera Fides hoc facit: Fides ait, ſub hoc velo latet Deus noſter: Fides ait, non eſt hic amplius panis vel Vinum, ſed Caro & ſanguis Chriſti, &c. Urbanus IV. ſummus Pontifex dixit; *In hodierna Sacramentali Chriſti commemoratione, Jeſus Chriſtus præſens, ſub alia quidem forma, in propria verò ſubſtantia eſt nobiſcum. Ideo* (ſic ait ad Paſtores Eccleſiæ) *ſubditos veſtros - ſalutaribus monitis ſollicitè per vos, & per alios exhortamini, ut per veram Confeſſionem -- ſedulas orationes & alia devotionis ac pietatis opera, taliter ſe ſtudeant præparare, ut hodiernum Feſtum, qua par eſt, devotione, cum omni ſanctitate, & lætitia cordis celebrent.* Hoc idem ego præſtare conabor hac Concione, adducam enim cauſas, ob quas æquum ſit, ut eò allaboremus, ut à nobis omni ſtudio colatur, & laudetur ſanctiſſimum Sacramentum.

§. 2. Arcanum myſt. Vener. S. reſerat ſola fides.

Inter varia emblemata Euchariſtica, ſemper illud mihi placuit, in quo ciſtula depicta eſt ex auro ornata gemmis, cum aurea clavi, additâ hâc epigraphe, *Pretioſiora latent.* Cùm in hodierna ſolennitate, in templis, in Altaribus, in Proceſſionibus, aſpicietis argenteas vel aureas hierothecas, in quibus ſanctiſſimum Sacramentum, vel ſacroſancta Hoſtia circumfertur, idem

co-

Digitized by Google

cogitate; *Pretioſiora latent*; latet ſub hoſtiæ accidentibus Corpus & Caro Chriſti! latet divinus ejus ſanguis,latet anima, & tota Divinitas, conſequenter inveſtigabiles divitiæ & theſauri; proinde quid pretioſius poteſt excogitari? cùm ibi lateat Deus, ſed abſconditus. Aurea clavis,quâ ſolâ, hæc arcana reſerare,& ſcrutari nobis licet, eſt vera Catholica Fides, quæ ex mente ſancti Auguſtini,in hoc conſiſtit, ut credamus, quod non videmus. Non videmus v.g.Corpus Chriſti,credimus nihilominus,illud ibi eſſe,&c. (hoc modo fiat pulchra inductio.)

§. 3. *Variis ſimilibus declaratur neceſſitas veræ fidei,ad cultum V.S. fides hæc eſt radix.*

Ad cultum diviniſſimi hujus Sacramenti, fides planè eſt neceſſaria, quod ſancti Patres pulchris ſimilibus declarant. S. Chryſoſt. in ep.2. ad Cor. c. 4. ait, *Sicut planta abſque radice fructum non profert, ita abſque Fidei fundamento non provenit ſermo doctrinæ.* Ego dico hodie; & laudo piam conſuetudinem, quâ in hod.ſolenn. vexilla,cerei,altaria,parietes ornantur arboribus & floribus,ut ſimus memores,multò magis corda & animas noſtras, tanquam templa Dei viva, debere ornari floribus cœleſtibus eximiarum virtutum. Talis planta,talis floſculus v.g. eſt inprimis devotio & reverentia externa, qua ſanctiſſimum Sacramentum colimus, & adoramus. Hæc planta, hic floſculus non provenit ſine radice Fidei. Elegans floſculus eſt reverentia externa (ſic de actibus aliarum virtutum, & orationibus) verùm non proveniunt ſine radice Fidei. Sanctus Auguſtinus in Pſ. 31. *Magnum opus! ſed ex fide video fundamentum operis; laudo fructum boni operis* (*laudo cultum V. S.*) *ſed in Fide agnoſco radicem.*

§. 4. *Aliud ſimile ex S. Auguſt. Fides eſt aureus baculus.*

Alterum ſimile ſancti Auguſtini in hoc conſiſtit,dum ait: *Sicut membra tremula & languida, ſe baculo deducente labi non permittuntur; ſic etiam animam noſtram incertis ratiocinationibus circumactam, fides quovis baculo tutius ſuſtentans, & vires ejus reficiens ſummopere firmat, nec ſinit ſubverti infirmas noſtras cogitationes.* Innumeras tales ſuggerere ſolet infernalis ſerpens illis, quos tentat contra fidem, præſertim circa abſconditum & arduum myſterium ſanctiſſimi Sacramenti; torrens quidem, aut rapidus fluvius, eſt hoc myſterium; ſine aureo baculo fidei, ne-

Digitized by Google

nemo ſine periculo ſubmerſionis tranſibit. De hoc baculo eſtote ſollicitꝭ, ne incertæ ratiocinationes vos circumagant, & infirmæ cogitationes vos ſubvertant. Aureus & fortis baculus fidei nos firmat.

§. 5. *Aliud ex ep. S. Petri. Fides eſt lucerna.* 2. *Pet.* 1. 19.

Tertium ſimile reperio in ep ſancti Petri. *Et habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui bene facitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco.* Talis caligo ſunt accidentia, ſub quibus in Sacramento latet Chriſtus; vel, caliginoſum & tenebroſum myſterium nobis proponit Chriſtus D. dum in nocte ante Paſſionem ait, *Hoc eſt Corpus meum, &c.* hoc ſuadeo, hoc rogo, ut locum hunc non accedat, neque ingrediatur, niſi habeat lucernam Fidei; nec quamvis lucernam, ſed lucentem & ardentem, &c. vivam & efficacem fidem. Sine lumine Fidei ambulabimus in tenebris.

Matt. 26. 21. *Mar.* 14. 20. *Luc.* 22. 19. *Ioan.* 13. 18.

§. 6. *Fides eſt Mater virtutum quibus colimus SS. Euch.*

Serm. de ſanctis Nazario & Celſo ait ſanctus Ambroſius. *Mater Martyrii Fides Catholica eſt, in qua illuſtres athletæ ſanguine fuſo pro ipſa mortem calcarunt; Mater inquam Martyrii fides eſt.* Tam firma profecto, & fortis debet eſſe fides noſtra de tremendo myſterio Euchariſtiæ, ut ſi neceſſe eſſet, mori potius velimus, quàm veritati non aſſentiri, quod ſine fide non fiet: hæc tantæ virtutis eſt Mater. Sed à nobis ſanguis non petitur, à nullo urgemur tyranno, hoc exigitur, ut ferventi devotione colamus ſanctiſſimum Sacramentum: devotionis hujus Mater eſt Fides. Requirit hic cultus eximiam & Angelicam puritatem; puritatis hujus Mater eſt Fides. (poteſt fieri inductio per ſimiles virtutes, &c.)

§. 7. *Elogia hujus Fidei.*

In hac neceſſitate fundantur etiam elogia, quibus iidem ſancti Patres fidei excellentiam extollunt, v. g. illud S. Bernardi, ſerm. 76. in Cant. *Fides attingit inacceſſa, deprehendit ignota, comprehendit immenſa, apprehendit noviſſima --- omnia ſuo illo vaſtiſſimo ſinu quodammodo circumcludit. Fidenter dixerim æternam beatamq; Trinitatem, quam non intelligo, credo, & fide teneo, quod non capio.* Ita nos loqui oportet de myſterio Sacramenti Euchariſtiæ, non intelligimus quomodo poſſibile ſit, mutari v. g. ſubſtantiam panis momento in corpus & carnem Chri-

ſti,

Digitized by Google

ſti, vel quomodo fiat tam admirabilis converſio; credimus tamen, & fide tenemus eſſe hæc certiſſima, quia Chriſtus dixit (eſt iterum locus pro p. inductione, per admirabilia Euchariſtiæ.) Locum inacceſſum inhabitat Chriſtus D. in Euchariſtia! non capio quomodo, ſed credo. Video parvum circulum hoſtiæ, in illo incluſum immenſum Deum; non capio quomodo! per rationem ſcilicet, & naturali lumine intellectus; ſed credo tamen, &c.

Eò tendit elogium S. Joan. Chryſoſtomi in fine hom. 23. in acta Apoſt. *Abyſſus quæſtionum Scriptura eſt*; (ego illud dico de Sacramento Euchariſtiæ) abyſſus quæſtionum eſt, (Deum immortalem quænam quærere non poſſumus) *quas ſi ſolverimus, non omnia ſolvimus, ſed juxta humanam rationem. Propria earum ſolutio fides eſt --- Una hæc ſolutio eſt, & non eſt alia melior.* Diſcamus ex hoc elogio locum, efficax medium vincendi omnes tentationes contra fidem circa hoc myſterium. §.8. *Aliud.*

Imitemur tres Reges hodierna die, de quibus idem ſanctus Chryſoſtomus ait. hom. 8. in S. Matthæum. *Conſidera admirabilem Magorum fidem, qui in nullum hinc ſcandalum commoventur, ſed ad cuncta obedientes manent, atque flexibiles, nihilq; omnino turbantur, neque ipſi ſecum diſputant, dicentes. Si magnum quiddam eſſet hic Puer, & potentia aliquid obtineret, &c. q. d. alium cerneremus, divitem, cum Regio apparatu, &c. Verùm nihil omnino tale vel ore proferunt, vel mente concipiunt.* Hoc eſt enim profectò fidei inſigne, ut abſque controverſia ulla imperanti (Angelo) obediant. Fieri facillimè poteſt, ut dùm dicitur, ſub accedentibus Hoſtiæ latere Corpus, Sanguinem, Animam, Divinitatem Chriſti, ut inquam nobiſcum diſputemus, dicentes: Si Deus nobiſcum habitare voluiſſet in terris, alio modo id facere potuiſſet; ſi Deus in Altari nobis adeſt, quare non aſtant Cherubini vel Seraphini in humana & eleganti forma ſpectabiles, &c. Cavete Auditores, ne tale aliquid vel ore proferatis, vel mente concipiatis; inſigne & perfectio Fidei veſtræ ſit, abſque controverſia credere. §.9. *In fide erga SS. Sacr. imitemur fidem Magorum erga Ieſulum.*

Mirabilem & ſtupendum modum præſentiæ, quâ Chri- §.13.

De mirabili modo, quo Christus nobis adeſt in Eucharistia.

ſtus D. nobiſcum eſt, & erit uſque ad conſummationem ſæculi, eleganter exponit Algerus l. 1. de Sacram. c. 14. *Angeli non habent, ut unde recedunt, ibi remaneant. Quo privilegio ſola Caro Chriſti, quæ ſuper omnem creaturam exaltata eſt, ut per omnipotentiam, quæ ei data eſt in cælo & in terra, ubicunque, quomodocunque ſibi placuerit, non de loco ad locum tranſeundo, ſed ibi, ubi eſt, remanendo, & alibi, ubicunque voluerit, exiſtendo, tota & integra ſubſtantialiter ſit, ac in cælo, & in terra.* In quatuor partibus mundi, in locis innumeris, dies noctesq;, ſingulis horis, quovis quadrante ſtant ad Altare Sacerdotes, qui cum proferunt verba conſecrationis, eodem modo illorum vi ſiſtitur ſub ſpeciebus Hoſtiæ Chriſtus D. non quod de Oriente moveatur & tranſeat in Occidentem, vel de cœlo in terras, ſed remanet in cœlis; nihilominus idem, totus eſt in omnibus hoſtiis, quæ ſunt in Hiſpania, in Gallia, &c. Si contingat Hoſtiam dividi in mille partes, millies ibi eſt Chriſtus D. non quod tranſeat de particula in particulam, ſed eodem momento eſt in hac, in hac, in hac, &c. Sed hæc ſunt mirabilia! quis capiet? ſola fides.

§. II. Propter quod eſt laudandus extraordinaria ſolennitate.

Proinde, *qui in horum myſteriorum participatione magnificentiam eorum, & divinam amplitudinem ſanctè contemplantur, hi, Divinæ beneficentiæ celſiſſima dona* (ſunt verba Dionyſii Areopagitæ, apud Turrian. tr. 2. de Euch. c. 17. S. Ambroſius ait, *non humani, ſed divini muneris Sacramentum* (D. Germanus *Eximias divitias bonitatis, & clementiæ Dei.*) *gratâ memoriâ laudibus concelebrant.* Pulchrè D. Germanus Arch. Conſtant. in Hiſt. rer. Eccleſ. *Non enim ſemel egreſſus* (ex hoc mundo ad Patrem) *inpoſterum dereliquit nos; ſed eſt nobiſcum, & erit in perpetuum, & in ævum hoc; per manum Sacerdotum, & linguam myſteria conficit! ac non ſanctum Spiritum duntaxat miſit Dominus noſter, ut maneat nobiſcum; ſed & ille pollicitus eſt ſe manſurum nobiſcum, uſque ad conſummationem ſæculi:* Hoc beneficium, hunc amorem, hanc gratiam hodierna ſolennitate dignis laudibus concelebramus. In variis feſtis per annum memoriam recolimus Chriſti Salvatoris noſtri (ſunt verba Urbani IV.) ſed non propter hoc realem ejus præſentiam obtinemus; feſto v. g. Nativitatis

Digitized by Google

tatis, memores ſumus Parvuli Emanuelis; in ſept. S. Crucifixi, ſed non ideo talis nobis adeſt; In hodierna verò Sacramentali Chriſti commemoratione, JESUS Chriſtus præſens, ſub alia quidem forma, in propria verò ſubſtantia eſt nobiſcum Advertite, an non peculiarem habeamus cauſam, ut extraordinariâ pompâ hod. Feſtum celebremus.

§. 12. *Proceſſiones Corp. Chriſt. comparantur cum Rom. trium.*

Alexander ab Alexandro l. 1. gen. dierum c 6. refert, in Romanorum triumphis inter alia lætitiæ ſigna, & victoriarum trophæa, illatam fuiſſe tabulam, in qua depicta erat cauſa triumphi, ſive bellum in quo triumphans heros felici victoria de Romani Imperii hoſtibus triumphârat. Totius anni decurſu Militans Chriſti in terris Eccleſia adeo triumphali pompa, non tantum in templis & clauſtris, ſed publicè per plateas, per campos, nunquam procedit, ſicuti hodiernâ feſtivitate: viæ ſternuntur floribus, parietes ornantur ramis, aulæis & picturis, Altaria auro & argento, aër repletur odoribus, ubique Proceſſiones, ubique Muſica, reboant tormenta, ſonant campanæ; triumphi cauſa circumfertur, non in aliqua tabula, ſed aurea pixide, ſanctiſſima Hoſtia, in qua Chriſtum JESUM Dei Filium præſentem veneramur & adoramus. Triumphatori in aurato curru Romam ingredienti non aſſurgere, non applaudere, non acclamare, nefas erat. Sanctiſſima Hoſtia quæ triumphali pompa hodierna die per urbem vel templa circumfertur, nil aliud eſt, quàm niveus currus triumphantis Amoris, ſive JESU Salvatoris. Veſtrum eſt, ut triumphantem adoretis, veneremini, &c.

§. 13. *Celebratur idem triũphus à SS. in cœlis. Apoc. 5. 11.*

Idem triumphus à Triumphante Eccleſia celebratur in cœlis; comitantium & acclamantium voces audivit ſanctus Joannes Evang. ait enim: *Audivi vocem Angelorum multorum in circuitu Throni, & animalium, & ſeniorum, & erat numerus eorum millia millium dicentium voce magna, Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem, & Divinitatem, & ſapientiam, ac fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Similem thronum habemus in terris, ſed involutum nubibus. Thronus hic eſt Euchariſtia, in qua latet Agnus, qui in ara Crucis pro nobis occiſus eſt; itaque concurrite ſenes & juvenes, ſummi, infimi,

ſimi, imo Angeli eſtote, amplius requiro, eſtote Seraphini, dum thronum hunc gratiæ circumdatis, dum Regem gloriæ oculis fidei intuemini, dum Sacerdos aliquis ſanctiſſimo Sacramento vobis benedicit, ruite in genua, & voce qua poteſtis, clamate; *Dignus eſt Agnus, &c.* qui ſub his ſpeciebus latet Deus abſconditus, &c. *Dignus eſt accipere virtutem, &c.*

§. 14. *Unde habeat originẽ hic verſic. Laudetur SS. Sac.* In Hiſpania nobiliſſimum eſt ſtemma ſive familia, in cujus gentilitio ſcuto pictus eſt calix cum Hoſtia, & hac inſcriptione, Laudetur ſanctiſſimum Sacramentum; apud viros pios & religioſos in eodem Regno hæc vox eſt familiariſſima, Laudetur ſanct. S. hunc finem hodierno feſto omnibus puto eſſe propoſitum. Inſtituuntur Proceſſiones, ut laudetur ſanctiſſimum Sac. circumfertur per plateas ſacroſancta Hoſtia, ut laudetur, incenduntur thura, extruuntur aræ, &c. Ut laudetur ſanctiſſimum Sacramentum.

§. 15. *Non poſſumus illud ſatis laudare.* Bene monet piiſſimus P. Ludov. de Ponte l. 5. exhort. 5. §. 1. *Proprium eſt fidei hoc Sacramentum magnificare quantum poteſt, quia magnitudinis ejus non eſt finis, & majus eſt omni reverentia & laude: nam quanto exterius apparet vilius, tanto intus eſt ſublimius, & quo profundius pro nobis Chriſtus ſe voluit humiliare, eò amplius debet à nobis magnifieri, & magnificari, ut cum ejus humilitate reverentia noſtra certet,* (eſt pulcherrimus locus)

§. 16. *Invectiva in irreverentes erga SS. Sac.* Facitiſne hoc mei Auditores? Ignoſcite! in aliquibus peccatis contra cultum Venerabilis Sacram. Exponitur illud ſæpe in veſtris Eccleſiis (utinam non nimis ſæpe; in Hiſpania non niſi 4 vel 5. per annum exponitur, verùm eò majori cultu & reverentia) circumfertur in Proceſſionibus. In templis coram Ven. Sac. deberetis aſſiſtere ut Angeli, ut ante dixi, ſed aliqui ſunt diaboli, qui Chriſtum in Vener. Euchar. contumeliis & injuriis afficiunt. Iſti fabulatores, irriſores, iſti amaſii, iſtæ Helenæ, &c In Proceſſionibus Ven. Sac. qualis eſt modeſtia? quis ordo? &c. (eſt locus pro invectiva loco accommoda.)

CON-

Digitized by Google

CONCIO LXXII.

FESTO NATIVIT. S. JOANNIS BAPT.

Ioannes eſt nomen ejus.

Luc. 1. v. 63.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Agit de gratiis & privilegiis, quæ ſancto Joanni Baptiſtæ in utero Matris, antequam naſceretur, fuerunt collata.

§. 1. *Difficile eſt, laudare S. Joannem B. cùm univerſos Sanctos antecellat.*

§. 2. *Nativitas ejus fuit effectus gratiæ, quia in utero fuit ſanctificatus.*

§. 3. *Fuit lucerna ardens.*

§. 4. *Et Cedrus juxta aquas.*

§. 5. *Illuminatus in utero radiis à Sole Juſtitiæ. Fuit Statua Solis.*

§. 6. *Felix augurium.*

§. 7. *Joannes fuit ſtella, Maria luna, Jeſulus ſol Juſtitiæ.*

§. 8. *In utero adoravit Chriſtum D.*

§. 9. *Multa fuerunt mirabilia in hoc Puero.*

§. 10. *In utero repletus fuit Spiritu ſancto.*

§. 11. *Cum magno & continuo incremento.*

§. 12. *A Spiritu S. & Maria fuit animatus & vegetatus gaudio.*

§. 13. *Excellentia nominis Joannes.*

§. 14. *Fuit in Puero hoc aliquid Divinitatis.*

§. 15. *Epilogus, ſive brevis repetitio Concionis.*

Digitized by Google

§. 1. *Difficile eſt laudare S. Ioann. cum univerſos SS. antecellat.*

ORatione ſecunda ait Theodorus de S. Joanne Baptiſta. *Si vocali alicui laſcivia, quæ verno tempore pulchrè reſonat, noſtra ſimilis eſſet oratio, inveniret fortaſſe, quemadmodum poſſet parumper laudare, magnam illam vocem Veritatis, quæ hodierno die naſcitur; cum autem ſim voce admodum gracili & impedita, quomodo laudabo magnum decus Prophetarum: quomodo celebrabo eximium atque admirandum ornamentum Martyrum?* Simili ferè quæſtione utitur Antipater: Si verbum pronuntiavit, *Inter natos mulierum non ſurrexit major S. Joanne Baptiſta*; quomodo ergo ex verbis contextam illi offeram coronam, qui talem accepit coronam à Domino. Coronam accepit ex liliis, cùm laudatus eſt, ut puriſſimus Angelus. Coronam accepit ex roſis, cum laudatus eſt ut Martyr. Coronam accepit ex auro, cùm laudatus eſt ut ſponſus. Ex gemmis & ſtellis, velut magnus Sanctus, quo major non ſurrexit: Quo encomio in Joanne laudata fuit fides Abrahami, obedientia Iſaaci, patientia Job, caſtitas Joſeph, manſuetudo Moyſis, pietas Samuelis, zelus Eliæ, ſanctitas David, aliorumq; Sanctorum virtutes. S. Ambroſius ſer. 94. *Præcellit cunctis, eminet univerſis, antecellit Prophetas, ſupergreditur Patriarchas, & quiſquis de muliere inferior eſt Joanne.* Cui de omnibus his excellentiis & coronis ex animo gratulor; addam ego hac Concione aliqua elogia, quæ cupio eſſe totidem pulchros floſculos, vel ramuſculos, ut ſubſternam illos pedibus tanti Sancti, in ſignum honoris & reverentiæ, quam illi debemus. Spero benevolam attentionem.

S. Ambr. in S. Matth. 11. v. 11.

§. 2. *Nativitas ejus fuit effectus gratiæ, quia in utero fuit ſanctificatus.*

De Nativitate S. Joannis Baptiſtæ, quam hodie celebramus, piè & ingenioſè dixit Guarricus Abbas, ſermone de illo primo. *Joannis Nativitatem gratia operatur, natura miratur.* Et primum admirationis objectum fuit, ſanctificatio in utero, ſive quod (ut loquar cum Euſebio Emyſſeno) *ejus animam Deus in ipſis exordiis occupaverit.* Unde ipſa Nativitas ſancta fuit & puriſſima. De Iſaaco & Abrahamo dicit ſanctus Paulus, *Orti ſunt tanquam ſidera cœli.* Idem de S. Joanne aſſeerre poſſumus; imò non in ortu tantum, ſed ante ortum, ſive Nativitatem in utero Matris fuiſſe pulcherrimum ſidus cœli, & lucidiſſimam ſtellam.

Heb. 11. 12.

Sancti

Sancti Evangelli textus illum vocat *Lucernam lucentem & ardentem*; ſuper quæ verba ait S. Laurentius Juſtinianus ſer. de ſancto Joanne. *In utero ad æterna lucis aſpectum, lucerna hæc divinæ charitatis percepit incendium: tunc veri Numinis eſt irradiata fulgoribus, atque gratiæ liquore impleta.* Talis lucerna S. Joannes fuit etiam in utero Matris; & excepit illud incendium, dum Maria Elizabethæ ædes ingreſſa lucem æternam illis intulit in virgineo utero latentem; §. 3. *S. Ioannes fuit lucerna ardens.* *Ioan. 5. 35.*

Liquorem gratiæ, ſive oleum & balſamum ſanctitatis, quâ lucerna illa ſimul repleta fuit ad ſtuporem naturæ, ſancti Patres aliqui vocarunt aquam vitæ; ita ait Guarricus Abbas; *Flumina de ventre Mariæ fluebant aqua viva, & fons vitæ gratiæ oriabatur de medio Paradiſi, ad irriganda ligna Paradiſi; proxima erat fonti, Cedrus illa nobilis, id eſt Joannes; ideoq; uberius irrigata, in tantum excrevit, ut inter natos mulierum nihil illa ſublimius poſſet inveniri.* O pulchram Cedrum! cujus radices in utero Matris irrigatæ ſunt rivis gratiæ; cujus vertex primis radiis ſolis Juſtitiæ fuit illuminatus! Exoriente Aurora, & paulò poſt è cubili ſuo roſeo, prodeunte ſole, primis illis radiis, altiſſimarum arborum apices, ſublimiumq; montium juga illuminantur. Aurora fuit Maria, Sol Jeſulus! quid mirum, quod parvus Joannes, quoad naturam, ſed quoad gratiam jam in utero matris altiſſima Cedrus primos radios exceperit. Sed hæc miracula operata fuit gratia, in admirabili partu & ortu pulcherrimi ſideris; Spiritus ſanctus feſtinanter illam lucernam accendit, mediante Matre Dei, ante tempus à natura præſtitutum illam replevit oleo gratiæ. §. 4. *S. Ioan. Bap. fuit Cedrus juxta aquas.*

Puto contigiſſe in ſanctificatione Joannis in utero, quod contingit populis ſub polo habitantibus. Sex integris menſibus carent ſole, vivuntque in tenebris; proinde cùm ſol tandem redit, incredibili jubilo collætantur, & reducem ſolem variis lætitiæ ſignis ſalutant. Hinc illud ſymbolum, in quo ſol polarem regionem irradiat cum hoc lemmate: *Semeſtres tenebras pellit.* Jam *ſextus erat menſis*, atteſtante Angelo, quo parvulus Joannes in denſiſſimis peccati originalis jacebat tenebris; verum quamprimum §. 5. *In utero Matris fuit illuminatus à ſole Iuſtitiæ. Fuit ſtatua ſolis.* *Luc. 1. 36.*

Digitized by Google

primum matris ædes pulcherrima fuit ingreſſa Aurora, Beatiſſima Virgo, cum pulcherrimo ſole, cum parvo JESULO, quem in virginali utero geſtabat, hic ſemeſtres pepulit tenebras, & Joannes ad primum hujus ſolis aſpectum, incredibili perfuſus lætitia, in ipſo utero exultavit, & feſtivis choreis advenientem ſolem ſalutavit. Talia operata fuit gratia, natura fuit admirata. Referunt hiſtoriæ, factam à celeberrimo artifice ſtatuam ex ære; in cujus faciem, cùm inciderent radii orientis ſolis, movere cœpit labia, ut murmure quodam ſolem ſalutaret. An talis ſtatua fuerit in rerum natura, meritò dubitare poſſumus, niſi dicere velimus, fuiſſe S. Joannem Baptiſtam; jacuit ille in utero veluti animata ſtatua ab anima viventi; ſed ſine vita, ſine omni motu gratiæ ſanctificantis; quamprimum verò Maria attulit ſolem, hic ſuis radiis illam ita animavit, ſanctificavit, ut adhuc abſconditus in utero, Matri ſigna dederit talis vitæ, & incredibilis cujuſdam delectationis atque lætitiæ.

§. 6. *Felix augurium.* Momento, quo Nero Imperator fuit natus, exoriens ſol aureis ſuis radiis ejus cunas inauravit, quod auguribus anſam dedit, ut dixerint, puerulum illum fore magnum; quod contigit, dum ad Imperatoriam fuit evectus dignitatem. Aliis divinæ gratiæ radiis, alia ſanctitatis luce, S. Joannes non in ortu tantum, non in cunis ſolùm, ſed antequam ex utero Matris egrederetur, fuit inauratus; pulcherrimis coloribus illam exornavit, gratiæ Mater, cœleſtis Pandora. Hi colores, tales radii, lux tam admirabilis, circumſtantiæ Nativitatis tam inſolitæ, tot portenta & miracula, omnibus cognatis & vicinis, per montana Judeæ, dederunt
Luc. 1. 66. cauſam, & anſam, ut dicerent: *Quis putas, Puer iſte erit?*

§. 7. *S. Joannes fuit ſtella, Maria luna, Jeſulus ſol.* De Panthera refert Vincentius Gilibertus, quod in dorſo inter pulcherrimas maculas, & diverſiſſimos colores, lucidiſſima videatur ſtellula, ſi tamen beſtia dorſum ſuum obvertat lunæ, ſine hujus ſideris luce, illa ſtellula non comparet. Unde in doctiſſimo emblemate huic ſtellæ acutus Poeta hanc addidit epigraphen: *Sic mutor ad illam.* Nihil notius eſt, quàm quòd Chriſtus D. vocetur ſol, B. Virgo luna, S. Joannes Baptiſta ſtella ma-

matutina; quod elogium alias integra Concione expono. Videtur hæc habuiſſe præ oculis ſanctus Chryſologus ſer. 91. cum exclamavit: *Inſtat Nativitas Chriſti, ſurgat novus Lucifer, quia jubar jam veri ſolis erumpit.* Ah! ſex integris menſibus illa ſtella latuit ſub turpi velo, & denſa nebula peccati originalis! Papæ! Momento, quo poſt menſem ſextum ex montanis Judææ in cognatæ ædes deſcendit Luna Myſtica, pulcherrima Virgo Maria, parvulus Joannes in utero ad hanc lunam ſe obvertit, & ſubitò illis gratiæ fuit illuſtratus radiis, illis ſplendoribus fuit illuminatus, ut dicere potuerit, *Sic mutor ad illam.* Et ſic mutatus, ſtatim, inquit Venerabilis Beda, intellexit, ipſum Dominum eſſe, qui in utero Virginis portaretur: & quia linguâ necdum valuit, animo exultante ſalutavit, officiumq; ſuæ præcurſionis, quam devotè eſſet impleturus, etiam antequam naſceretur, advenlente Domino, quibus valebat indiciis, intimavit. S. Ambroſius lib. de Iſaac & anima cap. 6. *Præſentia Mariæ, cum utero gravis eſſet, erudivit Joannem in utero conſtitutum, adeo ut exiliret, & exultaret Domini præſentiam recognoſcens.* Quod non naturæ, ſed gratiæ fuit opus.

Meditantur ſancti Patres, parvulum Joannem in utero Matris, non obvertiſſe tantum faciem verſus Mariam & JESULUM, ſed flexiſſe genua, profundiſſimaq; inclinatione adoraſſe Deum, & hic motus fuit ille parvuli ſaltus, quem Eliſabetha ſenſit. Viciſſim JESUM in utero Virginis ſuaviſſimos oculos conjeciſſe in Joannem, dediſſeq; illi benedictionem; inter ſuaviſſimorum cordium dulciſſimas ſalutationes; ſalve JESULE! ſalve Joannes! Et hinc illud hujus tripudium in utero Matris, O nova! ô mira! ô ſuavia myſteria! quæ natura obſtupeſcit.

§. 8. *S. Ioan. B. in utero adoravit Chriſtum.*

Eloquentia Rhetorica illa deſcribit D. Joannes Chryſoſtomus, quam legimus in ſecundo nocturno horarum, in feſto Viſit. B. Virg. *Videtis dilecti, quàm ſint nova & admirabilia hæc myſteria; nondum Joannes naſcitur, & ſaltibus loquitur, nondum permittitur illi clamare, & per facta auditur: nondum aſpicit lucem, & ſolem indicat; nondum paritur, & properat præcurrere; non fert enim præſente Domino contineri; non ſuſtinet natura ex-*

§. 9. *Multa fuerunt mirabilia in hoc Puero.*

Digitized by Google

ſpectare terminos, ſed contendit rumpere carcerem ventris, & ſtudet præſignificare advenientem Salvatorem. Exibo, inquit, præcurram, & prædicabo omnibus, Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Sed unde illa lux & agnitio? in Joanne? in utero Matris? inter tenebras? unde ille motus? illa exultatio? ille exuberantis lætitiæ ſenſus? niſi à manu Domini, quæ in hoc Puero fecit magna; niſi à gratia, quę in portentoſo ſuo hoc partu operata eſt mirabilia! Magnum eſt, inquit ſanctus Chryſoſtomus, quod peragitur myſterium, & actus ab humana remotus comprehenſione. Sanctus Ambroſius l. 1. in ſanctum Lucam cap. 2. *Nondum erat illi ſpiritus vitæ, ſed gratiæ.* De quibus privilegiis meritò hodierna feſtivitate lætis animis, & vocibus illi applaudimus & aggratulamur. Quidni? cum in ejus Nativitate (verba ſunt Concilii Baſilienſis ſeſſione 43.) *lætentur Angeli, & tota Trinitas novis laudibus glorificatur.*

Joan. 1. 29.

§. 10. *In utero fuit repletus à Spiritu S.*

Notabilis circumſtantia, quæ gratias Joanni collatas multum auget, latet in illis verbis, quibus ſacer textus ait illum in utero Matris fuiſſe *repletum à Spiritu ſancto*, quæ repletio ſignificat copiam & abundantiam. Advertit illam B. Pet. Dam. ſer. de ſancto Joanne Baptiſta, ubi ait: *Nam & Apoſtoli, qui manibus ſuis contrectaverunt de Verbo Vitæ, cùm Spiritum ſanctum de Salvatoris accepiſſent afflatu, vix quinquageſimo à Reſurrectione die, ad illum gradum pervenire potuerunt, ut diceretur de eis, Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto. Et licet Spiritus ſanctus largiore tunc munere credentium corda repleverit; hoc tamen Joannes in utero legitur aſſecutus, quod Apoſtolica celſitudo tandem meruit obtinere.* In Pentecoſte modo Apoſtolis à Spiritu ſancto collatum fuit donum Altiſſimæ Sapientiæ; Joanni Baptiſtæ in utero Matris. (ſic de reliquis donis.)

§. 11. *Cum magno & continuo incremento.*

De continuo vero incremento hujus gratiæ per totam vitam S. Joannis Baptiſtæ, dixit Origenes hom. 11. *Puer creſcebat in ſpiritu; nec in eadem permanebat menſura, quâ cœperat: ſed ſemper creſcebat in eo ſpiritus, & per ſingulas horas atque momenta puero ſuccreſcente, anima quoque ſua incrementum capiebat.* Sic poſſumus diſcurrere; primo momento, quo S. Joannes, præter gra-

Digitized by Google

gratiam ſanctificantem, accepit uſum rationis, & donum Intellectus, quo Deum Creatorem ſuum agnovit, fuit humilis; & deinde cum incremento. Ab illo momento fuit amator puritatis; deinde ſemper cum incremento. Statim ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente Deum & Salvatorem ſuum amavit, & ſemper cum majori incremento, &c. Cum tanta quoq; intenſione, ut S. Bernardus dixerit, *Novum in novo homine admirare fervorem*. Ob hunc fervorem, & tantum in gratia, in virtutibus, in ſanctitate augmentum, & incrementum puto dixiſſe Gerſonem tr. 4 in Cant. *Videtur Baptiſta primus poſt Mariam poſitus, in ordine Seraphinorum loco Luciferi.*

Sed redeo ad cunas S. Joannis Baptiſtæ, & gratias, in ipſo utero Matris illi collatas; eleganter Werricus in Allegoriis Tilmanus: *Ut facta eſt vox ſalutationis tuæ, inquit Elizabeth ad Mariam exultavit in gaudio infans in utero meo. O incomprehenſibilis gratia! vox Mariæ dum auribus Elizabeth ſonat, cor Joannis penetrat, qui abſtruſus inter materna latebat viſcera ſpiritum ejus animat, gaudioq; vegetat ſalutari: & cui virtus naturæ vix totam infuderat animam, virtus vocis Mariæ pleniorem infudit prophetiam.* Id eſt, ſpiritus Joannis, ſive ejus anima ante adventum Mariæ, & præſentiam Salvatoris, fuit exanimis, jacens ſub umbra mortis, ſive peccati originalis, ſine ullo ſenſu alicujus gaudii, vel lætitiæ; adventus verò Virginis, præſentia Salvatoris, Spiritus S. gratia, momento mortem fugarunt, tenebras pepulerunt, animarunt vitâ, & gaudio incredibili vegetarunt. Origines homilia 4. in Lucam. *Exilivit, & non ſimpliciter exilivit, ſed & gaudio. Senſerat etiam veniſſe Dominum ſuum, ut ſanctificaret ſervum ſuum, antequam de matris utero procederet.* §. 12. *A Spiritu S & Maria fuit animatus, & vegetatus gaudio.*

Propter tot portenta, & miracula admirabili huic Puero, meritò ab Elizabeth ex inſtinctu Spiritus ſancti impoſitum fuit nomen Joannes. *Joannes eſt nomen ejus.* De nomine Mariæ dixit B. Pet. Dam. fuiſſe evolutum de theſauro Divinitatis, ad oſtendendas infinitas excellentias magnę Dei Matris. Idē veriſſimum eſt de nomine Joannes; de theſauro Divinitatis fuit evolutum, id eſt, Spiritus ſanctus illud impoſuit huic Puero, ut ex illo §. 13. *Excellentia nominis Joannes.*

Digitized by Google

intelligat totus mundus; filium illum eſſe, non naturæ tantum, ſed Divinæ gratiæ. Lycon Aſtyanax vir ditiſſimus, in teſtamento ſuo poſuit hæc verba, Quæ in urbe & Ægina habeo, Lyconi fratri præcipua do, eò quod nomen ferat noſtrum. Sempronius quidam morti proximus, dum teſtamentum conderet, dixit, Sempronio nepoti meo plus detur in honorem nominis mei. Et quas gratias putamus à Deo collatas fuiſſe in hunc Puerum, quem tam admirabili modo vocari voluit Joannem, quæ vocula gratiam ſignificat, gratia verò donorum cœleſtium excellentiam, quibus Dominus Joannem abundè cumulavit. Bene quærere poſſumus, Quis puer iſte erit?

§. 14. Cùm parvus David tam faſtuoſis verbis ſe Regi obtuliſ-

Fuit in Puero hoc aliquid Divinitatis. ſet, ad peculiare certamen contra Goliathum, ait S. Aug. hom. 30. & h. 50. *Intellexit Rex, cum videret audentem puerum, aliquid in eo Divinitatis eſſe, nec illum tenera ætate, ſed divino inſtinctu talia poſſe præſumere.*

1. Reg. 17. v. 32. 3. 4. *Luc. 1. 58.* In nativitate S. Joan. ait S. Luc. quod magnificaverit Dominus miſericordiam ſuam cum illo; lingua patris diu muta, fuit aperta, locutuſq; fuit Zacharias, benedicens Dominum: adeo ut factus ſit timor ſuper omnes vicinos eorum, & ſuper montana Judææ divulgata fuerint mirabilia hæc: plures

v. 66. exclamarunt, *Quis putas puer iſte erit? etenim manus Domini erat cum illo.* Ego propter talia cum S. Auguſtino dico, fuiſſe in puero hoc Divinitatis aliquid; Deus elegit puerum hunc, ut ſit Propheta Altiſſimi, ut præeat ante faciem ejus, parare vias ejus, &c.

§. 15. Si placet, colligite ex hac Concione eximias excellen-

Epil ſive brevis rep. Conc. tias S. Joannis Bapt. quarum ſi volumus, poſſumus eſſe participes. Laboremus, ut in nobis quoque gratia operetur magna; ut in omnibus actionibus animas noſtras occupet Deus; utinam ſimus lucernæ lucentes & ardentes flammâ & incendio Divinæ caritatis, repletæ ſuaviſſimo oleo bonorum operum, &c.

CON-

Digitized by Google

CONCIO LXXIII.

FESTO SS. APOST. PETRI & PAULI.

Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.

Matth. 16. v. 16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

SAncti Petrus & Paulus fuerunt nobiliſſimi Confeſſores, & ardentiſſimi amatores Chriſti Domini; noſtrum eſt, ut in utroque illos imitemur.

§. 1. *Apoſtrophe ad ſanctum Petrum.*

§. 2. *Apoſtrophe ad ſanctum Paulum.*

§. 3. *Confeſſio Petri fuit perfectiſſima.*

§. 4. *Similis Confeſſor fuit ſanctus Paulus in ſuis Epiſtolis.*

§. 5. *Similiter noſtra profeſſio fidei debet eſſe publica.*

§. 6. *Quare ſanctus Petrus dicatur filius columbæ.*

§. 7. *Piiſſimi Imperatores fuerunt imitatores ſancti Petri.*

§. 8. *Fundamentum talis confeſſionis eſt firmitas Fidei noſtra.*

§. 9. *Vterque fuit ardens amator Chriſti D. Hunc amorem S. Petrus oſtendit variis locis in Evangeliis.*

§. 10. *Proſecutio.*

§. 11. *Proſecutio.*

§. 12. *S. Petrus libenter fuit prope Chriſtum, & præ aliis.*

§. 13. *Præcipuum motivum lachrymarum S. Petri, fuit amor Chriſti.*

§. 14. *Epilogus, cum variis encomiis SS. Apoſtolorum, piiſq; Auctoris deſideriis.*

Digitized by Google

§. 1. *Apoſtrophe ad S. Petrum.* EUgenio ſummo Pontifici S. Bernardus, in libro quem ad illum ſcripſit, hanc quæſtionem propoſuit, *Quis es?* O glorioſiſſime Apoſtole S. Petre, liceat mihi, ut occaſionem habeam te laudandi, ex te quoque quærere, *Quis es?* Reſpondebo enim cum eodem S. Bernardo: Tu es Sacerdos magnus, ſummus Pontifex, tu Princeps Epiſcoporum, tu Apoſtolorum Caput, tu primatu Abel, gubernatu Noë, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchiſedech, Dignitate Aaron, auctoritate Moyſes, judicatu Samuel, poteſtate Petrus, unctione Chriſtus, ejuſq; in terris Vicarius. Abel pro victima holocauſti in odorem ſuavitatis, Altiſſimo in altari obtulit Agnum, cum primitiis frugum. S. Petrus ſeipſum in ara Crucis, hoſtiam ſanctam, & Deo placentem. Noë per aquas diluvii gubernavit arcam; Petrus, inter & per tot fluctus atque procellas regit navim Eccleſiæ. Semẽ Abrahæ multiplicatum eſt ſicut ſtellæ cœli; major longè eſt benedictio Petri. Aaron fuit Sacerdos in lege veteri; S. Petrus in nova, in teſtamento gratiæ. Omnes has laudes continet illud elogium Chriſti D. *Matt. 16. 18* *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Hanc petram volo laudare in præſenti panegyri.

§. 2. *Apoſtrophe ad S. Paulum.* Et tu glorioſiſſime Doctor gentium S. Paule, Quis es? In concionis exordio reſpondeo cum unico S. Joanne Chryſoſtomo hom. de laud. S. Pauli; ſive Prophetæ potentius aliquid in ſe oſtenderint, magiſq; mirabile, ſive Patriarchæ, ſive Juſti, ſive Apoſtoli, ſive Martyres: hæc omnia ſimul colligens Paulus, habet cum tanto cumulo, cum quanto nullus eorum, bonum, quo excellebat, implevit. Continet omnia illud elogium vocis cœleſtis, *Vas electionis eſt mihi iſte.* Tantum & talem Paulum hac eadem panegyri laudare cogito. Cùm verò præcipua Sanctorum laus conſiſtat in imitatione eximiarum virtutum, in quibus fuerunt excellentes; oſtendam 1. S. Petrum & S. Paulum fuiſſe fortiſſimos fidei & Chriſti D. Confeſſores. 2. Ardentiſſimos ejuſdem amatores; ut nos quoque conemur tales eſſe.

§. 3. *Publica confeſſio fidei in S. Petro fuit perfectiſſim.* Perfectiſſimam profeſſionem Fidei, circa myſteria maximè ardua, ſanctiſſimæ ſcilicet Trinitatis & Incarnationis Filii Dei, continent illa verba, quibus S. Petrus coram magna multitudine

tudine plebis,& in præſentia reliquorum Apoſtolorum, interrogatus à Chriſto illi intrepidè reſpondit, *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*! Dum Patris & Filii meminit, tacitè & conſecutivè innuit Perſonam tertiam in ſanctiſſima Trinitate, nimirum Spiritum ſanctum, qui neceſſariò & eſſentialiter eſt nexus, ſive amor inter Patrem & Filium. Myſterium verò Incarnationis continetur in vocula Chriſtus. *Tu es Chriſtus*, quaſi diceret; tu es ille, qui Abraham & Iſaac, & Jacob promiſſus fuit Salvator mundi. Tu es Chriſtus, ſive ille unctus oleo gratiæ per unionem hypoſtaticam inter naturam Divinam & humanam, verbo, tu es homo Deus, & Deus homo! Tu es Chriſtus, ſive unctus, tanquam Sacerdos, qui in monte Calvariæ offeret cruentum ſacrificium Crucis pro Redemptione generis humani; *Tu es Chriſtus*, id eſt, unctus Propheta; tu es unctus Rex, cœli & terræ Dominus; ut paucis comprehendam omnia, tu es Filius Dei, non gratia & adoptione ut cæteri homines, ſed naturâ & Divinitate. S. Leo de transfig. *Petrus per revelationem ſummi Patris corporea ſuperans & humana tranſcendens, vidit mentis oculis Filium Dei vivi, & confeſſus eſt gloriam Deitatis.* Ideoq; iterum Joan. c. 6. cum Chriſtus D. dixiſſet, *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*, & multi ex diſcipulis illo ſermone offenſi vellent diſcedere, interrogaretq; duodecim Apoſtolos, *Nunquid & vos vultis abire*? audacter reſpondit Petrus, *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credidimus, & cognovimus, quia tu es Filius Dei.* Et hanc Fidei confeſſionem tandem opere confirmavit S. Petrus, dum pro illa in cruce, vitam & animam ſuam poſuit.

Matt. 16, 16
Ioan. 6. 64.
v. 67.
v. 69.

§. 4. *Similis Confeſſor in ſuis Epiſtolis, & morte fuit S. Paulus.*

S. Paulum quod attinet, dico breviter; quot paradiſus viret arboribus, quot hortus aliquis regius vernat floſculis, quot cœlum radiat ſtellis, quot regia corona radiat gemmis, tot ſancti Pauli epiſtolæ ornatæ & plenæ ſunt aureis gemmeiſque ſententiis, de Chriſti D. humanitate & Deitate, de Patris miſericordia, de Filii ſapientia, de Spiritus S. bonitate, de Chriſti D. ſacerdotio & regno; verbo de omnibus myſteriis, quæ Chriſtum concernunt. Ut in ſcriptis, dictis, & vita, ſic denique in morte fuit glorioſus Chriſti D. Confeſſor.

Talis

Digitized by Google

§. 5. *Similiter Profeſſio fidei noſtræ debet eſſe publica.* Talis quoque debet eſſe fides noſtra Auditores, ut corde & ore, cum opus eſt, profiteamur Chriſtum eſſe Filium Dei vivi. Memores nos eſſe oportet dicti illius Tertulliani l. adv. Valent. cap. 3. *Nihil fides erubeſcit, niſi ſolummodo abſcondi* : & Ruperti. *Fidei veritas non amat angulos, non in occulto, ſed palam loqui deſiderat.* Vox fidei noſtræ debet eſſe quaſi vox magna, tanquam tubæ dicentis cum S. Petro, *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Tertullianus ait: *Mentis ſtatus in fronte conſiſtit.* Sic profeſſio fidei noſtræ in fronte debet apparere. Frontem natura locavit in alto, & ante omnium oculos, ut mentis animique ſtatus in ea legatur. Et vera Religio, quæ intrinſecus in corde latet, per Dei gratiam in frontem debet aſcendere, ut omnibus pateat. Sacerdos in Veteri lege tulit laminam auream in fronte cum tremendo nomine Jehova. Chriſtianus in fronte præferre debet nomen Chriſti, in quem finem toties palam & publicè frontem, faciem & pectus ſignamus ſigno Crucis, & corde, ore, & opere fidem in Chriſtum profiteamur. (N. B. ſi dicas loco hæretico, locum habes invehendi in illos, qui Fidem Catholicam Romanam palam profiteri erubeſcunt.)

§. 6. *Quare S. Petrus dicitur filius columbæ.* Tertullianus putat ob hanc cauſam, ſanctum Petrum dici filium columbæ; quæ volucris amat loca ſublimia, & editiora; uti econtra ſerpens quærit cavernas, & latebras. Quod idem diſcrimen reperitur inter Catholicos & hæreticos: hi enim, qui pleni ſunt veneno errorum, fallaciæ & mendaciorum, amant loca obſcura, illi verò quærunt lucem & ſolem. Tertull. c. 3. adv. Valent. *Abſcondat ſe ſerpens quantum poteſt, totamq; prudentiam in latebrarum ambagibus torqueat, in cæca detrudatur, per anfractus ſeriem ſuam evolvat; tortuosè procedat, lucifuga beſtia, &c.* Domus columbæ, ſive Eccleſia ſancti Petri ſtat in alto & edito loco, in ſole & luce. Neque quiſquam mihi objiciat, latuiſſe olim etiam Martyres in Romanis cryptis; latere hodie in Anglia, Hollandia, aliisq; locis Catholicos. Neque enim latent ut ſerpentes, ſed ut generoſi leones, aut invicti milites, qui latebras quærunt, ut ex illis prædam & hoſtem fortius aggrediantur. Latent quamdiu Catholicæ Fidei id prodeſt; cum neceſſe eſt, prod-

Digitized by Google

prodeunt,& Fidem Romanam Catholicam verbis, ore, imo vita & ſanguine, bonorumq; omnium jacturâ profitentur.

Imitatores ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, noſtris temporibus fuerunt piiſſimi Principes, & Imperatores. Wilhelmus ſereniſſimus Bavariæ Dux ſymbolo Eccleſiæ Romano-Catholicæ, ſive veræ Fidei & Religionis adſcribi juſſit hoc lemma: *Pro hac omnia*, ſcilicet pro fide, vocem, animum, opes, ampliſſimas ditiones, & ipſam vitam profundere paratus. Invictiſſimus in hoc fuit animus Ferdinandi II. Imperatoris Auſtriaci, qui clara voce jactare ſolitus fuit, malle ſe nudo pede profugum cum parente ac ſororibus exulatum ire, quàm pati quidquam detrimenti & damni inferre Religioni. Et qualis heroina fuit ejus Mater, cum cujus materno lacte Ferdinandus illos generoſos ſpiritus imbibit? Perſuaſerant Acatholici ſuo conjugi, ut ſemel tantum frequentaret illorum templum; cùm id facere animo ſtatuiſſet, ipſa cum omni prole conſcendit rhedam, abitura in exilium, ſi pergeret; & immutavit Conjugis animum. His nimirum animis opus eſt, cum Fides noſtra exigit, ut Catholicos nos profiteamur.

§. 7. Piiſſimi Imperatores & Principes in hoc fuerunt imitatores SS. Apoſtol.

Animare nos ad hoc debet firmitas & infallibilitas noſtræ Fidei, contra quam hactenus, quia fundata eſt ſuper firmam petram, portæ inferi prævalere non potuerunt, nec prævalebunt uſque ad conſummationem ſæculi. S. Joan. Chryſoſt. ſerm. de Pentec. *Tempeſtates ſuſcipit Eccleſia, ſed non mergitur: jacula in eam mittuntur, ſed non perforatur: machinamenta præparantur, ſed turris non eliditur. Vnum ſermonem locutus eſt piſcator, & ſicut turris immobilis perſeverat.* Quanti tyranni verbum hoc delere conati ſunt, ſed non potuerunt, ſupra petram enim Domini fundatum erat. Conſidera tyrannos, Regum diademata, gladios, belluarum dentes, caminos, ſartagines, & omnia machinamenta parata. Pharetram ſuam evacuavit diabolus, ſed nihil Eccleſiam læſit, quia *portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Stat Eccleſia, ſive Fides, veluti ſcopulus, vel mons inter fluctus. Nam velut alliſos mons ridet fluctus, & undas; ſic ſtat in mediis, hæc, bene tuta malis. In Inſula Delos ob terræ ingentem mo-

§. 8. Fundamentum talis Confeſſionis eſt firmitas Fidei noſtræ

Digitized by Google

tum & concuſſionem, omnes urbis corruêre ædes, præter unam poſitam ſupra petram. Tales ædes fuerunt hactenus omnes hæreſes; multæ intra annos ſexaginta vel centum dirutæ ſunt, à mille ſexcentis & ſexaginta octo annis ſtat ædificium Eccleſiæ Romanæ ſupra petram!

§. 9. *SS. Petr. & Paul fuerũt ardentiſſimi amatores: hriſti D. De S. Petro id oſtenditur ex variis locis Evangeliorum.*

Aggredior alterum panegyris meæ punctum. Hi duo fidei Magiſtri fuerunt ardentiſſimi amatores Chriſti Domini: Vera ſcilicet agnitio, & fides de infinita excellentia divinæ illius perſonæ, neceſſario ejuſdem conciliat amorem. Fides illa accenſa fax eſt, quæ cor amantis accendit ignibus & flamma amoris. Non ſine myſterio Chriſtus D. antequam Petro traderet ſuas oves, ter ex illo quæſivit, *Simon Joannis diligis me*; & ter eundem voluit reſpondere, *Amo, amo, amo*! ut ſcilicet ex mente S. Auguſtini, *trinæ negationi redderetur trina Confeſſio; ne minus amori lingua ſerviat, quàm timori.* tract. 123. in Joan. Eleganter S. Bern. *Non otioſè repetitum eſt toties, diligis me, diligis me? & amo, amo! ac ſi diceret Dominus: Niſi teſtimonium perhibeat tibi conſcientia, quod ames me, ac valde & perfectè ames: hoc eſt, plus quàm tua, plus quàm tuos, plus quàm te; & hujus repetitionis meæ numerus impleatur; nequaquam ſuſcipias curam hanc, nec te intromittas de ovibus meis, pro quibus effuſus eſt ſanguis meus.* Voluit itaq; Dominus, ut Petrus hâc ternâ repetitione omnibus palam teſtatum faceret ſui erga Magiſtrum amoris ardorem, & magnitudinem. Hanc vocis hujus *amo, amo, amo*! repetitionem, puto viro illi Religioſo dediſſe occaſionem, ut excogitarit Roſarium Amoris Jesu, cujus auream praxin aliàs vos docui.

Ioan. 21. 16.

§. 10. *Proſecutio.*

Eundem amorem demonſtravit S. Petrus, cum interroganti Domino ex Diſcipulis, num vellent à ſe abire, reſpondit Petrus, *Domine ad quem ibimus*? quaſi diceret, quid nobis fiet, ſi tuam ſocietatem deſeramus; & quid ſine te nos beabit? Ubi fideliorem reperiemus amicum? S. Chryſoſt. hom. 5. in epiſt. ad Rom. *Audi, ut Petrus illius amore uſtus ardeat! & anima, & vita, & omnibus rebus illum anteponens. Omnia enim ipſe illi erat; & neque cælorum regnum illi præferebat.* Hujus amoris actum elicuit David, cùm exclamavit, *Quid mihi eſt in cælo, & à te quid*

Ioan. 6. 69. *Pſ. 72. 25.*

Digitized by Google

volui ſuper terram. Quis me impediet, quo minus hîc meis Auditoribus proponam hanc quæſtionem, Diligitiſne Jesum? Anathema illi, qui non diligit. Sed ſi diligitis cum ſancto Petro, ut quid illum deſeritis (eſt locus pro piiſſimo affectu, quomodo cum ſancto Petro illum diligere debeamus.)

Ubique ſanctus Petrus præ aliis diſcipulis ferventiſſimum ſuum erga Chriſtum D. oſtendit amorem. Dum piſcantes in mari vident hominem ambulantem ſuper aquas, & aliqui murmurant eſſe Dominum: Petrus ſtatim exclamavit, *Domine ſi tu es, jube me venire ad te*, neque exſpectans reſponſum, ſe projecit in aquas. Cur Andreas, cur Joannes, cur Jacobus idem non fecerunt? Theophylactus in cap. 14. S. Matth. *Ferventiſſima Petri erga Chriſtum caritas illum ad hoc impulit; deſiderabat enim ſtatim eſſe prope illum, & præ aliis.* Lyranus hic. *In tantum deſiderabat Chriſti ſocietatem, quod nolebat exſpectare adventum ejus uſque ad navim, ſed volebat occurrere ſuper aquas, oblitus præ amore Chriſti aquæ periculum.* S. Ambroſius ſerm. de cathedra S. Petri: *Dum Chriſtum reſpicit, non reſpicit elementum.* S. Petrus Dam. ſerm 26. *Pelagi ſævientis undoſitas affectum Apoſtoli retinere non potuit.* Auditores mei, diligitiſne cum S. Petro Jeſum? ſi diligitis, an in cordibus veſtris ardet juge & fervens deſiderium, ut ſitis prope Chriſtum? (hoc modo continua ſuavem affectum, an contemnant pericula, & labores, qui pro Chriſto ſunt exantlandi)

§. 11. *Proſecutio.* *Matt. 14. 28*

Amor hic fecit, ut Petrus libentiſſimè adhæreret Chriſto D. in monte Thabor, in glorioſiſſima ejus transfiguratione, *Domine, bonum eſt nos hic eſſe, faciamus hic tria tabernacula, Moyſi unum, Eliæ unum, & tibi unum.* O myſterium amoris! O affectuoſum deſiderium ſancti Petri, quod advertit ſanctus Bernardinus tom 4. ſerm. 12. *Volebat, quod Joannes contemplativus ſtaret cum Elia, & Jacobus activus cum Moyſe, & ipſe ſtaret cum Chriſto in ſuo tabernaculo!* Amor deſiderat adeſſe amato. In captivitate, in monte Oliveti ſolus Petrus pro defenſione Chriſti extraxit è vagina gladium; ſanctus Bonav. in c. 22. Luc. *Quia Chriſtum plus aliis amabat.* Cum Chriſtus D. dixit ſe aſcendere Jeroſolymam,

§. 12. *S. Petrus libenter fuit prope Chriſtum.* *Mat. 17. 3. 4*

Matt.16.22 mam, ad paſſionem & mortem, ait Petrus, *Abſit à te Domine! non erit tibi hoc.* Hugo de ſancto Victore tit. 1. in Joan. *Ex nimio ardore dilectionis hoc dixit; ex ardore enim dilectionis non ſuſtinebat audire mortem ejus.* Cùm in ultima cœna Joan.13.v.25, 26. cœleſtis Magiſter mentionem fecit ſui proditoris, ſtatim Petrus rogavit Joannem, ut à Domino intelligeret, quiſnam eſſet? *Et ſi Petrus* (ait ſanctus Bonaventura libro de vita Chriſti, capit. 73.) *proditorem explorare potuiſſet, dentibus ſuis laniaſſet, aut alio modo occidiſſet; erat enim fervidus Chriſti amator.* Tales, exemplo ſancti Petri, hodie deſidero eſſe meos Auditores, & ut ubique tales ſe oſtendant (fiat brevis priorum repetitio.)

§.13. *Præcipuum motivum lachrymarum S. Petri fuit amor Chriſti.* Notiſſimum eſt, quàm amaris lachrymis ſanctus Petrus graviſſimum ſuum lapſum, ternam Magiſtri negationem defleverit, non tantum illo tempore, quo egreſſus in antrum *flevit amarè*; ſed ex tunc Petrus traxit in conſuetudinem, ut à primo gallorum cantu, uſque ad horam matutinam ſtaret, Matt.26.75 flens ſuam negationem. Sanctus Chryſoſtomus quærit hom. 12. in epiſtol. ad Coloſſenſes, ex quo fonte manarunt tanta fluenta, ut ex illius oculis lachrymæ? quem fontem vis comparare cum his lachrymis? eumne, qui eſt in paradiſo, qui Gen.2.v.10 irrigat univerſam terram? ſed nihil dices æquale. Verùm ego modo non cupio inhærere lachrymis ſancti Petri; cauſa ſervit meo diſcurſui, ob quam ita amarè & copiosè flevit, quam advertit ſanctus Chryſoſtomus: *Non ob ſupplicium luxit, ſed quod Dominum Chriſtum, quem ita amaverat, & amabat, abnegaſſet.* Hiſtoria Lombardica ait: *Fertur quod in ſinu ſuo ſudarium geſtabat, quo ſæpe fluentes lachrymas tergebat; quia quando dulcis allocutionis, & præſentiæ Domini Jeſu memor erat, præ nimia amoris dulcedine lachrymas continere non poterat; & facies ejus ex lachrymis* (amoris) *videbatur quaſi exuſta.* O ſi ita exemplo ſancti Petri amaremus JESUM, varias habemus cauſas & motiva tenerrimæ contritionis; una ex præcipuis ſit, quod JESUM offenderimus. O quam dulces, quam ſuaves ex hac contritionis vena ebulliunt lachrymæ? guſtate cum ſan-

Digitized by Google

ſancto Petro, quàm ſuavis ſit Dominus ob hanc cauſam plorantibus.

§. 14. *Epilog. cum variis encomiis SS. Apoſtol. piiſq; Auctoris deſideriis.*

Ob tam auguſtam fidei in Petri confeſſionem, ob hunc ardentiſſimum ejus erga Chriſtum amorem (amor idem in ſancto Paulo integram aliam requirit panegyrin, modo clepſydra me monet, ut finem reſpiciam) puto bene dixiſſe D. Damaſcenum orat. de transfig. *Deus eum erudit, qui primus vocatus fuerat, ac primus ſecutus fuerat, quem pro ſua præſcientia dignum Eccleſiæ Antiſtitem prædeſtinaverat.* Hic Antiſtes præ aliis cognoſcere debuit altiſſima Fidei noſtræ myſteria, & præ aliis Chriſtum Salvatorem noſtrum ardentiſſimè diligere. Poſt Petrum ſanctus Paulus, qui à Deo prædeſtinatus fuit Doctor gentium, in iiſdem duabus virtutibus eximiè fuit excellens, & vas electionis. De quodam eximio encomiaſte ſancti Petri, id eſt de Chriſto D. quidam Theologus dixit: *O felix Piſcator, cùm tua laudis oratorem nactus, cujus verba & te ſummè extollunt, & efficaciam habent præſtandi quidquid prædicant magnum.* O ſi talia per Dei gratiam forent verba hujus meæ Concionis. Conatus ſum extollere ſanctum Petrum & ſanctum Paulum, quantum potui, non quantum debui. Dixi fuiſſe eximios Fidei Catholicæ Confeſſores; utinam eadem verba vim habeant & efficaciam præſtandi, ut tales nos quoque ſimus. (hoc modo cum repetitione Concionis fiat affectuoſus Epilogus.) De eloquentia S. Pauli dixit S. Hieron. in apologo ad Pammachium, *S. Paulus tuba fuit Evangelii, rugitus leonis, flumen eloquentiæ Chriſtianæ.* Talem tubam, talem rugitum, tale flumen opto eſſe hanc meam concionem, ut efficiat, ut ſanctorum Apoſtolorum horum ſitis ferventes & fideles imitatores.

CON-

CONCIO LXXIV.

FESTO VISITAT. B. V. MARIÆ.

Sicut lilium inter ſpinas, ſic Amica mea inter filias.

Cant. 2. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Variis titulis comparat Mariam cum Lilio.

§. 1. *Officia creaturarum erga Viſitantem Virginem.*

§. 2. *Lilium eſt fœcundiſſimum ſymbolum B. Virginis.*

§. 3. *Decem elogia lilii ex ſacris literis applicantur B. Virgini.*

§. 4. *Decem alia elogia ex ſanctis Patribus.*

§. 5. *Decem elogia deſumpta à forma lilii.*

§. 6. *Alia decem à varietate colorum.*

§. 7. *Decem à vi medica lilii.*

§. 8. *Elogia Rhetorum.*

§. 9. *Poetarum.*

§. 10. *Decem ſymbola deſumpta à liliis.*

§. 11. *Alia ex Hiſtoriis.*

§. 1. *Officia creaturarum erga Viſitantem Virginem.*

JUbilate Judææ montes, colles, valles, fontes, rivuli; plaudant herbæ, flores, arbores, ſaxa; accurrite incolæ, accolæque omnes; adeſte fauni, ſatyri, nymphæ, ſylvarumq; Deæ! montana veſtra aſcendit virginum pulcherrima, Regina, Princeps, Dei Mater! en volat, en celeri calcat juga proxima greſſu; cœleſtium geniorum comitata choris. Pars formoſiſſimorum epheborum præit, pars caſtum ambit latus, pars pulcherrimorum greſſuum aurea premit veſtigia. Et licet omnes, celeres & leves urgeant alas, vix properantem aſſequuntur

tur Virginem, quam pennæ & alæ vehunt amoris. Prô! quanto ſtudio venuſtiſſimi Pueri incumbunt ſervitio Virginis! alii aſperas vias mollibus clivis ſubigunt, alii ſurgentes evellunt rubos, alii removent ſaxa, alii roſeo rore irrorant humum, alii de arboribus foliorum & florum dejiciunt nimbos, roſaſq; & lilia virgineis ſubſternunt pedibus; alii velut agmine facto libratis pennis evolant, & in mutua ſeſe nectentes vincula deſuper incumbunt, ut auream & Angelicam faciant nubem, ſub cujus umbra formoſiſſima Virgo contra ſolis radios obumbretur & protegatur. Inter hos alii ſidereis alis, veluti ſuaves Zephyri, ſuavem ſuſcitant auram. Adeſte inquam, montium in Judæa incolæ; cum tali comitatu formoſiſſima Virgo ad vos accedit; adeſte, occurrite, ſi lubet vel præire, vel caſtum ſtipare latus, vel aurea premere veſtigia. Adeſte, veſtrum quoque eſt, virgineo incumbere ſervitio. Agite, complanate vias, evellite rubos, removete ſaxa, irrorate vias, decidite ramos, aſpergite flores, ſubſternite roſas & lilia! Dum lilium altera vice nomino, aliæ mihi occurrunt cogitationes, nimirum ut hoc tempore quo lilia florent, florida panegyri vobis oſtendam, quàm aptè B. Virgo à Sponſo comparetur cum lilio. Obſtupeo, cum conſidero, quot & quàm varia ſymbola marianarum laudum, Deus & natura uni flori, ſcilicet lilio incluſerit. Antequam id faciam, dicite mecum, ſalve candidulo decore fragrans, ſalve lactea lilii columna, Virgo, floſcule delicate ſalve. Te florem Dominam, vocare mens eſt, florem, ſed niveum, ſed albicantem, ſalve, te voco lilium, Maria.

§. 2. Lilium eſt fæcundiſſimum ſymbolum B. V.

Gaudeo, quoties video Sacriſtanos in templis, ſtatuas B. Virginis, præſertim hodierno feſto, coronare & exornare liliis, lilium enim flos eſt, qui diverſiſſimis modis, formâ, colore, odore, virtute nobis ob oculos ponit admirandas Virginis Deiparæ excellentias. In una hac Concione ex ſacris literis nonaginta conglobabo convenientias, proportiones, ſimilitudines, analogias, comparationes, proprietates inter lilium & Mariam. Primas decem ſumam quaſi ex ipſo fonte, id eſt, ſacris literis.

§. 3. X. elogia lilii ex ſacris

I. Inter urbes in Scriptura celebres & nominari ſolitas, reliquis quodam quaſi jure voluit præferri, regia Aſſueri civitas, eò

Digitized by Google

literis applicantur B.V. *Eſth.1.2.* eò quòd nomen ſuum derivaſſet à lilio, à quo tanquam cæteris omnibus venuſtior fuit appellata *Suſan*, id eſt civitas liliorum, quæ magnâ copiâ in hortis & agris illius urbis creſcebant, Civitas pulchra, amœna, florida! ni fallor, pulchrior longè civitas fuit venuſtiſſima Virginum, in cujus horto vel utero ante men-
Cant. 2.1. ſes aliquot plantatus fuit ille, qui de ſe ait, *Ego flos campi, & lilium convallium.* Verè civitas aurea, domus aurea, aula regia eſt Ma-
Cant. 7. 6. ria, ornata liliis, tota pulchra, tota florida! II. Gloriatur Sponſus, ſe ſuam Sponſam veluti urbem vallâſſe liliis; & quibus liliis putamus à Spiritu ſancto vallatum uterum Virginis, in quo latet
Cant. 2.17. theſaurus infiniti pretii. III. De dilecto vel Sponſo dicitur, quod paſcatur inter lilia. Quale lilium appellabimus illam Virginem, cujus niveo lacte & uberibus enutritus fuit Sponſus ſpecioſiſſimus præ filiis hominum; præterquam quod novem menſibus Virginis uterus, fuerit quaſi floridus lectulus ſtratus liliis, inter quæ caſtiſſimus Sponſus totidem menſibus placidè quievit. IV. Lilia amant valles, ibi floridè creſcunt. Filius Dei adeo adamavit Virginis humilitatem, ut in illius utero factus fuerit homo! dicamus illam fuiſſe vallem lilii pulcherrimi. V. Lilium in ſacris literis eſt flos triumphalis, ſive ſymbolum Victoriæ. Ideo floridiſſimo Pſalmo quadrageſimo quarto, de pulchritudine regii Sponſi David hunc titulum præpoſuit. *Triumphus pro liliis*, vel ut alia habet verſio, *Triumphus per lilia.* Contigit hic triumphus, cum in prima Virginis Conceptione, contritum fuit caput ſerpentis, ut illam veneno peccati originalis inficere non potue-
Gen. 3. 15. rit, juxta illud Gen. *Inimicitias, &c.* Dicamus ergo B. Virginem fuiſſe triumphalem florem, ſive triumphale lilium, cui infernalis ſerpens nullam maculam aſpergere potuit. Pulcher triumphus!
4. Eſd. 5. 24 per pulchra lilia! per JESUM & Mariam. VI. ait liber Eſdræ, *Ex omnibus floribus elegiſti tibi lilium unum.* Dicamus nos Deum pro ſua Matre ex creaturis & puellis innumeris unam elegiſſe Mariam. VII. Natam quidem inter ſpinas, à parentibus Joachimo & Anna, ſed illæſam, etiam à ſpina peccati originalis, quæ
Cant. 4. 14. gratia unico collata fuit lilio, uni Mariæ. VIII. Ob ſuavem odorem lilii Sponſus Sponſam comparat oleo effuſo, & unguentis

opti-

optimis, aitq; de illa, *Labia ejus lilia diſtillantia myrrham.* IX. *Cant.5.13.*
Lilium in ſacris literis eſt flos virgineus, adeo ut in illis lilium & Virgo ſint ſynonima: nam ubi dicitur, *Miſſus eſt Angelus Gabriel ad Virginem*, alii legunt, *Miſſus eſt ad lilium.* Et ſanctus Hier. ait, Sponſum paſcere inter lilia, non eſſe aliud, quàm quod choros agat inter liliata Virginum agmina. Cur Virginem Virginum omnium primipilam non vocabimus lilium. X. Floridiſſimum juxta illud Eccleſ. *Florete flores quaſi lilium*, alia verſio, *diffundite odorem, laudate & benedicite Dominum.* Tigurina. *Spirate odorem, cantate laudem.* Syrus. *Sicut radix lilii regii attollite vocem, & laudate ſimul, & confitemini Domino ſuper omnibus operibus ſuis.* Senſus eſt, quaſi diceret, O Filii Sanctorum producite flores virtutum, ac laudis divinę, ut inſtar lilii effloreſcatis candore caſtitatis & puritatis vitæ, ac detis odorem & fragrantiam bonæ famæ, atque frondeatis gratioſè per morum compoſitionem & modeſtiam; ut in iis inſtar lilii reſplendeatis fulgore virtutum; ut omnes, qui vident, laudent Deum. Nunquid advertitis Auditores, hunc unicum verſum, hæc pauca verba præbere integræ Concioni materiam, ut oſtendat quale lilium fuerit Maria, præcipuè cum hodie cecinit floridiſſimum illud Canticum, *Magnificat anima, &c.* ego modo tantum inſinuo, & dico B. Virginem fuiſſe lilium floridiſſimum. Salve! te voco lilium Maria.

Luc.1.26. *Eccl.39.19.* *Luc.1.47.*

§. 4. *Decem alia elogia ex SS Patribus.*

Ex paradiſo ſacrarum literarum deſcendo ad viridarium Patrum, illorum præſertim, qui Virginitatem Virginis Matris, ante partum, in partu, poſt partum extollunt illis epitethis & encomiis, quæ liliis tribui ſolent. I. Rupertus Mariam vocavit *Virginem florentiſſimam.* II. Theeſtor *fragrantiſſimam divina ſuavitate.* III. S. Anſelmus *intemeratam*, IV. *Nive candidiorem.* V. Bloſius *elegantiſſimam*, VI. *Gratioſiſſimam.* VII. Giſelbertus *ſpecioſiſſimam.* VIII. S. Bernar. *amabiliſſimam.* IX. S. Bonav. *dulciſſimam* X. Iterum S. Bernar. *Affluentiſſimam cæleſtibus deliciis, & puritate pleniſſimam.* Nunquid hoc eſt dicere, floridũ eſt lilium! florida eſt Maria! fragrans eſt lilium, fragrans eſt Maria! Intemeratæ puritatis eſt lilium, talis Maria! nive candidius eſt li-

lilium, ita Maria. Elegans eſt lilium, elegantior Maria. Gratioſus flos eſt lilium, gratioſior Maria. Specioſum eſt lilium, ſpecioſior Maria, & amabilior quàm lilium, affluens cœleſtibus deliciis, puritate pleniſſima. O pulchrum lilium! ſalve, te voco lilium Maria.

§. 5. *X. elogia deſumpta à forma.* Forma & architectura hujus floris aliam elogiorum decadem mihi ſuggerit in laudem Mariæ. I. In pulchris nihil eſt formoſius hortis, canit ille Poeta. In cœlis, in paradiſo, in mundo nihil eſt formoſius Maria! II. Regium ſceptrum inter flores tenet lilium. Regium ſceptrum in cœlo & in terra tenet Maria. III. Natura lilium ornavit aureâ coronâ tanquam regem inter flores. *Apoc. 12. 1.* Mariam ſanctiſſima Trinitas corona ex lucidiſſimis duodecim ſtellis, tanquam Reginam cœli & terræ inſignivit. IV. Flos, inter omnes flores caule ſituq; maximè erectus & ſublimis eſt lilium. Altum petunt lilia, in excelſum aſſurgunt ſæpe ultra tres cubitos. Ideo Maria hodie aſcendit in montana, Virgo inter creaturas omnes ſublimiſſima eſt Maria. V. Forma lilii ob virorem, ob candorem, ob auream flavedinem, adeo eſt pulchra, ut dulciſſima ſua amœnitate oculoſq; animumq; hominis oblectet; imo captivos hac pulchritudine oculos, animoſq; ad ſe rapit & convertit. Magis nos oblectat, rapit, & captivat venuſtiſſima forma formoſiſſimæ puellarum. Si Maria eſt areola liliorum, ſi eſt labyrinthus pulchritudinis, in hoc labyrintho, inter hæc lilia libenter meos oculos, libenter cor, libenter animam, libenter me totum perdam. Fateor me captivum hujus Virginis, imo mancipium Mariæ. VI. Cum pulchritudine lilii certat fœcunditas in multitudine florum ex uno trunco progerminantium, ſæpe ultra triginta. Fœcundior fuit pulcherrima Maria, cum inſtar lilii ex virginali utero mundo protulit aurum Divinitatis, Deum incarnatum. VII. Flos amoris eſt lilium, amoris fundo, hoc eſt, cordi innixus, cum radicem & bulbum lilii natura efformârit in figuram cordis. Potius Maria flos & lilium amoris eſt, in amoris fundo plantata, hoc eſt in corde Divino, quod eſt Spiritus ſanctus, Spiritus amoris, à quo hoc lilium, à quo Maria ita eſt formata, ut, ſi lilium ſit quaſi miraculoſus partus

tus naturæ, Maria ſit. VIII. In divini amoris negotio lilium planè prodigioſum. IX. In hoc, lilium oculis noſtris jucundiſſimum præbet ſpectaculum, quo cernimus, quod quo altius regius ille flos è bulboſa radice, veluti fundo & centro, per ſcapum inter folia hinc inde amœnè adrepentia ab imo ad ſummum culmen aſſurgit, eò magis graves altitudine flores inclinat, atque ſubmittit. Agnoſco, veneror iterum in hac lilii proprietate Mariam, & quaſi Dei Matris profundiſſimam humilitatem, quo enim altius ex bulboſa radice demiſſionis, per ſcapum gratiæ & divini favoris, per virtutum & gratiarum folia, ad ſummam dignitatem, ad Dei Maternitatem aſcendit, eò ſe inclinavit profundius; Angelus ait fore matrem Filii Altiſſimi, ipſa ſe ancillam *Luc.1,37.* vocat. O altiſſimum lilium! ô humillimam Virginem! vel dicamus X. Licet Domina noſtra in cœlum uſque ſit elevata, inde tamen ad nos in hanc lachrymarum vallem, in nos inquam ſuos filiolos, ſervulos, clientulos, ſuaviſſimæ ſuæ miſericordiæ oculos inclinat & convertit, ô Mater miſericordiæ ſalve, te voco lilium Maria!

§.6. Alia X. è varietate colorum.

E varietate colorum, quibus natura ſuam pulchritudinem in lilio oſtendit, alia naſcitur ſeges elogiorum in laudem Deiparæ. I. Nive candicat in radice & flore. II. In floſculi penetralibus, & in corona flavet auro, quo tangentes quoque tingit & inaurat. III. In foliis ad ſcapum viret Smaragdo. IV. In pertica pallet unionibus. V. In venis per ſcapum diſperſis rubet carbunculis. VI. In ſtriis purpurat corallo. VII. Nigreſcit in bulbo. VIII. In liliis cæruleis cæruleus color imitatur cœlum. IX. In aliis natura videtur planè igneſcere. X. In aliis variis & mixtis ludit coloribus. O Maria! ô pulcherrimum lilium! quid nive tuæ puritatis candidius? quid auro tuæ charitatis rutilantius? quid virore tuæ ſpei lætius? quid tuo pallore modeſtius? quid carbunculis tuæ verecundiæ magis purpureum? quid nigrore tuæ demiſſionis abjectius? quid tuis ignibus ardentius? in uno lilio, in una Maria non natura, ſed gratia, ſed Spiritus S. omnium gratiarum ludit coloribus. O Maria tota es pulchra, tota es lilium!

III. Ob eandem cauſam dixerunt floris tam pulchri nutricem eſſe Junonem. IV. Dixerunt alii primum lilium fuiſſe progenitum ex Deæ illius lacte, & ideo vocârunt florem lacteum. V. Aliis eſt partus roris cœleſtis, quem proinde VI. ſurgente Aurorâ patulis foliis, & aperto quaſi ſinu ad ſe trahit. Sed VII. idem à lilio modicè agitato ſine damno excutitur. VIII. Venerem olim coronârunt roſis, alios Deos & Deas aliis herbis & floribus, amorem liliis, ſcilicet æthereum, decet hic flos purus amorem. IX. Qui etiam paſcitur inter lilia. X. Lilium flos eſt ſuperis dilectus. Iterum Maria ob decem cauſas tota eſt lilium, partus fuit terræ, ſed virgineæ. In terris nata eſt, ſed patria fuit illi cœlum: ab eodem nutrita, & ſimul nutrix lilii pulcherrimi: lilium totum lacteum, plenum rore cœleſti, ſive Spiritu ſancto, præſertim dum in utero illo obumbrante concepit, ad quem dudum anhelavit mundus notis ſuſpiriis, rorate cœli deſuper. Et lilium ſive Virgo, cui partus ille roris non nocuit. Talis Virgo coronata eſt liliis, hominibus & ſuperis dilecta. Salve, te voco lilium Maria.

Superſunt ſymbola ex arcana Ægyptiorum ſapientia deprompta. I. Margarita Regina Navarræ pro ſymbolo elegit coronatum lilium, ex quo pretioſa pendebat gemma cum lemmate: *Mirandum naturæ opus.* Domina noſtra eſt hoc lilium, coronata diademate cœli & terræ, à cujus uberibus pendet unio pretioſiſſimus, Deus parvulus, non naturæ, ſed gratiæ & divinæ omnipotentiæ mirandum opus. II. Coronæ ex liliis ſunt ſymbola prudentiæ. III. Sapientiæ. IV. Gloriæ. V. Liberalitatis. VI. Scapus lilii eſt ſymbolum fortitudinis & excelſi animi. VII. Imperatores in nummis Virgini cum lilio appoſuerunt epigraphen, duas has voces, *Spes publica.* Vel VIII. *Spes Auguſta*, vel IX. *Spes populi Romani.* Tandem Ludovicus II. Dux Borbonius in honorem Virginis inſtituit ordinem equeſtrem, cujus inſigne eſſe voluit torquem aureum ex liliis, ex quo aurea pendebat crucula, cum hac vocula, *Spes quam unicam in Cruce & lilio*, id eſt, *Chriſto & Maria, collocârat.* Eja Mariam coronate liliis, prudentiſſima eſt, ſapientiſſima, & glorioſiſſima eſt, liberaliſſima

§. 10. *X. Symbola deſumpta à lilio.*

Digitized by Google

ſima eſt, fortiſſima eſt. Virgineis ejus manibus regium porrigite ſceptrum ex liliis, inſcribite, ſpes publica, ſpes auguſta, ſpes populi Chriſtiani poſt Chriſtum, ſpes una orbis eſt Maria; ſalve, te voco lilium Maria!

§ 11. *Alia ex hiſtoriis.* Superſunt tandem decem rivuli, qui fluunt ex fonte eruditionis Hiſtoricæ. I. Ex ore clientis magnæ Matris, poſt mortem germinavit candidiſſimum lilium, cui aureo charactere inſcripta fuit ſalutatio Angelica, *Ave Maria*. O Lilium! ô Virgo! O Maria! ecce corda noſtra, converti illa cupimus in lilia, quibus virgineis tuis manibus inſcribas dulciſſimum tuum nomen, Maria! II. Sanctus Didacus ex Ordine ſancti Franciſci, fruſta panis, quæ pauperibus largiebatur convertit in lilia. O ſi tali metamorphoſi hodie Auditorum meorum cogitationes & affectus in lilia, ut illis exornetur Maria. Statim cum eodem Sancto exclamarem, O quàm ſuaves ſunt flores paradiſi. III. Sancta Cæcilia immaculati cordis Virgo, vidit Angelum ſuum Cuſtodem, flammeis pennis, vultu ſcintillante, coronas duas è roſis & liliis textas, ſibi & Sponſo offerentem, audivitque dicentem: *Has coronas corde immaculato, & puro corpore cuſtodite. Nunquam marceſcent à vobis, neque unquam amittent ſuavitatem odoris, neque unquam poterunt aſpici, niſi à caſtis.* O ſi ego hodie eſſem talis Angelus, cum flammeis pennis, quàm celeriter evolarem ad paradiſum, ad decerpendum lilia, candida, odorata, ut illa offerantur Mariæ. IV. Sanctæ Franciſcæ viſa fuit B. Virgo cum Jeſulo Parvulo, tribus coronatam coronis, quarum una fuit è roſis candidis, & recentibus; altera è liliis, inter quæ duodecim ſtellæ collucebant; tertia ex duodecim luci diſſimis lapillis, variarum virtutum ſymbolis, inter quæ in carbunculo arſit amor Dei. Auditi fuêre Seraphini cantantes, *Tibi ſit laus, O glorioſa Domina, quæ pulchras habes coronas in capite.* Agite Auditores, tales coronas hodie parate vertici Mariæ; Mater liliorum amat lilia. V. Sancta Felix Martyr vidit in amœniſſimo horto paſci quinque niveos Agnos, ſe ſcilicet & ſocias inter lilia. Hodie Agnus *Ioan. 1. 29.*
Dei,

Dei, qui tollit peccata mundi, ingreſſus eſt hortum Mariani Uteri, ut paſcatur inter lilia. Eia Auditores, ſimus & nos Agni, ingrediamur in hortum dulciſſimi cordis Mariæ, ibi reperiemus lilia cœleſtium deliciarum. VI. Sanctæ Catharinæ Senenſi ſanctus Dominicus è cœlis oſtendit lilium ardens, quo tota ſuccenſa fuit cœleſti quodam igne amoris erga JESUM & Mariam. O lilium ardentiſſimum! O Maria! nos quoque accende. O ſi & ego vobis tale lilium poſſem oſtendere, ut iiſdem flammis toti ardeatis. VII. Ut ſancta Agatha ſanctam Dignam animaret ad ardua, de cœlo oſtendit illi pulcherrimum lilium. Ego vobis, Auditores, ad hunc finem in hac Concione, oſtendi lilium omnium pulcherrimum, pulcherrimam Mariam! VIII. & IX. Prætereo lilia ſanctæ Dorotheæ, & ſanctæ Abundantiæ, ut tandem ſermoni finem imponam. X. Sanctus Norbertus dum animam exhalaret, viſus fuit totus commutari in candidiſſimum lilium, quod ab Angelis cœlo fuit illatum ante thronum ſanctiſſimæ Trinitatis. Tale lilium fuit Maria! Utinam & nos aliquando in agone noſtro commutemur in illa, ut illa à Maria præſententur SS. Trinitati. Fiat! Fiat!

CONCIO LXXV.

FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

Lachrymis cœpit rigare pedes ejus.

Luc. 7. v. 38.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Exponit aliquas cauſas lachrymarum Magdalenæ.

§. *1.* *Fe-*

Digitized by Google

§. 1. *Felicitas Magdalenæ ſecus pedes Chriſti.*
§. 2. *Deſideria & dolores ſæpe ſunt cauſa lachrymarum: patet in Magd. Ejus dolor.*
§. 3. *Ejus deſideria.*
§. 4. *Deſcriptio Magdalenæ ex S. Cypriano.*
§. 5. *Apoſtrophe ad animas pœnitentes.*
§. 6. *Magdalena plorat, quia implorat miſericordiam.*
§. 7. *Exemplo pœnitentis Davidis.*
§. 8. *Ezechiæ & Suſannæ.*
§. 9. *Lachrymæ mitigant iram Dei.*
§. 10. *Lachrymæ produnt affectus animi in Magdalena.*
§. 11. *Magdalena imitata fuit Samuelem.*
§. 12. *Lachrymæ gratum Deo ſacrificium.*
§. 13. *Magdalena flevit ob nimiam affectionem erga Jeſum, à quo deinde ſeparari non potuit.*

§. 1. *Felicitas Mar. Magd. ſecus pedes Domini.*

Ioan. 20. 27
Ioan. 21. 20
2. Cor. 12. 4

AFfectuoſè dixit melliſluus S. Bernardus ſer. 23. in Cant. *Thomas in latere, Joannes in pectore, Petrus in ſinu Patris, Paulus in tertio cœlo, ſecreti hujus gratiam ſunt aſſecuti*, ibi invenerunt pretioſiſſimum theſaurum, cognitionem ſcilicet, & amorem Chriſti. Ob verba quæ ſubjungit, addo ego, Magdalenam pœnitentem, reperiſſe eandem gratiam *ſecus pedes Domini*, ait enim: *Thomas in ſolido fidei, Joannes in lato charitatis, Paulus in intimo ſapientiæ, Petrus in luce veritatis, Magdalena in tuto humilitatis*, ibi ſecus pedes dulciſſimi Jeſu, accumbentis in convivio, reperit illa veniam & remiſſionem peccatorum. Similes gratias cupio quærere in hac concione, ſed ubi? an in latere & pectore Jeſu? fateor, mille ibi latent deliciæ. Num in ſinu Patris, vel inter cœli gaudia? ſed verſamur adhuc in exilio, in hac lachrymarum valle. Itaque cum Magdalena manebo in tuto humilitatis, hærebo ſecus pedes dulciſſimi Jeſu. Et cum ſol calidior hodie nos urat, ducam vos ad illos rivulos & fontes, qui ſaliunt & fluunt ex corde & oculis pœnitentis Magdalenæ. Nobiliſſimæ ex illis argenteis aquis devolvuntur gemmæ & margaritæ. Ita SS. Patres appellant pœnitentium lachrymas.

Digitized by Google

mas. Proponam vobis tres vel quatuor cauſas, ob quas Magdalena tam amarè flevit.

§. 2. Deſideria & dolores ſæpe ſunt cauſæ lachrymarũ. Quod in Mag. patet. Quantus ejus dolor.

Epiſt. 64. quærit Seneca, *Quæris, unde ſint lamentationes? unde fletus? & reſpondeo; per lachrymas, argumenta deſiderii, quærimus, dolorem oſtendimus.* Itaq; qui plorat, ſubinde oſtendit ſe uri ardentibus deſideriis; ſubdemonſtrat ſe acerbis vexari & premi, vel ſtimulari doloribus. Utrumq; frequenter conjungitur, ut lachrymæ ſcaturiant, ſimul ex fonte deſideriorum, & dolorum. Ego dum in hodierno Evangelio audio famoſam ſed pœnitentem mulierem in convivio, palam, tam copioſas effudiſſe lachrymas, ut dicatur rigaſſe pedes ſui Magiſtri, bene quæro, unde iſtæ lamentationes? unde fletus? & reſpondeo, lachrymæ Magdalenæ ſunt argumenta deſiderii, & acerbi doloris in afflictiſſimo, humiliato, & contrito ejus corde. Quamprimũ in concione Chriſti D. ad quam à ſorore Martha deducta fuerat, turpitudinẽ & gravitatem ſuorum ſcelerum agnovit, *Irruerunt in eam dolores ingentes*, ut ait ſacer textus in lib. Reg. Job. *Repleta eſt doloribus. Oppreſſit eam dolor.* Jeremias. *Mæſtum factum eſt in dolore cor ejus.* Michæas. *Comprehendit illam dolor*, ſcilicet dolor ſupernaturalis de offenſo ſummo bono. Hic illas lachrymas ex corde & oculis Magdalenæ expreſſit. Hic veræ contritionis admovit flammas, quibus liquefactæ nobiliſſimæ cordis illius particulæ, ex oculis effluxerunt lachrymæ contriti, & dolentis, & mœrentis animi, infallibile ſunt argumentum. S. Gregor. Nyſſ. orat. fun. de Placilla. *Dolor in corde deliteſcens, per fletus & lamentationes ſignificatur; ac vulnerum animi, tanquam ſanguis lachrymæ ſunt.*

1. Reg. 4. 19. Iob 7. 4. Ioel 16. 8. Thren. 5. 17. Mich. 4. 9.

§. 3. Magdalenæ deſideria.

Magdalenæ dolorẽ auxerunt urentia deſideria, quibus flagrabat erga dulciſſimum Jeſum. Deſiderium ejus erat nunquam offendiſſe tam bonum Dominum: ut oſtenderet argumentum hujus deſiderii flevit, inde lamentatio! inde ploratus! ardẽs ejus deſiderium erat, amare deinceps ſummum bonum, & Salvatorẽ tam ſuavẽ, ardentiſſimè! anhelabat, æſtuabat, non capillis tantũ ſtringere pedes; ſed funiculis ardentiſſimorũ affectuũ amoris ipſũ cor Jeſu, argumẽta affectuũ voluit eſſe lachrymas! ſuaviſſime

S.Chryſoſtomus hom. 6. in Matth. (ut ſimilia Magdalenæ deſideria vobis cogitanda relinquam) *Totam ſe præ nimio Christi deſiderio effudit, capillos diſſolvens, & ſanctos ejus pedes ſuis lachrymis irrigans, ac propriis illos crinibus abſtergens.* Norunt Docti, capillos in ſacris literis eſſe ſymbolum cogitationum & deſideriorum, juxta illud, *Vulneraſti cor meum ſoror, ſponſa, vulneraſti cor meum, in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui*, id eſt, una cogitatione, uno deſiderio, vel uno actu amoris, ſponſæ erga ſponſum, vulneravit cor ejus; adeo unus capillus, ſive unicum deſiderium ardentiſſimi amoris illi placuit. O felicem Magdalenam, quæ non uno crine, ſed totis comis, lachrymis prius rigatis, & madidis deterſit & ſtrinxit pedes Jeſu! quemadmodum totos capillos, ita quoque omnia ſolvit deſideria cordis & amoris erga cœleſtem Sponſum; ut tota, ex toto corde, ex tota anima, &c. nil aliud deſideraret, quàm dolere de peccatis, & amare Deum. Argumentum & evidens ſignum ſuæ voluntatis, quæſivit in lachrymis. De quibus S. Bern. exclamat: *Felices lachrymæ, quas benignæ manus Conditoris abſtergent: & beati oculi, qui in talibus liqueſieri lachrymis elegerunt.*

Cant. 5. 9.

§. 4. *Elegans deſcriptio pœnitentis Magd. ex S. Cypriano.*

Eleganter Magdalenam depingit S. Cyprianus tract. de ablutione pedum. *Uſa eſt capillis, pro linteo, oculis pro catino, lachrymis pro Baptiſmo: cor contritum erupit in lachrymas, fides lavit, charitas unxit: caput pro ſuppedaneo ſtravit, crinibus circumfuſis pedes ſacros involvit & abſterſit; nihil ſibi de ſe retinens, totam ſe Magiſtro ſuo devovit.*

§. 5. *Apoſtrophe ad animas pœnitentes.*

Eia pœnitentes animæ, quæ peccaſtis cum Magdalena, hoc agite, abjicite vos ad pedes Jeſu Crucifixi; facite, ut irruat in vos dolor, ut mœſta ſint corda veſtra, dicite, O Deus! ô ſummum Bonum! ô Jeſu! doleo, quia offendi te. Hic dolor cito ſuaves eliciet lachrymas, ſi non ex oculis, ſaltem ex corde, quod ſufficit. O beatum cor! ô beatos oculos, qui in talibus liqueſieri lachrymis elegerunt. Deinde, ſolvite capillos, non capitis, ſed cordis; laxate habenas ſanctis deſideriis, permittite frœnum ſuavibus cogitationibus; cogitate, ſuſpirate, æſtuate millies, Jeſum, quem offendi, amo ex toto corde, & amabo in omnem æter-

ternitatem. His capillis, his vinculis, his funiculis, aſtringite vos pedibus, imo dulciſſimo Cordi Jeſu! & mox ex pectore, ex corde, ex oculis, doloris & amoris fluunt argumenta, lachrymæ! Ni fallor, ex oculis veſtris adverto, vos dolere, vos amare, vos deſiderare; proinde exclamo cum S. Bern. *Felices lachrymas, &c.* Cauſam advertit Idiota de 8. beat. c. 4. *Nihil enim Dominum conglutinat tantopere tibi, ut illæ lachrymæ, quas peccati dolor, & amor virtutis* (addo ego) amor Jeſu, *effundit.*

Deinde, ex omnibus circumſtantiis pœnitentis Magdalenæ, quod lugubrem habitum pœnitentiæ aſſumpſerit, quod jaceat humi ſecus pedes Chriſti, &c. adverto, quod ploret, quia miſericordiam Dei implorat; à miſericordiſſimo Jeſu. Quamprimum ad pedes ejus corruit, puto illam ingemuiſſe cum Davide, *Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam.* Pſ. 50. 1. Dum pedes inunxit, dum lachrymis rigavit, dum capillis terſit, dum oſcula fixit, puto illam ſuſpiraſſe, Deus! Jeſu! Miſericordia mea! unde infero; ergo meritò plorat. Quærenti, unde ſint lamentationes? unde fletus? Reſpondeo, miſericordiam ſupplex efflagitat; hanc lachrymæ contriti cordis infallibiliter extorquent.

§. 6. Magdalena plorat, quia implorat miſericordiam.

Ob varias calamitates afflictiſſimus David ait ad Dominum; *Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam; auribus percipe lachrymas meas.* Cur ait, percipe auribus, & non potius, vide oculis, quot & quàm triſtes effundam lachrymas? Pſ. 38. 13. myſterium advertit B. Petrus Damianus de perfect. monach. opuſc. 13. c. 12. *Qui non oculis attendi, ſed auribus percipi lachrymas poſtulat, voces ineſſe lachrymis manifeſtè deſignat. Lachrymæ nempe, cum in conſpectu pii Judicis ſupplicant, nihil hæſitant; ſed ſic miſericordiam, tanquam rem quamlibet proprii juris ſibimet vindicant, & impetraſſe ſe, quod petierant, confidenter exultant.* Experta fuit S. Magdalena; agnoſcebat ſe ream gehennæ, horrebat juſti Judicis ſententiam, ſed corde contrito, & humiliato, præter prunas ardentiſſimi amoris, poſuit in ejuſdem conſpectu lachrymas; his ſupplicavit, & miſericordiã ſtatim jure quodam ſi-

§. 7. Exemplo pœnitentis Davidis.

ſibi vindicavit, & meruit audire ſuaviſſimam ſententiam, *Mulier*
Luc.7.47. *remittuntur tibi peccata tua, vade in pace.*

§.8. Item Ezechiæ & Suſanna. Iſ.38.v.4.5. Ezechias audito mortis nuntio ex ore Prophetæ, vertens faciem ad parietem, *Flevit fletu magno*, & protinus vox de cœlo dixit Iſaiæ, *Vade & dic Regi, audivi orationem tuam, & vidi lachrymas tuas, ecce ego adjiciam, &c.* Galfridus in Allegoriis. *Quàm feſtinus & fidelis legatus eſt lachryma ſupplicantis.* Sanctus Ambroſius in Pſalmum 37. *Lachrymæ funduntur, quæ ſolent legationem ſuſcipere pro delictis.* Triſtiſſima Suſanna audita mortis
Dan.13.35. ſententia, *flens ſuſpexit ad cœlum; erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino*; B. Petrus Damianus. *Quid Suſannam memorem? quæ mox ut ad lachrymarum patrocinium confugit; protinus de manibus ad mortem ſe trahentium rapitur, in falſorum caput teſtium damnationis ſententia vertitur, -- & illa -- liberatur.* Idem fecit S. Maria Magdalena; quamprimum ſcelerum gravitatem agnovit; agnovit quoque ſe promeritam eſſe ſententiam mortis æternæ; ſed abiit ſtatim ad pedes Jeſu, & flevit fletu magno; puto illam ſubinde triſtibus oculis ſuſpexiſſe in cœlum, vel ad benigniſſimam faciem Jeſu, cum fiducia cordis, ſtatim confugit ad patrocinium lachrymarum: & protinus è periculo damnationis liberata fuit. O quàm feſtini, & fideles legati coram pedibus Judicis, fuerunt lachrymæ Magdalenæ, &c.

§.9. Lachrymæ mitigant iram Dei. Pſ.55.9. Interpretes diverſiſſimis modis legunt verſum 9. Pſalm. 55. quem David protulit inter ſuſpiria & lachrymas afflictiſſimi cordis. *Poſuiſti lachrymas meas in conſpectu tuo.* Nebienſis ex hebraico ſic legit: *Poſuiſti in libro tuo.* Campenſis. *In rationibus tuis.* Tigurina. *In rationario tuo.* Quaſi verò in aliquo libro coram Deo notentur & ſcribantur effuſæ lachrymæ ab aliquo pœnitente, prout in rationibus alicujus patrisfamilias, acceptæ vel expoſitæ ſcribuntur pecunię. Placet modo prę reliquis verſio Symmachi. *Poſuiſti lachrymas meas coram te*, quaſi diceret, O Deus, ſcio me ob gravitatem ſcelerum meorum, meritum eſſe, ut incidam in manus tuas, & in rigorem ſive furorem Juſtitiæ tuæ; verùm nihilominus lachrymę meæ audent accedere tuum

tribu-

tribunal, ut illæ rigorem tuum mitigent, & miſericordiam tuam extorqueant, audent illæ ſe ponere contra te, & rigorem tuum. Aliud iræ tuæ objicere non poſſum, quàm lachrymas. Qui modus loquendi Petro Cellenſi lib. de panibus cap. 12. hæc verba ſuggeſſit. *O lachryma! tua eſt potentia! tribunal Judicis non vereris: amicorum tuorum accuſatoribus ſilentium imponis: quandoque ſententiam rapis, etiam ex ore Judicis. Non eſt, qui perturbet ab ingreſſu ſecretorum, ab interpellatione, pro culpis reorum; non eſt, qui accedere vetet.* S. Chryſologus. *O quanta eſt vis in lachrymis peccatorum! Delent in omne facinus latam divina promulgatione ſententiam, & extinguunt gehennam.* Intuemini, obſecro, Magdalenam plorantem ad pedes Jeſu, ut miſericordiam impetret, ut ab ore Judicis benignam rapiat ſententiam, ut accuſatoribus ſilentium imponat; lachrymas ponit in conſpectu Jeſu; contra Judicem, dum in Juſtitiæ ratiocinario legit debita peccatorum ſuorum; ut deleat, ſpongiâ utitur lachrymarum; ita, cum culparum maculis ſimul pœnarum ignem extinxit; dignatuſque fuit Judex, optatiſſimam proferre ſententiam, *Remittuntur tibi peccata tua.* Pœnitentes animæ! poſuiſtis fortaſſis hactenus in libro & ratiocinario divinæ Juſtitiæ, varia, multa, & gravia ſcelera, quibus juſtiſſimum Dei meriti eſtis furorem; lachrymas opponite (eſt locus pro ſuavi affectu.)

Si ulterius quæratis, Unde Magdalenæ lamentationes? unde fletus? reſpondeo, quia pœnitens peccatrix eſt. Eleganter Tertullian. lib. 5. contra Marcionem. *Nimirum, quia ſermo non ita explicat veritatẽ & intenſionem cordialis affectus, ſicut lachryma, quæ verè prodit affectum animæ. Unde rectè ſapiens quidam dixit, Lachrymæ doloris in animo concepti, teſtes incorrupti ſunt, & omni exceptione majores, & manifeſti indices latentis in corde pœnitentiæ.* Ob hanc cauſam puto S. Magdalenam ſecus pedes Domini, non protuliſſe multa verba (ſaltem textus illorum non meminit) ſed flevit, & lachrymas obtulit, ut illæ exprimerent cordialem ejus affectum, ut teſtes & indices eſſent intenſionis §. 10. *Lachrymæ produnt affectus animi in Magdalena.*

 illius

fuderit Agar, cùm vidit mori filium ſuum. Ubi pulchrè D. Chryſoſtomus. *Cum aquâ conſumptâ nullam uſquam inveniret conſolationem, abjecit puerum &c. flevit, &c. Diſrumpebantur enim ejus viſcera, & dolebat multùm ob immodicam erga Puerum affectionem.* Idem fecit S. Magdalena, utprimum cognovit in deliciis, in vanitatibus, &c. non inveniri veram conſolationem, abiit ad JESUM, ſecus pedes ejus flevit amarè; quia diſrumpebantur viſcera, &c. Et quia conſolationem quæſitam mox invenit, pulchrè advertit Cajetanus in cap. 7. ſancti Lucæ. *Sentiebat intus mulier magnum fructum ex præſentia Jeſu: & propterea percepta venia peccatorum, & commendata ejus fide, non recedebat, niſi Jeſus ſuavi præcepto receſſum imperaſſet. Vade in pace.* Fortaſſis dixit cum Sponſa, *Inveni quem diligit animamea, tenui eum, nec dimittam.* Cant. 3. 4. Ex quo ſemel adhæſit Deo, ſic illi agglutinatur, quaſi nequeat inde ſeparari. Gillibertus Abbas ſerm. 13. in Cant. *Tenuit, quia non timuit; dum turbaretur omnis terra, & majores hujus mundi poteſtates, transferrentur adverſus illam in cor amaritudinis. Adglutinata eſt Sponſo, funiculo, qui rumpi non poteſt.* (Applica hæc pulchrè ſanctæ Mariæ Magdalenæ Auditoribus, & implora gratiam Spiritus ſancti, per interceſſionem illius Sanctæ, ut tibi ſuggerat affectuoſum Epilogum.)

CON-

CONCIO LXXVI.

FESTO S. JACOBI APOSTOLI.

Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum.

Matth. 20. v. 22.

SYNOPSIS CONCIONIS.

SImilibus & ſymbolis demonſtratur utilitas Patientiæ in tribulationibus: miſcentur varia elogia S. Jacobi.

§. 1. *Exordium.*
§. 2. *Vtilitas patientiæ in tribulatione ex S. Chryſoſtomo.*
§. 3. *Ex S. Gregorio M.*
§. 4. *Declaratur ſimilibus. Primum.*
§. 5. *Alterum.*
§. 6. *Tertium.*
§. 7. *Quartum.*
§. 8. *Ventus tribulationum aſpergit nos floribus.*
§. 9. *Quintum ſimile.*
§. 10. *Declaratur eadem utilitas tribulationis variis ſymbolis.*
§. 11. *Proſecutio.*
§. 12. *Revelatio facta Seraphico S. Franciſco.*
§. 13. *Tribulatio nobis præparat viam ad thronum cœleſtis gloriæ.*

§. 1. Exordium.

DE homine juſto & Chriſtiano prædeſtinato ad æternam gloriam, eleganter dixit S. Chryſoſtomus hom. 2. ad popul. quod adverſa omnia *generosè ferat, & velut alatus ſe humanorum malorum impetu, exhibeat ſuperiorem. Supra petram ſtatutus eſt fidelis, ait, propterea & undarum i-*

ctibu,

ctibus inexpugnabilis eſt; ſi enim tentationum undæ elevatæ fuerint, ad illius pedes non perveniunt, quia omni incurſu ſublimior firmatus eſt. Verùm quis nobis dabit has pennas & alas, ut in tempeſtuoſo hujus vitæ mari, ſupra inſanos fluctus ad hanc petram evolemus? quis ad tutiſſimum hunc ſcopulum viam nobis aperiet? unica eſt Virgo, quæ id præſtare poteſt, & vult; nomen illi eſt Chriſtiana Patientia, hac duce, invictiſſimi Chriſti athletæ glorioſi Martyres & Apoſtoli, & inter hos S. Jacobus, cujus ſolennitatem hodie celebramus, ad tutiſſimam hanc petram pervenerunt, ex qua perſecutorum gladios, tyrannorum minas, adverſitatum fluctus, invictis animis irriſerunt. Quàm eximia hæc virtus neceſſaria nobis ſit, quàm utilis & glorioſa, ſæpius oſtendi, ut ad illius perfectionem aſſequendam ardentius aſpiremus hac concione per ſimilia, & varia doctiſſimorum, imò Regum & Cæſarum ſymbola oſtendam; ſcilicet tribulationem homini Chriſtiano non obeſſe, ſed prodeſſe. S. Jacobus bibere debuit calicem paſſionis; hoc illi non obfuit, ſed profuit. Conjectus fuit in carcerem, conſtrictus vinculis & catenis: catenę, vincula, carcer non obfuerunt, ſed profuerunt. Plexus denique fuit capite, ſuumq; ſanguinem cum vita pro Chriſto debuit. Et glorioſa hæc mors fuit illi janua ad ſummam gloriam. In honorem tam glorioſi Apoſtoli, Hiſpaniarumq; Patroni, ſpero benevolam attentionem.

Ante octiduum in Evan. facta fuit mentio arboris bonæ, talis arbor eſt patientia; quia fructus fert nobiliſſimos. Unum ex præcipuis invenio apud S. Aug. qui ait; *Si exceptus es à paſſione flagellorum, exceptus es à numero filiorũ.* Hic filiorum numerus aliàs vocatur liber Agni, ſive aureus liber vitæ & prædeſtinationis, cujus Chriſtus facit mentionem, cum ait, aliquorũ nomina ſcripta eſſe in cœlis. Idem liber appellatur teſtamentũ, ſive ultima volũtas, quâ Chriſtus in Cruce efficaciter ſuos electos fecit ſuos hæredes, & cohæredes æternæ gloriæ. Sed ſcire nos oportet, eundem Chriſtum D. habere alium librum, in quem in terris eorundem nomina prius debent inſcribi, ex quo deinde excerpuntur, & alteri libro in cœlis inſcribuntur; & vocatur Liber aureus Pa-

§. 2. *Vtilitas patientia in tribulatione, ex S. Chryſoſt.*

Luc. 10. 20.

tientiæ, liber tribulationis, liber ſanctiſſimæ Crucis, in quo notantur omnes illi heroici actus patientiæ, quâ pro Chriſto patimur moleſtas nobis tribulationes. Eadem tribulatio in nobis
Rom. 5. 3. operatur pondus gloriæ, ut loquitur S. Paulus, id quod advertit
Pſ. 33. 20. S. Auguſtinus in Pſ. 33 in illud, *Multæ tribulationes juſtorum. Injuſti pauciores habent tribulationes; juſti multas habent, ſed poſt paucas tribulationes, aut nullas, illi venient ad tribulationem ſempiternam, unde nunquam eruentur? juſti autem poſt multas tribulationes venient ad pacem ſempiternam, ubi nunquam aliquid mali patientur.* Exemplo ſuo hæc confirmat S. Jacobus; multas habuit tribulationes, multum laboravit, multum ſudavit, ut prædicaret Evangelium, multos habuit perſecutores, &c. ſed ita pervenit ad ſempiternam pacem, in cœlum, ubi nunquam aliquid adverſi patietur. Nomen S. Jacobi inſcriptum fuit, dum viveret, libro Patientiæ; modo in aureo libro vitæ, in libro Agni, in cœlis radiat glorioſiſſimum ejus nomen. Dum viveret, non fuit exceptus à paſſione flagellorum, & proinde exceptus etiam non eſt à numero filiorum, ut loquitur Apoſtolus, *Quod ſi filii*
Rom. 8. 17. *& hæredes, -- ſi tamen compatimur.*

§. 3.
Ex S. Gregorio M.

Eadem fermè reperio apud Sanctum Gregorium Magnum, qui dixit, *Noli eſſe ſenſu puerili, ut dicas, -- illis bene eſt*; illi ſunt divites, *ſunt in honoribus, vivunt in deliciis, coronati ſunt roſis, &c. & mihi tam malè eſt.* Ego pauper, inglorius, coronatus ſpinis, &c. *Potius gaude ſub flagellis, quia tibi ſervatur hæreditas; illis ad tempus parcit, quos in æternum damnavit.* O terribilem ſententiam injuſtis, reprobis! optabilem juſtis! Utilis ergo eſt tribulatio, ſi animo generoſo & cum Chriſtiana Patientia perferatur. Hæc patientia adſcribit nos numero filiorum Dei. Patientia hîc nomina noſtra inſcribit libro Crucis, ſed ibi, in cœlis libro Agni, & Vitæ. Hæc ultima fuit Chriſti in Cruce morientis voluntas, ut qui compatiuntur, qui flagellantur, quorum in hoc mundo multæ ſunt tribulationes; in cœlis deinde, iiſdem ſit multa retributio, & gloria. Gratulor de his omnibus glorioſiſſimo ſancto Apoſtolo Jacobo, Auditores meos moneo, ut

ut advertant tribulationem, non obeſſe, ſed prodeſſe; quod ex variis ſimilibus clarius patebit.

§. 4. *Declaratur ſimilibus. Primum. Pſ. 147. 16.*

Primum mihi ſuggerit illud Davidis, *Qui dat nivem ſicut lanam.* Loquitur Regius Pſaltes de nive, quâ hyemali tempore ſolent tegi ſegetes. Ignari putant nivem ob nimium frigus ſegeti inferre damnum, ſed errant, prodeſt illis nix, quia inſtar lanæ ſive calidæ veſtis, ſementem protegit contra urentes ventos, facitq;, ut meſſis deinde uberior proveniat. Neque contra ventos tantum defendit, ſed continet circa radices, calorem naturalem terræ, ne illæ frigore emoriantur: quo ſenſu in Pſalmis nix eleganter appellatur lana. Idem dicendum eſt de nive tribulationis; efficit enim ut in cordibus noſtris tegantur radices virtutum, conſervat calorem amoris divini, contra ventos urentes tentationum.

§. 5. *Alterum.*

Plerique putant, floribus & herbis obeſſe conculcationem; aliquibus illa prodeſt. De croco ait Philo Carpathius: *Gaudet calcari, & atteri pede, pereundoq; felicius provenit*, ideoq; juxta fontes, & viarum ſemitas, lætiſſimus eſt, & valde floret. His herbis & floribus Ambroſius in ſuis ſymbolis hoc lemma appoſuit: *Calcata vireſcunt.* Croco ſimiles ſunt animi generoſi Chriſtianorum Heroum, qui in hac vita anguſtiati, vexati, afflicti, conculcati ſub pedibus adverſariorum, tamen lætiſſimi ſunt: Virtus illorum calcata vireſcit. Tales flores fuerunt Apoſtoli, cum gaudentes iverunt pati pro Chriſto. Talis crocus fuit S. Jacobus. Conculcatio non obeſt, ſed prodeſt.

§. 6. *Tertium. Ioan. 15. 2. Dan. 4. 12.*

Quis non putaret, putationem, ramorumq; abſciſſionem obeſſe viti, vel arbori? ſed inde pullulant & creſcunt magis, uberioreſq; proferunt fructus; juxta illud Salvatoris, *purgabit eum, ut fructum plus afferat*, apud Prophetam Danielem ait vox de cœlo: *Succidite arborem, & præcidite ramos; verumtamen germen radicis ejus in terra ſinite*, & radix deinde excrevit in arborem magnam. Tales arbores ſunt divites in hoc ſæculo; quàm pulchros habent ramos? quàm elegantia folia? ſed obeſt nimietas: utile illis eſt, ut rami per tribulationes & adverſitates, per pauperiem, per egeſtatem, per morbos, &c. præſcindantur;

tum in terra cordis melius & uberius germinant radices variarum virtutum, juxta illud S. Chryſoſtomi hom. 4. de pœnit. *Si pietatis radix nobis remaneat, etſi divitiæ auferantur, etſi corpus corrumpatur, omnia tamen rurſum cum gloria redeunt.* Talis arbor fuit S. Jacobus; gladius præſcindens caput non obfuit illi, ſed profuit. *Vitis* (ait S. Zeno Veron. ſer. de Pſ. 89.) *vi tempeſtatis, ſolis atque imbris, ad maturitatem cogitur.* Talis vitis fuit ſanctus Jacobus.

§. 7. *Quartum.* Idem de arboribus aſſeruit Seneca lib. de provid. c. 4. *Non eſt fortis arbor, niſi in quam frequens ventus incurrit; ipſa enim vexatione radices altius figit. Quid proinde miraris bonos viros, ut confirmentur, concuti? Fragiles arbores ſunt, quæ in aprica valle creverunt.* Pari ratione non eſt vir fortis, non eſt generoſus Chriſti athleta, niſi in quem incurſant venti tribulationum, ut per illos firmentur radices heroicarum virtutum. Talis quercus v.g. fuit S. Paulus, cùm dixit, *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti,* &c. talis arbor fortis & firma fuit S. Jacobus, &c. Quod venti etiam floribus proſint, ut magis fragrent, agnovit Sponſa, *Surge Aquilo, & veni Auſter, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Ventos petit & vocat Sponſa, quia redolentes flores illis agitati redolent fragrantius. Floſculus es mi Chriſtiane, in horto cœleſtis Sponſi, ut ſis bonus odor Chriſti, vexari debes ventis tribulationum, quæ non obſunt, ſed proſunt.

Rom. 8. 35 *Cant. 4. 16.*

§. 8. *Ventus tribulationum aſpergit nos floribus.* Dum iterum florum facio mentionem, occurrit mihi hiſtoria auditu jucunda, quam refert Plutarchus in vita Scyllæ; dum ſub generoſiſſimo hoc duce Romanus exercitus, per amœna prata, virides campos, fertiles agros, & jucundiſſimas valles, contra hoſtem procederet, exortus ſuavis, ſed fortis ventus innumeros de arboribus decuſſit ramos, folia, flores, quibus tranſeuntes reſperſit milites, ut galeæ, ſcuta, loricæ fuerint ornatæ & coronatæ floribus. Floridus hic ventus fuit illis felix omen lætiſſimæ victoriæ, pugnarunt cum hoſte, vicerunt, triumphârunt. Quæſo vos, Chriſtiani Auditores; dum nos, (qui milites ſumus Regis Regum, & Domini exercituum,) in campis & pratis hujus mundi, nos afflant venti tribulationum, non timeamus, ſte-

Digitized by Google

ſtemus fortiter; tribulationes & afflictiones nil aliud ſunt, quàm virides rami, florentia folia, & pulcherrimi flores de arbore Patientiæ, quæ præludium ſunt coronæ, quâ æternum coronabimur in cœlis.

Denique, quis putaret, ignem nocere auro, vel ſciſſionem & aduſtionem humano corpori? quod erremus & decipiamur ab experientia pulchrè declarat S. Gregorius M. l. 7. mor. c. 7. *Sancti viri --- libenter ſe, ſub manu medici, adſectiones* (& aduſtiones) *parant; ut aperto vulnere virus peccati exeat-- & dolorem vulneris, medicamenta ſalutis putant.* Sciſſio, ſectio, effuſio ſanguinis, vulnera, aduſtiones, acerrimi dolores, non obſunt, ſed proſunt, veluti ignis auro, veluti lima gemmis, veluti malleus variis metallis, à quibus fiunt formoſiora Pulchram ſimilium conglobationm addit S. Greg. ſ. 15. in Evang. *Sic uva calcibus tunditur* (torculari premitur) *& in vini ſaporem liquatur; ſic oliva contuſionibus expreſſa amurcam ſuam deſerit, & in olei liquorem pingueſcit; ſic per trituram à paleis grana ſeparantur, & ad horreum purgata, perveniunt.* Uva, oliva, frumentum Chriſti fuit S. Jacobus; calces, contuſiones, torcularia, tritura, gladius, &c. illi non obſuerunt, ſed profuerunt. Dic mi Chriſtiane, eccur putas, te ſubinde contundi, calcari, premi; botrus es, uva es, ſic in ſaporem vini debes eliquari. Ita de oliva, &c.

§. 9. *Quintum ſimile.*

Accedo ad doctiſſima ſymbola, quibus tribulationum utilitas ob oculos nobis ponitur, veluti in pulcherrimis ſpeculis. Scipio Bargalius pinxit ventos turbantes & elevantes pelagum in altiſſimos montes, cum hac epigraphe, *Turbant, ſed extollunt.* Hoc facit tribulatio: virum generoſum & fortem turbat quidem, ſed extol'it ad culmen ſummæ perfectionis, & inde ad montes gloriæ æternæ. In altera pictura, Palma triumphalis arbor, magno pondere premitur, ſed inſcriptio illi appoſita ait, *Nixu majore reſurgo.* Pondus prodeſt palmæ; Tales palmæ ſunt viri fortes, premuntur, non opprimuntur; nixu majore reſurgunt ad cœleſtia Corpus pondere tribulationum detinetur in terris, ſed animus verſatur in cœlis. Pulcherrima palma fuit Sanctus Jacobus. Edoardus I. Rex Angliæ pingi juſ-

§. 10. *Declaratur tribulationum utilitas variis ſymbolis.*

ſit, avolantem volucrem ex cavea, cum hac epigraphe: *Hinc fortius ibo.* Proditio procerum conjecerat Regem in carcerem; inde liberatus generoſiorem animum, quàm ante voluit oſtendere. Eja Chriſtiani! carcer eſt paupertas, carcer eſt quævis tribulatio; ſi ad hos carceres vos ducat divina Providentia, cogitate cauſam eſſe, ut fortiores exeatis.

§. 11. *Proſecutio.* Dux quidam Venetus, ut infractum demonſtraret animum, depicti viri humeris imponi juſſit cœleſtem globum, veluti Atlanti, adjectis his voculis; *Suſtinet, non fatiſcit.* Alius hoc lemma appoſuit, *Hoc in pondere fert cælum*, id eſt, animus generoſus, dum ardua patitur & perfert, dum ſub pondere tribulationis premitur; non tamen ſuccumbit, ſed cogitationibus lætatur in paradiſo, & eſt illi bene! In pondere fert cœlum. Ferrus pro ſymbolo elegit vitulum marinum dormientem inter irati maris procellas, inſcriptio fuit, *Fluctuat & quieſcit.* Videtur *Matt. 8. 24.* occaſionem ſymboli ſumpſiſſe ex S. Matthæo. Furebat mare, ingens erat tempeſtas, fluctuabat navicula, nihilominus Chriſtus D. in illa ſuaviter dormivit. Nicolaus VI. ſummus Pontifex, pingi voluit Crucem inter palmas, imminente deſuper aurea corona, cum hoc lemmate, *Victrix Patientia.* Sic eſt, Vir patiens ſemper triumphat. In emblemate aliquo Philippi II. Regis Hiſpaniarum reperio pilam ſalientem è terra in altum, adjectis voculis, *Percuſſa elevor.* In alio, Alcion in nido ex ſpinis cantillat, *Alios pungunt, me paſcunt.* Hæc & plura talia ſymbola nos docent tribulationem, quæcunque illa ſit, viro forti, ſi forti & generoſo animo toleretur, nequaquam obeſſe, ſed potius prodeſſe.

§. 12. *Revelatio facta Seraphico S. Franciſco.* Seraphico S. Franciſco, cùm inter graviſſimos quinquaginta dierum dolores in oculis dixiſſet, *Domine Jeſu Chriſte, Paſtor bone: concede mihi oviculæ tuæ gratiam & virtutem, ut in nulla tribulatione à te recedam*; reſpondit vox de cœlo: Franciſce! *ſi tota terræ moles eſſet maſſa aurea, ſi flumina & maria balſamum, ſi ſaxa, petræ & montes forent gemmæ, & nihilominus pretioſior tibi offerretur theſaurus propter dolores, quos in hac infirmitate patienter & libenter toleras, nunquid gauderes?* Repoſuit vir ſanctus,

Digitized by Google

ctus, ſe tanto theſauro dignum non eſſe; ſed iterum cœleſtis vox reſpondit: *Gaude Franciſce, theſaurus ille eſt vita æterna, regnum cælorum, cæleſtis gloria, quam tibi præparavi; & hanc tuam infirmitatem volo eſſe arrham tam pretioſi theſauri.* Exultavit ad hæc S. Franciſcus, juxta illud Jacobi, *Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis.* Vatablus. *Pro ſummo gaudio exiſtimate.* D. Thomas. *Perfectum gaudium exiſtimate.* Quiſquis in tribulatione ita gaudet, intelligit ſine dubio, illam nobis non obeſſe, ſed prodeſſe. Iac. 1. 2.

Curioſa eſt obſervatio Ruperti. Petitionem Joannis per Matrem, ut cum fratre Jacobo ſederet à dexteris in regno Chriſti, rejecit Dominus his verbis: *Non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* Joannis verò 13. cùm recubuiſſet ſupra pectus Jeſu, dicit ei; *Domine quis eſt?* (qui te prodet, &c.) reſpondit Jeſus: *Ille eſt, &c.* Unde hoc? Reſpondet Rupertus. *Joannem Dominus Jeſus cæteris arctius diligens, aperuit illi ſecreta cæli ut videret viſiones admirabiles. Thronus* verò (D. Baſil. Seleuc. orat. 24.) *laborum eſt præmium, non ambitionis donum gratuitum: ex rebus geſtis thronus comparatur; nudam poſtulationem datio non ſequitur.* Pergit, & ait in Perſona Chriſti: *Si plorat meretrix, remiſſionem concedo; ſi publicanus pectus ferit, errata non exero; ſi leproſus curationem quærit, virtutem exero, Volo mundare. Quod ſi thronum quis petat, & Regiam poteſtatem quærat, tunc quid poſſim curioſè diſpicio.* Cum ad throni munus pervenitur, id non extorquendum eſt amoris prærogativâ, ſed meritorum & laborum trutinâ. Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum, ait Chriſtus D. Itaq; tribulatio nos ducit ad thronum cœleſtis gloriæ.

§. 13. Tribulatio præparat nobis viam ad thronū cæleſtis gloria.

Mat. 20. 23
Ioan. 13. 24.

CON-

CONCIO LXXVII.

FESTO S. IGNATII FUND. SOC. JESU.

Quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum.

1. Reg. 13. v. 14.

SYNOPSIS HUJUS PANEGYRIS.

AGit potiſſimum de eximia Caritate S. Ignatii erga proximum.

§. 1. *Ingreſſus in Panegyrin 3. de S. Ignatio.*

§. 2. *Quomodo David fuerit vir ſecundum cor Dei; & ſimiliter S. Ignatius.*

§. 3. *Pia lectio, à Chriſto D. habita S. Mechtildi, applicatur S. Ignatio.*

§. 4. *S. Ignatius totus Caritas.*

§. 5. *S. Ignatius in virtute hac Maximus.*

§. 6. *Opera declarant amorem.*

§. 7. *S. Ignatii Caritas complexa fuit totum orbem.*

§. 8. *In Orientem miſit S. Xaverium, cum piiſſimis monitis.*

§. 9. *Literæ S. Ignatii ſpirant hanc charitatem.*

§. 10. *Ingens deſiderium S. Ignatii lucrandæ vel unicæ animæ.*

§. 11. *Apoſtrophe ad S. Ignatium.*

§. 12. *Omnium finis, major Dei gloria.*

§. 1. *Ingreſſus in Panegyrim.* INter Conciones meas Panegyricas de eximiis laudibus S. Ignatii, hæc eſt ordine tertia. In prima deſcribo admirabilem ejus converſionem; in altera ſanctiſſimæ vitæ ejus primordia, cum variis encomiis eximiarum viri ſanctiſſimi virtutum; per-

Digitized by Google

Perveni tum ad caritatem erga proximum , animarum zelum, paupertatem, humilitatem, unionem cum Deo, & ſimiles virtutes; congruum eſt, ut hac panegyri oſtendam , in quàm excellenti & ſublimi gradu S. Ignatius virtutes illas omnes obtinuerit, & præcipuè caritatem erga ſalutem proximi. Fundamentum ſtruam ex citatis verbis, *Quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum.* Patebit enim S. Ignatium fuiſſe talem virum. 1. Reg. 13. 14

§. 2. *Quomodo David fuerit vir ſecundum cor Dei, & ſimiliter S. Ignatius.*

Ad literam vir ille, de quo textus loquitur, fuit David, quem Dominus, poſtquam Saulem & domum ejus reprobavit & abjecit, elegit, ut fieret Rex Iſraelis. Itaque ſuper verba illa quærunt Interpretes, in quibus David fuerit vir ſecundùm cor Dei, vel quid ſit eſſe talem virum. S. Gregorius ait, *Quæratur vir ſecundum cor Dei, ut per affectum magni amoris quaſi unitus ſit divinæ voluntati--ideo--per cor Dei in ſacro eloquio intima ejus voluntas deſignatur. Juxta eam verò ſumus, quando, hanc & per intellectū agnoſcimus, & per amorem cuſtodimus.* Vel ex Act. *Quando facimus omnes voluntates ejus.* (Act. 13. 22.) Non moneo hîc aliud, quàm ut cogitetis Davidem & S. Ignatium fuiſſe tales viros. De Sponſa ait Richardus à S. Laur. quod anima ejus fuerit liquefacta inſtar virgineæ ceræ, ideo, quia propter ardorem caritatis parata & prompta quovis momento fuerit, inſtar liquefacti metalli decurrere in omnes modulos D. voluntatis, talis cera, tale aurum liquefactum fuit cor S. Ignatii, ſcilicet viri *ſecundum cor Dei.* Dicunt alii Interpretes, illos eſſe viros ſecundùm cor Dei, qui ardent flammâ divini amoris, & zelo propagandæ divinæ gloriæ. Iterum cogitate S. Ignatium fuiſſe talem virum, ut anno ſuperiori oſtendi. Alii piè dicunt (B. Petrus Dam. l. 5. ep. c. 3.) illum eſſe talem virum, qui ſemper cogitat, utrum placeat Deo quod agit, tali viro delectatur cor Dei. Talis vir fuit S. Ignatius. Ex aliorum mente, viri ſecundùm cor Dei ſunt, qui eximiis & heroicis aliis virtutibus ita ſe exornant, ut cordi Jeſu ſint ſimiles, ut ejus ſint imitatores, ex qua ſimilitudine unio quædam cordium neceſſariò ſequitur, quæ hanc denominationem ſecum trahit, eſſe aliquem virum ſecundùm cor Dei.

§. 3.

Pulcherrimè meo judicio ipſe Chriſtus D. declaravit, quid

Digitized by Google

Pia viſio S. Mechtildis applicatur S. Ignatio. S. ſit hominem eſſe virum ſecundum cor Dei, cum S. Mechtildi ſollicitæ quomodo Sponſo ornaret cor ſuum, apparens dixit: *Filia, quinque modis præbebis mihi cor tuum, & longè gratiſſimum mihi munus obtuleris. I. Veluti arrham deſponſationis cum fideliſſimo & puriſſimo amore, qui non admittat ullum peccatum, vel aliquid quod puriſſimis meis oculis diſpliceat. II. Veluti monile per abnegationem voluptatum, divitiarum, verbo per contemptum mundi. III. Veluti regium diadema, per zelum mei honoris. IV. Veluti auream phialam plenam odoribus tenerrimæ devotionis. Denique V. veluti cryſtallinum vitrum, plenum balſamo & oleo tenerrimæ caritatis erga proximum.* Quia hactenus oſtendi, & mox oſtendam cor S. Ignatii fuiſſe talem arrham, tale monile, tale diadema, talem phialam, tale vitrum, ob illas virtutes, quarum hic ornatus eſt ſymbolum, non dubito, dicetis mecum: S. Ignatius fuit vir ſecundum cor Dei. Modo ordiar à caritate erga proximum, & zelo animarum.

§. 4. *S. Ignatius totus caritas.* Adeo in hac virtute erga ſuos in Soc. Jeſu filios fuit excellens, ut viri graviſſimi ſcripſerint, totum fuiſſe ex caritate & amore concretum; eam omnibus, cum quibus agebat, explicabat frontem, ea dicebat verba, illis aſpiciebat oculis, ut omnes intra pectoris ſinum recipere & recondere videretur. Frons, lingua, oculi, totus Ignatius ſpirabat amorem, totus erat affectus, totus Cor. Omnium Pater & ſolatium. Omnes gerebat ſcriptos in corde, portabat in ſinu, ſicut portare ſolet nutrix infantulum ſuum. Sæpe auditus eſt dicere cum S. Paulo, *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* (*Gal. 4. 19.*) In quæ verba ait S. Chryſoſt. *Vides paterna, imò & materna viſcera.* Regulæ & ſanctiſſimæ ipſius conſtitutiones, qualem inter ſuos exigat caritatem, in ſocietate Amoris, Unionis & Concordiæ. Sed ad illam propero S. Ignatii caritatem, quam in zelo animarum præcipuè oſtendit, & illis operibus, quibus ſalutem illarum quæſivit.

§ 5. *S. Ignatius Maximus.* In qua re S. Ignatius tantus fuit, ut Greg. XV. agens de eo canonizando, dixerit, Videri verè ac præclarè B. Ignatio deberi, quod duci præſtantiſſimo Joſue adſcribunt divina oracula

Ec-

Eccleſiaſtici. *Feciſſe magnum ſecundum nomen ſuum, maximum in ſalutem electorum Dei.* Ita enim ſecundum nomen ſuum, Igneus Ignatius arſit flammâ divinæ caritatis, ut ſimul in alios ejuſdem ignis ſpargeret incendia. Hinc ignitæ illæ voces, quibus ſuos, cum ad prædam animarum eos mitteret, in diſceſſu ſalutabat, Ite, omnia incendite & inflammate. Cardinalis de Monte de illo dixit, quod nullum animarum cauſa laborem, nullas incommoditates, nullas vigilias aut corporis dolores, afflictationeſque recuſarit. Calumniæ, vincula, vexationes ſæviſſimæ, carceres, catenæ, virgæ, inflictæ ad necem plagæ, ſtructæ illi inſidiæ, literarum ſtudium, cum jam eſſet triginta aliquot annorum, itinera, peregrinationes, ſuo tempore ſeceſſus, orationes, contemplationes, raptus, jejunia, fuerunt fructus ardentis caritatis pro ſalute animarum, & apparitio ad opem illis efficaciſſimè præſtandam, perſuaſerat ſibi Ignatius non poſſe ſe eſſe Chriſti amicum, niſi animas foveret, quas ille ſuo ſanguine redemit, quod de S. Fr. dixit S. Bonav. *Eccl. 46. 2.*

§. 6. *Opera declarant amorem.*

Opera præcipuè declararunt amorem, quo in ſalutem animarum pectus Ignatii fervebat; Reſtituti ab eo primitivæ Eccleſiæ mores, peccatorum & proſtibulorum converſiones, Sacramentorum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ frequens uſus, verbi divini prædicandi fervor, rudimentorum fidei ad rudes & pueros explicatio, divitum erga egenos liberalitas, pia alloquia ad omne genus hominum, his inquam & ſimilibus, & ubique, Matreſæ, Barcinone, Compluti, Salmanticæ in Hiſpania, Pariſiis in Gallia, Antverpiæ in Belgio, Romæ in Italia S. Ignatius innumeras Chriſto lucratus fuit animas, innumeras ex inferni faucibus eripuit. Cum Romæ adhuc viveret, quidam ex ejus familiaribus de ipſo hæc ſcripſit: Parens noſter Ignatius, eorum caritate totus accenditur, quos aggreditur Deo expugnare, totus eâ impletur, toto pectore illam ſpirat. Quamlibet interdum perditiſſimi ſint, amat in iis reſiduam Chriſti fidem, amat ſanctam quam gerunt Dei imaginem, amat Chriſti ſanguinem, quo tincti & empti ſunt. Eam denique erga omnes, præcipuè ſceleratos, amoris teneritudinem perferre ſolet, ut in caritatem & ſua-

vitatem defluat totus, quo pacto pia Mater jacentis filii miſeratione ſe macerat, blanditurque illi ſedulitate delicatiſſima. Talis Mater erga omnes fuit caritas Ignatii.

§. 7. *Caritas S. Ignatii cōplexa fuit totum Orbem.* Et non tantum in Europa, ſed omnes terræ angulos fuit complexa, ex quo illa ejus ad Luſitaniæ legatum reſponſio, peragrandis Indis ſex è Soc. poſtulantem, Quid igitur, ait, ſociorum in reliquum Orbem reſiduum fiet? de omnibus ejus Caritas fuit ſollicita. Ætati promiſcuè omni, conditioni & Ordini, regionibus longinquis & ignotis, omni mortalium generi, civibus, barbaris, &c. debitorem ſe ex æquo credidit, bonoq; omnium ſuam operam devovit. Hinc decretæ ab Ignatio miſſiones contra hæreticos, contra ethnicos, navigationes in ultimos fines terræ; alii ſunt miſſi cum claſſibus, alii ad exercitus, alii in urbes, alii in pagos, alii in aſpera montium, alii in depreſſa vallium, quid dicam de noſocomiis, de triremibus, de carceribus? ad omnia penetravit caritas Ignatii. Quid de gymnaſiis, ſcholis & academiis, in quibus cuduntur gladii ancipites, quibus feliciter confunduntur diabolicæ legiones, in quibus lacte pietatis nutritur juventus, formatur ad virtutem, prout loquitur Urbanus VIII. ad Regem Poloniæ, &c. Aperuit illa caritas S. Ignatii. Quid de pugnis & diſputationibus contra hæreticos, quibus minima ſocietas Orco eſt formidabilis? ad hunc finem Caritas & zelus S. Ignatii hunc Ordinem fundavit. Magna & ſtupenda ſunt, quæ pro ſalute animarum vivens geſſit Ignatius; ſed quidquid pro iiſdem hodie patrat, vel patratum eſt, dum ſtabit Societas, ex caritate Ignatii oritur veluti ſemen, ejuſque radicis fructus eſt. Quidquid in toto orbe agit Societas, totus orbis debet Caritati Ignatii.

§. 8. *In Orientē miſit S. Xaver cum piiſſimis monitis.* Oriens præcipuè, quod à S. Xaverio illuſtratus ſit lumine Fidei, quod ab annis 125. milliones, non gemmarum, ſed animarum dederit cœlo, &c. debet omnia Caritati S. Ignatii; quàm illa fuerit ardens erga converſionem infidelium in illis partibus, ſatis explicat ardens & ignitus ſermo ad Simonem & S. Xav. dum illos Româ dimitteret. *Ite Filii, pergite bonis auſpiciis Argonautæ, non ad aureum vellus fabuloſi arietis conquirendum, ſed ad ſacro-*

cro-

Digitized by Google

croſanctum Nomen JESUS *Regibus & gentibus exportandum. Nulla vos pericula frangant, nulla terreant. Si debacchantes fluctus ingruant, Jeſum aſpicite. Si tumultuantes turbines deſæviant, Jeſum invocate. Si procelloſæ Scylla & Charybdes & circumlatrantes undæ fremant, Jeſum altius inclamate. Memineritis olim Apoſtolos in procella vehementer periclitatos & conturbatos, dum abfuit Jeſus; ubi primum adfuit, liberatos & tranquillatos.* Nam ut bene D. Cyrill. Alexandr. *Omnium periculorum Chriſtus ſolutio eſt. Vobiſcum navigat, quocumque navigetis, Jeſus. Non expaveſcite, Jeſum in fronte geritis & in corde; in fronte, ut quocumque veneritis, de veſtro Domino cognoſcamini. In corde, ut quodcumque feceritis, ipſum imitemini. Et quid timeatis, ſi Jeſum præfertis in opere & in nomine? cujus opus agitis, cujus nomine eſtis inſigniti in S. Societate Jeſu. Ite, & bonam erecti in ſpem, circumſpicite ad Orientem, & videte jucunditatem à Domino vobis venientem. Ecce venient filii veſtri collecti ab Oriente uſque in Occidentem, in verbo ſancto gaudentes in honorem Dei. Hic erit laborum fructus, hæc navigationis veſtræ merces. Animas cupio eſſe gemmas, ad quas conquirendas vos mitto.* Et talis Oratio, quid ſpirat, niſi Caritatem, quâ ardebat S. Ignatius ad totius mundi converſionem? ad animarum omnium ſalutem?

Eandem ſpirant literæ ab illo ſcriptæ ad illos, qui ubique terrarum Opus Domini feliciter vigebant. Cùm enim ubique non liceret Magiſtri coram, boniq; ductoris officio fungi, præſtabat hoc per literas, in quibus ſe ſuis præſentem ſiſtebat ſuâ illâ flagrantem charitate, quâ quocumque illæ mitterentur, omnia inflammabat. Ex paucis ejus phraſibus illas flammas ſentietis, v.g. *Inde videre licet, ad quàm celſum, nobile & regale genus vivendi vos extulerit, cum, quam in ſe Deum magnificè laudare, & ejus res creatas, pro earum captu, ad ipſum convertere, nullum exercitium officiumq; ſublimius reperiri poſſit. Neque enim Deus vos ſolum eduxit de tenebris in admirabile lumen ſuum, & tranſtulit in regnum filii dilectionis ſuæ* (in S. Soc. JESU) *ut veſtræ tantum ſaluti, ſed & auxilio proximi vos totos penituſq; dedatis.* Talia ſcribit ardens calamus S. Ignatii. Velim unumquemque veſtrûm cum

§. 9. *Literæ S. Ignatii ſpirant hanc caritatem.*

Digitized by Google

zelo gloriæ Dei, proximorumq; ſalutis, Jeſu Chriſti Salvatoris noſtri puro & ſincero amore lucere; hoc per Jeſum Chriſtum vos oro & obteſtor, ut nullum unquam in his teporem admittatis. Videte veſtrum proximum, tanquam imaginem ſanctiſſimæ Trinitatis, ipſius gloriæ capacem, pretioſo Jeſu Chriſti ſanguine redemptum, videte inquam proximum, quot & quantas miſerias incurrat, in quibus tenebris ignorantiæ jaceat, in quibus periculis æternæ damnationis! Videte inquam, ut Jeſu Chriſti gloriam honoremq; defendere, & proximi ſalutem procurare debeatis; cum intimo maximoq; dolore intelligite, pretium ſanguinis Chriſti vileſcere, perdi, in nihilum occidere, dum animæ damnantur; hæc perpendite, & videbitis quanta cura ſit adhibenda, ut apta ad eum finem vos dignè inſtrumenta præſtetis, præſertim cum tam rarum ſit bonorum operariorum genus, qui quærant, non quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti. Tales ſcintillæ fluxerunt ex ardenti calamo Caritatis S. Ignatii.

§. 10. *Ingens deſiderium S. Ign. lucranda vel unica anima.* Agendum jam eſſet de ardentibus precibus & orationibus S. Ignatii pro ſalute animarum, de inflammatis ejus deſideriis inflammandi omnes flammâ divini amoris, nam & in his Ignatius fuit Magnus, imo Maximus ſecundum nomen ſuum; ſed impedior anguſtiis temporis, & nolo unum omittere, ex quo colligere poterimus, quantum Ignatii caritas & zelus amavit animas, etiam unicam. Cum enim ex eo quæreretur, utrum mallet, an certus beatæ gloriæ ſtatim mori, an cum illius incertitudine ad Dei gloriam, ad Chriſti honorem, pro ſalute animarum diutius vivere. Vitam cum illa incertitudine elegit, in bonum etiam unius animæ tantum, vel ut aliàs dixit, ad impediendum unicum peccatum mortale. q. d. cum S. Paulo: *Mihi enim vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum, quod ſi vivere in carne, hic mihi fructus opus eſt, & quid eligam ignoro. Coarctor autem è duobus deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, multò magis melius: permanere autem in carne neceſſarium propter vos. Et hoc confidens ſcio, manebo.* (*Phil. 1. 22.*)

§. 11. *Apoſtrophe ad S. Ignat.* O S. Ignati, permitte mihi, ut hîc te alloquar verbis S. Chryſoſt. ad S. Paulum hoc loco. Ignati--- acerbam hic vitam du-

ducis in fame, ſiti, frigore, nuditate, curis, perſecutiōnibus, anguſtiis, & acerbam hanc vitam deſideras? quis mercator navim habens multis rerum copiis plenam, cum liceat jam ad portum appellere, tutoq; quieſcere, adhuc tamen in mari navigare vellet? Eia Ignati, ſollicitus fuiſti mercator, dives eſt navis tua, intra in gaudium Domini. Quis athleta cupiet amplius certamen, cum jam liceat coronari? Perge Ignati, ecce Jeſum tuum, ut coronet tuam patientiam, tuos labores, &c. Quis miles, cum jam liceat cum celebritate & trophæis à bello liberari, ac cum Rege quieſcere, ſuſtineat adhuc in bello ſudare, & in aciem collocari? ergo Ignati, apud Chriſtum eſſe non vis? Non, inquit Caritas S. Ignatii, atque id propter ipſum Chriſtum, & animas illi lucrandas. Majorem Caritatem S. Ignatius erga animas oſtendere non potuit.

Et in his ipſis aliud non quæſivit, niſi Dei gloriam, & Chriſti honorem. Hæc unica fuit illi meta & ſcopus, ad quem in omnibus collimavit. Unica illius gloria, & major gloria, & magnifica gloria fuit huic militi teſſera, huic Architecto regula, huic nautæ cynoſura. Una Dei gloria fuit illi centrum, in quo quievit; ſol, ad cujus curſum ſe gyravit. Itaq; non miremur, quod Deus ſe glorificantem ita glorificavit, & glorificet; non miremur tantam eſſe gloriam S. Ignatii, ſic Deo placet illum honorare. Glorificemus & nos Deum, &c. ut illius gloriæ aliquando fiamus participes, ut cum B. Ignatio ſimus beati in omnem æternitatem. *§. 12. Omnium finis major Dei gloria.*

CON-

CONCIO LXXVIII.

FESTO S. LAURENTII.

Niſi granum frumenti, cadens in terram mortuum fuerit.

Joann. 12. v. 23.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AFfert varia ſymbola & elogia, quibus oſtenditur S. Laurentium fuiſſe Victorem ignium atque flammarum.

§. 1. *Aquila ex flammis evolans in aera.*

§. 2. *S. Laurentius fuit talis aquila, illaſa inter flammas.*

§. 3. *Ingreſſus in Concionem proponit audax facinus Scavola.*

§. 4. *S. Laur. fuit invictus adamas inter flammas.*

§. 5. *Et fortiſſimus ſilex.*

§. 6. *Fuit virgula, truncus, columna thuris & fumi, ſive columna ex adamante & hyacintho.*

§. 7. *Item ex lapide ſolis.*

§. 8. *S. Laurentius fuit turris ex alumine.*

§. 9. *S. Laurentius fuit virgula thuris.*

§. 10. *Oliva intacta inter flammas.*

§. 11. *Et Palma.*

§. 12. *S. Laurentius rubus Moyſis.*

§. 13. *Deſcriptio illius rubi.*

§. 14. *Phœnix ex ignibus redivivus, cum variis analogiis & ſymbolis.*

Mons

Digitized by Google

MOris fuit apud Romanos, ut humana cadavera comburerentur, itaque in exequiis Imperatorum erigebatur in campo Martio pyra, inſtar Phari, multis tabernaculis & fornicibus contignata, quarum ſuperior inferiori ſemper contractius, & paulatim graciléſcens aſſurgebat in conum, vel apicem, in quo Aquila, volucrum Regina, funibus alligata conſidebat, quibus deflagrantibus in imperatorio rogo, tandem ex ſummo vertice, libera, & victrix Aquila, è flammis intacta in aera evolabat, Imperatoris defuncti animam, ut putabant, deferens in cœlum. Hinc illa imperatoriæ hujus Aquilæ in ſymbolis inſcriptio, *Ardens evexit ad æthera virtus.* §. 1. *Aquila è flammis evolans in aera.*

Ecce pulcherrimam imaginem glorioſiſſimæ mortis glorioſiſſimi Martyris Laurentii; Regia pyra fuit craticula, in qua invictus heros tam diu jacuit ſupra ardentes prunas, tam diu arſit, & aſſatus fuit inter flammas, donec flammarum vi, ſolutis vinculis, quibus in ergaſtulo humani corporis detinebatur, generoſiſſima ejus anima, inſtar victricis Aquilæ, evolavit ad Superos. Ardens virtus ipſum evexit ad æthera. Hanc Aquilam, ſive S. Laurentium hac panegyri coronabo pulcherrimis ſertis, quibus eximia tanti Herois elogia inſcribam. §. 2. *Talis . quila fuit S. Laur. illæſa inter flammas.*

Cùm Livius heroicum facinus Quinti Mutii Scævolæ deſcribit, (puto vos jam illud ſæpius auribus percepiſſe) iverat è Romanis caſtris ad caſtra hoſtium, ut Porſennam Regem Hetruriæ Romanis mœnibus imminentem, ſua manu occideret, verum quia deceptus fuerat, dum alium peremit, errori ſuo indignatus manum impoſuit igni, ut illum lueret; cum inquam Livius lib. 1. dec. 1. hoc deſcribit, ait: *En tibi Mutius, ut ſentias, quàm vile corpus ſit iis, qui magnam gloriam petunt.* Ut talem Mutius adipiſceretur, propriam dexteram combuſſit. Ut Seneca dicat, ep. 66. *Ego dubito, quin magis laudem truncam illam & retorridam Mutii manum, quàm cujuslibet fortiſſimi ſalvam. Stetit hoſtium flammarumq; contemptor, & manum ſuam in foculo diſtillantem perſpectavit, donec Porſenna gloriæ invidit, & ignem invito eripi juſſit.* Dici non poteſt, quàm ab Oratoribus & Poetis §. 3. *Ingreſſus in Concionem proponit audax facinus Scævolæ.*

hæc dextera , flammarum contemptrix & victrix, laudetur & commendetur; miror illam ab Aſtrologis non evectam eſſe ad ſidera, & collocatam inter ſtellas. Quas ergo laudes nos Chriſtiani debemus S. Laurentio, cujus non dextera, ſed totum corpus pro Chriſto in flammis arſit. Dicamus, ſic ardere voluit, qui magnam gloriam, non in terris, ſed in cœlis quæſivit. Qui ſic arſit, meretur laudari; ut ego id faciam, glorioſo vertici imponam coronam ex lauro, cum hoc elogio:

§. 4. *S. Laur. fuit illæſus adamas inter flammas.* *Amos 7. 7.*

S. Laurentius in craticula eſt adamas inter flammas, fundamentum ſumo ex ſacris literis, Amos Propheta ait, *Et ecce Dominus ſuper murum litum , & in manu ejus trulla cæmentarii.* LXX. ita transferunt, *Et ecce vir ſtabat ſupra murum adamantinum, & in manu ejus adamas.* Hæc viſio, teſte S. Hier. ſymbolum fuit invictiſſimorum Martyrum, qui in Eccleſia fuerunt veluti murus adamantinus, contra quem nec tyranni, nec hæreſes, nec tormenta, neque portæ inferi potuerunt prævalere. Tales adamantes fuerunt SS. Petrus, Andreas, & Philippus in Cruce, *Act. 7. 55.* SS. Paulus & Jacobus ſub gladio, S. Stephanus inter lapides; quis omnes enarrabit? Dico modo, talis adamas fuit S. Laurentius, & ob cauſam peculiarem, quam addit cit. S. Hieron. *Adamas nulla cedit materia, nec ferro quidem, &c. cum ignis omnia devoret, & omnia metalla conſumat, reddit adamantem duriorem*; eò tendit illud ſymbolum, adamas lucens inter flammas, adjectis tribus voculis, *Durior in flammis*, hic lapis igni non cedit, potius inde indureſcit. Pulcherrimum ſymbolum S. Laurentii jacentis in craticula, ſive invicti & generoſi ejus animi, adamas fuit in æquuleo, adamas inter flagra & ſcorpiones, adamas in carcere, præcipuè inter flammas. Quales ſcintillæ adamantis inter ignes, heroicæ illæ voces, *Ego in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti non reformido tormenta tua, quæ ſunt ad tempus; fac quod facis* (cæde, feri, lacera, ſeca, ure) *noli ceſſare.* Quales ſcintillæ ardentis adamantis illa verba, *Gratias tibi ago Domine Jeſu Chriſte*, quod ſic urar, &c. *Suſcipe Domine hoc ſacrificium in odorem ſuavitatis*; quales ſcintillæ, *Aſſatum eſt, verſa, manduca*, Laurentius inter flammas induruit.

In

Digitized by Google

In Ezechiele hic adamas conjungitur cum ſilice. Miſ- §. 5.
ſurus Deus Ezechielem ad prædicandum populo pœnitentiam, *Et fortiſſimus ſilex.*
ait ad illum: *Hic populus --- attrita fronte eſt, & duro corde*, quaſi *Ezech. 3. 7.*
diceret, res tibi erit cum rebelli & pertinaci populo, plerique tibi contradicent, modis quibus poterunt te perſequentur; ſed noli timere, vade intrepidus, nam --- *ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum, ut adamantem, & ut ſilicem dedi faciẽ tuã*; id eſt, macte animo Ezechiel, perge audacter, quia valentioribus armis munitus es, quàm illi, galeâ adamantinâ, loricâ ſiliceâ decoratus nihil pertimeſcas, & fecit Ezechiel &c. pulchrè. His armis munitus fuit S. Laurentius, his armis triumphavit de tyranno, de tormentis. Adamas fuit, hujus cauſam audiviſtis; ſilex quoque fuit, ob cauſam quoque particularem. Advertit illam S. Gregorius Nyſſenus homil. in Hexameron. *Silices in tenebris obſcuri jacent* (Laurentius obſcurus jacuit in carcere) *licet vim lucidam, atque illuſtrantem naturaliter in ſe contineant, quippe qui pariant ignem, ſi inter ſe collidantur* --- vel ferro aut ſaxo concutiantur. Talis ſilex fuit S. Laurentius, cùm percuſſus fuit, cùm fuit projectus in ignes, dum jacuit ſuper prunas, patefecit, quàm ardens divini amoris incendium pectori ejus incluſum jaceret. Raulinus ſer. 1. de S. Laur. *Habuit ignem divini amoris in corde, & ignem materialem in carne* (ardebat cor, ardebat caro) *ſed ignem carnis ſuperavit ignis cordis*; adeo ut S. Laurentius per flammas de crudeli tyranno triumpharit. Hanc laudem in ſe continet primum S. Laurentii elogium, quod jacens in craticula fuerit fortiſſimus adamas inter flammas. Tales lapides & nos eſſe poſſumus, ſi ignem & flammas, id eſt, tribulationes & perſecutiones, morbos, famem, ſitim, paupertiem, ſimileſq; miſerias exemplo ſancti Laurentii generoſo & invicto animo pro amore Chriſti perferamus.

Alteram coronam pro victorioſo vertice ſancti Lauren- §. 6.
tii compoſui ex variis pulcherrimis floſculis, circumvoluta ſce- *Fuit virgula, truncus,*
dula aureis characteribus has exprimit voculas: ſanctus Lauren- *colũna fumi & thu-*
tius fuit in craticula inter flammas, Virgula fumi, in odorem ſua- *ris, ſive co*

 viſſimi

lumna ex adamante & hyacintho. viſſimi ſacrificii coram oculis Altiſſimi. Hoc quoque elogium fundatur in ſacris literis; quærunt cœleſtes genii, *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto, ſicut virgula fumi*; ſenſu myſtico ſermo *Cant. 3. 6.* eſt de anima, quæ cœleſtibus deliciis, & ſolatiis affluens, innixa ſuper dilectum, evolat ex deſerto hujus mundi ad cœleſtem gloriam, ſicut virgula fumi, gratiſſimo odore perfuſa; LXX. Interpretes ita legunt, *Sicut truncus fumi.* Vatablus, *Sicut columna fumi.* Quis eſt iſte modus loquendi? virgula, & truncus? virgula, & columna? Chislerius hîc notavit myſterium, cùm ait: *Virgula anima eſt, quia ex ſe eſt infirma, potentiſſima verò eſt, truncus eſt, columna eſt, dum in ſe continet ignem latentem divinum, qui omnia vincit. Fortis, ut mors, dilectio.* Quæ omnia aptiſſimè congruunt S. Laurentio in craticula; caro ejus eſt virgula fumi, ex ſe debilis & infirma, quam vehemens flamma comburit, conſumit, & in cineres vertit; animus verò ſancti Laurentii inter illas flammas fuit truncus, fuit columna, tam fortis ex adamante, ex petra, ex ſilice, ut nullius flammæ vehemens vis illi potuerit nocere. Columna fuit ſanctus Laurentius ex gemma Hyacintho, de quo Paradinus ait, *Hyacinthi in prunas ardentes ſi conjiciantur, ab igne non læduntur, ignem autem ipſum extinguunt.* Talis hyacinthus fuit ſanctus Laurentius. Sanctus Maximus de ſancto Laurent. *Vbi enim cor ardet, membra flammam non ſentiunt.*

§. 7. Item ex lapide ſolis. Dicamus ſanctum Laurentium fuiſſe columnam ex lapide ſolis; repertus fuit in Phœnicia, ſic dictus, quod ex diverſis & pulcherrimis maculis, Natura illi impreſſerit formam, ideam, & imaginem Phœbi, ſive ſolis; hic quoque lapis, quia ſolidiſſimus eſt, flammis non cedit: proinde Ludovicus Pius illum elegit pro emblemate, cum hac inſcriptione, *Volo ſolidum perenne.* Advertite cauſam, ob quam ingens incendium ſancti Laurentii animum vincere, & ſuperare non potuerit, non materialis, ſed æterni ſolis, non Phœbi, ſed Chriſti Jeſu, pulcherrima imago ejus cordi fuit impreſſa; amoris erga hanc imaginem, erga Jeſum, flamma tanta fuit; tam vehemens intus in pectore incendium, ut in membris corporis flammas & ignes interiores non ſenſerit.

rit, Prunæ fuerunt flores, quibus fultus & ſtipatus Laurentius, inter flammas amoris exarſit magis. Genuina imago, & lapis ſolis.

Non poſſum reprehendere illum, qui hanc columnam appellare velit turrim ex alumine, de quo Philoſophi ajunt, quod ſuperet ignem; ideoq; ſi lignum alumine illitum projiciatur in ignem, illæſum manet. Quintus Claudius in annali ſuo vigeſimo. Cum oppugnaret Sylla in terra Attica Piræum, & contra Archelaus Regis Mithridatis Præfectus propugnaret turrim ligneam defendendi gratiâ ſtructam, cum ex omni parte igne circumplexa foret, ardere nequivit, quod ab Archelao oblita alumine fuiſſet. Sylla autem ibi conatus non parum fuit, nam tempore magno eduxit copias, ut turrim illam incenderet, venit, acceſſit, ligna ſubdidit, Græcum ignem admovit, &c. ſed nunquam incendere quiverunt, quia Archelaus omnem materiam obliverat alumine. (Deſcribe pulchrè ſanctum Laurentium fuiſſe talem turrim, quam tyrannus ignibus expugnare non potuit.) §.8. *S. Laurent. turris ex alumine.*

Pro virgula fumi, in loco ſuperius ex Canticis citato, alii legunt, *Virgula thuris*, cujus odorem commendat Sponſus. *Odor veſtimentorum tuorum, ſicut odor thuris*, de quo obſervavit ſanctus Cyrillus Alexandrinus, dum ait, *quemadmodum probatiſſima thymiamata igni admota, odoris quo prædita ſunt, ſpecimen edunt: ita etiam anima ſancta, igne quodammodo probata per tentationes, & labores, luculentius multo exiſtentis in ipſa multimodæ virtutis argumentum edit.* Experientia docet, thus, cæteraq; aromata nullam vel exiguam emittere fragrantiam, niſi igne comprobentur. Hinc illud emblema, aurea phyala ſuper prunas, plena odorifero fumo cum his voculis, *Sic fragrat.* O qualis virgula thuris fuit ſanctus Laurentius! toto alligatus corpore jacet in ardenti craticula; ardet caput, ſic fragrat invicta ejus conſtantia; ardent humeri! ſic fragrat ejus patientia; ardet pectus! ſic fragrat ejus in Deum amor. Et miraris, ô Chriſtiane, cur quandoque Deus te cum ſancto Laurentio craticulæ imponat? cur prunas, cur ignem tribulationis admoveat? hoc in- §.9. *S. Laurent. fuit virgula thuris.* *Cant. 4. 11.*

 tendit,

rendit,ut ſis virgula fumi,ut boni tui odoris edas ſpecimina,ut anima tua igne quodammodo probata, per tentationes & labores, luculentius multo exiſtentis in te multimodæ virtutis argumentum præbeas. Urit te ignis egeſtatis? & toleras, ſic fragrat tuus in Deum amor. (Hoc modo poterit fieri pulchra inductio.)

§. 10. *Oliva intacta inter flammas.* Verùm Natura non lapides tantum, ſed & arbores habet, quibus vis ignis nocere non poteſt. Victrici, glorioſæ Aquilæ, ſive ſancti Laurentii vertici tertiam imponam coronam, ex oleâ, cum hoc titulo: S. Laurentius Oliva inter flammas. Refert Soſtratus Byzantinus apud Achillem Tacitum, lib. 2. Byzantii fuiſſe lucum, in eo Olivam, quæ ſtupendo prodigio, imbre igneo de cœlo fœcundabatur. Similis fuit Olea Minervæ, de qua Pauſanias in Atticis ait: quod incenſa à Perſis conflagrarit quidem cum tota urbe, ſed eodem die in duorum cubitorum proceritatem germinarit. An non ſanctum Laurentium dicemus fuiſſe talem Oleam? conflagravit ejus corpus, aſſata fuit caro, combuſta fuerunt omnia membra, ſed nobilior pars, Anima, inter flammas, veluti Oliva fructifera in domo Domini amœnius & altius germinavit. Prunæ & ſcintillæ fuerunt igneus imber, qui ſanctum Laurentium fœcundavit. Inter flammas fuit Oliva; dignus cujus auguſtum caput, tanquam inviƈtiſſimi Herois, Oleâ coronetur.

§. 11. *Et Palma.* *Pſ 91. 13.* Palma quoque fuit, juxta illud Regii Vatis, *Juſtus ut Palma florebit*, ſcilicet inter tempeſtates & ignes tribulationis. Talis Palma eſt illa arbor, quæ à Plinio dicitur *Lair*, & admirabilis eſt indolis, ut projecta in ignem non ardeat, neque conſumatur; imo ignis abſque ullo damno illam claritate & ſplendore exornat atque venuſtat. Celius Rodiginus lib. 16. natur hiſt. ait in civitate Larignenſi, altiſſimam turrim ex his lignis fuiſſe extructam, & juſſu Cæſaris accenſam, luxiſſe, non verò conflagraſſe. O ſpecioſam arborem ſanctum Laurentium! ô floridam Palmam inter ignes! ſuperpoſita craticulæ & prunis, uritur quidem, non comburitur; in hoc rogo floret magis, ſanctus Laurentius ridet flammas. Sævientes quidem flammæ triumphant de corpore; at

at ejus Spiritus ob vehementiorem ignem intus latentem, de proſtratis flammis trophæum erigit, & victoriæ palmam reportat.

Myſtica hæc Palma meo judicio, ſimilis fuit illi rubo, quem Moyſes vidit illæſum inter flammas; ſanctus Gregorius Nyſſenus. *Quaſi flammâ, perinde ac fonte deſuper manante, rigaretur, viridior viſus.* Neque rubus ſolum irradiatus ab igne reſplenduit, ſed--- omnes vicinæ plantæ parili virore vernabant, (teſte Petro Commeſtore) id eſt, vicinæ herbæ non quidem arſerunt ut rubus, ſed tamen ex propinquitate loci, coccineo colore, & igneo ſplendore fuerunt illuſtratæ, magnum ſplendorem undique diffundentes; unde Theodoretus ait, Univerſus ille locus oſtendit Deum eſſe, qui in rubo apparuit. Talis rubus fuit ſanctus Laurentius, arſit, nec combuſtus eſt, nec ipſe ſolus arſit, ſed in hodiernum uſque diem alias herbas, id eſt corda noſtra, ſimili calore, & talibus ignibus accendit. Ex rogo, in quo jacet, nos quoque inflammat, & ardentiſſimos divini amoris radios in noſtra pectora vibrat: *Quis enim* (ait ſanctus Ambroſius) *hoc exemplo nolit ardere pro Chriſto cum S. Laurentio, ſi non flamma materiali, ſaltem igne tribulationis, & amoris divini.* S. Auguſtinus ſer. 30. de Sanctis. *Quis nolit ad horam uri Laurentii igne, ut æternum gehennæ incendium non patiatur?* Et paulò poſt. *Non ardemus quidem corpore pro Chriſto, ſed ardemus affectu. Non ſubjicit mihi perſecutor ignem, ſed ſubjicit mihi deſiderium Salvatoris.* §. 12. S. Laurent. rubus Moyſis. Exod. 3. 2.

Antequam ab hoc rubo diſcedam, prius recitabo verba Philonis lib. 1. de vita Moyſis; *Rubus erat frutex ſpinoſus, & invalidus, is nemine ignem admovente, ſubitò incenſus eſt, corruptuſque totus, à radice uſque ad cacumen, flammâ in morem fontis ſcatente; manebat integer, & illæſus, quaſi non eſſet incendii materia, ſed ipſe ab igne aleretur.* Hæc ſunt verba Philonis, vos illa applicate ſancto Laurentio, ob duplicem fontem ex illo ſcaturientem; ex corde ebulliit igneus fons amoris, ex toto corpore igneus fons flammarum. §. 13. Deſcriptio illius rubi.

Ex citato verſu, *Juſtus ut Palma florebit*, ſumo quartum & ul- §. 14.

rendit, ut ſis virgula fumi, ut boni tui odoris edas ſpecimina, ut anima tua igne quodammodo probata, per tentationes & labores, luculentius multo exiſtentis in te multimodæ virtutis argumentum præbeas. Urit te ignis egeſtatis? & toleras, ſic fragrat tuus in Deum amor. (Hoc modo poterit fieri pulchra inductio.)

§. 10. *Oliva intacta inter flammas.* Verùm Natura non lapides tantum, ſed & arbores habet, quibus vis ignis nocere non poteſt. Victrici, glorioſæ Aquilæ, ſive ſancti Laurentii vertici tertiam imponam coronam, ex oleâ, cum hoc titulo: S. Laurentius Oliva inter flammas. Refert Soſtratus Byzantinus apud Achillem Tacitum, lib. 2. Byzantii fuiſſe lucum, in eo Olivam, quæ ſtupendo prodigio, imbre igneo de cœlo fœcundabatur. Similis fuit Olea Minervæ, de qua Pauſanias in Atticis ait: quod incenſa à Perſis conflagrarit quidem cum tota urbe, ſed eodem die in duorum cubitorum proceritatem germinarit. An non ſanctum Laurentium dicemus fuiſſe talem Oleam? conflagravit ejus corpus, aſſata fuit caro, combuſta fuerunt omnia membra, ſed nobilior pars, Anima, inter flammas, veluti Oliva fructifera in domo Domini amœnius & altius germinavit. Prunæ & ſcintillæ fuerunt igneus imber, qui ſanctum Laurentium fœcundavit. Inter flammas fuit Oliva; dignus cujus auguſtum caput, tanquam invictiſſimi Herois, Oleâ coronetur.

§. 11. *Et Palma.* *Pſ 91.13.* Palma quoque fuit, juxta illud Regii Vatis, *Juſtus ut Palma florebit*, ſcilicet inter tempeſtates & ignes tribulationis. Talis Palma eſt illa arbor, quæ à Plinio dicitur *Lair*, & admirabilis eſt indolis, ut projecta in ignem non ardeat, neque conſumatur; imo ignis abſque ullo damno illam claritate & ſplendore exornat atque venuſtat. Celius Rodiginus lib. 16. natur hiſt. ait in civitate Larignenſi, altiſſimam turrim ex his lignis fuiſſe extructam, & juſſu Cæſaris accenſam, luxiſſe, non verò conflagraſſe. O ſpecioſam arborem ſanctum Laurentium! ô floridam Palmam inter ignes! ſuperpoſita craticulæ & prunis, uritur quidem, non comburitur; in hoc rogo floret magis, ſanctus Laurentius ridet flammas. Sævientes quidem flammæ triumphant de corpore;

at

at ejus Spiritus ob vehementiorem ignem intus latentem, de proſtratis flammis trophæum erigit, & victoriæ palmam reportat.

Myſtica hæc Palma meo judicio, ſimilis fuit illi rubo, quem Moyſes vidit illæſum inter flammas; ſanctus Gregorius Nyſſenus. *Quaſi flammâ, perinde ac fonte deſuper manante, rigaretur, viridior viſus.* Neque rubus ſolum irradiatus ab igne reſplenduit, ſed--- omnes vicinæ plantæ parili virore vernabant, (teſte Petro Commeſtore) id eſt, vicinæ herbæ non quidem arſerunt ut rubus, ſed tamen ex propinquitate loci, coccineo colore, & igneo ſplendore fuerunt illuſtratæ, magnum ſplendorem undique diffundentes; unde Theodoretus ait, Univerſus ille locus oſtendit Deum eſſe, qui in rubo apparuit. Talis rubus fuit ſanctus Laurentius, arſit, nec combuſtus eſt, nec ipſe ſolus arſit, ſed in hodiernum uſque diem alias herbas, id eſt corda noſtra, ſimili calore, & talibus ignibus accendit. Ex rogo, in quo jacet, nos quoque inflammat, & ardentiſſimos divini amoris radios in noſtra pectora vibrat: *Quis enim* (ait ſanctus Ambroſius) *hoc exemplo nolit ardere pro Chriſto cum S. Laurentio, ſi non flamma materiali, ſaltem igne tribulationis, & amoris divini.* S. Auguſtinus ſer. 30. de Sanctis. *Quis nolit ad horam uri Laurentii igne, ut æternum gehennæ incendium non patiatur?* Et paulò poſt. *Non ardemus quidem corpore pro Chriſto, ſed ardemus affectu. Non ſubjicit mihi perſecutor ignem, ſed ſubjicit mihi deſiderium Salvatoris.* §. 12. S. Laurent. rubus Moyſis. Exod. 3. 2.

Antequam ab hoc rubo diſcedam, prius recitabo verba Philonis lib. 1. de vita Moyſis; *Rubus erat frutex ſpinoſus, & invalidus, is nemine ignem admovente, ſubitò incenſus eſt, corruptuſque totus, à radice uſque ad cacumen, flammâ in morem fontis ſcatente; manebat integer, & illæſus, quaſi non eſſet incendii materia, ſed ipſe ab igne aleretur.* Hæc ſunt verba Philonis, vos illa applicate ſancto Laurentio, ob duplicem fontem ex illo ſcaturientem; ex corde ebulliit igneus fons amoris, ex toto corpore igneus fons flammarum. §. 13. Deſcriptio illius rubi.

Ex citato verſu, *Juſtus ut Palma florebit*, ſumo quartum & ul- §. 14.

Fuit deniq; Phœnix. ultimum elogium, & dico, ſanctus Laurentius in craticula, fuit Phœnix inter flammas, nam illum verſum varii Interpretes ita legunt, *Juſtus ut Phœnix florebit.* Multa dicuntur mira de hac ave, modo utar breviſſimè paucis verbis Tertulliani, l. de Reſurrect. carn. c. 13. *Libenter ſemetipſum funerans* (inter flammas in odorato nido) *ſe renovat -- atque ſuccedit iterum Phœnix, &c.* Pulcherrima hæc avis ſe totam conjicit in flammas, imo ipſa flammas excitat, alis promovet, ut flagret, ſic moritur, ſed mox pulchrior renaſcitur. O ſancte Laurenti! O glorioſiſſime Martyr! verè fuiſti Phœnix inter flammas, &c. (eſt locus pro pulchra Apoſtrophe.) Cum Phœnix ardet, ut cecinit ille Poeta,

Conveniunt aquilæ, cunctæq; ex orbe volucres;
Vt ſolis mirentur avem ---

Multò magis ego puto ad craticulam, in qua aſſatus fuit ſanctus Laurentius, convolaſſe de cœlo cœleſtes Aquilas, Angelicos Spiritus, ad videndum tale ſpectaculum. *Phœnix eſt ales Orientis,* inquit ſanctus Ambroſius, *peculiaris, & de ſingularitate famoſus --- finitq; in odoribus ævum.* Talis eſt ſanctus Laurentius inter Martyres, vitam finiit inter odores ſuaviſſimarum virtutum. Tandem reviviſcit Phœnix; revixit quoque ſanctus Laurentius, cujus anima exultat in cœlis, donec omnes redivivi in carne glorioſa, veniamus ad nuptias Agni, ubi æternum erimus beati.

CON-

CONCIO LXXIX.

FESTO ASSUMPT. B. VIRGINIS.

Glorioſa dicta ſunt de te Civitas Dei.

Pſalm. 86. v. 3.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit glorioſa de immenſa gloria glorioſiſſimæ Virginis, quoad Animam & Corpus.

§. 1. *Amor fuit cauſa Virgineæ mortis.*

§. 2. *Propoſitio.*

§. 3. *Immenſitas gloriæ Marianæ oſtenditur, ex quodam parallelismo, inter gloriam Patris & Matris, reſpectu ejuſdem Filii Dei.*

§. 4. *Quoties Mariæ gloria extollitur, fit mentio partus, ſive maternitatis Dei.*

§. 5. *Gloria Mariana habet quandam infinitatem.*

§. 6. *Varia teſtimonia SS. Patrum.*

§. 7. *Non tantum in lumine, ſed & in Maria veluti ſpeculo, vitro, imagine, &c. Beati vident Deum.*

§. 8. *Quo ſenſu in Maria ſit comprehenſio gloriæ.*

§. 9. *Conglobatio quinquaginta elogiorum Virginis, quæ à gloria ſunt deſumpta.*

§. 10. *Maria aſſumpta eſt ad cælos, Animâ & Corpore.*

§. 11. *Ob varias congruentias.*

§. 12. *Teſtimonia SS. Patrum.*

§. 13. *Quâ gloriâ deducta fuerit in cælos.*

§. 14. *Suſpirium amoris.*

Digitized by Google

§.1. *Amor fuit cauſa Virgineæ mortis.*

QUid hoc hodierna luce ſpectaculi? incerto ſagittario, ignota ſagitta, ex inſidiis Innocentiſſimam Virginem, auguſtiſſimam Dei Matrem, lædit, lacerat, vulnerat? Cœli Sponſa in fatali lectulo, candidus quaſi ſcopus, vulneri deſtinata, & lethali percuſſa ſpiculo, mortis imperio ſubjacere cogitur? Cogitur! ſed ſagittarius latere non poteſt; ecquis enim virginale amantis cor vulnerarit, niſi amor? huic aditus ad Virginem non patuit, niſi per vulnera & necem amoris; hoc amantium, & ſuaviter militantium, ſtipendium eſt, ipsâ amoris manu, lethoq; configi. Ideo Sponſo manus ſunt aureæ, tornatiles, vulnerumq; pretioſè liventibus margaritis, & ſagittis plenæ, ut in Sponſæ cor tela hyacinthina ſpargat. Ab his infliguntur vulnera, non turpi ſtillantia cruore, non fœtido diffluentia tabo, ſed vulnera amoris, ex quibus plus ardoris, quam cruoris erumpit. Non enim doloris alicujus cuſpis, non mœroris ſagitta, non ægritudinis contagio, non flamma febris, non alii mortis ſatellites ſtragem hanc fecerunt; ſolus fecit amor. Quidquid in Virginis morte fuit doloris, quidquid mœroris, quidquid morbi, Amor fuit. Hic Virgini vitam extorſit, ſed letho non ignobili; nam nobiliter occumbit, quiſquis Amoris cadit manu. Egregium hoc genus mortis paucis conceſſum. In quo Amor ſauciat ſuaviter, delicioſè cremat, excitat dum enecat; perennat, qui interit; non ſuccumbit, qui occumbit; morte mors eluditur. Phœnicis hæc mors eſt, quæ in flammis moritur, in flammis oritur, in flammis mortua, in iiſdem rediviva renaſcitur. Haud aliter Virgo in igne alis amoris excitato crematur; ut redeat, hæreſq; ſui, ab ardore quo periit, rediviva ſumat fomenta, quibus glorioſior ad gloriam & vitam æternam reſurgat. Uni Amori Maria moriendo ſuccubuit! ut etiam Dei Mater ita caderet, ſat fortis fuit dilectio. De ipſo Deo Amor triumphum egerat, coram orbis ſpectaculo in Cruce illum occidendo, ne cæteras ſagittas quas paraverat, occiſo jam Rege Amoris, inertes in pharetra relinqueret, in Virgineum Reginæ pectus hodie contorſit, & de illa quoque triumphavit. Triumphus amoris illi peperit triumphum gloriæ, ad quam rediviva à Spon-

Sponſo invitatur, *Surge, propera amica mea, veni de Libano, coronaberis.* *Cant. 4. 8.*

§. 2. *Propoſitio.* Sed! dum Virginis gloriam nomino, bivium mea panegyris ingreditur. Hinc Virginis beatiſſima mors primas in hac Concione ſibi vendicat; hinc magnæ Matris gloria eam ſollicitat. Fateor, volupe mihi eſſet, in hac dulci materia, de dulciſſimo dulciſſimæ Matris obitu pergere, volupe erit mihi dicere, vobis audire, quibus Virgo in hoc amoris languore & deliquio fuerit ſtipata malis, quibus fulta floribus, quàm ſuavis læva Sponſi, ſub capite Sponſæ; quàm ſuavis dextera, quâ in morte Filius amplexatus fuit Matrem. Verùm cùm aliàs hoc eodem loco has delicias vobis propoſuerim, Marianæ gloriæ pelago & Oceano Concionis hujus cymbam committam. Aſpirate Favonii, flate Zephyri, non ex Neptuni antris, non Trionum caveis, non Æoli ſcopuloſis ſpecubus, ſed ex pectore, ſinu, & corde dulciſſimæ Mariæ. Explico clarius ardens deſiderium cordis mei. Fave dictioni meæ, ô glorioſiſſima Virgo, ut de tua gloria dicam glorioſa.

§. 3. *Immenſitas gloriæ Marianæ oſtenditur ex quodam parallelismo, inter gloriã Patris & Matris, reſpectu ejuſdem Filii Dei.* Ingentem & eximiam Virginis gloriam, quis pro dignitate depinget? Una puella omnem gloriæ hauſit opulentiam, nulla pars Animæ ſanctiſſimæ manſit inanis, nulla fuit portio ab impetu gloriæ non inundata, cum admirabili quodam in ipſum corpus fluxu, & redundantia. Quo enim abundantius in Deitatis abyſſum immerſa fuit, tanto plus participavit de gloria, quæ meo judicio ſubtilius, & Theologicæ trutinæ conformius explicari non poteſt, quàm ſi increatæ, infinitæ, & immenſæ Deitatis gloriæ, aliquo modo quaſi parallela conſtituatur. Sic placet diſcurrere, ne aures veſtræ hoc modo loquendi offendantur. Fons exuberantis gloriæ, qui ab æterno ſalit in Patre, in tempore ſcaturit in Virgine. Tum enim ab æterno Pater fuit beatiſſimus, & maximè glorioſus, cum nobiliſſima intellectus operatione validus, ex uberrima fœcunditate, ſapientiſſimâ mentis abundantiâ Verbum progenuit, quod eſt Filius, quem S. Paulus ad Hebr. 1. ſplendorem vocavit gloriæ. Tam nobili ſobole Pater eſt glorioſiſſimus. Tam nobilis Filius Patris infinita eſt gloria. Fœcundus

Digitized by Google

cundus hic partus infinitæ gloriæ fuit ſcaturigo. Cum verò eundem, quem Pater concepit mente, genuit intellectu; Virgo Mater obumbrante Spiritu ſancto conceperit in utero, virgineoq; partu fuderit in auras, in tempore, & proinde ejuſdem Filii jam Incarnati facta fuerit Mater; neceſſariò ad immenſum excellentis gloriæ culmen, glorioſiſſimo hoc partu fuit exaltata. Hic partus Virgini fuit radix, & origo immenſæ gloriæ, nobiliſſimarum virtutum, eximiorum meritorum, privilegiorum, gratiæ & conſequenter gloriæ. *Quantum enim gratiæ* (ait S. Bern.) *in terris adepta eſt MARIA præ cæteris, tantum & in cælis obtinet gloriæ ſingularis.* Quæ in terris fuit plena gratiâ, in cœlis eſt plena gloriâ. Et cur non? quæ (teſte Epiphanio) gloriam cœleſtem, & Regem gloriæ portavit in utero. Quid glorioſius? JESUS Filius, Rex gloriæ! & Maria Mater Regina gloriæ à ſe invicem ſeparari non poſſunt. Utrumque conjunxit S. Bernardus partum & gloriam, cum dixit; *Quis etiamſi linguis hominum Angelorumque loquatur, explicare queat, quemadmodum ſuperveniente Spiritu obumbrante, & virtute Altiſſimi, Caro factum ſit Verbum Dei? ſed & illud quis cogitare ſufficiat, quam glorioſa hodie Regina mundi proceſſit?* En Virginem glorioſam, quia Verbum in ejus utero Caro factum eſt.

Joan. 1. 14.

§. 4.

Quoties Mariæ gloria extollitur ſit mentio Virginei partus, ſive Maternitatis.

Si vultis, advertere poteritis, in omnibus feſtivitatibus illam ob hunc partum dici glorioſam. Vix Virgo concipitur, vix naſcitur, & utrobique cantatur, *De qua natus eſt Jeſus.* Cum Trimula deducitur à parentibus in templum, ut ſiſtatur Domino; in Evangelio ſonat de turba vox mulieris; beatus venter, qui Filium Dei portavit. Cùm Angelus in Annuntiatione illam deprædicat gratiâ plenam; addit cauſam, Ecce concipies in utero, & Filius Altiſſimi vocabitur. Cum uritur amans Joſeph dubiis Sponſæ curis ad gravidæ intuitum, jam Mater nominatur, *Cùm eſſet deſponſata Mater Jeſu Maria Joſeph.* Cùm Cognatam viſitat Eliſabeth ait, *Unde mihi hoc, ut Mater Domini ad me veniat*; ſubdit, *Ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Benedicta dicitur inter mulieres, ob benedictum fructum Jeſum. En! quàm varia panegyris Matrem clamat, ut agnoſcatur eſſe glorioſa; ſum-

Matt. 1. 16.

Luc. 1. 43.

Digitized by Google

ſummæ, quæ illi tribuuntur laudes, à Maternitate ſumunt auſpicium. Quid ergo cum moritur, cum halat ſpiritum? quid, cum cœlos ingreditur; anne & tunc Mater? an Genitrix? ut ſit glorioſa? Quin maximè! ſiquidem ſub ænigmatis umbra, qui in Evangelio dicitur ingreſſus caſtellum, nobis Jeſus proponitur, qui uterum Virginis intrare non fuit dedignatus. Uterus ſplendens Patris, ante Luciferum fuit fons Filii & gloriæ; ejuſdem Filii partus ex Virgine in tempore, Matri eſt regula immenſæ gloriæ. S. Thomas de Villa N. *Quid amplius quæris? quid ultra requiris in Virgine? ſufficit, quod Mater Dei eſt; quænam obſecro pulchritudo, quæ virtus, quæ perfectio, quæ gratia, quæ gloria, Matri Dei non congruit.* Sonet in cœlis, ſonet in terris hoc encomium. O glorioſum nobili Filio Patrem! O glorioſam eadem prole Matrem!

Accedit & alter Parallelismus. Quia Filius infinitæ dignitatis menſura eſt & regula Maternæ gloriæ, hæc neceſſario genus quoddam induit infinitudinis; quod gloriæ divinæ eſt proprium. Suffragatur meæ theſi B. Petrus Dam. *Gloria, quæ eam de hoc mundo tranſeuntem accepit, principium ignorat, neſcit finem: de qua nihil aliud poſſumus dicere, niſi, quàm glorioſa dicta ſunt de te Civitas Dei.* Quod principium ignorat, quod finem neſcit, in Philoſophorum ſcholis eſt infinitum; talis eſt Matris Dei gloria, ergo, infinita ſubſcribunt illi Patres, qui beatæ Virginis in cœlos aſſumptæ aſpectum, gloriæ eſſentialis, quam Beati ex infinitæ gloriæ participatione, hauriunt, vocant complementum, & ſuperadditam perfectionem. Non tamen Deitatis injuriâ, ſed excellenti Deitatis in gloria participatione. Non quod Virgo limitatis finitæ creaturæ terminis non circumſcribatur, aut quod Dea ſit, ſed quia fines naturæ per Maternitatem ſupergreſſa, Deo facta eſt affinis. §. 5. *Gloria Mariana habet quandam infinitatem*

Quibus modus hic loquendi durior, vel altior & ſublimior videtur, audiant B. Petrum Dam. S. Anſelmum, S. Bernardum. Primus ait, *Tota conglomeratur Angelorum frequentia, ut videant Reginam ſedentem à dexteris Domini.* Alter, *Dies illa* §. 6. *Teſtimonia varia SS. Patrum.*

non ſolum te Domina, ineffabiliter ſublimavit, ſed cœlum ipſum, quod penetraſti, nec non cuncta, quæ in eo ſunt, nova & ineffabili gloria decoravit; quia priorem gloriam ejus, ex præſentia ſui, ultra quàm dici poteſt, aut cogitari magnificavit. Latet emphaſis in hac vocula, nam quæ in terris magnificavit Dominum, ut de ſe ait in ſuo cap. *Quidni magnificetur in cœlis.* Tertius. S. Bernardus. *Mariæ præſentia totus illuſtratur orbis, adeo ut etiam ipſa jam cœleſtis patria clarius rutilet Virgineæ lampadis radiis.* Iterum S. Anſelmus. *In ipſius Trinitatis ſede repoſita, naturam etiam Angelicam ſollicitat ad videndum.* Sed! nunquid Beati mens, quatenus per ipſius Deitatis illapſum imprægnata, in beatum prorumpit intuitum, ſatis eſt beata? Nunquid Anima beata, quatenus in Deo, veluti limpido & pellucido ſpeculo, vel claro cryſtallo ſanctiſſimæ Trinitatis intuetur & contemplatur imaginem, eſt feliciſſima? An non indoles viſionis eſt, ut ipſamet ſibi ſit ſufficiens, plenis ſaturata obſoniis, propriis fontibus irrigata? quid ad hunc illapſum, ad hanc ſatietatem, ad hanc beatæ mentis impr ægnationem; quid ad hanc imaginem, ad hos fontes, ad has delicias confert gloria Virginis, ut viſionem dicatur augere, complere, perficere; ut Angeli quoq; deſiderent illam aſpicere, ut Marianæ gloriæ radiis dicatur radiare cœlum, ut cœleſtes Spiritus ſollicitentur ad videndum?

§. 7. *Non tàtũ in lumine, ſed & in Maria veluti ſpeculo, vitro, imagine &c. Beati vident Deum.*

Hoc confert. Virgo eſt ſpeculum, vitrum, cryſtallus, pellucidus fons, puteus, radius & imago, in qua Beati viſam in lumine Dei ſubſtantiam, viſas in Deo perfectiones, viſa myſteria, præſertim Incarnationis, cum ineffabili quodam gaudio, & alio modo vident atque intuentur; ſcilicet in gloria Mariæ. Bis beati Dei viſione, & Virginis intuitione. Lumen gloriæ ab increato lumine delibatum, cœleſtem aulam illuſtrat, & lucerna luminis Agnus eſt, lampas verò luminis Mater; à lumine, à lucerna, à lampade, ab Agno, à Maria, tota ſimul cœleſtis curia illuſtratur. Nobiliori encomio Virginis gloriam extollere non poſſum, quam quod modo quodam perfectiſſimo gloriæ increatæ ſit parallela; Deus eſt glorioſus per eſſentiam! Maria glorioſa, per perfectiſſimam quandam participationem.

Quid

Digitized by Google

Quid ais, dicet nonnemo. Nunquid gloria Patris eſt ſui comprehenſio, quæ creaturæ competere non poteſt: claudicat ergo prior ſimilitudo. Audio. Verum qui comprehenſionis aliquam umbram deſiderat in Maria, obſervet ſanctæ Matris Eccleſiæ ſolertiam, quæ in hodierna feſtivitate utitur Evangelio, in quo dicitur: Intravit JESUS in quoddam caſtellum. O profundum myſterium! tanta enim eſt Maria, ut dum hodie aſcendit ad cœlos, non dicatur intrare in gloriam, prout fideli ſervo dictum fuit, *Intra in gaudium Domini tui*; ſed Jeſus, ſive gloria in ipſam dicitur intraſſe, aliter enim de gloria Mariæ, aliter de gaudio Beatorum philoſophandum eſt. Maria, quà creatura eſt, infiniti luminis eſt incapax, comprehenſionem attingere non poteſt, quia tamen in ejus utero comprehenſio quædam fuit, dum Virgo circumdedit virum; ei in cœlis alia reſpondet comprehenſio in gloria, ita ut Rex gloriæ in illam intrare dicatur, ſive ipſa dicatur comprehendere Regem gloriæ. Si placet, excipite aurea verba Guarrici Abbatis. *Parum eſt, ut judicanti conſideas, niſi & ipſa mihi ſedes ſis; ut Majeſtatem regnantis, eò facilius, quò familiarius in te contineas; & ſpecialius præ cæteris incomprehenſibilem comprehendas. Continuiſti Parvulum in gremio, continebis immenſum in animo. Fuiſti diverſorium peregrinantis, eris palatium regnantis. Fuiſti tabernaculum pugnaturi in mundo; eris ſolium triumphantis in cœlo. Fuiſti thalamus Sponſi incarnati, eris thronus Regis coronati.* Ita concludo: Sedes comprehendit inſidentem, gremium matris parvulum, diverſorium hoſpitem; palatium Regem, tabernaculum militem, thalamus ſponſum, thronus Imperatorem. Maria Mater fuit ſedes, diverſorium, palatium, thalamus, thronus, ergo Deum comprehendit; non ut animo comprehendiſſe putetur, ſed ut citra comprehenſionem, intuitio, viſio, & gloria ejus, præ gloriâ aliorum Beatorum, longè nobilior, arguatur.

§. 8. Quo ſenſu in Maria ſit quædam comprehenſio gloriæ.

Matt. 25. 23

Ex his fontibus fluunt conglobata encomia, quæ reperio apud SS. Patres, deſumpta à gloria. Quod ſit Arca gloriæ, domus gloriæ, civitas gloriæ, aula gloriæ, porta gloriæ, Regina gloriæ, Domina gloriæ, Promotrix futuræ gloriæ, Mater gloriæ, Vir-

§. 9. Conglobatio 50. elog. Vir. quæ à gloria ſunt deſumpta.

Virgo gloriæ! en alteram decadem. SS. Patres Mariam vocant Radicem gloriæ, arborem gloriæ, florem gloriæ, fructum gloriæ, fontem gloriæ, canalem gloriæ, venam gloriæ, torrentem gloriæ, pelagum & Oceanum quendam gloriæ. In decade tertia voco Mariam Montem gloriæ, hortum gloriæ, paradiſum gloriæ, agrum gloriæ, pratum gloriæ, Olivam gloriæ, Cedrum gloriæ, terebynthum gloriæ, platanum gloriæ, palmam gloriæ. Decadem quartam hæc elogia conficiunt. Maria eſt corona gloriæ, thronus gloriæ, templum gloriæ, vas gloriæ, vocant item abyſſum gloriæ, ſolem gloriæ, Promam gloriæ, currum gloriæ, ſplendorem gloriæ, ſpeculum gloriæ. Decadem ultimam ſive quintam componunt Sanctorum chori: Maria eſt gloria Virginum, gloria Confeſſorum, gloria Martyrum, gloria Apoſtolorum, gloria Prophetarum, gloria Patriarcharum, gloria Angelorum, gloria Archangelorum, gloria Seraphinorum, gloria Sanctorum omnium. Ecce Mariam innumeris titulis glorioſam!

§. 10. *Maria aſſumpta eſt ad cœlos Animâ & Corpore.*

Gloriæ hujus ingens incrementum eſt, quod hodierna die corpore & anima glorioſè fuerit aſſumpta ad cœlos. Oportuit illam mori, quia reſurgere debuit; illud, quà Adami filia, hoc, quà Mater Dei. Ab Adamo per ſucceſſionis progeniem traxit, mortis inclementiæ ſubigi, quà filia; quà Mater, debuit mortis feralia vincula cito diſrumpere, ut utrique ſubjaceret attributo Mortalitatis, quia filia; Immortalitatis, quia Mater. Quia per Maternitatem hanc, peculiarem cum Deo contraxit familiaritatem, etiam Corpus cito fieri debuit immortale. Utraque gloria illi debebatur (Amadæus) ut intus & foris, egrediens & ingrediens frueretur paſcuis veræ æternæq; felicitatis.

§. 11. *Ob varias congruentias.*

Hæc magnæ Matris eſt gloria. *Licet naturæ legibus fuerit obnoxia* (ſic loquitur Michael Glycas) *etiamſi ut homo in ſepulchrum ſit depoſita, naturæ tamen fines atque terminos ſuperavit & exceſſit. Nec ſepulchrum, nec mortalitas eam in poteſtate ſua retinere potuit. Nam & ipſa de ſepulchro reſurrexit, prorſus, uti Filius ejus.* Et S. Germanus. *Corpus tuum Virgineum ad ſummam immortalitatis vitam pervenit*; quippe *quæ vas Dei capax fuerat.* Poſt mortem ejus Corpus non in aëris felici temperie, non in

para-

Digitized by Google

paradiſi alicujus inoffenſa regione, non in propitio alicujus benevoli ſideris aſpectu depoſitum fuit; non inter Cedros, non inter ſcopulos ſæculorum rubigini rebelles; ſed inter terræ viſcera, ubi & mortis morſus, & ſerpentis terram corrodentis ſpecus & imperium eſt; corruptionis regio, & tamen neque à vermibus rodi, neque à morte vel ſerpente pungi, & in cineres converti potuit, neque proprio pulvere fuit aſperſum, ſed abſque corruptione floridum reſurrexit. Terra, quæ mortuam Virginem recepit, mox cum magna gloria redivivam reddidit. Et cur in ſepulchro tabo putreſceret illa Caro, ex cujus puriſſimo ſanguine natura, ſive Corpus, quod Deus aſſumpſerat, fuit efformatum?

Triumphat in hoc eloquentia ſanctorum Patrum. Sancti Damaſceni. *Non anima tua in infernum deſcendit, nec caro tua corruptionem vidit. Non Corpus illud tuum immaculatum, ac labis omnis expers, in terra relictum eſt, verùm in Regiis Sedibus, Tu Regina, ac verè Mater, & Genitrix depoſita es.* Sancti Germani. *Ideoque & Corpus tuum, quo Deum velut hoſpitio excepiſti, ſanè par erat, nulla mortifera corruptione involvi, ſed Te viventem, ad cœleſtem domum, in vitam traduci.* Rurſum ſancti Damaſceni. *Quonam pacto mors abſorbebit? quonam pacto infernus excipiet? quonam pacto corruptio, Corpus illud, à quo Vita ſuſcepta eſt, aggredietur.* Sancti Bernardini Senenſis. *Sicut non dedit Dominus Sanctum ſuum videre corruptionem, id eſt, Chriſtum; ſic nec Sanctam, id eſt, Mariam, de qua natus eſt Sanctus*; ſed Corpore & Anima in cœlos eſt aſſumpta. Sancti Damaſceni. *Ex qua omnibus vita manavit, quomodo mortem tam diu guſtaret.* §. 12. *Teſtimonia SS. Patrum*

Quo poſito, volupe ſine dubio nobis fuiſſet, ſpectare, in qua gloria redivivum Corpus, quàm admirabili agilitate, & velocitate, Virgo ſaxea ſepulchri repagula penetrarit, & inter aureas nubes, cœleſtes globos tranſgreſſa, per auratos cœli Empyrei fornices, ad Auguſtam ſanctiſſimæ Trinitatis Sedem pervenerit, innixa ſuper Dilectum ſuum, de- §. 13. *Quâ gloriâ deducta fuerit in cœlum.*

ducta à cœleſtium Spirituum choris, honorificentiſſimè ſuſcepta à Patre, à quo, in throno excellentiſſimæ gloriæ, prima poſt Filium, juſſa fuit conſidere, elevata ſuper omnes choros Angelorum, in vocibus laudis & exultationis. Choros duxerunt Angeli, celebrarunt Archangeli, Virtutes illam glorificarunt, exultaverunt Principatus, Poteſtates collætatæ ſunt, gaviſæ Dominationes, Throni feſtum egerunt diem, laudarunt illam Cherubini, gloriam ejus prædicarunt Seraphini. Verum hæc & alia glorioſæ Virginis Corona ex ſtellis duodecim, ſceptrum, diadema ex ſole, luna ſub pedibus ejus, aliam exigunt Panegyrim.

§. 14. *Suſpirium Amoris.* Tu modo, O glorioſiſſima Virgo, beatis illis flammis, felicibus illis ſcintillis, & dulciſſimis ardoribus, quibus in fatalis lectuli nido arſiſti, noſtra corda accende! Ah ſi! Ah ſi! aliqua validiſſimi illius ignis, cui tota ardens ſuccubuiſti, decidua ſcintillula, cordis noſtri glaciem, animæ frigus, pectoris teporem, accendat in flammam, ut convertamur in ignes, tranſmutemur in ardores, quibus JESUM & MARIAM diligamus. O optatas flammas! his nos bea, ut Tibi & Filio tuo in gloria ardeamus in perpetuas æternitates!

CON-

Digitized by Google

CONCIO LXXX.

FESTO S. BARTHOLOMÆI APOST.

Erat pernoctans in Oratione.

Lucæ 6. v. 12.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRima pars proponit varios & eximios fructus Patientiæ & fortitudinis viri juſti vel electi in tribulatione conſtituti. Altera ſuggerit pia & affectuoſa ſuſpiria atque affectus, quibus tribulationes de paterna Dei manu oportet ſuſcipere, amplecti, & exoſculari. Miſcentur variis in locis varia elogia S. Bartholomæi.

§. 1. *Dulce & glorioſum eſt pati & mori pro Chriſto.*

§. 2. *Juſtus in tribulatione eſt frugifera vitis inter ſaxa.*

§. 3. *Tribulatio Joſepho peperit regnum.*

§. 4. *Et ejus fratribus majus gaudium: quod idem in electis intendit cæleſtis Joſeph.*

§. 5. *Jacob ſuper lapides ſuaviter dormivit: Electis quoque inter tribulationes bene eſt, v.g. S. Bartholomæo.*

§. 6. *Aliud teſtimonium Joſephi.*

§. 7. *Cur Deus ſanctiſſimos permittat affligi.*

§. 8. *Tribulatio Sanctos reddit fortiores. Simile ex S. Chryſoſtomo.*

§. 9. *Alia ejuſdem Sancti ſimilia, & elogia Chriſtianæ Patientiæ in tribulationibus.*

§. 10. *Exclamationes S. Cypriani.*

§. 11. *Tribulatio arctiſſimè nos con-*

conjungit cum Chriſto Domino.

§. 12. *Qualis arbor malitia: qualis arbor SS. Crux, ſive Patientia in adverſis.*

§. 13. *In tribulatione eſt omne bonum: ſicut in Jeſu Crucifixo.*

§. 14. *Piiſſima ſuſpiria, quibus Anima in tribulatione conſtituta conſolari ſe poterit.*

§. 15. *Aliud.*

§. 16. *Aliud.*

§. 17. *Suſpiria conglobata.*

§. 1. *Dulce & glorioſum eſt pati & mori pro Chriſto.*

DE invicto & fortiſſimo quodam Martyre ait D. Auguſtinus hom. 95. de diverſis. *Ad Chriſtum fragrantiſſimo amore ſuſpenſus, carnem quantocius relinquere deſiderabat, & ad ipſum cupiebat avolare: nec mortem timebat, quia Chriſtum, quem pro ſe occiſum ſciebat, viventem videbat, ac per hoc feſtinabat etiam ipſe mori pro illo, ut viveret cum illo.* Cùm Eccleſia Catholica hodie celebret feſtum glorioſiſſimi Apoſtoli, & fortiſſimi Martyris S. Bartholomæi, judico me Panegyrin hujus Sancti elegantioribus verbis ordiri non poſſe; ut oſtenderet, quantum ſuum eſſet deſiderium avolandi & feſtinandi ad Chriſtum, carnē, ſanguinem & pellē libentiſſimè abjecit; etſi vivus excoriaretur, etſi toto corpore difflueret ſanguis, etſi lictor minaretur ferrum, mori tamen non timuit, ut veniret ad Chriſtum, & curſum ſuum in ſtadio & agone virtutum glorioſè abſolveret. Pati & mori pro Chriſto fuit illi glorioſum. Apud Egeſip. l. 3. de exc. Jeroſ. cap. 24. ait Titus Imperator, *Utinam Manlii Torquati filium in ſolo mihi liceat imitari periculo, quem ſecuri juſſit feriri pater, quòd contra imperium patris exercitum in hoſtem produxerat. Stabat hoſtibus caſis adoleſcens, amictus adoreis triumphalibus, ſub carnifice mortis ſecurus, quoniam beatiſſimum putabat in victoria mori. Quid enim illuſtrius, quàm vitam triumpho claudere.* Illuſtriori genere mortis, glorioſiore victoria vitam clauſit S. Barthol. Ut ipſius exemplo, & nos non timeamus pati pro Chriſto, prima parte hujus Concionis eximios aliquos fructus tribulationis proponam: in altera pias aliquas conſiderationes, in quibus in tribulatione conſtituti nos ſolari poterimus.

De

§.2. *Iuſtus in tribulatione eſt frugifera vitis inter ſaxa.* *Iob 8.v. 17.*

De vite quadam ait Job, *Super acervum petrarum radices ejus denſabuntur, & inter lapides commorabitur.* Ex mente P. Pinedæ ſermo eſt, de illis vitibus, quæ in Hiſpania præſertim, ut & in tractu Rheni atque Moſellæ, plantantur in petroſiſſimis montibus, inter rupes & ſaxa, & tamen ab illis non opprimuntur, ſed vireſcunt, florent, & in Autumno præſtantiſſimas proferunt uvas. Pari ratione, ex mente citati Patris, vinea Chriſti D. non eſt plantata in terra molli, inter flores & roſas, ſed inter lapides & ſaxa perſecutionum, profert nobiliſſimos fructus virtutum. Puto, propterea Chriſtum Dominum de ſe dixiſſe, *Ego ſum vitis, vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* *Ioan. 15.1.2.* Radices, palmites, folia, flores, fructus hujus vitis, invenietis in ſaxoſo monte Calvariæ, in arbore ſanctiſſimæ Crucis; uniti quoque palmites, id eſt, Chriſtiani conſtituti in tribulatione, inter ſaxa & petras excellentiſſimos ferunt fructus; prodeſt illis tribulatio.

§.3. *Tribulatio Ioſepho peperit regnum.*

De Joſepho à fratribus vendito pulchrè ait D. Chryſoſt. hom. 9. in Lucam. *Scire potes inſidias in bonum finem exituras, tantum ſi fortiter feras, quæ accidunt. Ecce hinc livor regnum peperit, atque illi ipſi, qui adſtruebant inſidias, auxiliantes promoverunt ad imperii magnitudinem. Et is quidem, cui ſtructæ fuerunt inſidiæ, regnum adeptus eſt, ii verò, qui ſtruxerunt, ſervierunt. Adorabatur ille, hi adorant,* imò, *niſi inſtruxiſſent inſidias, niſi dolos texuiſſent, & imprudens illud conſilium concinnaſſent,* fortaſſis Joſephus nunquam evectus fuiſſet ad regnum. Profuit illi tribulatio, dum fortiter tulit.

§. 4. *Et ejus fratribus majus gaudiū, quod idem in electis intendit cœleſtis Ioſeph.*

Quandoquidem idem Joſeph fratres ſuos, dum in Ægyptum venerunt, ſtatim agnovit, videtur fuiſſe nonnihil inhumanus, quod non ſtatim ſe illis manifeſtarit, imò quod in tantas conjecerit anguſtias, dum Benjaminum ob ſimulatum furtum conjecit in vincula. Sed huic cogitationi de inhumanitate Joſeph occurrit S. Auguſtinus quæſt. 44. in Gen. *Non fratres facit calamitoſos, quod tanta ipſorum futura lætitiæ exitum cogitabat; & totum hoc quod agebat, ut eorum gaudium differretur, ob hoc agebat, ut eadem dilatione cumularetur: tanquam non eſſent condi-*

gnæ paſſiones eorum, in toto illo tempore, quo turbabantur, ad futuram gloriam exultationis, quæ in eis fuerat revelanda, fratre cognito, quem à ſe perditum arbitrabantur. Idem facit piiſſimus noſter Joſeph, dulciſſimus Jeſus. Non facit nos calamitoſos, dum tribulari, anguſtiari, & vexari nos permittit. Scit ipſe futuræ noſtræ gloriæ exitum. Totum quod agit, ut patiamur, & conſolatio differatur, ob hoc agit, ut illa dilatione gaudium noſtrum deinde cumuletur. Omnes noſtræ paſſiones toto illo tempore, quo in hoc exilio vivimus, non ſunt condignæ ad futuram gloriam exultationis, quæ in nobis erit revelanda, cum Joſephum in regno, in gloria agnoſcemus, cùm Jeſum de facie ad faciem videbimus.

§. 5. *Iacob ſuper lapides ſuaviter dormivit. Electis inter tribulationes bene eſt, uti & S. Barthol.*

Verùm non eò uſque ſemper differtur conſolatio. Illis, qui fortiter ferunt, quod accidit, etiam in hoc exilio inter ſaxa & ſpinas bene eſt. *Jacob tulit de lapidibus, qui jacebant, & ſupponens capiti ſuo, dormivit in loco illo.* Quis hæc audiens non cogitat, quàm malè dormierit Jacob in tam duro lectulo, cujus cervical fuerunt lapides, ſed ait ſacer Textus. *Viditq́ in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælum.* Id

Gen. 28. 11. eſt, lapides tribulationum, & perſecutionum lectulum illi præ-

v. 12. buerunt, in quo ſuaviſſimè dormivit, & cœlum vidit. Theodoretus hic. *Longè manifeſtius in calamitatibus cura Dei erga nos cognoſcitur, quàm in felicitate; idcirco Iacob peregrè proficiſcitur, & iram fratris fugit. Ob id apparuit ei Dominus, & ſcalam uſque ad cælum pertingentem oſtendit, & Angelos deſcendentes & aſcendentes.* Richardus de S. Victore tr. 3. de exterm. mali p. 1. c. 26. *Ecce quid inveniunt, qui in hoc lapide obdormiunt!* Addo ego, ſub arbore ſanctiſſimæ Crucis. Obdormivit in hoc lapide S. Barthol. excoriatus. O quid invenit! &c. (eſt locus pro p. inductione.

§. 6. *Aliud teſtimonium Ioſeph.*

Ut talis cum Joſeph dicere poſſet. *Non veſtro conſilio, ſed Dei voluptate huc miſſus ſum, qui fecit me, quaſi Patrem Pharaonis, & Dominum univerſæ domus ejus.* quaſi diceret, ait S.

Gen. 45. 8. Chryſoſtomus hic. *Illa ſervitus principatum mihi contulit: illa venditio in hanc me gloriam evexit; illa afflictio hujus mihi honoris*

ris occaſio fuit. Quod nulla humana cogitatio potuit præſumere, hoc Deus effecit, ut nimirum ab afflictione, à venditione, à ſervitute, regnum & corona pareretur. Videturq; hoc agnoviſſe cum fratribus, dixit, *Ego ſum Joſeph frater veſter, quem vendidiſtis in Ægyptum.* Cum ſe in throno oſtendit, cur ſervitutis meminit? niſi ut oſtendat, quàm utile illi fuerit, ſerviiſſe. Theodoretus ſer. de Provid. *Quem vendidiſtis ait in Ægyptum. Nec mea vobis doleat ſervitus, quæ Dei eſt adminiſtratio. Per ſervitutem totius Ægypti imperium conſecutus ſum. Per hanc ſecundum locum à Rege teneo, & mihi tantæ gentis habenæ commiſſæ ſunt.* *v. 4.*

§. 7. *Cur Deus Sanctiſſimos permittit affligi.*

Proſunt electis tribulationes. Pulchrè ait D. Paulinus agens de plagis, à Deo cuidam Melaniæ inflictis. Miſera effecta eſt, ut efficeretur beata: percuſſa eſt ut ſanaretur. Tanta enim eſt ſummi Patris pietas, ut etiam ira ejus ex miſericordia ſit, & ideo caſtiget, ut parcat. Sanctam quoque iſtam, non quia infidelem haberet, ſed ut perfectam redderet, paternâ pietate corripiens, in miſericordia verberavit tentationibus, ut patientiam coronaret. Expende illa, tanta eſt ſummi Patris pietas, ſcilicet illius, de quo Chriſtus D. dixit, *Pater meus agricola eſt.* Cur Agricola? quia hic, vel putans arbores, vel terram aratro ſcindens, ex percuſſionibus & preſſuris fructus facit enaſci: quo ſenſu etiam dixit D. Athan. in diſput. habita in Conc. Nicæno cum Ario. *Ambulans Pater in vinea, hoc eſt, in cellis animæ, omnia putrida & inſolentia tollit, ne lignorum luxuries inſoleſcens fructum non proferat, quem agricola deſiderat.* *Ioan. 15. 1.*

§. 8. *Tribulatio SS. reddit fortiores.*

De inſigni fructu tribulationis loquitur S. Paulus, dum ait, *Sed & gloriamur in tribulationibus, ſcientes quòd tribulatio patientiam operatur.* Permittuntur ſcilicet à Deo tribulationes, ut Sanctorum patientiam quatiant, ſed tantùm abeſt, ut illam opprimant, ut potius reddant firmiorem & glorioſiorem. D. Chryſoſt. hom. de gloria in tribul. t. 6. rem explicat hoc ſimili. Nam quemadmodum arbores, quæ excelſis in montium verticibus ſitæ ſunt, à multis magniſq; ventis agitantur, intemperiem aëris aſſiduè ferunt, graviſſima tempeſtate jactantur, & multa nive feriuntur, ferro quovis robuſtiores evadunt. Pari ratione cor- *Pulchrum ſimile D. Chryſoſt.* *Rom. 5. 3.*

Digitized by Google

corpora, quæ periculis, laboribus, ærumnis tribulationis, Dei cauſâ toleratæ, ſunt expoſita, atque in ipſis enutrita, ferro ipſo & adamante ſunt firmiores--- & redduntur invictæ, & inſuperabilem quendam Patientiæ, & fortitudinis habitum acquirunt.

§.9. *Alia ejuſdem S. ſimilia & elogia Chriſtiane Patientie in tribulatione.* Plura addit idem S. Chryſoſt. hom. 4. de verbis Iſ. Uxor Job prava erat, ſuaſit illi ut blaſphemias proferret. Quid igitur? labefactavit turrim? dejecit adamantem? ſuperavit petram? depulit militem? comminuit ſcapham? eradicavit arborem? Nihil horum. Illa impellebat, & arbor reddebatur ſtabilior; illa fluctus excitabat, at navis non ſubmergebatur, ſed ſecundo navigabat vento; fructus ejus decerpebatur, & arbor commota non eſt; folia deciderunt, & radix manſit immota. Placetne vobis hodie ſpectare talem turrim? ſpectate S. Bartholomæum, &c. (ex his verbis poterit fieri pulcherrima digreſſio in Apoſtoli laudes.)

§.10. *Exclamationes D. Cypriani.* D. Cyprianus ep. 77. ad vinctos Chriſti, de tribulationibus loquitur veluti catenis & vinculis, & ſimul earundem uberes fructus his verbis eleganter proponit. *O pedes feliciter vincti, qui itinere ſalutari ad paradiſum diriguntur! O pedes in ſæculo ad præſens ligati, ut ſint ſemper apud Dominum liberi! O pedes compedibus & tranſverſariis interim cunctabundi, ſed celeriter ad Chriſtum glorioſo itinere curſuri.* Quantum vult hic, vel invida crudelitas, vel maligna; vos ſuis vinculis teneat, cito à terris & pœnis iſtis, ad cœlorum regna venietis. Tales fructus guſtavit S. Bartholomæus, de quo dicere poſſumus, O felices pedes excoriatos, &c. (fiat p. applicatio.)

§.11. *Tribulatio arctiſſimè nos conjungit cum Chriſto D. Epheſ. 1. 22.* S. Paulus, ut nobis exprimat inſignem fructum tribulationis, quod ſcilicet patientia in adverſis nos perfectiſſimo modo, etiam in hoc mundo, conjungat cum Chriſto D. ait, *Omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, & ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius.* Id eſt, tota fidelium congregatio eſt unum corpus, cujus caput eſt Jeſus, cui quaſi membra adhæremus, unum integrum corpus ejus conſtituentia. Sed quomodo hoc fieri poteſt, ut quis adhæreat Jeſu, quaſi membrum corporis

Digitized by Google

poris ejus? Eo ipſo, quod quis in gratia conſtitutus, Jeſu doloribus & preſſuris aſſimiletur, non intelligitur eſſe alius à Jeſu, ſed videtur eſſe unius corporis cum illo membrum. Ex quo nos monuit D. Chryſoſt hom. 3. ibi. *Revereamur obſecro germanam hanc, atque cognatam affinitatem noſtræ carnis cum Chriſto Capite contractam, &c. De illo etiam dignum eſt meminiſſe, quod crucifixum, quod confoſſum clavis, quod immolatum eſt Patri. Si corpus Chriſti es, fer crucem, ille enim tulit: fer purulentas ac ſanioſas execrationes, fer alapas, fer denique clavos: tale erat illud Domini corpus.* Chriſtus in Cruce pendens Matri oſtendit Joannem, & ait, *Mulier, ecce Filius tuus*, quaſi Joannes eſſet Jeſus, vel frater *Ioan. 19. 26.*
Jeſu. Myſterium ſive cauſam advertit piè & ſubtiliter Theophilactus ibi. Chriſtus D. Joannem--- *fratrem ſuum facit. Uſq; adeo bonum eſt, manere apud patientem Chriſtum: nam in fraternitatem ejus ducit.*

Eadem fermè cum S. Chryſoſt. nobis ſuadet D. Ephrem §. 12.
Paræneſi 40. ſub metaphora arboris; Omnem concupiſcentiam fugiamus fratres cariſſimi, eamq; à corde noſtro depellamus; non enim eſt fructifera, ſed diaboli germen exiſtit. Hæc nos à Sanctorum comitatu, atque ſocietate ſeparat, hæc nos à cœleſtibus divellit, & terrenis conjungit. Arbor eſt folia habens, fructum verò nullum; folia habet, & quidem denſa, & in denſitate ejus genimina viperarum demorantur. Puto vos advertere, qualis arbor dicenda ſit, felicitas & proſperitas hujus mundi; ſub qua umbra quieſcant, quibus in hoc ſæculo tam bene eſt. Jam pergit D. Ephrem, *Arborem malitiæ, (arborem* mortis) *exſcinde, & pro ea arborem vitæ planta: pretioſam inquam Crucem, ſpem & exſpectationem Salvatoris, paſſioneſq; mortis ipſius. Dilectio ejus ſit in corde tuo*, (præſertim in tribulatione) *quemadmodum ſcopulus in mari propoſitus.* Ecce tibi concupiſcentia, & amor bonorum temporalium, & dilectio mortificationis Chriſti, ſive Patientia, fortitudo, magnanimitas in adverſis: utraque eſt arbor, ſed illa in molli humo creſcens, foliorum generans denſitates, ſic vias opacat, ut faciat homines errare; hæc inter aſpera petrarum coaleſcens, ſcopulus eſt, petra eſt,

Qualis arbor malitiæ: qualis arbor SS. Crux, ſive Patientia in adverſis.

Digitized by Google

quæ vel portum, vel civitatem oſtendit vicinam, cœleſtem Jeroſolymam, in qua æternùm erimus beati.

§. 13. *In tribulatione omne bonum, ſicut in Jeſu Crucifixo. Marc. 16. 6.*

Tempus eſt ut finiam primam partem Concionis; finis ſit JESUS Crucifixus. Victor Antiochenus in c. 16. S. Marci, miratus quod Angelus in gloria reſurrectionis ad mulieres dixerit, *Jeſum quæritis Nazarenum Crucifixum, ſurrexit, &c.* mox ait: *Non erubeſcit Crucifixi nomen, hoc uno enim nomine, omnium bonorum noſtrorum ſumma continetur.* Pari ratione, multi horrent ad aſpera hęc nomina, crux, mortificatio, abnegatio, morbi, dolores, paupertas, perſecutiones, patientia in adverſis, cultrix, excoriatio, vulnera, ſanguis S. Bartholomæi, verbo, aſpera vocula eſt tribulatio, ſed hoc uno nomine, omnium bonorũ noſtrorum ſumma continetur. Fructus Crucis denique ſunt ſuaviſſimi.

§. 14. *Piiſſima ſuſpiria, quibus Anima in tribulatione conſtituta conſolari ſe poterit.*

Aggredior breviter alteram partem Concionis, quæ continet ſanctiſſimas aliquas cogitationes, ſive affectus & ſuſpiria, hauſta potiſſimum ex conſideratione Paſſionis, quibus electi in tribulatione aliqua ſe ſuaviter conſolantur. Fuit vir piiſſimus, qui in gravi morbo ſic ſuſpiravit: *Domine Deus meus dilectiſſime Jeſu, propter amorem tuum, id eſt, quia ſic amaſti me, & ut magis in poſterum ames, ſive, quia te amo, & amare volo, & ut magis deinceps amem; & ad majorem divinæ Majeſtatis tuæ gloriam, ſuſcipio de paterna manu tua omnes & ſingulos hujus morbi dolores, tanquam totidem guttulas calicis tui, quem tu in paſſione pro me bibiſti, & mihi propinaſti: tanquam ſacras amaritudinis illius tuæ reliquias; eoſq; dolores ut tales amplector & exoſculor; & tecum dico, utinam eodem reſignationis ſenſu, ſi non poſſunt hæ guttulæ tranſire, niſi bibam illas, fiat voluntas tua. Calicem hunc tuum, quem dediſti mihi Domine Jeſu, non bibam illum? Calicem, quem labia & oſcula tua, divina ſuavitate perfuderunt. Calicem, quem ipſe prior ebibiſti, relictis duntaxat in fundo acerbitatis aliquot guttulis, iiſq; cæleſti dulcedine temperatis: nempe ut in benevolentiæ ſignificationem haberes, quod vel ſic de calice tuo mihi propinares. Et non bibam has guttulas? imò ſi ita vis, non illas modo, ſed totum ipſum calicem abſorbere ſum paratus.*

§. 15. *Aliud.*

Alius devotus præcipuè ſanctiſſimæ Cruci, cum S. Andrea

Digitized by Google

drea ſic ſuſpirabit, cogitabit, & dicet. *Domine Deus meus, amantiſſime Jeſu, propter amorem tuum, ad tuam gloriam, ſuſcipio de paterna manu tua omnes & ſingulos dolores, adverſitates, afflictiones, &c. tanquam totidem particulas graviſſimæ Crucis tuæ, cui moriens affigi voluiſti: eoſque dolores ut tales amplector & exoſculor. Faſciculus hic inter ubera mea commorabitur.* Cant. 1. 2. *Beatum me, cui crucem hanc tuam corpori meo infixam, velut ſacrâ incluſam thecâ, portare ac medullitus amplecti, & exoſculari contingit. Salve Crux pretioſa, quæ in Chriſti corpore dedicata es, & ex membris ejus, tanquam margaritis ornata. Suſcipe me diſcipulum ejus, qui in te pependit, ut per te, me recipiat, qui per te, me redemit. Abſit mihi gloriari,* Galat. 6. 14. *niſi in hac Cruce tua Domine, in qua te pro me Crucifixum amplector, & in qua coextendi & configi tibi deſidero, clavis amoris, & lancea caritatis tuæ ſauciari!*

§. 16. *Aliud.* Cujus pietas erga ſanctiſſima Chriſti vulnera potiſſimum rapitur, magnum reperiet ſolatium in ſimili affectu: Mi DEUS! Mi JESU! propter tuum amorem amplector hos dolores, velut ſacra Vulnerum tuorum ſtigmata, velut impreſſa in me, in meo capite, in lateribus, &c. veſtigia flagellorum, ſpinarum, ac reliquorum tormentorum tuorum. Utinam eodem amoris ſenſu, tua iſta ſtigmata in corpore meo portem, quo Paulus, Martyreſque innumeri; & perinde ac ſi ſancto Franciſco, Catharinæ, aliiſque amicis tuis, ita & mihi in pedibus, manibus, & latere illa impreſſiſſes! Ecce venio ad te Domine JESU! Venio per veſtigia pedum tuorum. Suſcipe me intra Vulnera tua, intra ſacrarium amantiſſimi cordis tui; ibique me abſconde, & protege, donec animam meam dignam effeceris, quæ poſt hanc vitam incurrat in amplexus tuos, oſculumque æternæ pacis accipiat.

§. 17. *Alia conglobata.* Fortaſſis nonnulli Spiritus ſanctus ſuggeret conglobata ſimilia deſideria, v. g. dicet aliquis in aliqua tribulatione, Mi DEUS! Mi JESU! ex tuo amore, ad tuam gloriam, ſuſcipio

Digitized by Google

plo de amantiſſimo corde tuo omnes meos dolores, tanquam totidem arrhas amoris erga me tui; tanquam veſtem & annulum nuptialem, quibus in Crucis thalamo me tibi deſponſas, O ſanguinum Sponſe! amplector inquam, tanquam annulum, quem amoris non modò in me tui, ſed & in te mei teſtem eſſe volo ac ſymbolum æternum. Amplector & exoſculor illos, ut flammeum tuæ pariter, ac meæ charitatis, ut purpuram ſanguine tuo tinctam, quam de effuſis per Vulnera pietatis viſceribus, velut de bombycino ſub tegmine (nam vermis eſſe dignatus es pro nobis) mihi texuiſti, & corpori meo aptaſti. Utinam hoc nuptiali dolorum apparatu placere poſſim in oculis tuis, & delectare dulcedinem amantiſſimi cordis tui. Amplector denique hanc afflictionem, tanquam portiunculam hæreditatis, à te Parente optimo, Viro dolorum, & ſcientem infirmitatem mihi relictam; & ſimul ſuſcipio novum & æternum teſtamentum tuum, quo filios tuos hæredes inſtituiſti dolorum tuorum, mihiq; hanc ſingulatim portiunculam aſperſiſti. Adoro inquam, & amplector denique in doloribus meis, ultimam hanc erga me voluntatem tuam, conſcriptam morientis ſanguine, obſignatam Vulneribus, ipſaque crucis morte firmatam. Cupio pati cum & pro Chriſto, cupio mori in Chriſto, cupio deinde vivere rurſum, & gaudere cum Chriſto, in omnem æternitatem. Amen.

Vide multa talia apud P. Franciſcum le Roi, in Occupatione ſacra erga Crucifixum.

CON-

CONCIO LXXXI.

FESTO NATIVITATIS B. V. MARIÆ.

De qua natus eſt JESVS, qui vocatur Chriſtus.

Matth. 1. v. 16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

DIes Nativitatis B. V. eſt dies feliciſſima, lætiſſima, ſanctiſſima.

§. 1. *Cur in Genealogia B. V. fiat mentio tam diverſarum Perſonarum.*

§. 2. *Pia ſalutatio ad Virginem recens natam.*

§. 3. *Dies hodierna eſt feliciſſima. In quo felicitas conſiſtat.*

§. 4. *Cur B. V. Sol, Luna, Aurora.*

§. 5. *Nauta poſt tempeſtatem gaudet viſâ ſtellâ polari.*

§. 6. *Æger exoriente Aurorâ.*

§. 7. *Invectiva in filios tenebrarum.*

§. 8. *Dies Nativitatis B. V. eſt dies lætiſſima.*

§. 9. *Gaudium SS. Trinitatis declaratur variis ſimilibus. Deus pictor.*

§. 10. *Architectus, Hortulanus, &c. B. Virgo, Imago, Domus, &c.*

§. 11. *Nobis quoque Nativitas hæc eſt lætiſſima.*

§. 12. *Maria totius mundi gaudium.*

§. 13. *Eſt dies ſancta.*

§. 14. *Bina affectuoſa Hiſtoria.*

§. 1. *Cur in genealogia B. V. fiat mentio tam diverſarum perſonarum*

EX inſtinctu Spiritus ſancti, S. Matthæus Evangeliſta, genealogiæ Magnæ Dei Matris, variorum ſtatuum perſonas immiſcuit, Patriarchas, Prophetas, Sacerdotes, Reges, tum pios, tum impios; milites, & ſtrenuos belli duces, imo infames fœminas, Raab, Thamar, Bethſabee. Tales nimirum fuerunt progenitores parentum Joachimi & Annæ, ex quibus originem & ortum traxit Maria. Inter alia Myſteria, hoc advertit S. Joann. Damaſcenus orat. de Nat. Virg. ubi ait; ideò ſimilium perſonarum fieri mentionem, quia in omnibus, in Patriarchis & Prophetis, in Regibus & Ducibus ingens & ardens fuit deſiderium, quo exſpectarunt exortum ſtellæ Jacob, prænuntiam Solis Juſtitiæ, prout Prophetæ fuerant locuti; id eſt, avidis ſuſpiriis anhelarunt videre illum diem, qui ab æterno Nativitati Matris Meſſiæ fuerat deſtinatus. Gaudete Patriarchæ, hodierna! eſt illa dies feliciſſima, quâ orta eſt ſtella ex Jacob. Exultate Prophetæ! dies hodierna eſt lux illa beatiſſima, quæ vidit exortum pulcherrimæ Auroræ, ſive Nativitatem illius Virginis, & Puellæ, quæ juxta vaticinia veſtra Mater erit Filii Altiſſimi. Jubilate Reges, lætamini peccatores, juſti & impii; hodierna die nata eſt Mater Dei, & Mater Miſericordiæ. Gaudeamus, exultamus, lætemur & nos Auditores in jucundiſſima Nativitate hujus deſideratiſſimæ Puellæ. Nam I. dies hodierna eſt dies feliciſſima. II. Eſt dies jucundiſſima, ſive cauſa magnæ lætitiæ. III. Dies ſancta & gratioſa. Quæ tria hâc vobis oſtendam. Antequam tamen pergam, non poſſum, quin recens natam Puellam in aureis cunis, his meis deſideriis ſuaviſſimè ſalutem.

§. 2. *Pia ſalutatio ad Virginem recens natam.*

O felix Virgo! quot hâc nocte in copioſiſſima pluvia deciderunt guttæ, quot in Mœno & Rheno præterfluunt, quot in fontibus ſcaturiunt, quot in omnibus volvuntur fluviis, quot continentur in mari, toties dicimus, *Ave! Salve! Puella recens Nata, Salve Regina, Ave Maria!* Quæ ego Auditores linguâ pronuntio, illa vos cogitate. O Maria! quot in heliotropiis aurei numerantur radii, quot grana in frumentis campi, quot folia in floribus, quot rami in arboribus, toties dicimus *Salve! Ave!* Ger-

Germinate campi, virete prata, florete flores, virete rami, ut hodierna dies feliciſſimæ Nativitatis ſit amœnior, & jucundior. Fluite guttæ, ite, currite, ſaltate, ſed dum cunas natæ Puellæ circumfluitis, cuperem vos linguatas, ut nobiſcum dicatis, Ave! Salve Maria! Montes, valles, horti, prata, fauni, & Nymphæ, ſol, luna, ſtellæ, cœli ſidera, aves in aëre, piſces in aquis, omnes animantes in terra, creaturæ univerſæ, dicite mecum, *Ave! Salve!* feliciſſima Puella. Cœli, terræq; Muſici, canite vocibus, fiſtulate fiſtulis, ſonate ſiſtris, pulſate organis, inflate tubis, &c. Ave Maria! Salve Regina! Utinam! undique circa beatiſſimas cunas ex intima cordium noſtrorum concavitate reſonet dulcis Echo, *Ave Maria*: *Salve Regina*: ſed tempus eſt, ut in Concione pergam.

Ut pateat diem hodiernam eſſe feliciſſimam, noſſe oportet, in quo vera felicitas conſiſtat. Placet mihi modo opinio Plotini doctiſſimi Philoſophi, qui dixit illam conſiſtere in tribus. In Vivere, in Lætari, in bono creſcere. Radix veræ felicitatis eſt vita; ideo cœli, ſtellæ, luna, ſol, gemmæ, & innumeræ inanimatæ creaturæ, licet pulcherrimæ, felicitatis veræ capaces non ſunt; quia deeſt illis vita. Neque quævis vita ſufficit, ſed requiritur rationalis & intellectiva, qualis eſt in hominibus, Angelis, & Deo. Cùm verò vita hominis in hoc mundo expoſita ſit mille miſeriis, cum ſit laborioſa, & ſpinis obſita; ad felicitatem hominis ulterius requiritur Lætari, ut vita hominis ſit jucunda, quæ eò jucundior & lætior eſt, quò magis accedit tertium, nimirum bonorum omnium incrementum. Quæ certiſſima ſunt, non tantum quoad vitam corpoream, ſive corporis, ſed etiam, ſi ſermo ſit de vita Animæ, quæ conſiſtit in gratia, ſanctitate, & caritate Dei, & priori longè nobilior. His poſitis dico, diem hodiernam fuiſſe feliciſſimam, quia in illa nata eſt Virgo & Puella, quæ eſt Mater & inventrix hujus vitæ. Sicut enim Eva Mater fuit morientium, & cauſa mortis animæ in omnibus poſteris; ita Puella recens nata erit Mater viventium, & cauſa vitæ, lætitiæ, & omnis felicitatis. Celebremus proinde cum jucunditate hodiernam diem, tanquam feliciſſimam, quia nata eſt illa Mater, & Vir-

§. 3. *Dies hodierna eſt feliciſſima, in quo vera felicitas conſiſtat.*

Virgo, à qua in nos omnes, bonorum & gratiarum omnium incrementum & abundantia, veluti per canalem & aquæductum derivatur. Vivere animæ! Lætari animæ! ejus in bono creſcere! & omnis felicitas eſt à Maria.

§.4. *Cur B. V. aurora, luna, ſol. Cant.6.9.* Fallor, ſi non propterea ſancti Angeli Virginem hodie natam vocant ſolem, lunam & auroram, *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra ut luna, electa ut ſol.* Sol à Philoſophis dicitur fons & principium vitæ; Puella hodie nata eſt fons & principium gratiæ. Aurora à Poetis vocatur Mater lætitiæ, talis aurora eſt Maria. Luna eſt cauſa incrementi in herbis, floribus, arboribus, in mari, aquis, & fontibus. Tale incrementum in aquis gratiarum fluit à luna myſtica Maria. O felix dies, quâ primùm aurora hæc proceſſit! O felix dies, quâ primûm exorta eſt hæc luna, quâ primùm viſus eſt hic ſol! O felix dies, quâ nata eſt Maria, cui noſtrum vivere, lætari, in bono creſcere cum vera felicitate adſcribere debemus.

§. 5. *Nauta poſt tempeſtatem gaudet viſâ ſtellâ polari.* Poſt atrocem dierum & noctium aliquot tempeſtatem, cum diſcuſſis nubibus naufragis nautis denuo illuceſcit ſtella maris, ſive polaris, præ gaudio exclamare ſolent, O optata, ô aurea ſtellula ſalve; ô nos felices, ô felicem horam, ô felix momentum, quo te rurſum aſpicere licet, ut tuo ductu, tua luce, è naufragoſo pelago ad optatum portum eluctemur.

§.6. *Æger exoriente aurora.* Cùm poſt longam noctem inter graviſſimos dolores, illuceſcente die ægri aureos auroræ conſpiciunt radios, cum gaudio dicere ſolent: ô diu deſideratum tempus! ſalve Aurora, dolorum finis vel ſolatium! felicem ſe judicat æger, cum conſpicit auroram; ſic captivi diem, quo poſt diuturnas carceris moleſtias educuntur, & libertati reſtituuntur, appellare ſolent diem candidum & felicem. O tempeſtatem! ô noctem! ô tenebras! quibus ante Virginis ortum terrarum orbis ſepultus jacuit. Sed dies hodiernus eſt felix ille dies, quo vera & myſtica ſtella apparuit, quo dicere poſſumus, O optata, ô aurea ſtella ſalve! O diem ob hunc ortum, ob hujus Puellæ nativitatem, feliciſſimum! O morbum peſtilentem, quo multos annos in terris ægrotus, id eſt homo infectus jacuit: Dies hodierna eſt felix illa dies, quâ orta

eſt

Digitized by Google

eſt aurora, quæ optatam mortalibus afferret medicinam; meritò dicimus, O optata aurora, ô deſiderata Puella ſalve! O captivitatem & vincula, quibus mortales, diaboli mancipia, hactenus ingemuerunt; dies hodierna eſt felix illa dies, quâ per Virginem libertati noſtræ datum eſt initium!

Sed etiamnum inter vos ſunt, qui tantis vitiorum tenebris ſunt involuti, ut cœlum non videant; rogo vos, hodie oculos attollite, reſpicite ſtellam, quæ exoritur, ut dies hæc & vobis ſit felix. Sunt inter vos, de quibus Jobus dixit, *Non vident nec ortum ſurgentis auroræ*, abſit hoc, quæſo, oculos erigite, & in orientem conjicite auroram, ut dies hæc ſit vobis fortunata. Sunt inter vos ægri, ſunt inter vos captivi Sathanæ; O vos infelices, niſi hodie & ſtatim apud Dei matrem morbi medicinam, & veram filiorum Dei libertatem quæritis. Quærite ſtatim, ut & vobis felix ſit dies hodierna. Incipite vivere, incipite lætari, incipite in bono creſcere, aliter felices eſſe non poteſtis. *§. 7. Invectiva in filios tenebrarum. Iob 3. 19.*

Dixi II. diem hodiernam eſſe diem lætiſſimam & jucundiſſimam, probatione hoc thema non indiget. Nata enim eſt hodie Puella, quam S. Bernardus vocat, *Virginem affluentiſſimam perfectiſſimis deliciis cælorum*. Gaudium ſummum, quo Deus puram oblectare vult creaturam, eſt in Puella hodie nata. O diem hodiernam illi lætiſſimam. S. Damaſc. or. 2. de aſſ. ait illam fuiſſe, etiam in primo momento Conceptionis, *Pelagum gaudii inexhauſtum*, & tamen hoc mare crevit, in Nativitate, in Incarnatione, &c. gaudete ſuperi, gaudete inferi, hodie fundatum eſt hoc mare, & ita, ut non in ſe tantum aquas gaudii contineat, ſed effluit, diffunditur in rivos & torrentes, quibus cœlum & terram lætificat, in terris homines, in cœlis non tantum Angelorum & Beatorum choros, ſed ipſam ſanctiſſimam Trinitatem. Obſervatione dignum eſt, B. Virginem dixiſſe S. Mechtildi in revel.--- *In mea Nativitate* (Deus ipſe) *in tantum exultavit, ut ex abundantia ſui gaudii, cælum & terra & omnis creatura, licet tamen neſciens exultarit*. Primum, id eſt, gaudium Dei in Nat. Virginis noſtro modo loquendi, pulchris ſimilibus explicari poteſt. *§. 8. Dies Nat. V. eſt lætiſſima.*

§. 9. *Gaudium SS. Trinit. in nat. B. V. declaratur p. ſimilibus. Deus pictor. Judith 8.7.*

I. Ingenioſus aliquis pictor depingere cogitat v. g. Juditham, de qua ſacer Textus ait, fuiſſe pulchram nimis; primùm ergo in mente profundis cogitationibus ejus concipit ideam, poſtmodum manum, penicillos & colores applicat, multis diebus, magno labore; cum tandem opus artificioſæ ſuæ manus, formoſam imaginem Judithæ, ad invidiam & æmulationem naturæ adumbratam intuetur, admirabilem intus percipit delectationem & complacentiam. Talis complacentia & oblectatio (ut ante monui, noſtro modo diſcurrendi) hodierna die fuit in Deo; ipſe pictor fuit, qui ideam futuræ magnæ Matris ſui filii ab æterno in mente divina delineavit; adumbravit eam aliquot ſæculis innumeris umbris & figuris; hodie per Nativitatem formoſiſſimæ Puellæ hæc imago toti mundo fuit propoſita. Intuitus eſt eam Pater, & infinito gaudio agnovit eſſe imaginem Filiæ ſuæ. Intuitus eſt Filius & immenſo jubilo agnovit imaginem Matris ſuæ, Spiritus ſanctus Sponſæ ſuæ. Quidni dicamus, diem hânc ipſi Deo fuiſſe jucundiſſimam.

§. 10. *Deus Architectus Hortulanus Artifex fontium, Aurifaber. 1. Maria Palatium, Hortus, Fons, Gemma.*

II. Tale gaudium percipit Architectus, cum pulcherrimo palatio vel aulæ regiæ imponit coronidem. III. Hortulanus, cum amœniſſimum hortum abſolvit. IV. Artifex fontium, cum fons aliquis ſua manu extructus argenteas incipit ejaculari aquas. V. Aurifaber vel gemmarius, poſtquam aureum & gemmeum monile magni pretii & pulchri operis elaboravit. Advertitis Auditores, quò tendam? Palatium, aula, civitas eſt Maria; Architectus Deus hodie ineffabili gaudio hoc ædificium mundo oſtendit. Hortus, paradiſus eſt Maria, Deus Hortulanus, hodie plantavit. Fons eſt Maria, Gemma eſt Maria, hodie primum ſcaturire & lucere cœpit mundo; illis radiis, illis rivulis, ut ipſe Deus exultarit.

§. 11. *Nobis quoq; Nativitas hæc eſt lætiſſima.*

Verùm & nobis dies hæc eſt gaudioſa. Si lætari vultis, Puellæ natæ cunas accedite, & formoſiſſimam ejus ſpeciem aſpicite. Si lætari vultis, palatium hoc, hunc hortum ingredimini; mox cum jubilo exclamabitis, O Aulam, ô Paradiſum, Puellam formoſiſſimam! hunc fontem accedite, & haurietis aquas in gaudio. Hoc erat alterum, quod B. V. dixit S. Mechtildi; *Ex*

abun-

Digitized by Google

abundantia gaudii divini, cœlum & terra, & omnis creatura licet neſciens exultavit. Hac nocte & die, ob Virginis ortum exultarunt cœli, ſtellæ, luna, ſol, montes, colles, valles, &c. P. Euſebius Nirenbergius ait: Ægyptii ſenſum quendam lætitiæ experti ſe mirabantur ſine cauſa jucundos. In Judæa omnes læti, Græci percepêre intima animi gaudia. Novum gaudium in Europa, nova lætitia in Africa & Aſia; verbo in omnem creaturam arcano quaſi illapſu ſenſus quidam defluxit lætitiæ, illo die quo nata eſt Maria, *Commune totius mundi gaudium*, (Germ. Conſtant. or. de B. Virg.) vel ut ait Joannes Geometra, *Gaudium magnum hominum, gaudium magnum Superorum.*

Mundus hic eſt quintuplex; Archetypus, Angelicus, Elementaris, mundus magnus, mundus parvus. O lætam diem! quâ Puella naſcitur, quæ in mundo archetypo eſt gaudium Dei; naſcitur Maria, gaudium Patris, gaudium Filii, gaudium Spiritus ſancti. O lætam diem! qua naſcitur Maria, quæ in mundo Angelico eſt gaudium Seraphim & Cherubim, naſcitur Maria, gaudium Thronorum, Virtutum, &c. naſcitur Maria gaudium Angelorum. O lætam diem! quâ naſcitur gaudium mundi elementaris, Maria gaudium terræ, gaudium maris, gaudium aëris gaudium ignis. O lætam diem, quâ naſcitur Maria, univerſale gaudium mundi magni, ſive omnium creaturarum. Maria gaudium cœlorum, gaudium ſiderum, gaudium montium, gaudium vallium (poteſt fieri pulchra inductio) denique, ô lætam diem, quâ naſcitur Maria, gaudium mundi parvi, ſive hominis, &c. Maria totius mundi commune eſt gaudium! §. 12. *Maria totius mundi gaudium.*

Dixi 3. hodiernam diem eſſe diem ſanctam. *Sanctus enim eſt hic dies*; ſanctus eſt dies, quo nata eſt, quam Laur. Juſtin. ſer. de nat. B. V. vocat, *Speculum ſanctitatis pellucidum.* Chryſippus or. de Deip. *Arcam pretioſiſſimam, quæ excepit totius ſanctificationis theſaurum.* Andreas Cretenſis or. 2. de Aſſ. *Theſaurum ſanctiſſimum omnis ſanctitatis.* Bloſius, Virginem ſanctam, prout ſæpius acclamare ſolemus, *Sancta, ſancta, ſancta eſt Maria.* Verum elogium hoc Virginis latius alibi deduco, ſufficiat modo, diem eſſe ſanctam, quâ nata eſt Sancta Sanctorum. §. 13. *Eſt dies ſancta.* 3. *Eſd.* 9. 21.

§.14. *Duæ pulchra Hiſtoriæ.* Omitto dies victoriarum, dies triumphorum, dies adepti imperii, dies adeptæ libertatis, dies boni nuntii, &c. quæ omnia elogia hodiernæ Virginis felicitati applicari poſſunt; ſed finio modo, & ut dies hodierna nobis omnibus ſit felix, læta, ſancta, unum opto. S Gertrudis, cum in feſto hodierno poſt Completorium caneretur Salve Regina, deventumq; eſſet ad illa verba: *Eja ergo Advocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos converte*, vidit beatam Virginem in formoſiſſima ſpecie, cum filiolo Jesu; hujus Virgo ſancta apprehendit caput, & inclinans illud dixit: *Iſti ſunt miſericordiſſimi oculi, quos ad omnes me invocantes poſſum inclinare, unde uberrimum fructum conſequuntur ſalutis æternæ.* In pervigilio Aſſumptionis eadem S. Gertrudis, dum Virginis laudes & hymni decantarentur, vidit Deiparam expandentem pallium, ad ſuſcipiendum omnes ad ſe confugientes, imo vidit Angelos Cuſtodes ſuos clientes, qui fervidi erant in oratione deducentes ad Virginem, à qua ſub pallii tutelam recipiebantur. O Puella recens nata, ſalve millies, ſalve Regina, ſalve Mater, ſalve Spes, ſalve dulcedo, &c. Sed rogo, O Regina, O Mater, &c. hodierna die Filii tui oculos ad nos converte. O quàm felix erit dies, quàm læta, &c. O Virgo expande pallium, imo ſinum, &c. O Angeli Cuſtodes, &c. (poteſt fieri affectuoſus Epilogus.)

CON-

Digitized by Google

CONCIO LXXXII.

FESTO S. MATTHÆI APOSTOLI.

Sequere me.

Matth. 9. v. 9.

SYNOPSIS CONCIONIS.

LAtius oſtenditur, quàm potens, ſuavis, & efficax ſit vox vocantis Chriſti.

§. 1. *Pulchra aliquot ſymbola.*
§. 2. *Chriſtus D. fuit potens in attrahendis ad ſe hominibus.*
§. 3. *Sequuntur tamen alii alios.*
§. 4. *Vox vocantis Chriſti dulciſſima.*
§. 5. *Suavitas vocis humanæ ſolet relinquere aculeos.*
§. 6. *In quo ſuavitas hæc conſiſtat.*
§. 7. *Dicta applicantur Chriſto D. vocanti Matthæum.*
§. 8. *Digreſſio ad Auditores.*
§. 9. *Efficaciam divinæ vocis agnoverunt S. Auguſtinus & S. Matthæus.*
§. 10. *Vox divina frigida corda accendit.*
§. 11. *Vox divina plena eſt cœleſtibus conſolationibus.*
§. 12. *Proſecutio.*
§. 13. *Locutio ſæpe accendit ignem amoris.*

IN conſideratione lecti Evangelii, hodierno feſto S. Matthæi, aliqua menti meæ occurrerunt ſymbola, quæ vel vidi, vel legi. I. In parva cymba, inter fluctus jactata, ſtat formoſus juvenis, qui irradiatus luce ex atris nubibus emicante, ſed *§. 1. Pulchra aliqua ſymbola.*

regulâ acûs magneticæ naviculam dirigit ad ſtellam polarem, cum hoc lemmate S. Aug. *Inquietum eſt cor meum, donec quieſcat in te.* *In ſecundo* ſymbolo; navi majori forti fune alligata eſt parva ſcapha, quæ majorem per fluctus ſequitur, cum epigraphe Horatii l. 1. ſat. 9. *Vſque ſequar te*, quaſi diceret cymba, ſi vox illi eſſet; ſi pergis in Occidentem, ſequar, ſi in Orientem uſque ſequar. *In tertio* Heliotropium, etiam inter nebulas & pluvias, ſequitur ſolem. Flori inſcriptæ ſunt hæ voculæ: *Sequitur ſolem.* Binæ voculæ Chriſti Domini ex hodierno Evangelio in memoriam mihi revocant hæc ſymbola, *Sequere me.* Cymba fuit telonium, in quo ſedit S. Matthæus, quàm inquietum cor ejus ob cupiditatem auri. Irradiatus luce de cœlo, ſurgit, ſequitur ſtellam, nec quieſcere potuit, donec Chriſto adhæſit. Verbis Chriſti D. *Sequere me*, puto Matthæum reſpondiſſe corde ſaltem, verbis Horatii, *Vſque ſequar te*; quaſi diceret, Mi Chriſte! pergis ad Crucem? ſequar; ad paupertatem? ſequar, &c. Si Chriſtus D. eſt ſol, quis dubitat? S. Matthęus fuit heliotropium, quod ſtatim ad Chriſtum D. ſe convertit. Tanta vis fuit in binis illis ſuaviſſimis verbis Chriſti vocantis. De dulcedine, ſuavitate, & efficacia vocantis vocis Chriſti, ſive de admirandis ejus effectis hâc Concione latius perorabo; rogo vos, ut pro more veſtro benevolè me audiatis.

§. 2. *Chriſtus D. fuit potens in attrahendis ad ſe hominibus.*

Si magnates, ut vulgo dicitur, quid magneticum habent, quo aliorum animos ad ſe alliciant, id enim verò veriſſimum fuit in Chriſto Domino, qui vel verbo, ſequere me, vel nictu oculi adeò potenter mortalium animos ad ſe pertrahebat, ut relictis omnibus extemplò nudi nudum, pauperes pauperem, contempti contemptum ſecuti fuerint. Non ſecus ac ſcapha exigua ingenti Myoparoni alligata (ut in ſymbolo inſinuavi) per fluctus & tempeſtates; ac procellas ſequi conſuevit: pari ratione à cœleſti magnete tractus fuit S. Matthæus, & pari etiam ratione vocantem Chriſtum ſecutus eſt.

§. 3. *Sequuntur tamen alii alios.*

Vos verò, (inquit S. Bonav. ſer. de SS. Petro & Paulo) *ſequimini mundi deſideria, & hi ſunt avari: quidam ſequuntur carnis delectabilia, ſunt guloſi & luxurioſi*, quibus illud Prov. convenit, ubi

Digitized by Google

mo eſt de muliere, quod juvenis *eam ſequitur, quaſi bos ductus ad victimam, vel quaſi agnus laſciviens ignorans quod ad vincula ſtultus trahatur: vel quaſi avis feſtinet ad laqueum, neſciens quod de periculo animæ ejus agatur.* Hos omnes, ſi qui ſunt, hac Concione cupio avocare à mundo, & trahere ad Chriſtum. Sed voce Chriſti opus eſt, quæ & ſuavis, & fortis eſt. Prov. 7. 22.

§. 4. *Vox Chriſti vocantis dulciſſima.*

Elogium illud, quo Chriſtus D. vocatur *ſpecioſus præ filiis hominum*, non ſpeciem tantùm & formam ejus exteriorem deprædicat & extollit; ſed etiam inſinuat ejuſdem vocem fuiſſe dulciſſimam & ſuaviſſimam. Unde Zeno Bitticus apud Laërtium l. 7. dixit, *Vocem eſſe florem formæ*, loquela enim ſuavis, dulcis ſupra modum auget venuſtatem, & formæ miram quandam addit gratiam, quæ ad ſe animos aliorum vi quadam occulta rapit & inclinat. Non intendo ego modo excurrere in laudes admirabilis pulchritudinis Chriſti Salvatoris, hoc tantum inſinuo, Flos fuit, dulcis ejus vox, quæ duobus verbis Matthæi, hominis divitis, avari, uſurarii, telonarii animum ſtatim ad ſe rapuit, & permovit, ut Chriſtum ſtatim ſequeretur.

§. 5. *Suavitas vocis ſolet relinquere aculeos.*

In vita Antonii Plutarchus aſſerit de Cleopatra. In convictu ejus laquei inerant inevitabiles, quippe facundia formæ conjuncta, & geſtus ad ſermones accomodatiſſimi, atq; ipſa ſuavitas vocis aculeum relinquebant in animo colloquentis. Hæretici aliqui adeo mirati fuerunt Matthæum, in hodierno Evangelio tam ſubitò ſurrexiſſe, & Chriſto adhæſiſſe, ut ſtolidum & imprudentem appellârint. Ego non miror. Non cognoverunt ſuavitatem & vim vocis Chriſti. In oculis Salvatoris, quibus triſtes benigniſſimè aſpiciebat, & qui radiabant ut ſoles; in fronte, quam inſtar cœli explicabat; in genis, quæ rubebant ut roſæ, in labiis, quæ ſtillabant melle, inevitabiles fuerunt laquei. Hodie momento illis irretitus fuit S. Matthæus. Suavitas duarum vocularum, *Sequere me*, in animo S. Matthæi tales reliquit aculeos, ut quieſcere non potuerit, donec ſurrexit, & Chriſtum fuit ſecutus. Utinam hæc vis voci meæ ineſſet, ut inevitabiles laquei; ſtatim omnes meos Auditores trahere vellem ad Chriſtum; utinam quot verba profero, tot aculeos Auditorum meorum

rum cordibus poſſem infigere, utinam accendere poſſem deſideria, ſtatim cum Matthæo ſurgendi, & ſequendi Chriſtum.

§. 6. *In quo ſuavitas hæc conſiſtat.* Sed non debemus arbitrari in ſono, vel in modulatione, vel fœmineâ linguæ facundiâ conſiſtere ſuavitatem vocis. Conſiſtit ea in rectâ expreſſione concepti, & in efficacitate loquelæ, & verbi; operans & efficiens in audiente quidquid vult. Da mihi locutionem quæ hæc duo efficiat, & dabo tibi viciſſim vocem ſuaviſſimam, quæ cor attrahat & animam. Oſtende mihi hominem, qui aptè exprimat quod vult, qui eleganter animi ſui conceptus declaret, & ut ſimul quod loquitur efficiat: ut ſi vult conſolari, conſoletur, ſi terrere, terrefaciat, ſi exhilarare, exhilaret, ſi perſuadere, perſuadeat; hæc ſine dubio efficax eſt vox & ſuavis, quæ ſi dicat ad mœſtum, conſolare, ſtatim ſolatium ſentiat. Si dicat ad timidum, noli timere, qui audit, non timeat. Ad deſperatum, ſpera, & ſperet. Ad cæcum, vide, & videat. Deus bone! qualis iſta eſt vox! quàm ſuavis! quàm dulcis! His ferme verbis loquitur Origenes hom. 7. in Exod. ubi ſuavitatem & efficacitatem vocis comparat cum Manna, cujus ſapor omnibus ſe accomodabat. Pari modo tibi fiet ipſum verbum, quodcunque deſideras. Si tribularis, conſolatur te; ſi lætaris, cumulat tibi gaudium, ſi in doloribus es, ſanat te, &c. ſic ergo manna Verbi Dei reddit in ore tuo ſaporem, quemcumque volueris. Da mihi inquam hominem, qui ita loquatur, dicam illum habere vocē ſuaviſſimam. Dicam cum Sponſa, *Guttur ejus ſuaviſſimum*, dicā tali cum Dav. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo.* Ubi Amb. *Et bene faucibus dulcia, eo quod in imis infuſa visceribus gratia ſpiritualis ſit.* Dicam cum S. Ber. ſer de 7. Spir. *Felix & beata eſt anima, quæ ventum divini Suſurri percipit in ſilentio.*

Cant. 5. 16.

Pſ. 118. 103.

§. 7. *Dicta applicatur Chriſto D. vocanti ſanctū Matthæum.* Tali modo loquentem audire deſideratis Auditores? hodiernum Evangelium perpendite. Sedet Matthæus in telonio, tranſit Chriſtus Dominns, eumq; paucis voculis alloquitur, *Sequere me.* Sed his paucis verbis Matthæo clariſſimè declaravit, quæ habebat in mente, ſcilicet ut Matthæus agnoſceret ſuum ſtatum in quo vivebat, ut relinqueret terram, ut ſe ſequeretur in paupertate, contemptu humano: & ita hæc Matthæo

ex-

Digitized by Google

expreſſit, ut quod voluit, quod cogitavit, quod deſideravit, fecerit. Voluit illis verbis aperire oculos mentis in Matthæo, ad cognoſcendam mundi vanitatem, aperuit. Voluit in Matthæo excitare tædium rerum mundanarum, excitavit. Voluit movere ad relinquendum ſtatim aurum, pecunias, & divitias, movit! voluit illis verbis Matthæum ad ſe trahere, traxit. Voluit terrefacere, niſi ſequeretur, terrefecit! voluit eundem conſolari, conſolatus fuit. *Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit & creata ſunt.* Pſ. 32. 9.
S. Ambroſius l. 1. Ex. c. 9. *Non ideo dixit, ut ſequeretur operatio, ſed dictio abſolvit negotium.* Et qualis illa vox ſuaviſſimi JESU? dicamus cum Iſaia, *Dedit illi Dominus linguam eruditam*, & cum Iſ. 50. v. 4.
Davide, *Diffuſa eſt gratia in labiis ejus.* Tam diffuſa ut S. Petrus Pſ. 44. 3.
dixerit, verba ejus fuiſſe *verba vitæ æternæ*, tam gratioſa, ut o- Ioan. 6. 69.
mnes raperentur in ſtuporem. Luc. 4. *Mirabantur omnes in* Luc. 4. 22.
verbis gratiæ, quæ procedebant ex ore ejus. Tam ſingularia, ut ſuorum judicio inimicorum, *nunquam ſic locutus fuerit homo, ſic-* Ioan. 6. 64.
ut loquebatur ille. Et tandem tam mirificè, tam aptè, ut Luc. 11. Luc. 11. 27.
dicatur. *Et factum eſt cum hoc diceret, extollens mulier, &c.* S. Ber. *Locutio verbi eſt infuſio doni.* O locutio divina! O efficacitas ſumma, quis ſic loquitur ſicut Deus noſter! (applica) de Dei voce dixit Philo l. de decal. *Quæcunque Deus dicit, non verba, ſed opera ſunt.* Idem dicamus de Chriſto. Vel illud Manilii l. 4. c. 3. *In Chriſto fuit decus linguæ, regnumq́; loquendi.* Hoc modo locutus Chriſtus D. Quis dubitat? vox ejus fuit ſuaviſſima. Dicamus cum Sponſa, Guttur ejus ſuaviſſimum. Dicamus cum Pſalte, Mi JESU, *quam dulcia, &c.* Dicamus cum S. Ber. *Felix & beatus fuit S. Matthæus, qui ventum divini & ſuaviſſimi ſuſurri percepit in ſilentio.* Sic Chriſtus Dominus fuit locutus.

Et ego quidem ita loqui poſſum, ut vobis explicem Auditores quid velim, quid deſiderem. Dico vobis divites, avari, me deſiderare, ut & vos oculos aperiatis, ut agnoſcatis quàm omnia ſint caduca, utinam idem efficere poſſem! Loquere & tu mi JESU! ut quod ego dico, fiat. Hanc cogitationem vobis exprimere poſſum, quod deſiderem, ut relinquatis mundum, & Chri- §. 8. *Digreſſio ad Auditores.*

Digitized by Google

ſtum ſequamini, utinam, (fac hoc modo pulchram inductionem.

§ 9. *Efficaciam divinæ vocis agnoverunt & experti ſunt S. Aug. & S. Matthæus.* Contigit jam tunc S. Matthæo, quod poſtea ſibi contigiſſe fatetur S. Auguſt. l. ſolil. *Vocaſti me nomine tuo, intonaſti deſuper voce grandi in interiorem aurem cordis mei, fiat lux, & facta eſt lux, & diſceſſit nubes magna, & liquefacta eſt nubes tenebroſa, quæ operuerat oculos meos.* Cæcus fuit S. Auguſt. ad duas voculas, *fiat lux, vidit.* Talis in telonio ſedebat S. Matthæus, nubes erat ante oculos, non tam nigra, quàm aurea. In tranſitu intonat ſuper ipſum Chriſtus Dominus, quid dico intonat? Paucis, ſed ſuavibus verbis dixit in aures corporis & cordis, fiat lux & facta eſt. Momento diſceſſit atra nubes, id eſt momento evanuit amor pecuniæ & divitiarum, omnes denſæ nubes liquefactæ ſunt. Matthæus ſurrexit & ſecutus fuit Chriſtum D. Nunquid meritò dicere poſſumus cum S. Amb. in præf. in Pſ. 45. *Loquere Domine Jeſu, verbum tuum medicina eſt, verbum tuum lumen eſt, verbum tuum noſtræ colluvionis ablutio eſt, verbum tuum fons eſt, tu loqueris, & culpa lavatur.* Ita oravit S. Ambroſius, neque mihi cauſæ deſunt ita orandi. Loquere Domine JESU, ſunt inter meos Auditores, ante quorum oculos eſt denſa nubes, ſunt excæcati, amant magis terrena quàm divina; loquere illis ut videant, &c. (hoc modo fac pulchram inductionem) Egregiè inquit ille Concionator: quæ vox ſimilis, ut tantùm in auribus ſtillans, ſic in cor influat, ut illud ſanet, ſi ſit infirmum; molleſaciat, ſi durum, lavet & mundet, ſi ſit immundum.

§ 10. *Vox divina accendit cor frigidum.* Alia efficacia vocis & ſuaviſſimæ linguæ Salvatoris eſt, quod frigidum convertat in ignem. Expertus fuit iterum S. Auguſt. ſuprà. *Quid eſt hoc quod ſentio? Quis eſt ignis, qui calefacit cor meum?* quæ *eſt lux, quæ irradiat cor meum? Ignis ſancte quàm dulciter ardes*! quàm ſecretè luces! quàm deſideranter aduris! Hi ſcilicet tres fuerunt effectus vocis Chriſti. I. Excitare ardorem animi, juxta illud, *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via.* (*Luc.* 24. 32.) Hunc ardorem animi excitavit in corde Matthæi, ita, dum Chriſtus in via duo verba fuit locutus, cœpit ardere, ut ſtatim ſurrexerit, & Chriſtum fuerit ſecutus. II. Lucere

Digitized by Google

cere & illuminare, hoc fecit in Matthæo. III. Excitare deſideria & flammas ſancti amoris erga Jeſum. Has ita ſenſit ſanctus Matthæus, ita exarſit, ut præ nimio deſiderio, præ nimio amore eum ſtatim fuerit ſecutus, & deduxerit in ſuas ædes. O S. Spiritus da meis verbis hanc efficaciam, ut in Auditorum cordibus excitent ardorem. II. Ut illuminent. III. Ut excitent deſideria ſequendi & amandi dulciſſimum Salvatorem.

Nec dubito, quin S. Matthæus Chriſtum ſecutus fuerit cum ingenti ſolatio & lætitia, cum jubilo cordis. Et hunc effectũ adſcribo dulciſſimæ voci Chriſti D. etiam duabus tantùm voculis, *Sequere me*. Sed quæ ſtillârunt à ſuaviſſima illa lingua. S. Text. narrat, quod Dina filia Jacob valde fuerit triſtis, eò quòd à Sichem filio Hemor Hevæi rapta fuerit à ſuis, ſed ait idem verſus, *Sichem triſtem delinivit blanditiis*, Textus Hebræus legit, *Locutis eſt ad cor Puellæ*: ex verbis prolatis ad cor facta eſt læta, alacris. Idem contigit Matthæo; ſedebat in telonio immerſus cupiditatibus auri, proinde triſtis, melancholicus. Sed Salvator Jeſus tranſit, dum hic illi blanditur, dum duo verba loquitur, ſed ad cor! lætus, & alacer ſurgit, abit, & ſequitur Chriſtum. Et nunquid minus quid ſponſis evenit Chriſti, quas dum Deus ſubinde è manibus mundi, & carnis vult eripere, triſtitiam ſentiunt, quàm eſt illis malè! ſed dum Sponſus Jeſus adeſt, dum hic illas blanditiis delinit, dum hic loquitur ad cor, gaudio plenæ aperiunt illud dilecto ſuo, illiq; adhærent. Scilicet inquit Richardus de S. Victore in c. 5. Cant. *Cùm in mente loquitur Deus* (vel dulcis JESUS) *anima liqueſcit, emolleſcunt fortia, & quæ prius dura videbantur, molleſcunt & delectabilia fiunt.* Iterum hoc expertus fuit S. Matthæus, quæ illi dura fuerunt, facta ſunt delectabilia. Crux Chriſti levis, Paupertas ſuavis; quæſo permittite animæ piæ, permittite ut & ego loquar verbum ad corda veſtra. Quæſo ſurgite, ſequimini Jeſum. Hoc verbum cupio loqui ad corda veſtra, Amate Jeſum.

§. 11. Vox divina plena eſt cœleſtibus conſolationibus. Gen. 34. 3.

Ruth Moabitis vidua, pauper, extera, ſic tamen animata fuit verbis Booz, ut in tantis malis dixerit ſe planè conſolatam. *Inveni gratiam apud oculos tuos, Domine mi, qui conſolatus es me,* *& lo-*

§. 12. Proſecutio. Ruth 2. 13.

Digitized by Google

& locutus es ad cor Ancillæ, tanta vis ineſt verbis ſuavibus. Pro-
Oſeæ 2. 14. miſit idem Deus Jeroſolymæ per Oſeam, *Ego lactabo eam.* Et ubi? *ducam in ſolitudinem.* Et cur non ad hortos, ſed eremum? ubi inopia, ſqualor? eò tamen ducturus eſt eam ad lactandum, hoc eſt, ad eam gaudio & lætitia implendam. Ne mireris, ſequitur, *Et ibi loquar ad cor ejus.* Itane Sponſus loquitur cum illa? ſufficit! plena erit, abundans, ſuperaffluens deliciis; tantùm, ut eas non valens ſuſtinere, Sponſa
Cant. 5. 6. dicat, *Anima mea liquefacta eſt, ut Dilectus locutus eſt.* Locutus eſt, & jam delicias non poſſum ſuſtinere, tota liqueſco, ac veluti mollis cera in deliciis amoris conſumor.

5. 13. Magna latet emphaſis: *Ut Dilectus locutus eſt*, id eſt,

Locutio ſæpe accendit ignem amoris.

ſtatim, illicò, in momento anima liquefacta eſt; non ſcimus alium ignem hoc facere, accende quantum voles, nunquam tamen metallum, ſi injicias, momento liquefaciet. Quantus ergo eſt ille ignis, quem in anima dilecti incendit locutio, cum in inſtanti illam ex frigida calidam, ex nivea igneam, ex dura mollem, ex inimica conſtituit amantem! Qualis ergo eſt vox iſta? quale verbum ita ſuave? qualis vox ſic ſonora? ut vox & loquela dulciſſimi JESU, quæ tanta potuit, quæ hodie videmus in Matthæo? Finio verbis quæ Nyſſenus hom. 12. in Cantic. dixit de Sponſo & Sponſa: *Præteriit Dilectus, non tamen prorſus animam dereliquit; ſed eam ad ſeipſam attraxit, verboque attraxit.* (Applica S. Matthæo, & fac affectuoſum Epilogum, cum brevi repetitione Concionis.)

CON-

CONCIO LXXXIII.

FESTO S. MICHAELIS ARCHANG.

Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris mei.

Matth. 18. v. 10.

SYNOPSIS CONCIONIS.

ABſolvit Angelicam ex roſis & gemmis catenam, ſuperiori anno exorſam; per varias decades beneficiorum, quibus Tutelares Spiritus ſuos Clientes proſequuntur.

§. 1. *Conglobatio plurimorum officiorum, quibus funguntur SS. Angeli.*
§. 2. *Decas quinta ſimilium officiorum & beneficiorum.*
§. 3. *Proſecutio.*
§. 4. *Decas ſexta.*
§. 5. *Decas ſeptima.*
§. 6. *Decas octava.*
§. 7. *Qua ratione in gratiarum actionem SS. Angelis poſſimus reddi ſimiles.*

ANtequam hanc Concionem, quam in glorioſiſſimi Michaelis Arch. cœleſtium Spirituum Principis, & Angelorum Cuſtodum honorem dicere ad vos cogito, exordior; neceſſe eſt, ut illius, quam anno ſuperiori hodierno feſto ex hac cathedra audiviſtis, præcipua capita paucis revocem vobis in memoriam. Ex Angelorum Cuſtodum officiis & beneficiis erga genus humanum, veluti roſis vel gemmis roſeam incepi texere coronam, & auream catenam, quam

§. 1. *Conglobatio plurimorum officiorum, quibus funguntur SS. Angeli.*

quam in varias decades diviſi. Decem roſæ vel annuli fuerunt hæc X. Ang. officia & beneficia. Sunt Muſici, Inſtructores, Nuntii, Ductores in viis, Miniſtri ad aram, Viſitatores captivorum, Argonautæ, Excitatores, Conſiliarii, Veſpiliones. In altera decade Angeli Cuſtodes fuerunt Milites, Inſtructores viarum, Sartores, Vicarii, Sacerdotes, Coqui & Pincernæ, Medici, Defenſores Virginum, Paranymphi, Vigiles. In tertia decade, Agricolæ, Hortulani, Monitores ad Confeſſionem, Infirmatis Servi vel Ephebi, Promotores devotionis erga Paſſionem, Pietatis erga animas in Purgatorio, Inſtructores Concionatorum, Prçliatores, Advocati. In quarta decade fuerunt Præſides fontium, Præfati carcerum, Scribæ, Pictores, Mendici, Sacriſtani, Pediſequi B. V. Victores dæmonum in tent. Comites piorum ad S. Synaxin, Confortatores Martyrum. Has quatuor decades in Concione anni præteriti abſolvi. Reſtant plura alia Ang. Cuſtodum officia, & beneficia, ex quibus veluti totidem roſis, aut aureis annulis Angelicam meam coronam vel catenam hac Concione abſolvam. Honori ſcilicet S. Michaelis Arch. & omnium Angelorum Cuſtodum. De R. P. Drexelio refert Annus dierum memorabilium in Soc. Jesu, quod ſæpius dum de Angelo Cuſtode diceret, viſus fuerit cœleſti luce, & radiis toto corpore circumdatus, & coruſcans. Utinam Spiritus ſanctus ſimili luce, ſub hac Panegyri illuminet animam meam, accendatque linguam, ut ego meos Auditores, peculiaris amoris igne erga Angelos Tutelares accendere poſſim. Impetrabimus fortaſſis hanc gratiam, ſi prius Angelorum Reginam Angelica ſalutemus ſalutatione, dicendo ex corde, *Ave Maria*.

§. 1. Decas 5. I. Angeli Cuſtodes ſunt *Monitores*, ut clientes vitent gravia peccata, præſertim occaſiones peccandi & malos ſocios. Expertus fuit ille adoleſcens, qui cùm domum rediret à ſociis valde diſcolis, admirareturq; ipſe periculum, in quod pudicitiæ ſuæ theſaurum conjecerat. Ecce obviam illi juvenem inuſitati decoris, & claritatis, qui accedens alapam illi inflixit tanto impetu, ut in terram conciderit, dicens: Vel tandem diſce perverſas ſocietates defugere; & repente diſparuit. Adoleſcens ſur-

gens

Digitized by Google

gens & reflectens animum ad ea quæ ſibi acciderant, manifeſtè agnovit Juvenem illum Angelum Cuſtodem fuiſſe, ejusq; beneficio tantum ſe eo die diſcrimen caſtimoniæ evaſiſſe; didicitque inpoſterum peccandi occaſiones vigilantius divitare. Lothum eduxerunt ex incendio Sodomæ.

II. Sunt *Ductores animarum beatarum in cælum*. S. Robertus ſub morte viſus fuit à cœleſtibus geniis deferri in aſtra ſpecie candidiſſimi lilii. Alius S. Robertus Abbas mortuus, ignei globi ſpecie à tribus Angelis inferri cœlo fuit viſus, allatrantibus à longè ſtygiis larvis. Comi animam agens R. P. Valignanus è Soc. Jeſu, cum audiret Angelicam ſymphoniam, exclamavit, *Abeamus ergo, abeamus*: tum viſi fuerunt Angeli circumdare morientis lectulum, uno ſtolam immortalitatis illi paratam oſtendente. Tum conclave ingreſſus Cœlitum ordo pulcherrimus, viâ ſplendidâ ad cœlos uſque porrectâ morientis Patris animam deduxerunt, nivea veſte coopertam. S. Roſalia ab Ang. in cœlum fuit inducta, & coronata roſis veluti Sponſa. Cum magno triumpho ad cœlos deduxerunt Angeli animam ſancti Lud. Ep. Toloſani, auditæ voces, *Sic fit ſervienti Deo in puritate & munditie*. Lazarus in ſinum Abrahæ deportatus fuit *Luc. 16. 22.* ab Angelis. &c.

III. Angeli Cuſtodes ſunt *Fideles Amici agonizantium*. S. Vitum Puerum duodennem glorioſiſſimum Martyrem poſt horrenda tormenta ex æquuleo demũ ad ripas fluvii aſportarunt, ubi placidè inter umbras arborum expiravit. Cum S. Laurentius in prunis animam ageret, cœleſtis genius ſudorem & ſanguinem illi linteo abſterſit. S. Chriſtina V. & M. poſt atrocia tormenta in agone, Angelicâ harmoniâ fuit exhilarata. Ad Conſtantiam piam Monialem Angelus adduxit Sacerdotem cum ſanctiſſimo Viatico, ut illam Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramentis inſtrueret pro itinerib. ęternitatis. 13. Auguſti (Surius) Coronæ Gallicæ nitidiſſimum lilium in cœleſte viridarium translatum eſt, Radegundis Regis filia, & Regi nupta. Ejus morientis animulam ſuavi cantu Angeli evocarunt.

IV. Sunt *Præſides ſomniorum*, id eſt, horrendis ſomniis ſub-

Digitized by Google

ſubinde cùm opus eſt, terrent rebelles clientes. Audi Adoleſcentia, quantum Cuſtodi Angelo debeas! Ruebat in perniciem Landelinus è prima Gallorum nobilitate floridus juvenis. Diripiendis cujuſdam ædibus nox erat dicta à Landelino, ſed fortior mors Landelini familiam prior diripuit, ſocium ſubitò auferendo, quem in paucis ille carum habebat. Ob id triſtiori in ſomniis Genius aſtitit, & malum ſocium à diabolis ad inferorum flammas abripi monſtrans, *Heus*, ajebat, *an & nunc ſocius huic eris?* Aliud placuit Landelino, vigil damnavit vitam priorem, poſt ſeriam pœnam, poſt multorum annorum ſanctiſſimam vitam cineri incubans, ſanctiſſimè fuit mortuus.

V. Sunt *Tabellarii*, quod ſcriptas à Sanctis literas, brevi tempore, per plurima milliaria detulerunt eò, quò pertinebant.

§. 3. *Proſecutio.* VI. Sunt *Aurigæ, & equites*; ſæpius ante Catholicos exercitus apparuerunt in candidis equis, vel aureis curribus.

VII. In *habitu ruſtici* ſervierunt Alphonſo VIII. Caſtellæ Regi, cum caſtra ſua contra infinitam vim Maurorum moveret, ducatu Ruſtici (fuit Angelus in habitu ruſtici) ſuperatis anguſtiis, inſtructa acie certamen cum hoſte iniit, ſuis prius ſacrâ Communione refectis. Talibus libenter aſſiſtunt Angeli, cum talibus libenter pugnant. Et vicerunt milites Alphonſi, cæſis ducentis Maurorum millibus, ex Chriſtianis verò 25. aut 30. Præter Angelos ductores terruere hoſtes ſignum Crucis, & Vexillum in quo erat imago B. V. quæ ſimulachra Caſtellanis prælata fuerunt.

VIII. Sunt *Domitores leonum.* His Angeli clauſerunt ora, ne devorarent Danielem. Item Teclam & alios.

IX. Sunt *Conſolatores Pœnitentium.* Experta fuit pœnitens Magdalena, cùm ſola multis annis gemuit in antro, Angeli de cœlo illi attulerunt Crucem, in qua myſteria Paſſionis meditabatur; & frequenter ab Angelis in aëra ad paradiſi gaudia rapta fuit, & tandem in cœlum.

X. Fuerunt Angeli Cuſtodes aliquando *Mercatores.* 9. Aug. gladio cæſi ſunt ſancti Firmus & Ruſticus. Eorum funus An-

Digitized by Google

Angeli in ſpecie mercatorum curarunt, & nobiles merces, oſſa Sanctorum emerunt, & non procul Carthagine depoſuerunt. Iterum abſolvi decadem officiorum & beneficiorum Angelorum Cuſtodum. Necdum tamen meam vel coronam, vel catenam abſolvi.

I. In agone à morientibus arcent dæmones. B. Stanislaus Koſtka nunc in Chriſti effigie Vulnera, nunc in Mariæ ubera deoſculans, & utriuſque nomina inclamans expiravit. Et cum beneficio Angeli Cuſtodis ter irruentem in ſe Stygis Cerberum crucis ſigno fugaſſet, D. Barbam inter Angelos factum epulum miniſtravit. §. 4. Decas 6.

II. Pellunt dæmones dum clientes tentant. Vidit aliquando B. Gertrudis expandentem pallium ſuum, quaſi ad ſuſcipiendum omnes ad ſe confugientes in ſpeciale patrocinium. Tunc S. Angeli adducebant coram ea eos, qui ſe ſpeciali devotione præpararunt ad feſtum Annunt. B. V. & illi ſanctorum Angelorum miniſterio undique fulcebantur, & ab inſidiis dæmonum protegebantur.

III. Cuſtodiunt clientes in tempeſtatibus. Expertus fuit Joannes Borchmannus, cum cum hero ſuo inviſere vellet B. V. Aſpricollenſem, in reditu horrenda coorta fuit tempeſtas, tonitribus fulminibuſq; gravida. Ut periculorum anxietas fragrantibus laborantibus ſubminiſtrat preces, Canonico in mentem venit, ſalutem Joannis commendare Angelo Cuſtodi. Res mira! vix preces fuderat, inſonuit tonitru, quaſi nubes ruerent, & ſimul de præcipiti rupe delapſa fuit vetula, mox converſa in cattum. Saga fuit, quæ tempeſtatem concivit, ab Angelo Cuſtode dejecta ad pedes Joannis, & mox evaneſcens fugit reddita cœlo ſerenitate.

IV. Defendunt præcipuè Virgines, & pro Virginitate dimicantes. Qui ſanctæ Julianæ vim inferre voluerunt, omnes excæcati ſunt ab inſolenti luce, quâ Angelus C. illi adſtabat. Vide vitam S. Agn.

V. Sunt Internuntii noſtri ad B. V. cum B. Clara de Monte Falcone gravi morbo premeretur, apparuit illi Angelus, ad

Digitized by Google

quem ipſa. Angele Dei nuntia ſanctiſſimæ Virgini, ut me in cœleſtes ſedes recipiat; abiit Angelus, & ſub mortis tempus vidit cœlum apertum, & B. Virginem cum ſummo gaudio exſpectantem.

VI. Sunt Conſolatores in omni genere triſtitiæ, in periculis, in morbis. Pleni ſunt libri ſimilibus hiſtoriis. Gen. 21. Agar! noli timere.

VII. Aſtant orantibus. S. Bernardus vidit ſingulorum in choro pſallentium orationem annotari ab Angelis, vel nigris, vel argenteis, vel aureis characteribus.

VIII. Functi ſunt officio Epiſcopi, cum anno 1418. in præſentia ſancti Conradi Epiſcopi nocte conſecrarunt Sacellum Deiparæ in Eremo Helvetica, Chriſto Domino depoſuerunt infulam, detulerunt aurea thuribula, ſanctus Michael præcentor fuit.

IX. Miniſtri chyrurgi. Cum ſancto Joanni Angelo è ſacra ſervorum Mariæ familia medicus venam incidere vellet, omnibus aliis abſentibus, adfuêre è cœlo Ephebi gemini, qui lumen, aliave miniſtrarunt, & ſanguinem ægri obſequiosè exceperunt.

X. Janitores in templis. Cum S. Homobonus nocte concluſa templa precandi causâ peteret, Angeli Cuſtodes aperuerunt illi portas.

§. 5. I. Sunt Architecti. Juſtinianus Imperator, cum Tem-
Decem. 7. plum S. Sophiæ Conſtantin. extructum à Conſtantino M. de novo ſtatuiſſet ædificare, Angelus per ſomnium ob oculos illi poſuit formam Templi. Ejuſdem Angeli monitu Templo impoſitum eſt nomen S. Sophiæ.

Tob. 12. 8. II. Monitores ad bona opera. Tobias ait: *Bona eſt oratio, cum jejunio & eleemoſyna, magis quàm theſauros auri recondere. Quoniam eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt, quæ purgat peccata, & facit invenire miſericordiam, & vitam æternam. Qui autem faciunt iniquitatem & peccatum, hoſtes ſunt animæ ſuæ.* Talia ſunt monita Ang. Cuſtodum.

Tob. 12. 12. III. Offerunt Deo noſtras preces. Raphael ad Tob.

Ego

Digitized by Google

Ego obtuli orationem tuam Domino. Ideo ſanctus Joannes illos vidit ſtantes circa thronum Dei, cum thuribulis aureis, cum ſuaviſſimis incenſis, quæ ſunt orationes Sanctorum. *Apoc. 8. 3.*

IV. Sunt executores divinæ Juſtitiæ ad terrorem bonorum. Experti illi, qui flagellati ſunt ab Angelis l. 2. Mach. Viſi ſunt vibrare aureas haſtas, tela, & fulmina. Dan. 13. Daniel ad nequam ſenes. *Manet Angelus Domini, gladium habens, ut ſecet te medium, & interficiat vos.* *2. Mac. 11. 8.* *Dan. 13. 59.*

V. Præſides rei tormentariæ. Experti fuere hoſtes Cæſaris anno 1622. cùm eques albus in hoſtilibus caſtris incendit pulverem tormentarium, cum ingenti ſtrage & terrore hoſtium. Simile quid contigit, Eccli. c. 48. *Dejecit Caſtra Aſſyriorum, & contrivit illos Angelus Domini.* Puniunt ſæpe peſte, ut populus Iſraeliticus ſat expertus. *Ecc. 48. 24.* *1. Par. 21. 14*

VI. In cordibus piorum accendunt ignem divini amoris, ut ait Propheta David, *Dominus Deus meus magnificatus es vehementer! qui ambulas ſuper pennas ventorum, qui facis Angelos tuos Spiritus, & miniſtros tuos ignem urentem.* p. locus. Experta Thereſia cum Seraph. igneo telo, &c. *Pſ. 103. v. 1.*

VII. Accendunt etiam orantium linguas. Labia Iſaiæ Angelus attrectavit calculo ignito, quem forcipe tulit de altari: hoc faciunt cum clientes ardenter orant. *Iſ. 6. v. 6.*

VIII. Sunt conſolatores fatigatorum in itinere. Angelus Eliæ attulit panem & aquam, *Surge, comede, grandis tibi reſtat via.* *3. Reg. 19. 5.*

IX. Amant præcipuè clientes caſtos, illos protegunt. Judith, *Vivit Dominus, quoniam cuſtodivit me Angelus ejus, &c.* & *non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari.* *Iud. 13. 20.*

X. Soliciti ut præcipuè noſtris cordibus imprimant imaginem Crucifixi. Expertus fuit ſanctus Seraphicus Franciſcus, cum, &c. hujus gratiæ fiunt præcipuè participes, Sodales agoniæ.

In hac decade roſæ vel gemmæ eſſe poſſunt quidam actus ſuaviſſimæ alicujus familiaritatis inter Angelos Cuſtodes & clientes: v. g. I. Nunquid inſignis fuit familiaritas, cum Angeli *§. 6. Decas 8.*

Digitized by Google

Tutelares ſuis clientibus in tenebris accenderunt & prætulerunt lumen. II. Cum alii cum clientibus ſuavia miſcuerunt colloquia. III. Cum laborantibus abſterſerunt ſudorem. IV. Cum ſuos clientes excitarunt è ſomno; præſertim ſi quis dicat veſpere ante ſomnum, Angele mi, amore illo quo flagras in Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, illâ horâ excita me. V. Familiaris cum dubio Alexandro Bertio Angelus Cuſtos ſtudenti aſſedit. VI. Cum illum aſperſit floribus. VII. Adeo fuere familiares, ut triſtes cœleſti recrearint muſicâ. VIII. Vel ſuaviſſimis odoribus. IX. Alii ſuis clientibus dulciſſimos ex Paradiſo attulere fructus. X. Et alia munera, in debitam gratiarum actionem.

§. 7. *Qua ratione Angelis poſſimus eſſe ſimiles.*

Soliciti eſſe debemus quibus alis evolemus ad choros Angelorum. B. Mechtildis divinitus edocta in hunc modum de hac re loquitur. Ad primum Angelorum ordinem viam ſibi ſternunt, qui egenis, ægris, peregrinis Dei causâ inſerviunt. Ad ſecundam Angelorum coronam contendunt, qui orationi, rerumq; divinarum meditationi ſe dedunt. Ad principatus ſpectant, qui omnem in ſe noxiam cupiditatem expugnant. Inter Poteſtates cenſentur, qui aliis eâ quâ par eſt curâ, amore, & vigilantia præſunt. Virtutibus annumerantur, qui opibus paupertatem præferunt, qui ſe patientiæ ac obedientiæ totos emancipant. Ad Dominationum chorum anhelant, qui devotiſſimis ſtudiis omnem ſuam voluntatem ad divinam in omnibus conformant. Throni dicendi ſunt, qui aſſiduis rerum cœleſtium meditationibus cor ſuum dignam Dei ſedem faciunt. Ad Cherubinos extollendi, qui quod in Deo per meditationem vident, quod in operoſa hac mentis quiete diſcunt, in aliorum animos ſermone transfundunt. Seraphinis accenſentur, qui Deum toto pectore amant, ardentq;, & ipſos etiam propter Deum inimicos in Deo amant, &c. S. Carolus Borromæus in agone, in ultima lucta, Cor ſuum peculiari commendavit Angelo Cuſtodi, cujus eximius fuerat cultor. Abſolvi catenam, &c. ſolet appendi rara gemma, &c. appendamus Corda noſtra, &c. Hæc eſt aurea via ad ſublimes illas Angelorum Hierarchias. Hæc aurea me-

Digitized by Google

methodus, qua Angelorum officiis fungimur. Et regula, quam obſervando illis reddimur ſimillimi, ut aliquando cum illis Deum collaudemus.

CONCIO LXXXIV.

FESTO SS. APOST. SIMON. & JUDÆ.

Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.

Joan. 15. v. 17.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRima pars ſimili ex S. Paulo exponit caritatem, quam Chriſtus D. in hodierno Evangelio nobis præcepit. Altera eſt invectiva in illos, qui unionem hujus caritatis ſcindunt & lacerant.

§. 1. *Quàm ſeriò Chriſtus D. inculcaverit dilectionem proximi.*
§. 2. *Eſſentia hujus dilectionis à S. Paulo explicatur pulchro ſimili.*
§. 3. *Proſecutio.*
§. 4. *Proſecutio.*
§. 5. *Quid ſignificet junctura.*
§. 6. *Requiritur unio inter membra & cum corpore.*
§. 7. *Pari ratione mutua dilectio.*
§. 8. *Damna diſcordiæ.*
§. 9. *Facit locum diabolo.*
§. 10. *Tragica Hiſtoria.*
§. 11. *Vehemens Epilogus.*

Digitized by Google

§. 1. *Quam seriò Christus D. inculcaverit dilectionem proximi.*

OB concurrentiam duplicis feſtivitatis in una die duorum Apoſtolorum Simonis & Judæ; ob amorem & dilectionem, quâ hi duo Sancti, & inter ſe, & cum aliis Apoſtolis, ſub uno capite Chriſto fuerunt uniti, & colligati, in vinculo caritatis, in dulcedine amoris, & gratia Spiritus ſancti; ob lectionem ſancti Evangelii, in quo Chriſtus Dominus dilectionem illā inculcat, *Hæc mando, &c.* ſolet hæc virtus hod. Feſto Concionatoribus eſſe materia Concionum. Quàm ſeriò, quàm ferventer Chriſtus Dominus illam virtutem prædicarit, variis locis, variis myſterioſis & ſublimibus verbis referunt

Joan. 17. 12. Evangeliſtæ. Joan. 17. ferventiſſimis ſuſpiriis hoc petit. *Pater ſancte ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, ut ſint unum ſicut*

v. 20. *& nos.* v. 20. *Ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te.*

v. 22. v. 22. *Ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus.* Cyr. Alex. hic. *Caritatis, pacis, & concordiæ vinculum petit, ut ad tantam ſpiritualem, credentes unionem perducat, ut naturalis conſubſtantialiſq; in Patre atque Filio, & Spiritu ſancto imitetur.* Ingens perfectio & excellentia Chriſtianæ dilectionis! Graviſſimi ponderis ratio eſt, quam inſinuat in ſermone ultimæ cœnæ. *Claritatem quam*

v. 23. *dediſti mihi dedi eis, ut ſint unum.* Maldonatus per claritatem intelligit paſſionem & mortem, quâ Deus ſummopere fuit clarificatus, & ait in perſona Chriſti: *Ideo pro illis morior, ut unum ſint; da igitur illis eam unitatem Spiritus, quam illis merui.* S. Chryſoſt. hom. 33. in ep. 1. ad ad Cor. *Sic Dominus noſter mortuus eſt, ut nos eſſemus conjunctiores.* Spero fore vobis volupe audire in hac Concione I. pulchrum ſimile ſancti Pauli, quo explicat caritatem, quam Chriſtus nobis mandat. II. Invectivam aliquam in illos, qui unionem hanc ſcindunt & lacerant.

§. 2. *Eſſentia hujus dilectionis à S. Paulo explicatur pulchro ſimili.*

Unionem caritatis, de qua hac Concione diſcurro, eleganti ſimili explicat & inculcat ſanctus Paulus, *Obſecro vos ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, cum omni humilitate & manſuetudine, cum patientia ſupportantes invicem in caritate. Unum corpus & unus ſpiritus*, ut ambuletis

Eph. 4. 1. dignè, (ut vivatis, ut converſemini dignè ad ſpem, dignè ad Chriſtum, dignè ad Eccleſiam, dignè ad Angelos, dignè ad gloriam

cœ-

Digitized by Google

cœleſtem, ad hanc enim vocati eſtis. Et *ſoliciti*) ſtudioſè id agentes, magno ſtudio huic rei incumbentes, ſatagentes.-- *Servare*, ſive ut ſervetis unitatem ſpiritus, ſive caritatem mutuam, cujus auctor eſt Spiritus ſanctus, ut ſcilicet corporibus diviſi ſitis & diſparati, mente tamen & animis conjuncti, uniti, & quaſi unum ſitis. *In vinculo*, in colligatione & concatenatione pacis, quæ eſt inſtar catenæ, imò quaſi glutum, quod animos Chriſtianorum in communi in tota Eccleſia, in particulari in aliqua urbe, rep. familia, &c. ſibi invicem connectit, conſociat, conſtringit, & colligat. Itaque, mei Epheſii, ait ſanctus Paulus, ita ſervate unitatem ſpiritus, ut ſitis quaſi unum corpus, & unus ſpiritus, & videamini omnes eſſe unus homo, conſtans eodem corpore, eadem anima, eodem ſpiritu, in Chriſto capite noſtro, hic enim quaſi caput influit gratiam, & vim creſcendi & augeſcendi in ſingula membra totius corporis, id eſt, Eccleſiæ; ita ut corpus hoc, & ſingula ejus membra creſcant in Chriſto, ſive in Chriſti Capitis ſui virtute & influxu, in fide, ſpe, caritate, aliiſq; virtutibus.

Poſtquam S. Paulus ſeriò Epheſiis inculcavit hanc unionem, illam explicat hoc ſimili. *Ex qua totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem, in menſuram uniuſcujuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in caritate.* Compactum, id eſt, coagmentatum, & compaginatum. A capite incipiunt omnia membra corporis, ex capite deſcendunt, & per ſuas compages, inter ſe, ſuo capiti, & toti corpori uniuntur. Sic ex Chriſto Chriſtiani omnes, Galli, Hiſpani, Itali, &c. Africani, Aſiani, Americani deſcendunt, & in unum Eccleſiæ corpus compaginantur. *Et connexum*, ut ſcilicet membrum membro, fidelis fideli, per eandem fidem & ſpiritum cohæreat, fiatque ex omnibus membris unum corpus, ex omnibus fidelibus una Eccleſia. *Per omnem juncturam*, ſive commiſſuram, qua unum membrum alteri committitur & jungitur, per artuum mutuos inter ſe contactus, qua parte ſcilicet committuntur. Præterea per *ſubminiſtrationem*, ſive virtutem, quæ diſtribuit ſpiritus animales & vitales

§. 3. *Proſecutio.* v. 16.

Digitized by Google

tales; & ſecundum operationem, cujus vis & efficacia intus agit & operatur. Chriſtum intellige, qui inſtar capitis in Eccleſiam ſive omnes fideles influit, & ſingula membra vegetat. Tandem addit, *in ædificationem ſui*, ut quivis quantum poteſt, ædificet, compleat, & perficiat hoc corpus, quod eſt Eccleſia, *in caritate*, (per caritatem) q. d. Caritas eſt illa membrorum junctura ſive commiſſura, per quam ſingulis membris ſuggeritur nutrimentum ſpiritus, vegetatio, & vis creſcendi, ut ita ſingulis membris creſcentibus totum corpus Eccleſiæ creſcat, ædificetur & perficiatur ſub ſummo Capite Chriſto Jeſu.

§. 4. *Proſecutio.* Clarius explico ſimile ſancti Pauli. Sicut membrum unum in uno corpore, ſub uno capite, non poteſt communis nutrimenti & accretionis in corpore eſſe particeps, niſi reliquis membris & toti corpori ſit unitum: ita fidelis non poteſt communis Eccleſiæ ſpiritus, gratiæ, influxus à Chriſto & à gratia, à Sacramentis, &c. particeps eſſe, niſi reliquis fidelibus & toti Eccleſiæ per unionem & caritatem cohæreat. Sicut enim artuum junctura & commiſſura ſingulis membris, ita caritas ſingulis fidelibus ſubminiſtrat communionem corporis, puta Eccleſiæ ſpiritum, vigorem, & vitam. Ita ſolidè diſcurrit ſanctus Chryſoſtomus.

§. 5. *Quid ſignificet junctura.* *Junctura ſubminiſtrationis*, (ſunt voculæ S. Pauli) ulterius hoc ſignificant. Ut illa junctura ſubminiſtret corpori influxum cordis, ſcilicet ſpiritus vitales & ſanguinem; tum concurſum & opem mutuam, quâ per juncturam unum membrum alteri devinctum illud omnibus in rebus fovet ac adjuvat, ut dum quodque ſuam partem, facultatem & operationem ſubminiſtrat, (ſunt fere verba doctiſſimi P. Cornelii à Lapide) & quodammodo ſuum ſymbolum in commune affert, totum corpus creſcat & perficiatur; tum maximè influxum capitis, ejuſq; ſpiritus animales neceſſarios ad motum, ſenſum & vitam. Sic enim Chriſtus, qui caput noſtrum, motum, ſenſum, & vitam ſpiritualem in nos influit per juncturas, i. e. per mutuam unionem, qua unum membrum alteri, ſive unus fidelis alteri jungitur & ſubordinatur, tum per internam unionem animorum, tum per externam unio-

unionem, communionem, & communicationem in iiſdem Sacramentis, ſacrificiis, orationibus, concionibus, vita & converſatione. Itaq; ut colligam omnia, quæ dixi de hoc ſimili ſancti Pauli. Hujus corporis quod & Eccleſia, Caput eſt Chriſtus, membra ſunt ſinguli fideles, junctura eſt unio, anima eſt fides, & caritas, ſpiritus vitales & animales ſunt gratiæ prævenientes & excitantes, quæ à cerebro, id eſt, Chriſto deſcendunt, & ſingulis membris, ſingulis fidelibus aſpirantur.

Ad ulteriorem explicationem ſimilis ſancti Pauli non poſſum omittere, quod obſervavit S. Hieron. corpus Eccleſiæ debere eſſe compactum; quia ſi membrum ab eo ſit diviſum, & diſſectū, vel putridum, nihil vigoris aut ſpiritus accipit à corpore; ita ſi fidelis aliquis per peccatum mortale ſit diviſus à capite Chriſto, vel per odium, rixas, diſcordias ſeparatus à reliquis membris, non habet quod ſperet influxum gratiæ. Deeſt unio cum capite, & connexio aut juncturam cum reliquis membris. §. 6. *Requiritur unio inter membra, & cum capite.*

Hæreo nimis diu in hoc diſcurſu. Ad praxin. Sunt in hac urbe tot collegiatæ Eccleſiæ, ſunt multa Religioſiſſima cœnobia, ſunt plurimæ familiæ. Quodvis collegium, quodvis cœnobiū, quævis familia refert aliquod corpus. Et omnia hæc corpora habent ſuum caput; in collegio eſt Decanus, in cœnobio Abbas, in familia Paterfamilias. Membra ſunt Canonici, ſunt Religioſi, ſunt filii & filiæ, ſunt ſervi & ancillæ. Ut tale corpus ſubſiſtat in ſuo vigore, debet eſſe compactum & connexum, debet eſſe junctura & unio omnium membrorum cum capite, & inter ſe, ut omnes ſecundum ſuum ſtatum ſint perfecti, & ſerviant Deo, ut omnes fiant participes influxus Chriſti, & gratiæ Spiritus ſancti. Quid putatis Auditores? Collegiatæ Eccleſiæ hujus urbis ſuntne talia corpora? eſtne illa unio, adeſtne anima quæ eſt caritas? (ſic de quavis familia) Hanc caritatem tam ſeriò ab Epheſiis exigit Apoſtolus, hanc caritatem tam graviter in hod. Evang. inculcat Chriſtus D. §. 7. *Pari ratione mutua dilectio.*

Colligere hinc poteſtis damna diſcordiæ in aliquo corpore. Neque enim ubi illa eſt, Deus eſſe poteſt vel Chriſtus D. Qui diſcordes ſunt, non tantum à membris, ſed ipſo capite ſe §. 8. *Damna diſcordiæ.*

1.Cor.14.33 ſeparant. *Non enim eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis.* Salomon ait, Prov.16.18. *Cum ſit inter vos Zelus & contentio, nonne carnales eſtis?* apud car- Matt.12.25 nales verò non eſt Chriſtus D. Clariſſima ſunt verba Chriſti D. *Omne regnum diviſum contra ſe deſolabitur, & omnis civitas, vel domus diviſa contra ſe, non ſtabit.* In hac materia placet mihi quæſtio S.Greg.Naz.in orat.de moderat.in diſput. *Quid in noſtra doctrina præſtantiſſimum eſt? Pax, addam & utiliſſimum. Contrà, quid turpiſſimum & pernicioſiſſimum? Voluntatum disjunctio.* De quovis corpore politico hæc quæſtio formari, & hæc reſponſio dari poteſt. In hoc collegio, v.g. quid eſt, &c. In hoc ordine, &c.

§ 9. *Facit locum diabolo.* Uti autem per diſcordiam Chriſtus à corpore aliquo excluditur, ita econtra diabolo fit locus. S. Bern. ſer. 3. in dedicatione Eccleſiæ. *Proditores fiunt, quicumque in hoc Domini caſtrum* (in hanc domum, in hanc familiam) *inimicos ejus introducere moliuntur, quales ſunt utique detractores* N.N. *qui diſcordias ſeminant. Sicut enim in pace* (in unione, in caritate) *factus eſt locus Domini* (Spiritus ſancti) *ſic in diſcordia locum fieri diabolo, manifeſtum eſt.* S.Greg.M.in Paſtorali. *Audiant jurgiorum ſemi-* Matt.5.9. *natores, quod ſcriptum eſt. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Atque è diverſo colligant, quia ſi filii Dei vocantur, qui pacem faciunt; procul dubio ſunt Satanæ filii, qui confundunt.* Et addit pulchrum ſimile. *Omnes autem qui per diſcordiam ſeparantur à viriditate dilectionis, areſcunt.* Lacera aliquot folia à ſuo ramo, ramos ab arbore, areſcunt; ſic & illi fideles, qui per diſcordiam ſe ſeparant à capite Chriſto, & ab aliis ramis, ſive aliis fidelibus. Uti in corpore, in arbore, ut vivant, ut floreant, requiritur unio, ſic in Eccleſia, & quovis corpore, & quavis familia. Et proinde (S. Greg. cit.) *Sicut nihil pretioſius eſt Deo virtute dilectionis, ita nihil eſt delectabilius diabolo extinctione caritatis.* (Si fortè in urbe aliqua eſſent notoriæ rixæ, diſcordiæ in aliqua communitate, &c. erit hic locus pro pulchra & gravi invectiva.) Illorum, qui diſcordias ſeminant pater & dominus eſt diabolus, teſte S.Damiano l. 4. ep. 17. aliquando presbyter quidam correptâ lanceâ ibat, ut noceret inimico. Ex quinque obviis

viis nigris equitibus unus illi manum injecit, dicens, tandem mihi ſervies; Presbyter nimio timore percuſſus in ſignum ſervitutis manum equitis fuit exoſculatus; & ait eques, Scis, quis ſim? reſpondit miſer; Nonne tu es Dominus meus Romanus? putabat eſſe aliquem notum ſibi Nobilem; at ille: Ego ſum quidam diabolus, cui tu nunc (uſor pacis, amator diſcordiarum, &c.) commiſſus es, & ſic diſparuit. Presbyter perterrefactus domum rediit, & pœnitentiam egit. Utinam hoc ex meis Auditoribus apprehenderent illi, quibus nihil eſt gratius & jucundius, quàm ſeminare diſcordias inter Eccleſiaſticos, inter Religioſos, inter fratres & ſorores, &c. quod peſſimum eſt inter conjugatos, in agro Matrimonii ſciunt ſerere ſpinas. Et cui putatis vos ſervire? dicam clarè, eſt quidam diabolus, cui commiſſi eſtis, qui vos inſtigat, ut faciatis ſciſſuras, &c. niſi pœnitentiam agatis, ſciſſuram faciet aliquando inter animam & corpus diabolus, ut rapiat ad infernum.

Si ſcirem non curare aliquos hæc mea dicta, fortaſſis facerem, quod teſte Thoma Cantipratano fecit Venerabilis Jacobus de Vitriaco. Contigit, ut pacificaturus immortales inimicitias, unum paſſum injuriam, primò ſuppliciter, deinde proſtratus pedibus ejus, ſemel, iterum, & tertiò, cum multitudine populi præſentis rogaret, nec proficeret in rebellem. Converſus itaq; ad pop. omnibus dixit: Conteſtor vos, quia qui ſpernit nos, ſpernit & eum qui mittit nos. Rogate ergo Dominum, ut tale ſignum oſtendat in obſtinatum hominem, quo cunctis præſentibus pateat, diſplicere Deo retentum odium. Nec mora. Miſer everſis oculis tertiò in terram corruit, oreq; cruorem ſpumans & ſaniem, maximum horroris ſpectaculum omnibus præbuit. Donec flente populo, reverendus Vir fusâ prece proſtratum erexit, qui mox, ubi ante ſe inimicum ſuum vidit, veniam rogavit cum lachrymis, ruit in amplexus, & omnium corda commovit. §. 10. *Tragica Hiſtoria.*

Eſtne inter vos Audatores, aliquis amator rixarum, obſtinatus aliquis, lanceâ armatus, qui non cogitat, niſi ut ſcindat, laceret membrum Chriſti? Amice mi! ſemel, bis, ter rogo & ob- §. 11. *Vehemens epilogus.*

 teſtor,

teſtor, obſequere mandata Chriſti, qui vult ut diligamus invicem. Reſiſtis? obluctaris? quid ſi rogem meos Auditores, quid ſi illis dicam, Conteſtor vos, &c. quid ſi rogem Jeſum meum, ut in te obſtinatum oſtendat ſignum aliquod. Ita petam ſignum! Non tamen ut corruas, non ut ſanguinem ſpuas, &c. foret hoc in Auditorio hoc nimis triſte ſpectaculum. Hoc petam ſignum divinæ ejus omnipotentiæ & miſericordiæ, ut det tibi gratiam, ut tollas rixas, odia, diſcordias, &c. verto, ut ames unionem & caritatem cum proximo Superſunt multa dicenda de unione & caritate mutua inter fideles; ſed relinquam vos in timore, quem videor mihi aliquibus incuſſiſſe, ut ſtatim abeant ad aliquem Crucifixum, & coram eo deponant in SS. ejus Vulnera omnes inimicitias, omne odium, omnem rancorem, petantq; à Chriſto, illam caritatem & unionem, quam audiviſtis nobis adeo eſſe neceſſariam, Deo vero & Chriſto Domino adeo gratam & delectabilem. Ite dilectiſſimi, & amate vos invicem in vinculo pacis, & caritate Spiritus ſancti.

CONCIO LXXXV.

FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.

Matth. 5. v. 12.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PEr rimas contemplatur magnitudinem cœleſtis gloriæ; & quibus gradibus ad illam pervenire poſſimus.

§. 1. *Ma-*

§. 1. *Magnitudinem cæleſtis gloriæ, exponere eſt difficile.*
§. 2. *In hoc mundo Deus faciem, & gloriam ſuam abſcondit.*
§. 3. *Per rimas tamen licet illam inſpicere.*
§. 4. *Eadem gloria nobis eſt parata.*
§. 5. *Tribulatio levis meretur gloriæ pondus.*
§. 6. *Nec oculus vidit, &c.*
§. 7. *De aliis, qui cæleſtem gloriam per rimas inſpexerunt.*
§. 8. *Proſecutio. Et quomodo SS. Martyres ſpe hujus gloriæ ſe animarint.*
§. 9. *Proſecutio.*
§. 10. *Triplex maxima de cæleſti gloria, & tribulationibus.*

DUm hodierno Feſto de Sanctorum in cœlis immenſa gloria aliquid dicere cogito, timeo ne mihi accidat, quod accidit Moyſi, cum accedere vellet rubum, quem videbat ardere, & tamen non comburi, ut oculis cerneret quid hoc eſſet ſpectaculi, & præſertim quis ille eſſet, qui inter ignes & flammas loquebatur, ex rubo autem exiit vox, *Ne appropies huc, -- Ego ſum Deus Patris tui, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob -- & Moyſes ſtatim abſcondit faciem ſuam, non enim audebat aſpicere contra Deum.* Tantus vir ardentem rubum, ignes & flammas in ſpinis, ad ſummum Angelum inter ardentes ſpinas non fuit auſus inſpicere & perveſtigare, quomodo ego audebo, vel potero perveſtigare pondus, magnitudinem, immenſitatemque illius gloriæ, in qua Deus ipſe, non in rubo, ſed in cœlo, in throno infinitæ gloriæ ſuis ſe exhibet Beatis. Ego peccator ſum, audio mihi dici, Ne appropies huc; omnino libenter abſcondam faciem meam, velabo oculos, involvam me totum cum Cherubinis alis profundiſſimæ reverentiæ & devotionis, contra Deum in gloria, contra gloriam Sanctorum aſpicere non audeo; certus illam tam eſſe ineffabilem, tam indicibilem, tam ſupra captum humanum, ut ab hoc comprehendi non poſſit. Sed hoc me ſolatur, multos *per ſpeculum in ænigmate*, aliqua ſaltem inſpexiſſe, aliquid vidiſſe, aliquid ri-

§. 1. *Magnitudinem cæleſtis gloriæ, exponere eſt difficile.*

Exod. 3. 2. 3.

1. Cor. 13. 12.

rimatos eſſe. Guttas hauſerunt ex mari. Idem ego feci; ſacra Script. SS. PP. aliiquas rimas mihi aperuerunt; quid viderim, &c hac Concione vobis proponam.

§. 2. *In hoc mũdo Deus faciem & gloriam ſuam abſcondit. Exod. 33. 18.* Ad tantam Moyſes cum Deo devenit familiaritatem, ut auſus fuerit ab illo petere, *Oſtende mihi gloriam tuam.* Rem impoſſibilem petiit pro hac vita, reſpondit tamen illi Dominus, *Ego oſtendam omne bonum tibi; cumq; tranſibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dexterâ meâ, donec tranſeam, tollamq; manum meam, & videbis poſteriora mea.* Hic eſt ſenſus ſubtilium verborum. Moyſes in hac vita libenter, clarè, & intuitivè, ut ſcholæ loquuntur, vidiſſet Deum, libenter agnoviſſet illum Angelum, qui ex rubo loquebatur, ſed tecta & abſcondita fuit illi facies Domini. Omne illud bonum, quo Beati fruuntur in cœlis hic comprehendere non potuit. In foramine tamen petræ, in obſcuro, in nebula, in ænigmate faciem Dei tectam, in tranſitu quaſi vidit, & dorſum, id eſt minimam partem, quaſi per rimas, aliquo modo agnoſcere & apprehendere potuit. Hoc ſcilicet eſt Deum in cœlis Sanctis oſtendere omne bonum, & faciem ſuam qualis eſt infinitæ gloriæ, ex cujus intuitu in iiſdem ſequitur immenſum gaudium.

§. 3. *Per rimas tamen licet illam aſpicere, quemadmodum fecit S. Paulus. Heb. 11. 13.* Itaq; & nos Deum & SS. gloriam in hac vita clarè intueri non poſſumus, ſed tantum rimare; rimas quærere poſſumus in ſacra Script. apud ſanctos Patres in metaphoris, ut à longè aſpiciamus, non inſpiciamus, à longè quoque eandem ſalutemus, non poſſideamus; prout ſanctus Paulus de antiquis Patribus dixit, *Qui juxta fidem defuncti fuerunt, non acceptis repromiſſionibus, ſed à longè eas aſpicientes & ſalutantes.* Non ex toto nobis licet in hac vita illam gloriam videre, ſed ex parte, quantum fas eſt homini mortali, hoc per rimam videre poſſumus, Beatos in cœlis videre gloriam & faciem Dei, & poſſidere omne bonum, quod pulchrè explicat S. Anſelmus, ſuper illa verba Ap. 1. Cor. 15. *Omnia in omnibus*, &c. id eſt inquit, *Vice rerum omnium, ut ſcilicet ſit ipſe noſtra vita, ſalus, virtus, copia, gloria, honor, pax, omnia bona, & finis ac ſatietas deſideriorum noſtrorum.* Addit S. Martialis Ep. 2. ad Toloſanos c. 12. *Hæc* omnia autem *vobis com-*

S. Anſel. in 1. Cor. 15. v. 28.

mu-

munia erunt, gloria Patriarcharum nobis erit communis, gloria Prophetarum erit communis, &c. ſic per pulchram inductionem (hac conditione) *Si proximi Deo fueritis, ſi amatores ejus, ſi imitatores.* Idem de gloria Sanctorum dici poteſt.

Ex hodierno Evangelio ſcimus illos poſſidere regnum cœlorum, ideo Chriſtus Dominus illos pronuntiat beatos. Idem regnum nobis diſpoſitum eſt à Patre cœleſti, ſi Sanctorum in paupertate fuerimus imitatores. Sancti poſſident terram fluentem lacte & melle, eandem poſſidebimus, ſi eorum ſimus imitatores in manſuetudine. Orig. hom. 37. in c. 36. *Non eſt poſſibile pervenire ad terram promiſſionis, niſi per amaritudines tranſeamus.* Beati mites. Modo Sancti conſolantur in cœlis; eadem ſolatia nobis erunt communia, ſi in luctu, in lachrymis eorum fuerimus imitatores. Beati qui lugent. Saturantur in cœlis deliciis, erimus & nos participes, ſi fuerimus imitatores, ſi eſuriamus & ſitiamus juſtitiam. Conſecuti ſunt miſericordiam, conſequemur & nos; ſed hic debemus eſſe imitatores in miſericordia, beati miſericordes. Sunt filii Dei, ſpero & nos eſſe tales, modo per gratiam; erimus quoque in gloria. Sed ſimus imitatores in pace, beati pacifici. Vident Deum de facie ad faciem, videbimus, ut ſpero, & nos, ſi tamen imitatores ſimus in munditie cordis, beati mundo corde. Poſſidebunt hoc regnum, hanc terram, erunt in his gaudiis in æternum. Felix æternitas nobis erit communis, ſi ſimus imitatores, ſi perſecutiones patiamur.

§. 4. *Eadem gloria nobis eſt parata.*

Hanc veritatem ſanctus Paulus nobis inſinuare voluit pulcherrimis illis verbis, *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis noſtræ ſupramodum in* (Montanus legit ſecundùm excellentiam, in excellentia, & alii; *parit nobis.*) *ſublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis.* Syriaca translatio ſic habet: *Namq; oppreſſio hujus temporis, cum admodum exigua, leviſſima ſit, gloriam infinitam in ſæculum ſæculorum parat nobis.* Hæc duo combinari debent. Erit in cœlis, in ſublimitate, pondus gloriæ, æternitas gloriæ, immenſitas gloriæ. Hac fruuntur Beati. Deus vult hanc nobis eſſe communem cum Sanctis, ſed

§. 5. *Levis tribulatio meretur tempus gloriæ.* 2. Cor. 4. 17

ſed ſi imitatores ſimus; tribulatio præcedere debet brevis & levis illa quidem, ſed quæ ſola illam gloriam in nobis operatur, illa omnia ad cœlum parat. Cum hoc ingenti ſolatio, quod ſuggerit ſanctus Bernardus ſuper illa verba, Melior eſt dies una in atriis tuis ſuper millia. *Guttatim pœna bibitur, liquando ſumitur, per minutias tranſit. In remuneratione autem torrens eſt voluptatis, & fluminis impetus, torrens inundans lætitiam, flumen gloriæ, flumen pacis, flumen planè eſt, ſed quod affluat, non quod fluat; flumen vocatur, non quod tranſeat, ſed quod abundet.* Nil melius guttatim pœna bibitur, non junctim, ſed per minutias tranſit, per horas, per inſtantia, per momenta, unde ipſa ad momentum durat, imo cum Ap. momentum dici poteſt, gloria eſt immenſa, & permanet æterna. *Tranſit* in hac vita dies, tranſeunt horæ, *tranſit & pœna. Non ſic gloria, non ſic remuneratio, non ſic ipſa merces laboris* (brevis & levis) *neſcit viciſſitudinem, neſcit finem, manet tota ſimul & manet æterna.* Hæc eadem Sanctorum gloria nobis communis erit; ſi imitatores fuerimus, ſi leves & breves tribulationes patienter tulerimus. Et erit gloria *ſecundùm excellentiam in excellentiam*, ut ſuperius dixi, id eſt, mirè & ſupra modum excellens & excelſa, ita ut nullus intellectus capiat quanta ſublimitate, quanta celſitudine, tribulationis paucitas æternum pariat gaudiorum pondus.

§.6. *Nec oculus vidit, &c.* Excellentiam hujus gloriæ per rimam tantùm obſcuris & veluti clauſis adhuc oculis, quaſi à longè vidit S. Paulus, & exclamavit, *Non ſunt condigna paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* (Rom. 8.18.) Paſſiones expoſuit in eodem cap. v. 35. *Quis nos ſeparabit à caritate Christi? tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an perſecutio, an gladius?* Ipſe reſpondet, Nulla creatura poterit nos ſeparare à caritate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino N. cauſam dedit. Omnia illa NN. *non ſunt condigna*, &c. *ſunt momentum, ſunt quid leve.* Redux ex paradiſo, ex tertio cœlo, ubi vidit, *quod non licet hominis loqui*, tamen dixit, *Nec oculus vidit, &c.* (2. Cor. 12. 5.) Per rimam tantum in cœleſtem gloriam inſpexerat ſanctus Chryſoſtomus ep. ad Theodorum lapſum, & hæc illi ſcripſit: *Si quotidie foret infinities*

vities moriendum, ferendum tamen eſſet, præterea gehennam tormentaque omnia convenit ſuſtinere, ut videre queas Chriſtum venientem in gloriâ ſuâ, & conſcribi Ordini Sanctorum. Nam, *O felix jucunditas, & jucunda felicitas, Sanctos videre, cum Sanctis eſſe, & eſſe Sanctum, Deum videre & Deum habere in æternum & ultra*, ait S. Aug. in Man. c. 16. *Tantas tamen paſſiones & pœnas, ut quotidie moriamur*, ut &c. Deus à nobis non exigit. Sed illa quæ Chriſtus Dominus in hodierno Evangelio nobis proponit, ut ſimus pauperes ſaltem ſpiritu, ut ſimus mites &c. Etenim ſi mercatores & nautæ fluctus & tempeſtates, milleque pericula; Si agricolæ pluvias, grandines, & indefeſſos labores; Si milites prælia, vulnera, mortes ob ſpem exigui lucri vel honoris, aggrediuntur, perferrunt, contemnunt, quid non agat, quid non perpetiatur Chriſtianus pro regno, gloria & divitiis æternis? Regnum cœlorum vim patitur. Merces eſt, non datur otioſis. Corona eſt, palma non datur niſi certantibus &c.

Per rimam tantum cœleſtem gloriam inſpexit Agapitus adoleſcens 15. annorum, & quidem in graviſſimis tormentis; fuerat diriſſimè cæſus nervis, 4. dierum inediâ debilitatus, pendebat ex equuleo ſuſpenſus, infra & circa denſiſſimo cruciabatur fumo, cum ſentiret capiti imponi ardentes prunas, his verbis ſe ipſum animavit. *Eja age anime mi, ne grave putes, ſi modo caput ignem ferat, quod paulò poſt, coronâ redimitum immortalitatis æternum triumphabit. O præclaram coronam! quam pulchre verticem, ac tot acceptis pro Chriſto meo vulneribus inſigne corpus exornabit.* Eja agite Auditores, nemo cædit vos nervis, nemo vos ſuſpendit ex equuleo, nemo capitibus carbones imponit. Carbo tamen eſt paupertas! patere, ne grave putes, tolerare paupertatem, quâ emitur regnum cœlorum (eſt locus pro pulchra inductione) O præclaram coronam quâ nos Chriſtus Dominus æternum exornabit.

§. 8 De aliis, qui per rimam inſpexerunt cœleſtem gloriam.

Hanc eandem coronam præ oculis habuit illa heroina, illa Spartana Virago, illa mater Melithonis Martyris, invicti adoleſcentis, cum enim ſuis humeris ſpirentem adhuc filium portaret ad rogum, reliquis Martyribus adjungendum illi dixit,

§. 8. Proſecutio. Et quomodo SS. MM. ſpe hujus gloriæ ſe animarint.

Eja macte ſis animo, nate mi, & oculos in cœlum attolle, ibi te DEVS ſpectat & expectat; tantillis qui adhuc ſuperſunt doloribus glorioſè perfunctum immortalitatis coronâ donaturus. Quid ni iiſdem hodie verbis meos alloquar Auditores,& q. ex hodierno Evangelio. Eja pauperes ſpiritu; macti animo, Oculos in cœlum attollite, ſpatiamini hodie jucundiſſimis cogitationibus per Sanctorum choros, omnia Rex eſt JESUS, Regina Maria ibi vos expectant &c.pulcher locus ſic diſcurre per alias beatitudines.

§.9. *Proſecutio.* Per rimam tantum cœleſtem gloriam inſpexit generoſus ille Martyr Gabilas ſub Liſania. Dum ungulis laceratus,ſuſpenſus & omnibus membris diſtortus interrogaretur à Judice, quamnam utilitatem ei tormenta conciliarent, Reſpondit. *Non ad præſens usque tempus noſtra conſiſtunt, neque ea ſolum ſequimur, quæ cernuntur. Quod ſi tu quoque volueris reſpicere ad ſpem, & promiſſam nobis remunerationem, forte etiam dices cum Paulo, Non ſunt condignæ &c.* Nihil melius: hæc duo, ut ſupra inſinuavi, ſeparari non debent. Unde S.Bernh.ſer.12 in Pſal. *Qui habitat* &c.hanc gloriæ magnitudinem & hujus vitæ tribulationum parvitatem, duas illas dixit eſſe manus, quibus ab Angelis portatur homo, & ad æternam ducitur beatitudinem. *In manibus portabunt te: Vultis ſcire, quas intelligam duas manus? Duplicem* (intelligo) *demonſtrationem, dum videlicet hinc quidem tribulationis brevitas, inde æternitas retributionis oſtenditur, aut magis pingitur, vel imprimitur cordi, ut intimo affectu ſentiat, quemadmodum momentaneum hoc, & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. His manibus portatur homo ab Angelis.*

§.10. *Triplex Maxima, de cœleſti gloria,& tribulationibus.* Agnoſcite quadruplicem demonſtrationem. Prima eſt, Magna, eximia, excellens in excellentia, in ſublimitate, eſt merces & gloria Sanctorum. Altera eſt. Non datur nec conceditur niſi legitimè certantibus & laborantibus. S. Baſilius exhortatione ad baptiſmum. *Labores gloriam pariunt, ſudores coronas comparant.* Tertia. Omnis tamen labor pro gloria æterna levis eſt & brevis. Jacob. 14.annis ſervivit Laban pro Rachele, *& videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* (*Gen.29.21.22.*)

Lyra.

Lyra.inquit, *In comparatione ad rem tam amabilem*, & pluribus annis ſerviiſſet, ſi requiſitus fuiſſet. Amor machina eſt, quo pondus graviſſimum facillimè levatur in altum. Origenes l.6.in ep. ad Rom. *Dum enim in illius amore pendemus, exiguum eſt quod patimur, & dum in illius amore pendemus, ſenſum doloris non percipimus.*

Cogor finire & faciam quæſtione quam Laban propoſuit Jacobo, *Num quia frater meus es, gratis ſervies mihi, dic quid mercedis accipies.* Hoc idem ex vobis quæro Auditores. Nunquid ſervire vultis Regi Regum Chriſto? non dubito, ſed quid accipietis mercedis, hanc eandem quæſtionem Chriſtus Dominus nobis proponit. Quæſtionem audiviſtis, permittite ut ego pro omnibus; reſpondebo cum Jacobo, ex cit. loco. O Salvator, ſerviemus tibi pro Rachele &c. pro æternâ gloriâ tempus non determino, ſed quàm diu voles &c. *Gen.29.15.*

EXHORTATIO.

IN FESTO ANIMARUM.

Miſeremini mei ſaltem vos amici mei.

Job. 19. v. 21.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

PRofert affectuoſa aliquot motiva, ut opera miſericordiæ exhibeamus animabus ardentibus in purgatorio.

§.1. *Pium deſiderium conſolandi beatas illas animas.*

§.2. *Illis ſubvenire, eſt actus inſignis miſericordiæ.*

§.3. Piæ illæ animæ ſunt triſtiſſimæ, nos poſſumus conſolare.
§.4. Sunt captivæ, nos poſſumus liberare.
§.5. Sitiunt in flammis, nos poſſumus refrigerare.
§.6. Petunt à nobis guttulas aquæ.
§.7. Sunt in exilio, nos educere poſſumus ad patriam.
§.8. Animæ, quibus benefacimus, nobis aſſiſtēt in ſupremo agone

§.1. Pium deſiderium conſolandi animas in purgatorio.

PRobabilis gravium virorum eſt opinio, permittente DEO Angelos noſtros cuſtodes, tùm, cùm pro piis animabus in purgatorio, vel eleemoſynas, vel preces, vel alia opera bona, præcipuè, ſacra miſſæ officia offerimus, quandoque pergere ad Purgatorium, ut pro ſolatio, piis animabus id nuntient. Si ita eſt, quæſo mi Angele cuſtos, abi, perge hodie ad purgatorium (veniam pro tantillo diſceſſu lubens permitto; contra Angeli mali inſidias latebo interim tutus in benedicto corde Salvatoris mei) abi, & nuntia animabus, præſentes meos Auditores ingenti flagrare deſiderio, ut piis operibus & ardentibus precibus illis ſuccurrant. Nuntia præcipuè, velle nos hodie bis, ter, iterum iterumque accedere fontes Salvatoris, ſive roſea vulnera Chriſti, in ſanctiſſimo Sacramento Altaris, ut hauſto inde Divino ejus ſanguine purgatorii flammas reſtinguamus: Ego interim brevi ſermone conabor hoc deſiderium meorum Auditorum magis accendere: id eſt duas vel tres proponam rationes, ob quas quivis conari debet, ut miſeris animabus ſuccurrat.

§.2. Subvenire animabus in purg. eſt actus caritatis & miſericordiæ.

Prima ratio modo ſit: piis animabus ſuccurrere, modis quibus id poſſumus (v.g ſi Deo pro illis offeramus eleemoſynas, preces, opera pia, & præcipuè pretioſum ſanguinem filii DEI; ſi pro illis jejunemus, ſi crucem libenter feramus illâ intentione, ut ſatisfactio ex radice virtutis patientiæ pullulans, animabus cedat;) eſt actus nobiliſſimæ caritatis, & virtutis, quæ dicitur Miſericordia; actus hujus virtutis ſunt, v.g. ſolari triſtes, liberare captivos ex carceribus, ſatisfaciendo pro ipſorum debitis; ſitientibus dare hauſtum aquæ, in nomine Chriſti exulem ex exilio reducere in patriam, filio iratum reconciliare patrem; &c.

&c. Similia excellentia opera, in excellentiſſimo gradu exhibere poſſumus animabus in purgatorio.

§. 3. *Piæ illæ animæ ſunt triſtiſſimæ, nos poſſumus conſolari.*

Nam primò, Animæ in purgatorio ſunt triſtiſſimæ, tum quia privatæ ſunt aſpectu Dei; cujus privatio fons eſt omnis triſtitiæ, tum quia ob flammas & ignes, quibus uruntur, & alia tormenta quibus torquentur, in graviſſimis ſunt doloribus: in ſummâ triſtitiâ, inter ignes, inter ineffabiles dolores. Iſaias ait, *Habitant in igne devorante*, ſolatio illis eſt quod ſciant ſe eſſe *Iſa. 33. 14.* in gratiâ Dei, quod ſciant ſe eſſe capaces & certas æternæ gloriæ. Solatio illis eſt quod viſitentur à ſanctis Angelis; ſed hæc ſolatia nec mitigant nec tollant pœnam, hoc ſolatium illis proficuum eſt, v.g. roſarium devotè recitatum, præcipuè cum memoriâ quinque doloroſorum myſteriorum, ſudoris ſanguinei, flagellationis &c. Imò unicum ſuſpirium, cùm memoriâ talis myſterii, v.g. O JESU per ſanguineum, ſudorem tuum, refrigera animas in purgatorio; hæc eſt illis ſolatio. Auditores! fruſtum panis datum pauperi, eſt illis ſolatio. Eja! eſtote miſericordes, operamini actum caritatis, ſolamini his modis triſtiſſimas animas.

§. 4. *Sunt captivæ nos poſſumus liberare.*

Ipſæ ſunt captivæ in igneo carcere Divinæ Juſtitiæ; ob debita, quæ in hoc ſæculo ſuis culpis contraxerunt; & in eo ſunt ſtatu, ut Juſtitiæ ſatisfacere non poſſint, niſi patiendo, niſi ardendo; fortè decem, fortè viginti, fortaſſis centum annis. Si fortè ſententia à Judice lata eſt, ut anima tui patris ardeat decem annis; ipſa aliter ſatisfacere non poteſt, niſi ardendo decem annis. Alio modo ex illâ captivitate ſe liberare non poſſunt; nos verò Auditores poſſumus illas liberare; nos hodie poſſumus aperire portas purgatorii, ut ſolutis igneis vinculis prodeant. Nos in manu noſtrâ habemus pretium, id eſt, in altari, in ſanctiſſimo Sacramento Euchariſtiæ habemus merita Chriſti, habemus merita mortis, crucis; habemus divinum & pretioſum ejus ſanguinem; hoc lytro pro illis ſatisfacere poſſumus. Fieri poteſt, ut anima quæ viginti annis debuiſſet ardere, & fortè anima tui patris, vel matris, vel mariti &c. ſtatim unicâ communione, ex flammis eripiatur, ut uno momento

mento à triginta annorum tormentis liberetur. Audivi heri veſperi in lectione menſæ mirabilem modum, quo S. Paulinus filium captivum alicujus viduæ liberavit. Vendidit ſeipſum, & pecuniam tradidit tyranno. Tyrannus non eſt judex noſter, ſed tamen hoc certum eſt; in alterâ vitâ in inferno vel purgatorio non eſt locus miſericordiæ, regnat in utroque loco Juſtitia, in inferno captivos tenet hoſtes, qui in omnem æternitatem non liberabuntur: in purgatorio animas, quæ liberantur ſuo tempore, cum ardendo ſatisfecerunt. Nos tamen illas liberare poſſumus, facilè enim poſſumus habere pretium &c. quæſo vendamus nos ipſos. Chriſtus Dominus pro nobis offert ſuam vitam, mortem, ſanguinem; eja Auditores pro hoc pretio tradamus Chriſto noſtras animas. Noſter erit ſanguis &c. (pulcer locus) & hoc eſt pretium, quo animas liberare poſſumus. P. Faber ſic orare ſolebat: Mi JESU, hæc anima debet, ut decem annis ardeat, ſed tu pro illâ ſudâſti ſanguinem; ex illo ſudore in ſolutionem tibi offero decem guttas (hic pone ſuſpiria per ſeptem effuſiones ſanguinis Chriſti.) Ah auditores eſtote miſericordes, operamini actum eximiæ caritatis, liberate pias animas ex igneo carcere purgatorii, & quia facilè poteſtis, pro debitis illarum ſatisfacite.
Heb. 13. 3. Apoſtolus dicit, *Mementote vinctorum tanquam ſimul vincti* (eſt pulcer locus) item
cap 20. 14. *vinctorum compaſſi eſtis.*

§. 5. *Sitiunt, nos poſſumus refrigerare.*

Sitienti dare hauſtum aquæ, eſt actus caritatis. O quàm ſitiunt animæ in purgatorio, non tantùm quia ardent, ſed potius quia Deum videre deſiderant; continuò gemunt cum Davide, Pſal. 62. Sitiunt in te animæ noſtræ in terrâ deſertâ & inaquosâ (addo ego igneâ) utinam tandem videremus gloriam tuam, vel ex Pſal. 41. 2. Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderant animæ noſtræ ad te DEUS. Sitiunt animæ noſtræ ad DEUM fortem (vel fontem) vivum, quando veniemus & apparebimus ante faciem Dei, & bibemus ex fontibus gloriæ. Nos Auditores tres præcipuè habemus fontes, ex quibus animarum illarum ſitim reſtinguere poſſumus. Fons eſt oratio, fons eſt eleemoſyna, fontes ſunt roſea vulne-

Digitized by Google

vulnera Salvatoris; quæſo eſtote miſericordes, currite ad hos fontes, haurite aquas, ut ſedetis ſitim piarum animarum.

Lucæ 16. Mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in inferno. Elevans autem oculos, videns Abraham, clamans dixit; *Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hâc flammâ.* Verùm miſero damnato tanquam hoſti Dei, in inferno, ubi nullum eſt refrigerium, vel unica gutta aquæ eſt negata. Ego à vobis peto Auditores, ſi alium hominem quendam videretis in flammis jacentem, quid ſi eſſet frater, vel pater, & audiretis petentem guttam aquæ, foretne tam ſaxeum vobis cor ut negaretis? & ſi ex flammis facilè, ſine damno veſtro poſſetis eripere, an non faceretis? Ah Auditores! Purgatorium eſt igneus quidam carcer, in illo ſepultæ ſunt animæ piiſſimæ; fortè ut 30.40. annis in hoc ſepulcro hæreant; talia ad nos clamant, Miſeremini noſtri, miſeremini noſtri, quæſo aliquot guttis aquæ, aliquot guttis pretioſi ſanguinis Filii Dei nos refrigerate, quia cruciamur in his flammis. Ego apud vos pro Animabus mendicum agam, ego pro illis mendicabo, quæſo animæ piæ hoc veſpere unum roſarium, NN. cras mane NN. ſed præcipuè proximâ congregatione generalem cum devotione peragite communionem. Hæc auditis Auditores? non guttas, ſed integros fontes habetis, ex quibus ardentes animas refrigerare poteſtis, & negligitis? animas Deo gratiſſimas eripere poteſtis, & negligitis? fortè eſt anima patris vel matris, quæ jam decem annis vel viginti, quibus in purgatorio ardet, guttam unicam ſanguinis Chriſti à te petiit, & necdum dediſti? O ferreum cor! vidi heri cum ſolatio inſternentes vos ſepulcra floribus; Sacerdotem reſpergentem guttis aquæ benedictæ ſepulchra. Ah Auditores! roſas petunt & perpureas! ſed unde hoc tempore? ſunt in altari! (eſt pulcher locus) quæſo Auditores ſtatim, hoc momento, incipite eſſe miſericordes erga animas in purgatorio.

§ 6. *Animæ in purgatorio petunt à nobis guttulas aquæ.* Luc. 16, 24.

Actus miſericordiæ eſt liberare exulem ex exilio, vel prodigo alicui filio iratum reconciliare Patrem. Animarum in purga-

§ 7. *Sunt in exilio &c.*

purgatorio, præterquam quod ardeant, ingens eſt pœna, quod ſint exules à patriâ cœleſtis Jeruſalem; vident illam à longè, ſed ingredi non poſſunt. Filii Dei ſunt, cohæredes Chriſti, ſed eſt iratus pater, quem placare non poſſunt, niſi patiendo & ardendo, alio modo ipſæ è ſuo exilio ſe liberare non poſſunt. Nos tamen alium habemus modum, quo liberare poſſumus; nos Patris iram poſſumus placare, orando, jejunandoque, quæſo eſtote miſericordes.

§. 8. *Animæ quibus benefacimus aſſiſtent nobis in agone.* Volui plures ſimiles rationes adducere, ſed uni diutius inhæſi, nec mediam horam hodie multùm cupio excedere, itaque finio. Sancta Gertrudis tantæ erga pias animas fuit miſericordiæ, ut omnium operum ſuorum ſatisfactionem pro illis obtulerit Deo; in agone propterea à dæmone tentata fuit ſcrupulis, ſed apparens illi Chriſtus Dominus dixit: *Ne timeas filia, ut videas quàm illa caritas tua grata mihi fuerit. Primò condono tibi omnes pœnas quas debes. Secundò gloria tua in cœlis erit longè major. Tertiò jubebo, ut omnes animæ quas ex purgatorio liberaſti, tibi morienti aſſiſtant, & in cœlum deducant.* (Ex his fieri poterit brevis, ſed affectuoſus epilogus, & allocutio ad ſodales congregationis Chriſti in cruce agonizantis.)

CON-

CONCIO LXXXVI.

FESTO PRÆSENTATIONIS B. VIRGINIS.

Beatus venter, qui te portavit.

Lucæ 11. v. 27.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AGit de piâ oblatione, qua clientes Magnæ Matris ſe totos illi offerunt & dedicant. Quo ritu illa peragi debeat.

§. 1. *Semper: ſed præſertim in ejus feſtis amanda eſt Maria.*
§. 2. *Propoſitio: cum ardenti voto Auctoris.*
§. 3. *Clientes virginis, ſe totos illi offerunt.*
§. 4. *Diſpoſitio ſive præparatio ad illam oblationem.*
§. 5. *Ut fiat in templo coram ſanctiſſimo Sacramento Altaris.*
§. 6. *Quâ devotione hoc fecerint Virginis clientes.*
§. 7. *Poſſunt aſſumi catenulæ in ſignum ſervitutis.*
§. 8. *Formula oblationis.*
§. 9. *Talis oblatio ſæpius eſt renovanda.*
§. 10. *Facile enim tepeſcimus.*
§. 11. *In omnibus confugiamus ad Mariam. Nobilis hiſtoria de Maria Victoria Genuenſi.*

HOc judico æquiſſimum, ut feſtis Magnæ Matris, peculiarem in cultu ejus fervorem exhibeamus: Semper! ſed his potiſſimum ſolennitatibus, Matris hujus ubera fluunt lacte miſericordiæ, ſemper! ſed his potiſſimum, pia, ſuavis, dulcis, clemens eſt Maria! ſemper! ſed in ſuis præ- §. 1. *Semper, ſed præſertim in ejus feſtis amanda eſt Maria.*

præcipuè feſtis magnos clientibus ſuis exhibet favores, æquum itaque eſt, ut his etiam diebus peculiari curâ ad has gratias nos diſponamus; ut his diebus amor noſter erga illã ſit planè fervens & ardens, & omni genere devotionum oſtendamus, cupere nos eſſe filios, & ſervos talis Reginæ & Matris!

§.2. *Propoſitio, cum ardenti voto Auctoris.*

Hodiernâ die piis animis recolimus ejus Præſentationem in templo, ſive quomodo tremula ſe totam Deo obtulerit in holocauſtum. Oſtendam hâc concione majorem cultum & amorem nos Virgini exhibere non poſſe, quàm ſi nos totos offeramus magnæ Matri, in filios, in clientes, in ſervos, in mancipia; & per ipſam Deo in ſimile holocauſtum. Antequam pergam, proteſtor & profeſſione facio, nil hodie me deſiderare ardentius, quàm ut totus, quantus ſum, corpore, animâ, mente, deſideriis, totus ſim Mariæ, & Redemptoris mei JESU. O pulcherrima Virgo! ſuſcipe me! ſervus tuus ſum! ſervus tuus moriar! dies & noctes cum mancipio illo Mariano, ſuſpiro ad pedes dulciſſimæ hujus Dominæ, *cupio vivere! cupio mori! jam pergo in nomine Domini.*

§.3. *Clientes Virginis, ſe totos illi offerunt.*

Inter diverſiſſima ſigna, peculiaris & intimi amoris, æſtimationis, cultus, devotionis & pietatis erga Dei Matrem, inter varia ſervitia & obſequia, quibus hic in terris eandem colore poſſumus; primum locum merito obtinet, perfecta & integra quædam oblatio, quâ ſinceri ejus Virginis Cultores & Amatores, ſe totos, omnia quæ habent, in corpore & anima, omnia quæ poſſunt, & quidquid ſunt, verbo ſe totos huic Dominæ, Reginæ & Matri offerrunt, dedicant, conſecrant. Hæc enim oblatio perfectiſſimo modo in ſe continet reliquas devotiones omnes, quas in illius honorem exercere poſſumus. His praxibus illa oblatio dat vitam, vigorem & quaſi animam. Omnium devotionum meritum & pretium auget hæc oblatio. Præterquam quod Virginis peculiarem favorem nobis conciliat, & ejus miſericordiam inclinet ad exhibendas gratias & favores magis peculiares, ſibi peculiariter dilectis filiis. Duo præſertim ſunt fructus hujus oblationis. 1. Nobis eſt utilis, quia per illam B. V. obligamus ad peculiarem noſtri cuſtodiam. 2. Ipſam vero nos hoc

cultu

cultu perfectiſſimo, quaſi aliquo holocauſto, glorificamus. Itaque illos, qui ſentiunt ſibi à Deo inſpirari peculiare & fervens deſiderium offerendi ſe totos B. Virgini, ego judico beatos.

Et proinde moneo, ut ad hanc devotionem, quâ aliquo feſto B. Virgini ſe offerre volunt, ſingulari ſtudio ſe præparent ac diſponant. Exterior diſpoſitio conſiſtere poteſt in ornatu alicujus altaris vel ſtatuæ B. V. coram quâ nos illi offerre volumus. Hic Wormatiæ v. g poſſet eſſe devotiſſima imago illius, in ſuburbano templo illi dedicato. Diſpoſitio animæ interior requirit accuratam peccatorum omnium confeſſionem, ut ſimus moraliter certi, vi ſanctiſſimi Sacramenti pœnitentiæ nos eſſe reſtitutos in ſtatum gratiæ. Ut nihil nobis occurrat, quod putemus diſplicere Deo & caſtiſſimis oculis puriſſimæ Virginis. Eadem diſpoſitio interior requirit prævios actus excellentiſſimarum virtutum, fidei, ſpei, caritatis, erga Deum & Chriſtum Salvatorem. Similiter actus fiduciæ, & amoris erga Deiparam Virginem. Inter hos actus invitare poſſumus ſanctiſſimam Trinitatem, cujus gloria præcipuè intenditur; & Chriſtum Redemptorem, cujus honori cedit, ſi ejus Mater colatur, S. Angelum Cuſtodem. S. Joſephum &c. & totam curiam cœleſtem, ut interſint, & ſpectent illas nuptias, quibus caſtiſſimæ Virgini nos deſponſare volumus. §. 4. *Diſpoſitio ad illam oblationem.*

Locus hujus actionis ſit templum vel ſacellum aliquod, in quo aſſervatur ſanctiſſimum Sacramentum altaris. Convivale convivium ſit ejusdem ſumptio. Immediate poſt ſumptionem, qui Virgini ſe vult offerre, in præſentia cœli & terræ faciat proteſtationē, quod Mariam agnoſcat Dominam, Reginam & Imperatricem, quod deſideret illi ſervire, illi offerre animam & corpus, offerre eidē omnia momenta vitæ, potentias interiores & exteriores, & quidquid ſperare poteſt, in eſſe naturæ, gratiæ & gloriæ. Et hæc omnia illo modo, illâ devotione, illo fervore, qui Deo maximè placet, & perfectione per gratiam nobis ordinatam poſſibilem. Inter hos affectus, clarâ voce dici poteſt oratio ſodalitatum, S. Maria &c. §. 5. *Ut fiat in templo coram SS. Sacramento Altaris.*

Talem oblationem fecit S. Greg. Naz. cùm magnâ ſolen- §. 6. *Quâ devo-*

 nita-

tione hoc fecerint B. V. clientes.

nitate, elegit Mariam pro ſuâ Dominâ, pro Reginâ, pro theſauro, pro ſupremâ Advocatâ & Auxiliatrice. Talis fuit oblatio S. Edmundi, qui in flore juventutis Deo & Mariæ ſe obtulit inventione devotiſſimâ, cum coram imagine B. V. Virginitatem ſuam eidem vovit, & in arrham amoris, & fidelitatis manibus ſponſæ inſeruit annulum, cujus circulo inſcripta fuit ſalutatio Angelica, & poſt mortẽ eadem ſalutatio inventa fuit in annulo ſuo epiſcopali. Talis fuit oblatio ſanctiſſimi Regis Hung. S. Stephani, cum Dominæ ſuæ totum regnum obtulit, & omnes ſubditos voluit eſſe ſervos Mariæ. Nihil dicam de piiſſimis Auſtriæ Imperatoribus & Regibus, qui noſtris temporibus coram ſtatuis in columnis, in aris erectis Magnæ Reginæ ſuas Coronas, Sceptra & purpura &c. ſimul cũ illis ſe ipſos dedicarunt. Non adducam illos, qui in ſignum Marianæ ſervitutis ſe totos offerendo ſimul aurea conula, vel catenulas, gemmas pretioſas, & ſimiles arrhas amoris Virgini obtulerunt. Laudo pauperculos, qui in hunc finem illi offerunt ſerta ex floſculis. Auguſtiſſimæ Conjugi Ferd. III. Imp. Matri Auguſtiſſimi Cæſaris Leopoldi, Rex Catholicus, Phil. IV. frater ſorori in ultimâ valedictione dono obtulit Aquilam magnitudine palmi, ex pretioſiſſimis formatam adamantibus (vidimus oculis in theſauro Lauretano) cum illam, velut memoriale amoris erga fratrem ſemper geſtaret in pectore; in Lauretano Sacello flectens coram Imperatrice cœli, ardens ejus cor flammulis amoris, ſenſit inſtinctus, offerendum illum theſaurum Magnæ Reginæ in ſignum oblationis æternæ. O luctam! inter duplicem amorem! fratris rejiciat donum tam pretioſum? quàm hoc difficile. Sed Virgini illud negare, quàm durum. Vicit Marianus Amor! O victoriam! ſe totam, dilectiſſimum ſuum ſponſum Ferd. III. totum Imperium, cujus erat futura Imperatrix; Fratrem Regem Catholicum, omnem ejus Monarchiam, omnia ſimul obtulit Lauretanæ Virgini, & regiâ manu avulſam ab uberibus Aquilam, Mariano pectori appendit. Talem aquilam opto ego eſſe omnium noſtrum corda, ut illa ſimul, & me totum offeram Magnæ Reginæ, in monumentum ſubjectionis æternæ.

Fortaſſi s

Digitized by Google

Fortaſſis animis veſtris illi quoque occurrunt, qui fervore amoris abrepti, & deſiderio peculiaris ſervitutis, coram ſtatua aliqua B. V. collo & brachiis injecerunt catenas, pedibus competes, ad conteſtandum affectum, & deſiderium annumerari ſervis & mancipiis B. V. Tales devotiones excogitat amor Marianus, dum ſe totum ſuæ Dominæ vult offerre & cõſecrare, præcipuè in congregationibus & ſodalitatibus B. V. in quibus cum accenſis cereis, inter roſarum, liliorum, thuriſque odores, ſodales Mariam eligunt in Dominam & Patronam cum inviolabili propoſito illam nunquam deſerendi, nihil faciendi contra illius honorem, ſed potius eundem propagandi; Idem amor accendit linguam, ut tales decidant ſcintillæ. *§.7. Catenulæ, poſſunt aſſumi pro ſigno ſervitutis.*

Regina cœli & terræ, Beatiſſima Virgo Maria, Mater Dei, ego P. K. non contentus quod te elegerim pro Matre & Advocata, modo proſtratus ad tuos pedes, affectu cordiali, cum ardentiſſimo deſiderio ut totus ſim tuus, & ad teſtandũ amorem, quo te proſequor, volo inſuper in præſentia cœli & terræ, ut ſis mea Domina, mea Regina & Imperatrix, ut tuus ſim ſubditus, ſervus & mancipium. Ideoque tibi offero, ſacro, dedico meam perſonam, meam vitam, cum corpore & anima, omnia vitæ momẽta, omnes motus cordis, omnes cogitationes, verba & opera, ſupplex rogãs ut me poſſideas, illo modo, quem cognoſcis Deo & tibi placere. Si placet, ô Virgo, ô Mater, ô Domina, ô Regina, ſuſcipe hanc oblationem in ſignum amoris, quo te diligo. Converte in me miſericordes tuos oculos, benedic mihi, ut in vita & morte ſim tuus ſervus, & per te ſervus Salvatoris mei JESU. O Domina, per merita Filii tui JESU, ſuſcipe me in ſervum perpetuum, & hanc mei oblationem in odorem ſuavitatis. *§.8. Formula oblationis.*

Cum pleroſque ex meis Auditoribus, potiſſimum ſodales, vel roſarii, vel NN. putem, jam frequentiſſime ſe tali modo magnæ Matri obtuliſſe, hoc moneo, ut feſtis B. V. hanc oblationem repetant & renovent. In hiſtoria de regno Tungi refertur, moris ibi eſſe, ut certo die anni omnes milites alicujus legionis vocentur ad certam aram, ibiq; certis verbis renovent ſuum Sacramentum, quo antea jurarunt fidelitatẽ, qui conſuetã formulã legunt *§.9. Talis oblatio ſæpius eſt renovanda.*

Oo 3 voce

voce contentiori & altiori, habentur pro fortiſſimis iſtius legionis, & pretioſis donis honorantur. Et quid eſt congregatio aliqua B. V. niſi caſtrorum acies ordinata, contra principes tenebrarum, cujus ipſa eſt Imperatrix. Agite mei Auditores, adhuc hodie pergite ad templum B. V. & ad aram coram ſanctiſſimo Sacramento ardenter, ferventer orate, vos velle vivere & mori fideles ſervos magnæ Matris.

§. 10. *Facile enim tepeſcimus.* Et hæc eſt miſeria humana, ut in illis intepeſcamus; contingit nobis quod aquæ, ad ignem bullit, ſemota tepet; eadem ratione ſubinde ſumus plane ignei, mox tepidi, inde fit ut opera talia faciamus ex mera conſuetudine. V. g. eſt ſodalis, qui quotidie orat roſarium B. V. ſed ex conſuetudine ſine affectibus. Roſarium debet recitari fervide &c. Alius recitat quotidie Litanias Lauretanas, Officium vel alias pias preces, ſed non eſt mirandum; ſumus homines. Sed hoc debet eſſe ſodalis; feſtis B. V. nonnihil cogitare bene, quomodo hactenus &c. Itane ego filius B. V. tam frigidus ſervus, tam negligens &c. Abſit, hodie rurſum incipiam cum actuali intentione, cùm affectibus &c. Utere hic viſione S. Bernardi de ſcriptis ab Angelis precibus, aureo colore, argenteo, nigro &c. pulchre applica precibus à ſodali recitatis, præcipue in roſario &c. Salutationes Angelicæ ſunt roſæ, ut ſint gratæ debent eſſe purpureæ, blutig i. e. plenæ devotione. Salutationes Angelicæ ſunt ſagittæ, ut lædant, debent eſſe acutæ, igneæ &c. ſunt catenæ debent eſſe aureæ &c.

§. 11. *In omnibus cõfugiamus ad Mariam.* Volo denique, ut hoc modo B. V. præcipuè nos offeramus, in aliqua afflictione, vel adverſitate, cum nobis eſt male. Non fit ſine fructu Id experta eſt Maria Victoria Genuenſis matrona, feliciſſimum habuit matrimonium, (pulchre deſcribe.) Volebát quod Deus vellet, ideo Deus illos frequenter tribulationibus viſitabat, poſt 8. annos, 8. menſes conjugii, cum ſextam prolem in utero geſtaret, maritus morte ſublatus cum eſſet ipſa annorum 25. Nullæ conjuges ſuæ fidant felicitati, quidquid eſt humanum, eſt vitreum, omnes nuptiæ mortalium ſunt mortales. Dici non poteſt quam Maria ſenſerit &c. videbat ſe viduam, cur &c. ut Poeta,

Ipſa ſum cor edens, hominum veſtigia vitans, &c.

cubiculo incluſa flebat, gemebat &c. Verbo, in longiſſima triſtitia ſenſit ſibi hæc inſpirari. *Quid agis miſera? cur miſera eſſe pergis, quæ potes eſſe beata? quousque te abripi triſtiſſimæ fortunæ fluctibus ſinis? quæ anchoram habes, quæ portum tenere potes? an Mariæ, Maria oblviſceris? neſcis illam eſſe matrem miſericordiæ, & conſolatricem afflictorum?* extemplo procubuit in genua ante imaginem B. V. & potius lacrymis, ſingultibus quam lingua & verbis, querelas ſuas in ſinum B. V. effudit, ita cogitare cœpit? O Mater miſericordiæ, cum per filii tui gratiam ab ineunte ætate à graviori delicto me conſervarim, quî fit ut me ita plectat? ut mitiſſimus mihi factus in crudelem? ſi inter me & maritum fuiſſent rixæ NN. fuiſſet beneficium ſeparari, ſed cum &c. cur ergo non vel maritus vivit, vel ego quoque morior &c. Vel ſi ſola eſſem &c. adhuc &c. At mihi ſex proles &c. hæc cura, hoc onus &c. Superat vires pondus niſi de cœlo fulciantur &c. hæc &c. tandem in mentis preces ebulliens ait: *O plena miſericordiarum Virgo, tota te voluntate atque omni conatu virium mearum, per ineffabilem bonitatem tuam, ſupplex oro, dignare mei miſeratione tangi, meosque liberos tanquam tuos ſuſcipe & cura. Siquidem patre privati cum in me parum ſubſidii habeant, verè dicere poſſunt, pater meus & mater mea dereliquerunt me,* (ah diſcite, quomodo &c. quâ fiducia &c) *tu mater viventium illis matris loco eſto, cujus viſcera non poſſunt derelinquere ab aliis derelictos, ad te confugientes, in te ſperantes, O ſpes! O anchora! O portus!* Ad talia &c. viſa eſt imago manum porrigere, nutuque auxilium ſpondere, his verbis locuta eſt: *Victoria filia mea ne metue, ſed animo bono confide, & liberos tuos, & te ipſam, ſub protectionis meæ pallium ſuſcipiendos eſſe. Ego ſum quæ omnem domus tuæ curam portabo (pulcher locus per famil. &c.) Ego, quæ te lætam eſſe, atque ab omni ſolicitudine liberam jubeo, illud unicum à te peto, flagitoque, ut nullam poſthac ſolicitudinem, laborem nullum omittas amandi Dei ſupra omnes creaturas.* Dici non poteſt quæ ſecuta metamorphoſis &c. ſtatim tria vota emiſit. 1. caſtitatē. 2. de deponendo omni ornatu. 3. de vitando malo conſortio &c.

Poſtea

Digitized by Google

Poſtea religioſa fundatrix cœleſtinarum ſive Annuntiatæ V. in candidis togis cum cæruleo pallio &c. mortua ſanctiſſime &c. pulchre applica &c.

CONCIO LXXXVII.

FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI.

Venite poſt me.

Matth. 4. v. 19.

SYNOPSIS CONCIONIS.

S. Andreas fuit inſignis imitator Chriſti Domini in amore Crucis.

§.1. Ignea lingua S. Andreæ.
§.2. Viſio B Henrici Suſonis.
§.3. In Chriſto Domino in terris fuit ſummum deſiderium patiendi.
§.4. Affectuoſa cauſa, ob quam in Nativitate imponi voluit paleis.
§.5. Vita triginta trium annorum fuit Crux continua.
§.6. Filio DEI in inſtanti Incarnationis, liberum fuit eligere Crucem, vel delicias.
§.7. Tollat quivis Crucem ſuam.
§.8. Sitis patiendi in Chriſto, in ipsâ Cruce, & morte.
§.9. S Andreas, exemplo Chriſti, amator Crucis.
§.10. S. Andreas anhelavit ad Crucem.
§.11. Cum flammâ quâdam deſiderii.
§.12. Hac ratione Chriſtus Dominus properavit ad Paſſionem.
§.13. Ejus exemplo S. Andreas.
§.14. Amatores Crucis ſalvantur.

Solent

Digitized by Google

§. 1. *Ignea lingua S. Andreæ.*

SOlent hodierno feſto concionatores in ſuis panegyribus de glorioſo Apoſtolo S. Andrea, extollere & commendare præcipuè verba illa, quibus crucem, ex quâ ſuſpendi debebat, ſuaviſſimè ſalutabat. *O bona crux! quæ decorem ex membris Domini ſuſcepiſti; diu deſiderata, ſolicitè amata, ſine intermiſſione quæſita, & aliquando cupienti animo præparata; accipe me ab hominibus, & redde me Magiſtro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit.* S.Bernardus igneas has voces evibratas ex corde & à linguâ S.Andreæ, tanquam è fornace exæſtuantes ſcintillas ait; (in vig S.And.) *fratres mei, Ignis vibrans eſt, non lingua loquens, etſi lingua eſt, ignea plane eſt. Carbones ſunt verba ejus, & ignis, quem de excelſo miſit Chriſtus in oſſibus ejus*, & unde ille ardor, ille ignis, talia deſideria, talis amor crucis in S.Andrea?

§. 2. *Viſio B. Henrici Suſonis.*

B.Henricus Suſo raptus in ectaſin, vidit cœleſtem & pulcerrimam lucem, cujus beneficio cor ſuum clariſſimè introſpexit, & vidit in illo crucem auream, multis gemmis irradiatam, quibus decore admirabili efformatum fuit nomen JESUS, ab hoc radii, ſcintillæ, flammulæ undequaq; ſpargebantur. Solent, qui devoti ſunt S.Andreæ ejus crucem exornare ramis, floribus, ſtellis, aliis ornamentis; ego ſi poſſem, adderem in medio crucis, glorioſiſſimum nomen JESUS. Hic Andreæ pectus accendit flammis tanti daſiderii; hic illi indidit amorem crucis. Amator JESU & crucis, (S.Bern.) ubi paratum ſibi lignum intuitus eſt, ex hoc jam planè totus igneſcēs, applaudebat & blandiebatur illi Amatæ ſuæ, & officioſiſſimè ſalutās clamavit & corde & voce, *Salve crux* &c. Oſtendam hâc panegyri, S.Andream in hoc fuiſſe imitatum perfectiſſimè Chriſti Salvatorem, in quo ſemper fuit ardens deſiderium patiendi, igneus Amor crucis.

§. 3. *In Chriſto Domino in terris ſummum fuit diſiderium patiendi.*

Deſiderium patiendi, & pendendi in cruce S.Andreas didicit à ſuo Magiſtro Chriſto Salvatore noſtro, quod tantū in illo fuit, ut à prima nativitate, toto deinde vitæ tempore, in morte præcipuè & exceſſu ex hoc mundo illud deſiderium diſſimulare non potuerit, ſed variis modis oſtenderit etiam exterius. B.V. Maria, mox ut parvulū ſuum enixa fuit, poſt profundiſſimā ado-

Digitized by Google

rationem, poſt dulcia ſuavis ſalutationis & amoris oſcula, involvit eum pannis, & ex brachiis depoſitum in præſepium collocavit: *Et reclinavit eum in præſepio.* O feliciſſima puella! & cur præſtantiſſimum theſaurum inter virginea brachia non retines? & ubi ſuavius quieſcet Jeſulus? quis lectulus erit illi gratior? quæ molliores erunt crenæ? gratior erit parvulo paleæ & fœni aſperitas, quam virginei ſinus & pectoris tui aureum pulvinar? Non contigit hoc ſine myſteriis. Ob varias cauſas natus Filius Dei reclinari voluit in præſepio. Stabulum, præſepium, paleas, fœnum elegit, ut reprobaret gloriam mundi, & damnaret ſæculi vanitatem. Ut Principes, Reges, Monarchas hujus ſæculi confundat, regni ſui thronum non voluit eſſe ex ebore, argento vel auro, ſed placuit illi præſepium. Verum hæ conſiderationes pertinent ad dulciſſimum myſterium Nativitatis Chriſti. Ob hanc circumſtantiam hac concione facio mentionem præſepii.

Luc. 2. 7.

§ 4. *Affectuoſa cauſa, ob quam in Nativitate imponi voluit paleis.*

Duriſſimum ejus lignum, commixtio fœni cum fœno, palearum cum paleis, ſive trunculi fœni & paleæ, inter ſe cum neceſſaria confuſione diſpoſitæ, compoſitæ, ſibi invicem ſuper poſitæ; paleæ convolutæ in forma & figura plurimarum cruculárum, tot multiplicatæ cruces, fuerunt figura & præludium crucis, in qua aliquando vitam eſſet pro nobis poſiturus. Permitte ô dulciſſima Virgo! concedite id Parvulo ô Virginea brachia, ut in hoc præſepio, in his paleis, in his cruculis, JESUS natus ſtatim quieſcat. In Nativitate vult mundo, mundi Salvator oſtendere, ſe deſiderare jacere, pendere, mori ſuo tempore in cruce, q. d. quandoquidem Patri meo necdum placet, ut in illa trabali & ignominioſa pendeam cruce infamis patibuli. Salvete vos, ô duræ paleæ; Salvete pretioſæ & deſideratæ cruculæ; vos interim, donec in cruce moriar, eritis mihi pignus & arrha illius crucis; vos eſtis mihi ſpecula, in quibus cum gaudio intueor illud lignum, in quo nudus pendebo in monte Calvariæ. Sic in ipſa Nativitate, Præſepium, volo dicere, lignum crucis fuit illi centrum quietis. Reclinatus in præſepio, mundo clamat, ſe velle, ſe deſiderare pati, quietem, delicias ſibi fore mori in cruce. Addo verba doctiſſimi Sylveriæ, ut advertatis, cui diſcurſum hunc

Digitized by Google

hunc debeam; *Meus JESVS frigori expoſitus ſuper durum lignum* (præſepii ſcilicet) *accumbens, paſſiones ac dolores ſuos jam ferre incipiebat.*

Nativitatem ſubſecuta fuit triginta trium annorum vita, ſed quæ non fuit aliud, quam continua crux, quàm continuum deſiderium, dieſque noctesque, plura & ſemper patiendi; intus in anima, exterius in corpore. Certum hoc eſt, potuiſſet ſi voluiſſet Dei filius in hunc mundum naſci, ut naſcuntur filii magnorum Regum, in aulis, in divitiis, in deliciis. Potuiſſet vivere in hoc mundo Rex glorioſus, Rex potentiſſimus, Rex ditiſſimus, Rex totius orbis. Imò, in hoc mundo, & in vita, quam elegit potuiſſet Chriſtus gloriam & beatitudinem animæ ſuæ in corpus transfundere, illudque immortalitate donare, & gaudio implere, ſed noluit facere. S. Chryſoſt. or. 28. in q. ad Hebr. Licebat illi nihil pati, ſi voluiſſet, non enim peccatum fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus, erat ergo ei promptum ſi voluiſſet, non venire ad crucem. Sed noluit, ſed voluit pati & cur? *Potior fuit crucis amor.* Totam vitam ſuam voluit eſſe continuam crucem. *§. 5. Vita triginta trium annorum fuit crux continua.*

Ex his intelligere poteritis ſublimem & Theologicum diſcurſum, quod in inſtanti Incarnationis cœleſtis Pater liberum filio reliquerit, ut mundum redimeret, vel per actiones glorioſas, vel per contemptum & ignominiam; ut hominum fieret Salvator, vel patiendo & moriendo, vel triumphando. Vivendo, vel in laboribus, vel in deliciis. Verum quia vidit Chriſtus Dominus per honores, per delicias, per divitias &c. non ſatisfieri deſiderio perveniendi ad crucem à ſe tantopere ab æterno deſideratam & concupitam; ideo potius paupertatem, contemptum, labores, dolores elegit, ut ſic aliquando pervenire poſſet ad centrum crucis. Fundatur diſcurſus in verbis S. Pauli, *Propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem, confuſione contemptâ*, id eſt, ait Salmeron. *Propoſuit illi Deus gaudium, ſi mallet illud, ipſe autem loco ejus, potius maluit crucem.* B. Laur. Juſtin. *Cum poſſet non mori, & incolumitate corporis ſui, aliaque ratione humana ſaluti proſpicere, maluit ſubire crucem.* Poterat plane non incarnari, ſed *§. 6. Filio Dei in inconſtanti Incarnationis, liberum fuit eligere crucem, vel delicias.* *Hebr. 12. 2.*

Digitized by Google

ſuppoſitâ jam Incarnatione, ejus arbitrio relictum fuit, ut per pœnam, vel gaudium, per anguſtias, vel per lætitiam, per lacrymas, vel riſum in cruce, an in regio throno pro nobis ſatisfaceret. Sed maluit amplexari crucem, tanquam rem pretioſam, tanquam rem ſibi cariſſimam, tanquam dilectiſſimam ſibi ſponſam, in cujus amplexibus 33. annis voluit vivere, & tandem mori. Crux fuit magnes, qui inter alia illum traxit de cœlo in terras, & in uterum virgineum. Vita Chriſti continua crux fuit; & quid miramur S. Andream, poſtquam ſemel à Chriſto vocatus fuit, præcipuè poſt aſcenſionem, poſt adventum Spiritus S. talem vitam voluiſſe vivere in itineribus, in laboribus, in nuditate, in perſecutionibus &c. quæ eſſet crux. Virorum Apoſtolicorum deſiderium eſt, ut licet poſſent in mundo eſſe glorioſi, nolint, ſed velint vivere in cruce.

§. 7. *Tollat, quivis crucem ſuam.* Cariſſimi Auditores cum nos ſimus Chriſtiani, id eſt, actionum Chriſti amatores, cur non ad ejus imitationem nos exhibemus cum S. Andrea cupidos amatores crucis? cur nõ deſideramus aliquid pati cum & pro Chriſto? fruſtra quæritis aliam viã ad cœlum, credamus Chriſto, *qui vult venire poſt me*, (ad gloriam ſcilicet) *tollat crucem ſuam, & ſequatur me*, ah crux nimium eſt gravis, nimium ponderoſa! brevis vocula, crux; ſed plena amaritudine. Fruſtra lamentaris! tolle crucem, Chriſtus jubet. Pauper es, & egenus, paupertas tua eſt crux, quâ premeris, tolle; dic cum S. Andrea, *Salve crux* &c. præſtat hoc, quam ſub illâ gemere, & tamen debere portare. Vexat te podagra, dolet caput, lacerant te alii dolores & morbi? en crucem tuam, tolle, ſi vis venire ad Chriſtum, dic cum S. Andrea; *Salve pretioſa crux* &c. (hoc modo poterit fieri longior inductio, per adverſitates tuis auditoribus congruas) gaudere, gloriari debemus, ſi vita noſtra exemplo Chriſti & S. Andreæ ſit continua crux. Talem vitam elegit filius Dei, talis fuit vita Apoſtolorum.

Matt. 16. 24

§. 8. *Sitis patiendi in Chriſto Domino in ipſâ cruce & morte.* Tandem in ipſa cruce, in extremis doloribus, in anguſtiis mortis, Chriſtus Dominus voluit oſtendere, ſe deſiderare plura pati. Forte aliquibus hic occurrit, quartum verbum à Chriſto in cruce prolatum, ſitio, quo illud deſiderium abunde demonſtravit.

Digitized by Google

ſtravit. Sed hæc probatio eſt vulgaris ſæpe audita. Procedite piis cogitationibus ad verbum ſequens, quo in cruce æternum Patrem fuit allocutus, *Eli, Eli lamma ſabacthani*, hoc eſt, *Deus meus, Deus meus ut quid dereliquiſti me*, q.d. O mi Pater, cur in hoc aſperrimo crucis patibulo, in hoc vaſto tormentorum pelago filium ita deſeris. Sane hæc verba debemus intelligere, v.g. cum Dion. Carth. *Dicit Chriſtus ſe à Deo derelictum, non quod privatus eſſet gratia vel gloria, ſed quia tam graviter patiebatur.* Vel cum Rabano Mauro, *humana natura à Deo fuerat derelicta propter peccatum; ſed quia filius Dei factus noſter advocatus, quorum ſuſcepit culpam, deplorat miſeriam, in quo oſtendit, quantum flere debeat, qui peccavit, quando ſic flevit, qui nunquam peccavit.* Venio rurſum ad conſiderationes & circumſtantias, quæ pertinent ad meditationem paſſionis; ut oſtendam, quod intendo, ſcilicet Chriſtum etiam in cruce, in morte voluiſſe oſtendere ſuum deſiderium patiendi, adduco verba Origenis in cat. D.Th. *Non autem exiſtimes humano more Salvatorem iſta dixiſſe, propter calamitatem, qua comprehenderat eum in cruce. Si autem ita acceperis, non audies magnam vocem ejus, qua oſtendit aliquid magnũ eſſe abſconditum*; nimirum Chriſtum non fuiſſe lamentatum adverſus Patrem, propter intenſos, quos patiebatur, dolores, ſed potius ob temporis brevitatem, quod in cruce illi reſtabat. Deſiderabat Chriſtus, & deſiderio deſiderabat, ut ipſe loquitur, plura pati. Deſiderio intenſiſſimo deſiderabat diutius pendere in cruce; & hoc petivit à Patre; in quo quia non fuit exauditus; quia Pater plura pati concedere non voluit, querens piiſſimè ſe derelictum. Senſit ſe diutius pendere non poſſe in cruce ſibi adeo cara, tantopere deſiderata & concupita. Venerabilis Beda ſic explanat verba Chriſti. Chriſtus ex vi tormentorum ſuam mortem accelerari videns, ait, *Deus meus* &c. i.e. *Pater, cur tam citò me mori diſpoſuiſti? cur non moras protrahis? ut magis ac magis in Cruce moriar?*

Matth. 27. v. 49.

Propterea non miror hodie S. Andream cum tantâ lætitiâ ruiſſe in amplexus crucis; non miror ignea ejus verba; *Salve* &c. non miror eum per triduũ pependiſſe in cruce cum gaudio, non

§. 9. *S. Andreas Chriſti exemplo amator crucis.*

Digitized by Google

non miror, noluiſſe permittere, ut ſolveretur. Erat amator, imitator, diſcipulus ſui Magiſtri; in cujus ſchola didicerat, amatorem deſiderare, pati, à quo didicerat, non eſſe majorem felicitatem & gloria, quam pendere in crucem, à quo didicerat, viam crucis eſſe regiam viam ad cœlum.

§. 10. *S. Andreas optavit crucem.* *Pſ. 18. 6.* *Luc. 22. 15.*

De hoc deſiderio Chriſti erga crucem, & gaudio, quo illam ſuſtinuit, piè ait Drogonius ſer. 1. de paſſ. *Nunquid Chriſtus crucem timuit? imo & optavit, exultavit enim ut gigas ad currendam viam*, & Chriſtus Dominus ipſemet inquit, *deſideravi hoc paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar, manducavit paſcha cum diſcipulis (cum inſtituit Euchariſtiam) manducavit & paſcha cum paſſus eſt, quando tranſivit ex hoc mundo ad Patrem; ego, inquit, habeo cibum manducare, quem vos neſcitis. Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem Patris mei, & voluntas Patris eſt, ut calicem bibam, ergo in cruce manducavit & bibit, & inebriatus eſt, & dormivit. Manducavit quia aſcendit ad palmam, & collegit fructus ejus.* Pari ratione hodie diſcurrere poſſum de ardentiſſimo crucis Amatore, de S. Andrea. Nunquid timuit crucem? imo optavit. Ductus à lictoribus inter vincula, ad crucis conſpectum, exultat, currit ut gigas, deſiderio deſiderat in illa mori. Neque intus flamma deſiderii contineri potuit, erupit foras in ignea & inflammata verba. Hæc erat voluntas Dei, ut moreretur in cruce, ut biberet hunc calicem; manducavit, bibit Andreas; cœleſti luce irradiatus, inter cœleſtes delicias fuit inebriatus, donec in amplexibus crucis, dulciſſimæ ſponſæ expiravit. Sic & ipſe aſcendit palmam, & collegit dulciſſimos ejus fructus. In hortis quoque veſtris Auditores creſcunt hæ palmæ. Palma crucis eſt paupertas &c. aſcendite, comedite, bibite, guſtate; guſtabitis dulce eſſe pro Chriſto pati, dulce eſſe pendere in cruce!

§. 11. *Cùm flammâ quâdam deſiderii.*

Super v. 4 Pſal. 41. *Fuerunt mihi lacrymæ panes die ac nocte*, id eſt, lacrymæ effuſæ in graviſſimis perſecutionibus fuerunt mihi inſtar panis, id eſt, dulces & deſiderabiles; hic inquã exclamat S. Auguſt. in Pſal. 107. *Audi flammam deſiderii*, quo Propheta deſiderat, flere, pati! Hodie Auditores à regio Propheta vos deduco ad S. Andream pendentẽ in cruce. Audite flammam deſi-

deri

Digitized by Google

derii &c. Salve ô bona crux! qualis flamma? crux deſiderata &c. perge hoc modo.

Dum alacritatem S. Andreæ properantis ad crucem conſidero, occurrunt mihi verba Marci; *Præcedebat illos JESVS, & ſtupebant*, nimirum, poſtquam dixiſſet, *Ecce aſcendimus Jeroſolymam*, &c. abit JESUS ut patiatur, ideo greſſus urget, currit, deſiderio perveniendi ad crucem. *Ideo præcedebat* (ait gloſſa) *ad mortem imperterritus. Stupebant*, ait Lyranus, *ex hoc Apoſtoli, quod ita promptè & hilariter ibat ad locum paſſionis.* Theophilus ait, *Præcedebat ut oſtenderet, quod non refugeret mortem pro ſalute noſtrâ.* S. Chryſoſt. hom 82. in Joan. *Oſtendit diſcipulis ſe ad mortem ſponte proficiſci.* Dion. Carth. *Mente conſtanti ac imperterrita Jeruſalem verſus iter arripuit, quia ibidem myſterium ſuæ paſſionis erat complendum.* Luc. 9. innuitur, faciem Chriſti fuiſſe firmatam contra Jeruſalem, de quo pulchre S Damianus. *Ejus enim facies amantis eſt, & quemadmodum habet in Jeruſalem cor defixum, ita neceſſe eſt, habeat & vultum --- ita neceſſe eſt, ut eodem & currat & properet.* Alibi paſſionem & mortem ſuam vocat baptiſmum; hunc autem valde deſiderans ait, & *quomodo conſtringor?* hoc eſt, quàm ſolicitus ſum, quàm ſum anxius ac premor, donec perficiatur. Sitio enim mortem pro omnium ſalute. §. 12. *Hâc ratione Chriſtus Dominus properavit ad mortem,*

Pulchriora de S. Andrea hodie dicere non poſſum. Ducitur in vincula à lictoribus, ſed ipſi præcurrit, properat, ut illi ſtupeant. Hoc S. Andreas didicit à ſuo Magiſtro. Pergit imperterritus, promptus, hilaris, alacer ad locum paſſionis. Hoc didicit à Chriſto Domino Amator crucis: Omni modo oſtendit ſe non fugere mortem. Facies S. Andreæ fixa eſt verſus crucem, ibi fixi ſunt oculi; quia ibi quoque cor ejus eſt &c. quam arctatur &c. ut perficiatur paſſio, talia didicit &c. Videte Auditores, an ſimilia in vobis ſint deſideria, an pati deſideretis, an ametis crucem. Non moneo hoc ſine causâ. §. 13. *Ejus exemplo S. Andreas.*

Sermo crucis (ait S. Damaſc. ſer. de cruce) *iis, qui pereunt ſtultitia eſt, nobis autem, qui ad ſalutem aſpiramus, Virtus Dei*, id eſt, libenter audire de cruce, libenter pati &c. eſt ſignum prædeſtina- §. 14 *Amatores crucis ſalvantur.*

ſtinationis &c. Qui crucem oderunt, pereunt &c. O judicia Dei! *Duo latrones, inter quos Chriſtus pependit in cruce, æquales pene inventi ſunt, & in extremo pares cogniti non ſunt: nam ille in paradiſum, hic ad inferos profectus eſt. Ille bonus, hic improbiſſimus apparuit.* Quomodo hoc accidit? *ſic accidit, unus horum convertit ſe ad crucem, ad Chriſtum in cruce, adorator, amator crucis; alter ſe avertit, oſor crucis, deſcendat, liberet nos---. Vnus horum divinitus loquebatur, alter maledicta fundebat. Et bonus ille cum divino ſuo ſermone ſalvatus, alter blaſphemus cum maledictis damnatus eſt.* Applica pulchre tuis Auditoribus cum pio affectu.

CONCIO LXXXVIII.

FESTO DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

Quia hodie ſalus huic domui facta eſt.

Luc. 19. v. 9.

SYNOPSIS CONCIONIS.

IUdæi in V. T. in feſto Scenopegiæ veniebant ad templum, geſtantes ramos pulcerrimarum arborum; quibus ramis inſtructi Chriſtiani celebrare debent Dedicationes Eccleſiarum.

§. 1. Quare inſtitutæ ſint annuæ dedicationes Eccleſiarum.

§. 2. Rami arborum à Iudæis in Scenopegia geſtari ſoliti.

§. 3. Sunt ſymbola pulcerrimarum virtutum.

§. 4. Proſecutio.

§. 5.

Digitized by Google

§.5. *Alii ad templa afferunt ramos fœtidiſſimos.*
§.6. *Quidnam denotent rami palmarum.*
§.7. *Proſecutio.*
§.8. *Quales ramos ad templum attulerit David.*
§.9. *Quid in templo egerit.*
§.10. *Proſecutio.*
§.11. *David intravit templum, plenus ſanctis deſideriis.*
§.12. *Altare fuit illi locus quietis.*
§.13. *Epilogus.*

FEſta Dedicationum templorum, ab Eccleſiâ inter alias cauſas propterea videntur inſtituta, ut in illis ſimus memores quare templa & Eccleſiæ ſint exſtructæ & ædificatæ. Unam ex prciępuis cauſis videtur prędidiſſe Iſaias, *Conſolabitur Dominus Sion* (id eſt Eccleſiam ſive congregationem fidelium) *& ponet ſolitudinem ejus, quaſi hortum Domini. Gaudium & lætitia invenietur in eâ, gratiarum actio & vox laudis.* Hoc eſt unum ex præcipuis ſacrificiis, quæ Deus à nobis exigit, *Nunquid manducabo carnes Taurorum? aut ſanguinem hircorum potabo? immola Deo ſacrificium laudis*; Quod licet ubique, omni loco & tempore offerre poſſimus, tamen majores noſtri ideò præcipuè templa exſtruxerunt, ut in illis certis temporibus & diebus Deum laudemus, & gratias agamus. Et conſolatur nos Dominus; Eccleſias ponit quaſi hortos, & locos voluptatis; ibi exaudit nos, ibi largitur dona. Imò Deus ſacrificiorum omnium præcipuum, Latreuticum, Euchariſticum, Propitiatorium, Impetratorium, ſive ſacrificium Miſſæ, in templis præcipuè ſibi vult offerri. Aliam cauſam inſinuavit ipſe Chriſtus Dominus Salvator noſter, dum templum vocavit *Locum orationis, & domum Patris ſui*; ubique orare poſſumus, ſed præcipuè in templis. Ad hunc itaque finem auguſtiſſima hæc Wormatienſis Eccleſia eſt ædificata, ut ſit locus orationis, & domus Dei, qui hic nobiſcum habitat; non tantùm ſicut eſt ubique, ſed modo peculiari, imò modo admirabili, quo in templis nobiſcum eſt, & erit uſq; ad cōſummationem ſæculi. In quâ veſte, quâ ratione ornati comparere debeamus in hoc templo, quoties in illo vel ſacrificio intereſſe, vel orare & laudare Deum volumus, cōparere de-

§.1. *Quare inſtituta ſint annua dedicationes Eccleſiarum.*
Iſa. 51. 3.
Pſal. 51. 13.
Luc. 19. 46.

Digitized by Google

beamus: Oſtendam hâc concione. Materiam mihi ſuggeret ſcenopegia Judæorum, quæ tanta apud ipſos fuit ſolennitas, ut ipſe Chriſtus Dominus illam ſuâ præſentiâ honorare voluerit.

§. 2. *Rami arborum à Judæis geſtari ſoliti in ſcenopegia.* *Levit. 23. v. 40.*

Inter alios ritus & cæremonias; quibus Judæi in Veteri T. celebrare debuerunt feſtum tabernaculorum, ſive ſcenopegiæ, poſtquam exſtructum fuit templum, ait Dominus, *Sumetisque vobis fructus arboris pulcerrimæ, ſpatulasque Palmarum, & ramos ligni denſarum frondium, & ſalices de torrente, & lætabimini coram Domino.* Jubentur his verbis Judæi geſtare quatuor arborum ramos vel fructus. Primò arboris pulcerrimæ, id eſt, citri, vel perſici. Secundò de palmis. Tertiò de myrto. Quartò de ſalicibus. Puto fuiſſe jucundiſſimum ſpectaculum, videre tot millia Judæorum procedentium ad templum cum tam elegantibus ramis pulcerrimarum arborum, præcipuè ſi ad ornatum (ut aliqui putant) colligârunt in faſciculos, fructus, flores, & mala citria & perſica. Mandavit ad literam hoc illis Dominus, ut aſpectu horum ramorum recordarentur ſe à ſolitudine & deſerto translatos eſſe in terram feracem, & pulcerrimis arboribus abundantem. Geſtantes tales ramos ſaltabant in ſanctuario coram Domino, cum ingenti lætitiâ; *Lætabimini coram Domino.*

§. 3. *Sunt ſymbola pulcerrimarum virtutum.*

Optarem ex animo hodiernâ die in hoc templo, ad ſolennitatem Dedicationis noſtræ, videre omnes Auditores meos, cum ſimilibus ramis, ex citris, ex palmis, ex myrto, de ſalicibus; fortaſſis aliqui rami de Sycomoro, cujus in Evangelio fit mentio, priores adhuc magis ornabunt, præcipuè dulciſſimæ arboris hujus fructus, maturæ ficus. Nemo cogitet irritum eſſe hoc meum votum, eò quod pleræque hæ arbores in Germaniâ non creſcant; aſſero enim creſcere in hortis noſtris, in cordibus noſtris, in nobismetipſis; ſi per hos ramos intelligamus illas virtutes, quas per illos ramos, arbores, & fructus Spiritus ſanctus nobis proponit. Geſtamus ramum de citro, & aureum ejus pomum, vel perſicum, ſi in nobis eſt virtutum Regina, caritas erga Deum & proximum, cujus ille fructus eſt ſymbolum. Hodie in hâc Eccleſiâ ardenter Deum amare eſt geſtare citrum: ſecundò ſpatu-

Digitized by Google

ſpatulas & elatas palmarum (ut vocat ſponſa in Cant.) geſtant, victores ſuarum paſſionum, & inordinatorum affectuum; palmas portant in manibus, qui domant & mortificant, & crucifigunt ſuas concupiſcentias: frænare ſuperbiam, cohibere iram, extinguere flammas libidinis, ſunt nobiles victoriæ, & ſimul ſpatulæ atque elatæ pulcerrimæ palmæ. Virtutes prioribus vitiis contrariæ; humilitas, manſuetudo, caſtitas ſunt dulciſſimi fructus. Si hos affertis ad hanc Eccleſiam, dico vos celebrare dedicationem, prout deſidero; dico manus veſtras eſſe ornatas ſpatulis palmarum.

Tertiò, lignum denſarum frondium, ſive myrtus, ſignificat odoriferam virtutum omnium, & variorum ſanctiſſimorum deſideriorum denſitatem, & continuum eorum exercitium. Quartò, viror ſalicis ad flumina aquarum denotat illam animi hilaritatem, quâ debemus accedere ad Eccleſias, & hodie præſertim in hanc Cathedralem Wormatienſem, ut Deum laudemus, ut illi agamus gratias, ut ferventer oremus. Pari fere ratione S. Hieron. in cap. 14 Zach. per lignum pulcerrimum, accipit ſapientiam, per palmas victoriam, per myrtum mortificationem, per ſalices caſtitatem: Nam phyſici tradunt, quod ſi quis florem ſalicis miſtum aquâ biberit, omnis in eo frigeſcat calor, & libido ſiccetur. Hoc eſt ſapientes, ſive magis æſtimantes cœleſtia, quàm terrena, victores paſſionum, mortificati debemus comparere in templis, ſi ibi Deum colere volumus, ut decet. Sycomori addidi ramos, & dulces ficus, quia hæc arbor apud ſanctos Patres eſt ſymbolum crucis. Tales ergò ramos præferunt manibus, qui amant & peculiari cultu venerantur ſanctiſſimam crucem, ſive lignum, in quo ſalus mundi pependit. Cum autem vix ullum ingrediamur templum, in quo non videamus erectam crucem, deſidero, ut ſemper illi peculiarem exhibeatis venerationem & cultum, præſertim Crucifixo. Dulces ficus ſunt ſuaviſſimi fructus crucis, quos guſtant, qui in templis ardenter orant. §. 4. *Profecutio.*

Alterius rami fit mentio apud Ezech. In viſione propheta raptus fuit ad templum, & Dominus illi dixit, *Fili hominis,* §. 5. *Alii ad templa ag-*

ferunt ramos fœtidiſſimos. Ezech. 8. 9. *ingredere, & vide abominationes peſſimas, quas iſti faciunt hic* (ſcilicet in Sanctuario) una ex abominationibus fuit hæc, *& ecce applicant ramum ad nares ſuas*, in hebraico eſt vocula *Zemora*, quæ ſignificat fœtorem. Inveniuntur enim quædam arbores, quæ graviſſimum exhalant fœtorem; tales ramos in dedicationibus geſtant illi, qui templa ingrediuntur cum fœtore gravium ſcelerum. Tales ramos geſtant in dedicationibus bibones, luſores, & alii, qui ſanctiſſimum feſtum, & ſacrum diem, qui cõſtitutus eſt, ut illo, in tali Eccleſiâ peculiariter
v. 18. laudetur Deus, violant, & Deum irritant, ut dicat *Ergo & ego faciam in furore; non parcet oculus meus, nec miſerebor; & cum clamaverint ad aures meas non exaudiam eos.* Verùm in aliis concionibus ago contra illos, qui gravia ſcelera committunt in templis. Modò intentio mea eſt, Auditoribus meis oſtendere, quomodo & quales coram Deo in templis comparere debeant.

§. 6. Quidnam denotent rami palmarum. Apoc. 7. 9. Redeo ad ramos palmarum, ſanctus Joannes ait, *Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis: ſtantes ante thronum, & in conſpectu agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum.* Duo affirmantur 1. quod ſancti in cœlis coram Agno in throno gloriæ aſſiſtant in ſtolis albis. 2. Cum palmis. Stola candida ſignificat; primò, puritatem conſcientiæ, caſtitatem & innocentiam; ſuperiori capite dixit ſanctus Joannes, illas lotas eſſe in ſanguine agni. Tales ſunt Sancti in cœlis, puri, immaculati. Secundò; candida ſtola ſignificat inde conſequentem ſerenitatem & hilaritatem; Sancti in cœlis ſunt in gaudio Domini. Tertiò felicitatem & gloriam. Sancti in cœlis ſunt feliciſſimi. Quartò hymnos, gratiarum actiones & doxologias. Sancti in cœlis nihil faciunt, niſi ut laudent Deum; hinc ſanctus Joannes ait illos cecidiſſe in conſpectu throni in facies ſuas, & adoraſſe Deum, dicentes, *Sanctus &c. Benedictio &c.* facilè ex his advertitis, quales debeamus comparere in Eccleſiis. Idem Agnus in terris ſedet in throno altaris, in ſanctiſſimo Sacramento, in hujus conſpectu flectitis, vel ſtatis, cum auditis ſacrum, vel in templo oratis, ſed veſtis debet eſſe candida. Conſcientia noſtra debet

Digitized by Google

bet eſſe innocens & pura. In templo nihil aliud agere debemus, quàm ut Deum laudemus, ut cantemus, *Sanctus*! Hæc eſt ſumma gloria, ſummum gaudium, ſumma felicitas, quâ in terris frui poſſumus; donec veniamus in conſpectum Agni in gloriâ, ut ibi æternùm illum laudemus.

Præcipuus Beatorum ornatus in cœlis coram agno, ſunt rami palmarum; in ſignum victoriæ, quâ potiti ſunt contra mundum, carnem & diabolum. Jam ſupra inſinuavi, contra eoſdem hoſtes nobis pugnandũ eſſe. Unum hic addo; Palma virore perpetuo pleraſq; ſuperat arbores, oleam, laurum, myrtum & ſimiles. Hinc ille viror conſtans ſymbolum eſt heroicæ virtutis, & patientiæ. S. Ambroſius ſer. 24. *Semper virens* (eſt palma) *ſemper veſtita foliis, non marceſcit palma.* Talis noſtra debet eſſe devotio & pietas in templis coram agno in ſanctiſſimo Sacramento, ſemper viridis, ſemper vegeta, ſemper hilaris & conſtans. Hoc eſt venire ad templa cum ramis palmarum. §.7. *Proſecutio.*

Magiſter omnium virtutum in ſuis pſalmis eſt regius Propheta David. Cum audiveritis, quibus ramis ipſe ornatus ſolitus fuerit ingredi domum Domini, facilè advertetis, quales ramos ego deſiderem in veſtris manibus; Pſalmiſta ait. *Ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ introibo in domum tuam, ad templum ſanctum tuum in timore tuo.* In multitudine miſericordiæ, id eſt, confiſus, non in viribus meis, ſed in bonitate Dei; introibo in domum tuam, & in loco illo ſancto coram tabernaculo, coram arcâ; in timore, cum multâ reverentiâ & humilitate, timens ac tremens implorabo Dei auxilium. Non dubito ipſum Regem Davidem in feſto tabernaculorum comparuiſſe coram arcâ, cum ramis ſuperius nominatis, de citro, de palmâ, ſed pulcrior ramus de arbore pulcherrimâ fuit ejus humilitas, quâ ſe proſtravit coram arcâ. Pulchrior ramus fuit timor Domini; pulcherrimus ramus ejus ſpes & fiducia in Divinâ miſericordiâ: formoſiſſimus ramus, animata ejus oratio & imploratio Divini auxilii: In hoc templo, die & nocte, non arca tantùm eſt Domini, ſed ipſe Dominus, ipſe Deus noſter modo admirabili in ſanctiſſimo Sacramẽto Euchariſtiæ. Video vos hic §.8. *Quales ramos ad templum attulerit S. David.* *Pſal. 5. 6.*

Auditores frequenter, vel in miſſis, vel in veſperis, ſed ubi ramus humilitatis & modeſtiæ? ubi ramus timoris? ubi ramus fiduciæ? ubi ramus ferventis orationis. Puto vos intelligere lectionem Davidis quâ hoc loco docet, quales debeamus ingredi hanc domum Domini.

§.9. *Quid in templo egerit.* *Pſal 25.6.* Pſal.25. ſic canit: *Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine, ut audiam vocem laudis, & enarrem univerſa mirabilia tua. Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ; in Eccleſiis benedicam te Domine.* Maculantur manus, per quodcunque peccatum mortale. Macula turpis in regiis manibus fuit adulterium, turpis macula homicidium Uriæ: has maculas ait ſe velle eluere, ut coram altari, in oratione poſſit elevare manus mundas, cum pulchro ramo innocentiæ. Itanè Auditores! inſpicitisne manus veſtras, antequam circumdatis hoc altare, in quo præſens eſt Chriſtus Salvator noſter? Adeſſe vos puto ut audiatis vocem laudis, ut audiatis melodiam Angelorum, Sanctus, Sanctus &c. ut & ipſi enarretis mirabilia Domini. Sed ſuntne lotæ manus? eſtne lotum cor? viretne in manibus veſtris ramus innocentiæ? ramus caſtitatis? ramus puritatis? in hoc loco habitationis gloriæ Dei? Itane! venite, ingredimini, circumdate altare, & benedicite Domino.

§.10. *Proſecutio.* *Pſal.26.6.* Pſal.26. ait, *Circuivi*, id eſt mente meâ perluſtravi opera Davina, *& immolavi in tabernaculo ejus hoſtiam vociferationis; cantabo, & pſallum dicam Domino.* David poſtquam mente ſuâ conſideravit mirabilia opera Domini, cum magna admiratione, cum magnâ voce, cum clamore, erupit in Dei laudes, in benedictiones, in gratiarum actiones, in obſecrationes, in Pſalmos, cum exercitio pulcherrimarum virtutum. Similes hoſtias (talis hoſtia eſt cor quod Deum laudat, talis hoſtia eſt anima quæ Pſalmos canit) nos in hoc templo Deo noſtro offerre debemus; & præcipuè hoſtiam illam Divinam in ſanctiſſimo Sacramento, quæ eſt ipſe Chriſtus Salvator noſter. Hæ laudes, hi Pſalmi, hæ benedictiones, hæ gratiarum actiones, hæ orationes ſunt pulcherrimi rami.

§.11. Eodem Pſalmo exponit ingens ſuum deſiderium erga templum

Digitized by Google

plum Domini dicens: *Vnam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluptatem Domini, & viſitem templum ejus.* Innuit David his verbis, unicum ſuum deſiderium, ingentem voluptatem, vel ut alii legunt *jucunditatem*, alii *pulcritudinem*, alii *delectationem* fuiſſe, in hoc exilio aſſiduè verſari in tabernaculo Domini, ubi erat arca & propitiatorium. Ideo ait *Beati qui habitant in domo tuâ Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Et eodem Pſalmo. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum? concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini, cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum. Etenim paſſer invenit ſibi domum, & turtur nidum ſibi, altaria tua Domine virtutum; Rex meus & Deus meus, beati qui habitant* &c. Quid ſunt hæc verba niſi vox hominis pii peregrinantis & anhelantis ad locum aliquem quietis? qualis Davidi in hâc vitâ fuit tabernaculum, locus arcæ & propitiatorii. Scio multos interpretes dicere, Davidem his verbis declarâſſe ſuum deſiderium ad Jeruſalem cœleſtem, ad patriam; & bene, ſi loquamur de ultimo termino deſiderii cœleſtis gloriæ, in ſanctiſſimo Rege, ut alibi ait, *quemadmodum deſiderat cervus* &c. Interim verò dum inſtar cervi diſcurrit in hoc mundo, interim dum fuit peregrinus in terris, interim dum fuit exul in hâc valle lacrymarum, oſtendit ſe anhelare ad alium locum quietis, ſcilicet ad tabernaculum Domini, ut interim ibi fruatur voluptate, jucunditate, pulchritudine, delectatione Dei ſui, quæ tanta fuit, ut dixerit, *cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Hæc exultatio & jubilus in ea erupit ſigna exteriora, ut ſaltârit coram arcâ Domini. Videor mihi videre in Regiis manibus pulcherrimũ faſciculum ex ramis pulcerrimarum arborum, de citro. Volo dicere, David ſolitus fuit comparere in tabernaculo coram arca, cum inflammatis deſideriis laudandi Deum, cum ingenti lætitiâ & jubilo in Deo ſuo. Gaudeo ſi hodiernâ dedicatione geſtatis hos ramos auditores, non dubito guſtatis ſimul voluptatem Domini &c.

David intravit templum, plenus ſanctis deſideriis. *v.4.* *Pſal.83. 5.* *v.1.* *Pſal.41.2.*

§.12.

Illis verbis, *Etenim paſſer* &c. dum differtur cœleſtis gloria, ſolatur ſe, quod interim in terris invenerit nidulum & locum quie-

Altare fuit illi locus quietis.

Digitized by Google

quietis, ſcilicet altare Domini. Nihil enim eſt in terra, quod magis nobis repræſentet cœlum, quàm altare & templum, in quo aſſervatur ſanctiſſima Euchariſtia; Hic occurrit multiplex memoria rerum cœleſtium, hic quotidie immolatur Agnus Dei, hic futuræ gloriæ nobis pignus datur; hic Deo propiùs aſtamus, eique intentiùs ſupplicamus, hic effundimus corda noſtra & divinas laudes devotiùs, & attentiùs quàm usquam alibi decantamus. Ait igitur, *Etenim paſſer invenit ſibi domum*, id eſt, omnia animalia quærunt ſibi locum aliquem quietis, ut etiam paſſerculus minima avicula invenit nidum; ſicut & turtur, id eſt, non ſolùm animalia, quæ delectantur frequentiâ, ut paſſeres, ſed animalia ſolitaria, ut turtures, quærunt locum, ubi quieſcunt. Mihi autem ait David, ſive vivam ut paſſer, in negotiis aulæ, in militia, ſive gemam, ſive ſolus ſim ut turtur, etiam inveni nidum, ſcilicet altaria Domini ubi quieſcam, & ibi vota mea, & caſta deſideria, piasque meditationes, preces, & laudes quaſi pullos reponam, ut ubi gaudeam, exultem, & jubilem in Domino! Ex his advertere poſſumus, ob quas cauſas, quare & quomodo debeamus accedere ad templum, (poteſt fieri pulchra applicatio.)

Pſal. 83.4.

§. 13. *Epilogus.* Non poſſum abſolvere hunc diſcurſum, diſcurrendo per omnes pſalmos, in quibus regius Pſaltes nobis oſtendit, cum quibus ramis comparere debeamus in templis, faciam fortaſſis aliàs. Puto me hâc concione ſufficienter ornâſſe veſtras manus pulcherrimis ramis.

CON-

Digitized by Google

CONCIO LXII.

FESTO PURIFICATIONIS B. VIRGINIS.

Tulerunt illum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino.

Luc. 2. v. 22.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QVo ſenſu, & quare à ſanctis Patribus, Beatiſſima DEI Mater vocetur & dicatur cauſa, ſive cooperatrix humanæ Redemptionis; ſive mediatrix vitæ, origo ſalutis &c.

§. 1. Cur B. Virgo ſe ſubjecerit legi Purificationis.

§. 2. Diſceſſus B. Virginis cum Jeſulo ex ſtabulo ad templum.

§. 3. Deus in utero Virginis noluit incarnari ſine ejus conſenſu.

§. 4. Oblatio à Filio & matre, in Incarnatione, hodie publicè fuit confirmata in templo.

§. 5. Qualis & quàm eximia fuerit illa oblatio, quàm ardua.

§. 6. Duravit triginta tribus annis, & denique fuit confirmata ſ[illegible]ruce.

§. 7. Inſigne factum Ducis Themiſtoclis. Quomodo ſibi conciliaverit Regem.

§. 8. Quod B. Virgini applicatur. Et quàm heroicis actibus Filium obtulerit Patri.

§. 9. Ita meruit titulum Cooperatricis, ſalutis generis humani.

§. 10. Confirmatur id ex S. Auguſtino.

§. 11. Figura ex lib. 2. Reg. 3. v. 12.

§. 12. Comparatio inter Evam & Mariam à contrario.

§. 13. Confirmatur ex Pſalmo 73.

§. 14. Niſi eſſet JESVS & Maria non ſalvaremur.

§. 1. *Cur B. Virgo ſe ſubmiſerit legi Purificationis.*

VUlgari & uſitato verbo, hodierna Dominæ noſtræ feſtivitas vocatur, Virginis Purificatio: verùm quomodo Virginitatis nix & lilium, quomodo fons munditiæ, ſplendor ille puritatis, illud ſpeculum ſine maculâ, quomodo lucidiſſimus ille ſol, illa pulchra luna, illa aurea aurora, purificari potuit? Certè teſte S. Bernardo h. de Purif. puriſſima Virgo dicere potuiſſet, quid mihi opus eſt purificatione? Cur abſtineam ab ingreſſu templi, cujus uterus neſciens virum, templũ factus eſt Spiritûs ſancti? Cur non ingrediar templũ, quæ peperi Dominum templi? nihil in hoc conceptu, nihil in partu impurũ fuit. Quid in me legalis purificet obſervatio, quæ puriſſima facta ſum ipſo partu im̃aculato? Ita ſe hæc habent, ſed benè dixit Juſtinianus de purif. *Virginem ſupra legẽ fecit gratia; ſed ſub lege humilitas.* Benè Guarricus ſ. 1. de Purif. *Suſcepit tamẽ Mater totius puritatis, purgationis ſpeciẽ, ut ſimul obedientiſſimæ humilitatis virtutem, & Evangelicæ purificationis inſinuaret veritatem.* Hâc ratione imitata fuit humilitatem filii. Benè S. Bern. *Verè ô Maria, verè non habes cauſam, nec tibi opus eſt purificatione (lilium es, candor es, ſpeculum es, templum es, nix es) ſed nunquid filio tuo opus erat Circumciſione? es ergo inter mulieres ſicut una illarum, nam & filius tuus ſic eſt in numero peccatorum.* Majoris demiſſionis exemplum B. Virgo præbere non potuit. Super humillima illa verba, quibus Beatiſſima Virgo in Incarnationem Filii Dei conſenſit, Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum: magnâ admiratione exclamat S. Bonav. ſpec. V. c. 4. *O mira & profunda humilitas Mariæ! Ecce Mariam Angelus alloquitur, Maria gratiâ plena dicitur, in Matrem Dei aſſumitur, omnibus creaturis anteponitur, Domina cæli & terræ efficitur; ſed in his omnibus mirâ humilitate deprimitur, dicens, Ecce Ancilla Domini.* Hodie, dum Moſaicæ legi de offerendo primogenito, ſe ſubjecit, depreſſit ſe adhuc profundius, dum non ancillæ tantùm, ſed peccatricis formam aſſumpſit; meritò exclamamus, ô mira & profunda humilitas Mariæ! Fecit Mariæ magna qui potens eſt! *Noſtis quæ* (inquit Beda in c. 1. Lucæ) *magnum, quia Virgo! Magnum, quia mater! majus, quia utrumque! maxima, quia Dei mater! ſed*

majus,

majus, quia cum tanta ſit, putat ſe nihil eſſe! In incarnatione, in arcano Virginei cubiculi, uni Angelo ſe ancillam dixit, hodie palam in templo, univerſo orbi ſe talem profitetur. Benè S. Bernardinus t. 1. h. 51. a. 1. c. 3. *Sicut nulla poſt Filium Dei creatura tantam aſcendit in gratiâ dignitatē, ſic nec tantùm deſcendit in abyſſum humilitatis. Deſcendit in illam cum in Annuntiatione ſe vocavit ancillam, in Viſitatione, cum viſitavit cognatam, in Nativitate, dum peperit in ſtabulo, ſed hodie profundiſſimè, dum formam peccatricis aſſumpſit.* S. Bern. *Ut quantò major erat, humiliaret ſe non modò de omnibus, ſed præ omnibus.* Verùm de his aliàs, modò parte hujus concionis primâ oſtendam, B. Virginem per oblationem filii in templo, ſuo modo factam eſſe adjutricem redemptionis humanæ; non ut gloriam Chriſti, qui ſolus Redemptor noſter eſt, elevem, ſed ut pateat, amantiſſimum Filium voluiſſe Matrem ſuam omnis ſuæ gloriæ, quantum quidem fieri potuit, eſſe participem. In alterâ parte nonnulla attingam ſolatia, quibus hoc feſto Virgo mater alumnos ſuos ſubinde affecit, nam & illorum hodiernâ feſtivitate participes meos eſſe cupio Auditores.

Ut candidè, quod ſentio, loquar, exiſtimo hodiernâ die, id eſt, quadrageſimâ poſt Nativitatem; B. Virginem antequam pergeret Hieroſolymam oblatura filium in templo, eundem ſummo manè panniculis involutum, adhuc ſemel reclinâſſe in præſepio, flexiſque coram eo genibus cum S. Joſepho eidem immenſas egiſſe gratias, pro tam admirandis myſteriis quadraginta dierum ſpatio in ſtabulo peractis. Tum amantiſſimum filiolum brachiis impoſitum Jeroſolymam deportavit, ibique in templo coram ſacerdote in pretium & holocauſtum pro genere humano, unàque cum illo ſuam pariter obtulit voluntatem, paratam conſentire univerſis, quæ juſſu Patris, pro generis humani redemptione, filio forent perferenda, quo in genere nec ſanguinis effuſionem, nec cruciatuum immanitatem, nec ipſam mortis acerbitatem excludebat. Hâc oblatione tam pretioſâ, hâc voluntate tam heroicâ, Beatiſſima Virgo illa encomia & titulos promeruit, ut dicatur *Reparatrix & cauſa noſtræ ſalutis, & mater vitæ. Reparatricem vocavit* S. Anſelmus. *Cauſam ſalutis*

§. 2. Diſceſſus B. Virginis, cum Jeſulo, ex ſtabulo ad templū.

 Irenæus,

Digitized by Google

Irenæus, *Univerſo generi humano cauſa ſalutis facta eſt. Matrem vitæ* S. Hier. *Vita per Mariam, ſicut mors per Evam.* Theologico, brevi tamen & claro diſcurſu hoc elogium Virginis ob oculos vobis ponam.

§. 3. *Deus in utero Virginis noluit Incarnari ſine ejus conſenſu.* In ſacratiſſimo ſanctiſſimæ Trinitatis conſiſtorio, à Patre, Filio & Spiritu ſancto decreta fuit per Incarnationem, vitam, paſſionem, & mortem ſecundæ perſonæ ſuo tempore generis humani redemptio. Ubi hora tanti myſterii executioni deſtinata adfuit, placuit eidem ſanctiſſimæ Trinitati, ſine voluntate & conſenſu Virginis, idipſum non exequi, ideò miſſus eſt Archangelus Gabriel veluti Paranymphus, conſenſum Virginis pro tanto myſterio petiturus. Dedit illum Virgo ſuaviſſimis illis verbis; *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* (*Luc.* 1. 38.) Fiat! O admirabilem, ô efficacem, ô omnipotentem voculam! Gen. 1. *erant tenebræ ſuper faciem abyſſi, terra erat inanis & vacua,* (*Gen.* 1. 2. 3.) dixit Deus: *Fiat lux, & facta eſt.* Illâ voculâ diviſit aquas ab aquis, illâ voculâ produxit firmamentum & cœlos, in illis ſolem, lunam, ſtellas; in mari piſces, in terrâ beſtias, in aëre volucres, demùm hominem. Verbo; hoc verbulo fiat, totum creationis opus ſex dierum ſpatio perfectum eſt. Hominis creationem in excelſiſſimo gradu excedit ejusdem redemptio! illa opus eſt digitorum Dei, hæc omnipotentis brachii; *fecit potentiam in brachio ſuo.* (*Luc.* 1. 51.) Sed in ſalutis noſtræ primordio ſanctiſſima Trinitas Omnipotentiæ ſuæ vices Mariæ delegâſſe videtur, dixit, *Fiat*, & facta eſt Incarnatio, dixit, *Fiat*, & obumbrante Spiritu ſancto in utero Virgineo ex delicatiſſimo ſanguine formatum eſt corpuſculum! dixit Virgo, *Fiat*! & illo obumbrante creata eſt anima perfectiſſima! unitaque eſt corpori, dixit, *Fiat*, & illa humanitas unione admirabili aſſumpta eſt à Verbo, dixit *Fiat, & Verbum caro factum eſt,* (*Ioan.* 1. 14.) ſive Deus factus eſt homo; homo factus eſt Deus redempturus hominem. Sed vi conſensûs Virginis; illo momento B. Virgo cœpit eſſe mediatrix, reparatrix, cauſa ſalutis noſtræ, & mater vitæ! hâc ſuâ voluntate dedit ſuo modo initium myſterio redemptionis humanæ. Eodem etiam momento Deus Incarnatus ad Patrem dixit, *In capite libri ſcriptum*

eſt

eſt de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui! his verbis Chriſtus Dominus æterno Patri ſe obtulit, ad omnia illa ſubeunda tormenta, quæ poſtmodum ſuſtinuit. Sed acutè obſervârunt Patres, B. Virginem ſuo verbulo, *Fiat*, ad eandem voluntatem ſuam conformâſſe. Senſus ergò fuit; ſi filio illi, quem & concipere debeo & parere, pro humano genere multa decretum eſt ſuſtinere tormenta: *fiat*! ſi ſanguinem fundere, *fiat*! ſi vitam ponere, *fiat*! Meditantur ſancti Patres, in momento Conceptionis, Deo homini à Patre permiſſos electos; ſive fuiſſe tunc conſcriptum librum vitæ. Sic eſt, ſed contigit hoc ipſum in utero Virginis. O magnam magnæ Matris dignitatem! ô uterum Virgineum omni dignum laude, honore, reverentiâ!

Sed redeo ad feſtum hodiernum. Salvator noſter illam voluntatem, quâ in utero Virginis, veluti templo animato æterno Patri ſe obtulit, hodiernâ die repetere voluit in templo Jeroſolymitano, voluit offerri Patri veluti victima & hoſtia, ſed per manus & brachia Mariæ! Præclarè S. Hier. ep. de aſſ. V. *Per illam ſe nobis dedit in pretium.* Certè cogitare pronum eſt JESULUM oblatum ſacerdoti, ferventiſſimis nobiliſſimarum virtutum affectibus ſe Patri obtuliſſe: verùm ut hoſtia placeret magis, voluit id fieri per manus Mariæ. Et ſine dubio, dum hinc Patri ſe obtulit filius; ex alterâ parte idem fecit mater, affectu piiſſimo, corde materno, voluntate heroicâ, quæ Deo ſacrificium fuit longè ſuaviſſimum.

§. 4. Oblatio à Filio & Matre, in Incarnatione, hodie publicè fuit confirmata in templo.

Fundamentum hoc eſt. Fuit Chriſtus Dominus revera filius naturalis B. Virginis, ideoque ſub poteſtate matris conſtitutus; ideò licet Pater decreverat, filium mori pro genere humano; licet filius conſenſerat, poterat mater diſſentire; ſed quia hoc non fecit, ſed potius filium ſuum in mortem obtulit, S. Bonav. h. 1. de V. t. 3. *Amantiſſimum filium & unicum.* Ut ſicut S. Joannes dicit de Patre c. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum Vnigenitum daret*; ſic de Virgine dici poſſit; ſic dilexit homines, ut filium ſuum Unigenitum daret in mortem, mortem autem crucis. De quâ oblatione pulcrè S. Bern. *Oblatio iſta ſatis delicata videtur, ubi tantùm ſiſtitur Domino; redimitur avibus,*

§. 5. Qualis & quàm eximia fuerit illa oblatio quàm ardua.

Ioan. 3. 16.

& illicò reportatur. Veniet, quando non in templo offeretur, nec inter brachia Simeonis, ſed extra civitatem inter brachia crucis. Veniet, quando non redimatur alieno, ſed alios redimet ſanguine proprio. Illud enim erit ſacrificium veſpertinum, iſtud matutinum. Illud plenius, iſtud quidem jucundius. Iſtud in tempore Nativitatis, illud in plenitudine ætatis.

§. 6. *Duravit triginta tribus annis, & denique fuit confirmata ſub cruce.*

Duravit annis triginta tribus, quos Filius in hoc mundo vixit, quoad tandem in monte Calvariæ, atrociſſimam Filii mortem in cruce coram approbavit. Quod ſi placet, clarius ego meam vobis hâc de re ſententiam expono: ſiquidem in animum induco, hos ſtantis ſub cruce Jeſu Matris potuiſſe eſſe affectus. O mi Fili! Fili mi! Tune ultimum in cruce ſpiritum exhales? acutus, ô acutus hic gladius materna mea viſcera penetrat! ſed tamen, quandoquidem ſic placuit Patri tuo cœleſti, *Fiat, fiat!* cum ad humani generis redemptionem tantoperè conducat, *Fiat!* cum lapſæ ſalus naturæ ex hâc licet infami morte dependeat; *Fiat!* Fili mi, ô mi Fili, *fiat, fiat! Omninò tunc fuit* (ait Arn. Carnot) *una Chriſti & Mariæ voluntas, unumque holocauſtum ambo pariter Deo obtulerunt, filius in ſanguine carnis, mater in ſanguine cordis.* Duo in monte Calvariæ fuerunt altaria, crux & cor Virginis &c. Imò hæc voluntas Virginis tam fuit heroica, ut SS. Patribus teſtibus parata fuerit ipſa filium cruci affigere, ſi Patri placeret &c. Sed hæc pertinent ad montem Calvariæ, modò memini tantùm B. Virginem eſſe reparatricem & cauſam ſalutis noſtræ. Quo ſenſu SS. Patres dicant, porrò quàm humano generi oblatio fuerit utilis; advertite.

§. 7. *Inſigne factum Ducis Themiſtoclis. Quomodo ſibi conciliaverit Regem inimicum.*

Auctor eſt Plutarchus, magnum belli Ducem Themiſtoclem, cum ingrati cives Athenienſes, pro quibus in prœliis contra hoſtes magnis vitam periculis expoſuerat, illum perſequerentur, atque adeò mortem minarentur, fugiſſe cum filiolo ad Regem Moloſſorum juratiſſimum hoſtem, malens manu hoſtis, quàm civium cadere. Verùm accidit contrarium: non mortem, ſed vitam gratiamque & amicitiam apud hoſtem invenit. Res ita contigit: antequam regem conveniret, Reginam Phtiam ſalutavit peramicè, cui & obtulit filiolum, cujus pulchritudine ita

hæc capta fuit & delinita, ut cum Themiſtocle acceſſerit Regem. Et certè Rex intercedente Reginâ commotus potiſſimum aſpectu innocentis Pueri, ſummam quam potuit hoſti benevolentiam demonſtravit.

Simili planè modo Regina cœli & terræ, non regem terrenum ſed iratum Deum nobis reconciliavit, dum hodierno die in templo cœleſti Patri unicum ſuum, ſed dilectum cordis filium pro nobis obtulit. Et quis comprehendere poterit dulces & divinos hujus Reginæ matrisque affectus, quibus Patri hunc filium repræſentavit? Equidem exiſtimo, quod amplexata filium ſuum parvulum cum lacrymis, cum oſculis, cum dulcibus ſuſpiriis inſuſurrâvit ejusdem auribus, quem ſciebat omnia audire & intelligere: mi Parvule, mi Maxime, mi Fili, mi Pater, mea vita, meum cor, Deus meus & omnia; Pater te exigit, & te illi offero & reddo ex toto corde. Ah fili! ſcio & te & me dura manebunt fata, gladius doloris Filii & matris animam pertranſibit. Sed tamen ignoſce fili, Pater tuus, Deus meus jubet, & vult ut te offeram. Fiat! quod vult ipſe, volo & ego: ah mi fili, ah dulcis JESU! quid reſpondes matri? nihil. Cur? quia verbum infans tacet & nihil loquitur: ſed audi auguſtiſſima mater, ego cinis & pulvis ſum, permitte ut verbulum loquar, quid cogitas? quid agis? non habes niſi hunc filium, non facilè nanciſceris alium tam bonum, tam ſuavem, tam perfectum, tam amabilem. O mater, Simeon videtur velle dicere, fore ut filius tuus ſanguinem ſudet, ut funibus atque catenis ligetur, ut ſæviatur in ipſum flagellis. Quid ad hæc ô Virgo? adhuc Tuum illud *Fiat* ingeminas? & quid ſi ad mortem crucis ſit condemnandus? quid ſi ponderoſum crucis lignum ſuis cogendus ſit humeris bajulare? *Fiat!* quid ſi clavis innocentes ejus manus pedesque perterebrentur? *Fiat!* Quid ſi te ſpectante crudelis lancea in filii pectus adigatur? *Fiat!* ſi Patri placuerit, placebit & mihi. Et dum filium offers Patri, hoc dicis. Pater, viden tuum filium; & meus eſt, & amplius quàm ullus filius ſit filius matris ſuæ. In aliis patres ſunt pars conceptionis; ego in Incarnatione hujus filii ſola dedi puriſſimum ſanguinem, & omne quod neceſſarium fuit ad organizationem hujus ſanctiſſimi

§. 8. Quod B. Virgini applicatur, & quàm heroicis actibus filium obtulerit Patri.

ctiſſimi corporis. Pater ſancte non ignoras, nullius unquam matris tantum potuiſſe exiſtere amorem in filium, quantus eſt meus in Jeſum. Nam ſi excellentia objecti benè cognita eſt menſura amoris, hic puer, qui tuus & meus filius eſt, infinitè potens, infinitè amabilis eſt. Amo illum, & amo ſi poſſem amore infinito. Nihilominus voluntas mea, quam tuæ velut amuſſi cupio eſſe quàm maximè conformem, quin& calamitas, quâ preſſum jacet genus humanum, facit, ut illum offeram tuæ voluntati, ad omnia, quæ jam in conclavi prædeſtinationis, concluſa ſunt ab æterno, quæcunque demum illa ſint, aſpera, dira, horrida, formidanda. Pater æterne! mors filii, erit mea mors, ſicut vita ipſius vita mea eſt: nihilominus accipe, accipe, dummodo ſalus hominis vindicetur. Ecce donum te dignum, dignius mille cœlis & mundis, quia æquè grande & pretioſum eſt, ac eſt infinita tua Majeſtas & Divinitas!

§.9. *Ita meruit titulum cooperatricis ſalutis generis humani.*

O Amorem Matris! Auditores perpendite hodie mecum & admiramini excellentiam hujus actûs beatiſſimæ Virginis! hâc actione, hâc oblatione, hâc heroicâ voluntate promeruit, ut noſtræ dicatur Redemptionis cooperatrix; furit hæreſis, dum audit has laudes Virginis; ſed non intelligit, & ignorat, quid nos Catholici in laudem Virginis dicamus. Scimus, nos unico ſanguine Salvatoris redemptos. Sed filius ſanguinem pro nobis dare noluit, niſi mediante & volente matre; ſicut in utero incarnari noluit, antequam Virgo cōſentiret, & diceret, *Ecce Ancilla &c.*

§.10. *Confirmatur id ex S. Aug.*

Confirmat idipſum Hipponenſis Præſul ſer. 17. de Nativitate Virg. *Reſponde jam Virgo ſacra, conſenſum tuum Angelus præſtolatur, Deus in porta eſt; Angelum, quem moraris, expectat.* Et in c. 28. Gen. *O Beata Maria ſæculum captivum tuum deprecatur aſſenſum, -- & -- pande ſinus roſeos Virgo perpetua; fides tua modo, aut aperit cælum, aut claudit.* Itaque dum conſenſum dedit, Deus intravit in uterum, factaque eſt mater Salvatoris; eundem Virgo peperit, eundem hodie pro redemptione noſtrâ Deo Patri obtulit; I nunc hæreſis invida, & aude porrò, ſi potes, negare, Dominam noſtram ſuo modo eſſe cauſam & matrem, & radicem, & inventricem noſtræ ſalutis. Audi hæreſis, quæ ſit noſtra, hoc

eſt,

eſt, Catholica de hâc Beatiſſimâ Virgine ſententia. Sentimus cooperatam eſſe noſtræ ſaluti. Audi beſtia! dicimus fuiſſe organum noſtræ redemptionis. Audi furia! ſancti Patres dicunt, fuiſſe mediatricem inter Deum & hominem. Audi, fure, quantum lubet. Maria eſt mater vitæ, eſt mater redemptoris; unde non eſt cauſa formalis ſalutis (hic eſt unus Salvator noſter, & ejus ſanguis unicum ſalutis pretium) ſed eſt cauſa adjuvans, quia materiam ſanguini redemptionis ſubminiſtravit, & quia ſuum pro nobis obtulit filium, à quo tantam ſumus redemptionem conſecuti.

Pulchra ſuppetit hujus rei figura l. 2. Reg. c.3 ubi Abner voluit reconciliari Davidi, cum eodemque fœdus inire. Siquidem David illi ſignificavit nihil ſe facturum, niſi Regina intercederet. Illius interceſſione ſe in omnia conſenſurum; hoc modo peractum eſt noſtræ reconciliationis myſterium. Placatus eſt Deus per filium, ſed adjuvante matre, quid obgannit hæreſis? S. Irenæus qui poſt Chriſtum natum vixit Anno 160. ſic locutus eſt, *Sicut Eva inobediens, & ſibi & univerſo generi humano facta eſt cauſa mortis: ſic & Maria Virgo obediens, & ſibi & univerſo generi humano facta eſt cauſa ſalutis.* Acuit & calamum in Marianas laudes facundum, S. Damaſc. or. 1. de Nativ. *Per eam mortalium genus redintegratum eſt, ea Deo obſecuta mundo immortalitatem invexit, adminiſtra ſalutis univerſi orbis, quæ omnem naturam ad interitum verg ntem ad vitam reſtituit.* & or. 2. de aſſ. *Tu violati mandati pœnas nobis ſuſtuliſti: tu immortalitatis indumentum nobis peperiſti; tu beatitudinem nobis rependiſti. Vitæ pons, cæli ſcala &c.* Advertite aliud ad magnæ Matris noſtræ encomium. Iratus fuerat, & meritò iratus, Nabalis ſtultitiæ David Rex (cauſa patet legenti l. 1. Regum c. 25.) Quare cum exercitu movet, ut ab ingrato, ſtultoque homine pœnas exigat condignas. Audiit hoc formoſa Abigail, & indoluit; mox in occurſum Regis ingreditur, huic facta ſupplex veniam orat, negatam à viro ſuo annonam ultrò affert, offertque, panem ac vinum, agnellos atque alia quæ ſuppetebant munera exhibet. Opportunè profectò! periiſſet Nabal, niſi Abigail occurriſſet. Audite

§. 11. *Figura ex l. 2 Regum cap. 3. v. 12.*

1.Reg.25.32 irati Regis, ſed jam non amplius irati vocem, *Benedictus Deus Iſrael*, inquit, *qui miſit te hodie in occurſum meum, & benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuiſti me, ne irem ad ſanguinem, & ulciſcerer me manu meâ.* O prudens Abigail! ſed ô longè prudentior Maria! Virgo verè prudentiſſima! Benedictus Dominus Deus Iſraël, qui hodie direxit greſſus tuos, ut ires in templum Jeroſolymitanum, ibidemque non panem & vinum, ſed agnellum innocentem, tenerum, candidum, Agnum inquã Dei, ipſi offerres Deo Patri cœleſti. *Benedicta tu in mulieribus*, occurriſti Tu non Davidi, ſed regi ſæculorum ad ſtulti Nabalis, hominis inquam peccatoris, verè ſtulti (nam peccatore quid ſtultius?) internecionem parato.

§.12. *Comparatio inter Evam & Mariam à contrario.* Advertite vim comparationis, quæ à SS Patribus Evam inter & Mariam diducitur. Eva non fuit prima cauſa perditionis humanæ, ſed Adamus. Hic fuit caput, cum quo Deus iniit pactum vitæ & mortis. Quod ſi ſola pomum comediſſet Eva, non utique periiſſemus. Fuit tamen Eva cauſa propterea, quod Adamo præſentavit pomum. Sic à contrario. Chriſtus alter Adam eſt cauſa primaria vitæ, Maria ſecundaria; quia etſi ipſa redemptionis beneficium non perfecerit, illum tamen, qui perfecit, & mundo genuit, & Patri obtulit, & ſuum ad mundi redemptionem præbuit conſenſum. Simile quoddam pulcherrimè rem explicat. Captivo mancipio ait Turca; non liberaberis, niſi ſolvas 10000 ducatorum. Dives aliqua Virgo commiſeratione tacta captivo illam ſuppeditat pecuniam, quâ miſer è ſervitutis tyrannide vindicetur. Quæ eſt prima cauſa liberationis? clarum eſt, pecunia, hæc movet primariò Turcam, ut captivum libertati reſtituat: Virgo cauſa eſt redemptionis, quia donat pecuniam, quis hoc negabit? Cur non idem dicemus de B. Virgine? Sanguis Chriſti fuit pretium, quo redempti ſumus; filius Dei nos redemit, ſed juvit mater, quia ſanguinem dedit, quia filium obtulit.

§.13. *Confirmatur ex Pſ.73 v.12.* Si S. Bernardus nõ enarravit, cum advertit hanc Deiparæ excellentiam contineri in illo Pſal.73 *Operatus eſt ſalutem in medio terræ.* S. Bern. ſer. 2. de Pent. *Id eſt in utero Virginis Mariæ, qui eſt medium terræ; ad illum enim ut ad medium reſpiciunt, qui in cœlo ſunt*

ſunt & qui in inferno. Centrum terræ punctum, à quo omnis exit magnitudinis, longitudinisque dimenſio, centrum eſt quod in infinitas extenditur lineas, centrum eſt, in quod omnis collimat circumferentia. Videtis Auditores, quis hinc mihi campus Marianæ laudis exurgat? ſed alterius eſt loci conceptus iſte, ad alia progredior.

Finio modò hunc diſcurſum verſu 25. cap. 33. Jeremiæ. *Niſi* §. 14.
pactum meum eſſet, diem ac noctem, leges cælo & terra non poſuiſ *Niſi eſſet IESVS &*
ſem. Pactum hebraicæ dicitur Berith, quâ voce cabaliſtæ my- *Maria, non*
ſterioſos reperiunt numeros, & alias voces hebraicas, præci- *ſalvaremur.*
puè JESU Umiriam, ſecundum quos, cit. verſus ſic debet legi, *Ier. 33. 25.*
Niſi JESVS & Maria eſſent. Itaque hodie mater & filius, in templo fuerunt pactum propitiationis & Redemptionis &c. Sine quibus DEUS non creâſſet mundum, multò minus redemiſſet. Niſi eſſet JESUS & Maria! ſic eſt. O ubi ego eſſem, niſi JESUS & Maria eſſet! neque eſſe cupio, niſi ſint JESUS & Maria! O Auditores, diligite Salvatorem, diligite Mariam! quid ſumus, quid erimus, quid nobiſcum fiet præcipuè in agone, niſi ſint JESUS & Maria? Erit tempus ô Auditores, quo in agone deſiderabitis dicere, cum Simeone, Nunc dimittis &c. non fiet, niſi ſint nobiſcum JESUS & Maria! fiet, ſi ſint in cordibus noſtris, JESUS & Maria, Gen. 46. dixit moriens Jacob, *jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam.* Sine dubio *Gen. 46. 30.* idem hodie dixit Simeon, cum in ulnis tenuit Infantulum Salvatorem: O mi JESULE, te video, te teneo, te amplector. Jam lætus moriar! non jam timeo mortem, non tenebras, quia video lumen ad revelationem gentium! O beata mors, veni, claude mihi oculos, ſi lubet, ut nihil videam impoſterum niſi DEUM. Hæc ſine dubio fuerint ſuſpiria Simeonis! cum corculum cordi impoſuit, cum ſupra faciem JESULI ex ſenilibus oculis deciderunt lacrymæ, cum puſioni ſuaviſſimo ſuaviſſima impreſſit oſcula. Dicite Auditores, ſimilemne vobis ex hâc vitâ mortali diſceſſum precamini? O quis non exoptet? Equidem hâc de causâ adſcriptos vos

Digitized by Google

eſſe Confraternitati agonizantis in cruce JESU exiſtimo. Benè habet; quod optatis, habebitis, ſi tamen in cordibus veſtris ſint duo hæc gratioſa nomina, JESUS & Maria. Cum his, in his, ex illis mors ſequetur ſancta, mors læta, mors beata, mors æternæ vitæ, non mortis præambula.

Gloria ſit Patri, ſit gloria maxima Nato,
Gloria ſit Matri, Cœlicolumque choro.

F I N I S.

Digitized by Google